

est Hippocrates extraxit ad homines. qd est: qz diuersitas in ordine sermonu q sunt in eo: non est recta vt cadat nisi ppter hanc cam: qz Hippo. no firmavit illa exēpla nisi postq inuenit ea p verificationē suam ad intentionē vlem in hoc libro. s. quedā eozū sup margines eius: qz quedam eozū super dorsum ipsius. Et nō fuit possibile scriptori primo vt poneret vnūquodqz horū exēplorū in loco in quo oportuit vt poneret. inde est: qd illud qd dicit in hoc sermone cuius pmissus rememoratio: eius dicit in nō suo loco. qd est: qz locus eius nō est iste locus: s. aī ipsius parū successione sermonis in quo dicit Hip. exēpla in permutatione ad prariū subito ptra p̄suetudinē. Opz enī vt firmaret ēt iste sermo cū illis rebus. s. qz pmutatio ptra p̄suetudinē ad vtendū vigilis prohibet cibos z potus qui sumunt a digestionē verū permutatione ab vltū vigilariū ad multiplicatē somni cōtra cōsuetudinē facit accidere grauitatē capitis z mollificationē capitis. qd ē: qz rememoratio decoctionis z mollificationis: qn̄ aggre-gant simul in summa vna significat summa illa casum virtutis: sed nomen decoctionis solum significat casum virtutis q accidit ppter humiditatē acutā nō a siccitate: qn̄ de aptitudine vigilariū est vt resoluat corpus z exte-cent ipm: de aptitudine hō somni est vt digerat z humectet loca intrinseca corporis: z phibet spiritū: z qd currit in corpore eius qui dormit somno multo plus q̄ fuit consueudo: superfluitates vaporose: quare fit eius corpus per illam eam mollificatū sicut illud quod decoquitur.

Explicit Liber secundus Regiminis acut. Dip.

Claudi Galeni Pergameni medicorum Principis In regimen acutorum morborum Hippocratis Liber Tertius: Fauste incipit.

Dus autem dulcis vel vinum siue album siue nigrū: z aqua mellis: z aqua oxymellis: siue secaniabin: in acutis morbis exhibenda sunt post multam considerationem in his.

Vinum dulce: z vinosum: vel vinum album z nigrum: z hydromel: z aqua: z secaniabin opz vt sit vsus tuus in eis egritudinib⁹ acutis post p̄siderationē in istis rebus:

Non timido inuenitur Hippocra. non ordinasse sermonem suum istum z in serie posuisse fm q oportet: sed inuenitur dimisisse in eo rememoratioē specierū: vinorū. Qd est: qz vna rerū in qua diuersificatur vna est color: z secūda est sapor: z tertia est substantia: z quarta est odor: z qnta est virtus. Diferitas q̄ ipoz in colore diuidit in albū z nigrū: palmeū z citrinū: z rubēū z clarū. Et iter ista ē sunt spēs alie: z sicut inuenim⁹ ea diuersificari in colore: sicut ēt inuenimus ea diuersificari z in virtute. Diferētia autē in sapore iter ea diuidit in dulce z stipticū. Et manifestū qd ēt q̄ inter hec duo ēt sūt spēs medie in qbus nō vincit aliqz horū duoz saporū z cōposite ēt ex istis duob⁹ saporib⁹. Diferitas autē eoz in substantia diuidit in aquosūz subtile: z grossūz valde: z mediū inter hec duo: z qd est mediū inter mediū: z vnūq̄qz horū duoz extremorū. Diferitas autē eozū in odore est q̄ aliud horū est qd hz bonū odore aromati-

cū delectabile apud sensum: z aliud eozū est qd hz odore p̄tinentē odoratū absqz delectatione: z aliud eozū est cui penitus nō est odor: sed est ēt sic aqua. Diferitas autē eozū in virtute est: qm̄ ex eis est cūlus virtus est fortis valde: z ex eis est quod est debilis virtutis: etiam ex eis est mediū in virtute sua: z ex eis est cūlus virtus est inter mediū in virtute sua: z inter illud quod est in duabus extremitatib⁹: z forte qd ēt ex vinis est qd calefacit corpus vebemēter replens caput: debile autē est illud qd facit cōtrariū illi. Mediū autē inter hec duo extrema intelliges ex determinatione nra q̄ determinauim⁹ extrema. Et forte qd ēt ex vinis noiat vinosūz: debile autē noiat aquosūz. qd est: qz res qua discernit inter vinū qm̄ videm⁹ eam in vno eozū vinoz forte valde: noiamus illud vinosūm vinū. Vinū autē cuius dispō est hia huic dispōni nominat aquosūm cū sit ille aque in oibus dispōnib⁹ suis. s. colore z substantia z p̄tinatione odoris: z paucitate calefactionis. Iste hō sunt dīe vinorū que sunt eis pprie. Quidā autē hominū addūt illis dīas q̄ sunt in eis fm tps qd p̄terit sup vnūq̄qz eozū. qd est: qz ex vinis est qd est antiquū: z ex eis est quod est recens: z ex eis est qd est mediū inter hec duo. Et manifestū qd ēt hī q̄ dīe iste accidūt vinis ex reb⁹ extrinsecis accitib⁹. qd est: qz acuitas vini: z calefactio eius accidēs ei fm q̄ p̄terit sup ipm de tpe cū mutetur cā ei⁹ in colore: z odore: z virtute: z substantia sunt fm istas res. nos enī putamus de tpe: qz facit euenire vinis dīas: qm̄ si tps nō mutaret aliqz istorū nō noiaerēt vina a q̄ busdā antiqua z recētia: verūm sermo eozū in hoc nō est ad necessitatē in eo qd p̄tū est vino annorū: sed qm̄ ipi cū hoc qd dixerūt annos: significauerūt virtutē eozū. Qd est: qz iuuamēta z nocumēta que sunt a vinis nō sunt fm q̄ p̄terit eis de tpe: sed fm diuersitate ipozū in dīferētijs que sunt eis pprie: z nos qdē diximus q̄ tps qd p̄terit sup ipsum nō est fm virtutē z intentionē pmā. Et ex eis dīas ēt que sunt pprie vinis sunt: quarū iuuamēta z nocumēta sunt ex ipsa nā eozū: z ex eis sunt fm vias accidētis. Et ex ipsa quidem nā eozūz sunt dulcedo z stipticitas: z sīr fortitudo: z debilitas: z subtilitas z grossitudo. Illa autē que sunt per colore z odore sunt fm viā accidētis: quoniam ex vinis est qd est aquosūm: z ex eis est albū: z ex eis est citrinum: z ex eis est nigrum: z ex eis est cui non est sapor sicut aqua: z ex eis est boni odoris sicut res aromaticę. Inquit Dumain. Sermonē istuz inueni notatū in duabus descriptionib⁹ simul. ex qbus hunc libzū trāstulimus: z est plenus errore: z ppter illud fact⁹ est nō intells: opz ergo fm q̄ mihi videt: vt mutē: z ipm rectificē: vt intelligat z acgrat ex eo intēto: qua fiat iuuamētū fm hunc modū. Quoniam qd ex vinis est albū: eius calefactio est calefactio parua: ppter illud etiā inuenim⁹ ipsum pcutere caput parum: verū qd ex eis est citrinum: quoniam est vebemētioris calefactionis: fit q̄ ipsum pcutit caput vebemētius. Nigrū autē inuenimus per cōparationē citrini cū sit minoris calefactionis eo minus ledere caput: sed per cōparationē albi: quoniam ipsum est tardioris descensionis eo in ventrem: z minus viine puocatiuum inuenimus ipsum vebemētius pcutere caput. Secundū hunc modū ergo sit q̄ differentie que sunt eis in colore faciūt iuuamēta aut nocumēta p accidēs: ille autē que sunt eis fm odore: quoniam qd ex vinis est boni odoris est melioris chimi: z fm illud est multitudo que implet ex eo caput. qd est: qz est calidiūz z subtiliūz. Quod autē ex eis est mali odoris fm malitiā chimi generati ab eo: erit paucitas lesionis eius in capite. qd est: quia est frigidūz z grossiūz. Illud autē cui penitus nō est odor: non facit accidere in capite aliqd oīno qm̄ est vebemēter gros-

Dīe acciden tales vinorū.

Tēpus facte euenire vntis differentias.

MVNISSA DE GRATIA.



Agile nō cōte pbibent nā a oigōne dūno nō sūentis gra: t caput.

Alia fo: vebem idūates ut capu

num du pūit el icio qm̄ de est olere.

na diuersi: if in gnqz

Del Collegio de la Comp. R. P. de Jesus de Granada 82

**THOMAE MVNISSA
ALACONENSIS**

E SOCIETATE IESV:

IN ARAGONIÆ PROVINCIA

COLLEGII BARCINONENSIS OLIM PRIMARII

Theologiæ Professoris: Nunc in Cæsaraugustano Studiorum

Præfetti: Sanctæ Inquisitionis Hispanæ Qualificatoris:

Pro Diœcesi Barcinonen. & Archidiœcesi Cæsaraug.

Examinatoris Synodalis, &c.

DISPVATIONES SCHOLASTICÆ

DE

GRATIA ACTVALI, HABITVALI,

IVSTIFICATIONE, ET MERITO.

Anno



1694.

CÆSARAUGUSTÆ.

Ex Officina PASCHASII BVENO, Regni Arag. Typ.

EX.^{MO} DOMINO
D. IOANNI HENRIQUEZ
DE GYZMAN, CORDOVA,
CARDONA, ET ARAGON,

COMITI DE ALVA DE ALISTE, ET DE VILLAFLORE:
Dynastæ nobilissimo de Garrobillas, Carvajales, Castrocalvon, Bem-
bibre, & Iurium adiacentium: Perpetuo Castrorum, Regiarumquæ
Turrium Zamorensium Præfecto: Urbis supremo Vexillifero:
ibiquæ Consuli præcipuo, & Extractorum
Prothographo, &c.

S. S.

EX.^{ME} PRINCEPS.



NIHIL prorsus vt non debeam Ex.^{me} Ducissæ de
Villahermosa Dominae meæ D. Mariæ Henri-
quez de Guzman, Sorori Tuæ germanæ, cuius
me officijs devinctum fateor, & glorior; hoc in-
ter innumera, & grandia, quæ memini, beneficia,
potissimum debere necesse fuit: Tuo nimirum
vt aliquandò, quod pridem erat in votis, huma-
nissimo conspectu, & alloquio perfrui compos fierem, dùm ad Cæ-
saraugustam nostram, Illius visendæ, & solandæ causâ, pervenisses.

Sudabat tunc temporis sub prælo Tertius iste meus Theologiæ
Tomus *De Divina Gratia, & Merito*: statimq; se Tibi, & Tuum
esse insperatò sensit, cuius me totum suum fecit humanitas, ac bene-
volentia Tua. Ex tunc, Tibi ab Authore devotum, benignè exci-
pere dignatus es, vt sub vmbra protectionis Tuæ videret lucem, spe,
& existimatione de se suâ longè clariorem. E prælo iam solutus, eò
avidus advolat, quò suo madens sudore, dignationis Tuæ conscius,
festinus ambivit: ad capeffendam scilicet v'suram Tutelæ Tuæ; Gra-
tiam

tiam pro Gratia redditurus, invicem & accepturus; gratis utique, quia ultra meritum: hoc saltè argumento suo, è Nominis omine, contentus, quòd Gratiam tanti Mœcenatis mereri studuerit, & ultra meritum adeptus sit.

Eius diceris, & es indolis ingenitæ, Princeps optime, inter egregias Avitæ nobilitatis, & propriæ virtutis dotes, quâ exiguitatis meæ munus humillimum haud dedignere: parva siquidem dum aspicias, non despicias, & dum magni facis, magna facis, *ut à Tua cœperint crescere dona manu.* Egenorum amans, ac Pater audis: & è fastigio sublimitatis Tuæ *manum Tuam aperis inopi; & palmas Tuas extendis ad Pauperem.* Patere, precor, ut inter turmas indigorum, qui Te quaquaversum circumeunt, & obviam passim fiunt, casu Tibi obvius Liber hic meus, opis tuæ maximè indigus, à pedibus Tuis, quibus sistitur, ad nutum dexteræ Tuæ potentissimæ in hominum oculos ausus assurgat, superiorum supercilio minimè despiciendus, nec foelicioris ultra lucis cupidus, quàm quæ è splendore Nominis Tui se, Authoremquè suum iacere non sinet in tenebris.

Genus dum suspicio Tuum, Regio Sanguine hinc, & inde Paternè, Maternèque purpuratum, cuncta, quæ Maiores extulerunt eximie ornamenta virtutum, in Te vnum summam collecta venerabundus intueor: ut non tam in illis omninò præterijisse, quàm sedem in Te suam sibi fixisse videantur. Atque, ut Materna Nomina, & Cognomina Cordubensia, Sole clariora, tacitus prætermittam, quorum summa laus est, Regna Regibus dedisse; Paternarum dumtaxat *summa sequar fastigia rerum:* quarum Hispanis vulgatissima fertur, quòd Henriquiorum Gens Reges acceperit, dederitquè.

Ab Alphonso scilicet Vndecimo, Castellæ Rege, originem prætersers verè Regiam: Te ut pleno advocem ore, Horatiano potius, quàm meo: *Mœcenæ Atavis edite Regibus.*

Ab Henriquo Henriquez Alphonso Regis Pronepote, Primo Comite Alvæ de Aliste, Constantiam per varios eventus belli probatissimam, pro Regibus Ioanne Secundo, Henriquo Quarto, & Ferdinando Catholico.

Ab Alphonso Henriquez, Secundo Comite, Fidem: quâ in expeditionibus Granatensibus Ferdinando eidem Catholico navavit operam

ram inter Primos: effuso dein sanguine Primogeniti Henrici, Generalis Rossillione Capitanei adversus Gallos, vtriusque Fidem contestatus.

A Didaco Henriquez, Tertio Comite, Dexteritatem: quâ nulli secundus Cæsari Carolo in comprimendis, ac sedandis Hispaniæ tumultibus præstò fuit: operâ, industriâ, & opulenti impendio Patrimonij tulit opem, & opes.

Ab Henriquo Henriquez, Quarto Comite, Solertiam: quâ in Aula Regia Philippi Secundi munus Maximi Reginae Oeconomi præclare gessit: Fratres quasi in subsidium, & auctuarium gloriæ sortitus duos, *Duo fulmina belli:* Fridericum, Maximum Alcantaræ Commendatarium: & Petrum, Comitem de Fuentes, Mediolani, ac Belgij summum Governatorem: hoc saltè nomine per Annales præteriti sæculi celeberrimum.

A Didaco Henriquez, Quinto Comite, Æquitatem: quâ Siciliae Prorex, Aurei Velleris Eques, Philippis Secundo, & Tertio à Consilijs Belli, ac Status, Reginaequè Major Oeconomus, eminuit.

Ab Antonio Henriquez, Sexto Comite, Comitatem: quâ Magnus Castellæ Prior, iisdem Regibus Catholicis è Statu Consiliarius, Reginaequè præcipuus Stabularius, obsequutus est.

Ab Henriquo Henriquez, Septimo Comite, Fidelitatem: quâ Philippo itidem Secundo à Cubiculo inservijt.

A Friderico Henriquez, Octavo Comite, Septimi Imitationem, in eodem Cubiculi Regij obsequio apud Philippum Quartum.

A Ludovico Henriquez de Guzman, Parente nuperius Tuo, Nono Comite, Plausum: quo eidem Philippo Regi, & Balthasari Carolo Principi perquam gratus, à Cubiculo fuit: Archistrategus Regius ad Zamorenses Tractum Lusitanis confinem: Mexicani primum, Peruani continuò Imperij Prorex, & Capitaneus Generalis: laudis in Orbe gemino nunquam intermorituræ condignus.

A Fratre natu maiore Emmanuele Henriquez de Guzman, Decimo Comite, Prudentiam: quâ Chiliarcha prius ad Portugalliam, Galliae postmodum Reginam Mariam Theresiam delectu Philippi Quarti ad Regales Nuptias comitatus est.

A Francisco demum Michaele Henriquez de Velasco, Vndecimo

Comite, à quo ad Te Patrum iure Sanguinis Successio devoluta est, Spem maximam: quâ Iuvenis cataphractis Ex.^{mi} Ducis Caroli de Villahermosa Custodij in Cathalonia Præfectus, futurarum, si vixisset, laudum specimen dederat non vulgare.

Quæ quidem Regalis Prosapiæ decora in Te, Comite Duodecimo, vsque ad emicant, ut cunctos in vno, & vnum Te pro cunctis agnoscere gloriemur. Parentem nobili æmulatione terrâ, mariquæ sequutus per Americas Borealem, & Australem, in Mexicanâ, & Peruanâ Præfecturâ, non sine ingenti Regij Iuris, & Æris proventu, Patrias assequi virtutes potissimæ Tibi curæ fuit: ut laudum fieres consors, futurus postmodum Paternæ Domûs, Ditio- nisquæ meritissimus Hæres.

Hoc iam nobis, Magnas Ex.^{mæ}, enixius optandum, ut tot, tamq; præclara Generis incliti decora, à Maioribus præstantissimis in Te iure optimo derivata; deinceps à Te per Filios, & Nepotes in vltiorem Posteritatem deriventur, ad Nobilissimæ Familiæ perpetuitatem, ad bonorum plausum, ad Hispaniæ splendorem, ad expectationis publicæ complementum. Id assiduò ad Superos precari, quod pro ea, quâ mecum vteris dignatione iubes, mei muneris, & obsequij erit: Tequæ ut Deus annos vltra Nestoreos nobis fervet incolumem, & spiritualibus, ac temporalibus augeat incrementis ad votum meum. Cæsaraugustæ 20. Octobris 1693.

EXCELLENTISSIME DOMINE.

Excellentiæ Tuæ post manus osculum

Obsequentissimus in Christo Servus.

Thomas Muniessa Societatis Iesu.

GABRIEL SIERRA, Pæpositus Provincialis Societatis Iesu in Provinciâ Aragoniæ. Potestate ad id mihi facta à Reverendo admodum P. Thyrso Gonzalez, Præposito Generali, facultatem concedo, ut Liber, cui Titulus est: *Disputationes Scholasticæ de Gratia Actuali, Habituali, & de Merito*, à P. Thoma Muniessa Soc. nostræ Theologo compositus, & eiusdem Societatis gravium, doctorumque hominum iudicio approbatus, Typis mandetur. In quorum fidem has litteras manu nostra subscriptas, & sigillo nostro munitas dedimus. Barci- none die 8. Septembris 1691.

Gabriel Sierra.

CENSURA, ET APPROBATIO R. P. PHILIPPI ARANDA SOC. IESU, Sacræ Theologiæ Doctoris, & Primarij Professoris: Inquisitionis Hispanicæ Qua- lificatoris, & pro Cæsaraugustano Archiep. Examinatoris Synodalis.

QVID gratius legi potest, vel audiri, quàm Gratiæ tam pulchra Defensio? Sic olim epist. 104. ad Sixtum Presbyterum Augustinus in commendatione summi Operis: sic etiam, ad Huius de Vtraque Gratiâ, deque Merito Operis, à Magistro meo, Scholastici Pulveris gloriâ incanescente, R. adm. P. Thoma Muniessa, Societatis Nostræ Theologo concinnati, prospectum, Ego. Commit- tente Perillustri Domino D. Bartholomæo Sanz de Vera, Cæsaraugustani Ar- chiepiscopatûs Governatore, lætus Opus intueor, Opus utique *Plenum Gratiæ, & Veritatis*: ubi, præclarus Author, ut iterum cum intelligentissimo Argumen- ti præsentis Augustino loquar, *Germanissimus Gratiæ ipsius, & Dilector, & Confessor* apparet. Hoc videlicet Opere nec dici brevius, nec audiri lætius, nec intelligi grâdus, nec agi fructuosius potest. Theologiæ suæ Tertium hoc Volumen de Vtraque Gra- tiâ, illiusq; Fructu, iure quidem Author inscripsit: ut qui primo, & secundo, Sibi, Scholæ, & Societati cõparaverat maximam Gloriam, sibi demum in Tertio à to- ta Schola, & à Societate totâ devinctam sensim faceret omnem Gratiam. Tres olim Gratiæ ingeniosa finxit Antiquitas: Author, de scribendi gratiâ semel, & iterum benemeritus, tertio iam totus Gratia factus, Numerû, & Omen implevit. Quis à calamo, in quo diffusa Gratia est, quidquam subvereri adversus Fidem, & bonos mores audeat, si & Fides est inter ipsas Gratiæ, & à Gratiâ habent Mores, quod Boni sint? Vno verbo vicè egi, & implevi Censoris: Approbatoris verò, nolo verbo, sed, quando inter Religiosos viros nulla (quæ certè, Deos inter, est maxi- ma) etiâ coniunctissimi Sanguinis Necessitudo, potest vllam parere necessitatem assentationis, iam diù gaudeo, Veri tenax, positaramque apud tantum Magistrum Scholarum memor, sensu, & calamo subijisse Personam. O! iam prodeat in om- nium lucem! Sequar ipse pennâ lubenti: utinam tam felici, ut ad Magistri vola- tum, si non adspiret assurgere, speret tamen anhelare. Fortè suberit meditantis Magistrum ipsum, & me qui sequor, Claudiani Prognosticon:

O! Consanguineis Felix Authoribus Annus!

Cæsaraugustæ die 19. Decembris ann. 1692.

Philippus Aranda.

IMPRIMATUR.

V. D. D. Barth. Sanz de Vera,
 Gab. & Vic. G. Illi.

APPROB.

LIBRVM, cui Titulus: *De Gratia Actuali, Habituali, & Merito*: à R. P. Thoma Muniessa Soc. Iesu Theologo conscriptum; ex mandato Ill. D. D. Bartholomæi Perez de Nueros, Assessoris Perill. D. Regentis Officiū Generalis Gubernationis, avidè, & attentè perlegi: cumque sive Materiem spectes, sive Scriptionē, sive Authorem, luce publica dignissimum censeo: quippè qui eam reddet grandi fœnore donatæ novâ luce, & illustratæ abditioris Theologiæ. Argumentum certè illud est, quod & Orthodoxos cum Hæreticis pro tuenda Fide, & Catholicas inter sese Scholas pro assequenda Veritate implacabili bello committit: ad eò ut alibi velitari dicas Theologos, ac tantùm præcludere: hîc verò de summa rerum decernere, ac totis viribus, animisque pro Victoriâ conflare. Vtroque in pulvere, & Dogmatico, & Scholastico tam illustres palmas colligit Doctissimus noster Scripor, ut fas sit dicere de hoc eius Opere, quod Ambrosius de altero: *Inveniri in eo simul Doctrinam cum Gratia certantem*: addo ego: & *Doctrinam cum Gratia, & pro Gratia triumphantem*: præsertim dum Iansenismum subdolis cavillationibus se implicantem, & elabentem, mirâ dexteritate, & rationum pondere è latebris suis eruit, & conculcat. Iam verò scribendi forma est prorsus Magistro in omni Theologia consummatissimo digna. Resplendet ubique ingenium excelsum, perspicax, subtile, &, quod ille de Chryippo: *In imam penetrans veritatem*. Magna in rebus explicandis facilitas, in inveniendis foelicitas, in eligendis maturitas, in ordinandis concinnitas: &, quod mihi prima laus est, sincerissimus unius Veritatis amor, nullis partium studijs corruptus: qualis proculdubio decebat nobilissimum primi subfellij Theologum, & Scriptorem, non è vulgo, sed ex Senatorio Sapientum Ordine, quibus semper effatum illud, an Oraculum? verissimum fuit: *Semper unius Sententiam sequi, non id Curia, sed Factionis esse*. Ut vno verbo absolvam, quod Philosophus ipse de Parentis libro, hoc ego de isto: *Cum hunc legeris, dices. Vivit, viget, Liber est*: quibus licet adiungere: *& vigeat, vivetque, dum solidioris Theologiæ studium vivat, & vigeat*. Hæc, & quidem intra Censoris metas, de Opere dixerim. Nam de Authore silere cogit ipsa Religiosissimi Viri modestia, quæ nullas sui laudes patitur, dum omnes promeretur. Illud vnicè non tam ego, quàm res ipsa clamat: nimirum Ideam illam Platonis (imò & Societatis Nostræ) dictitare soliti: *Sapientem non Sibi, sed Republicæ nasci*, neminem hoc nostro sæculo perfectius expressisse, & explevisse: ad eò sese in omnium commoda, & utilitates effudit. Sive enim ipsum scripto legas, sive voce audias, iam è sacris suggestibus Conciones eruditissimas habentem, iam interiori sacro regimine Conscientias moderantem, iam ad gravissima cõsulentium vndique Consulta responsa exhibentem, iam conscribendis, edendisque Libris Theologiam triplicem, Scholasticam, Moralem, & Positivam locupletantem; non solum *Omnibus omnia factum* ad exēplar Apostoli, sed, quod maius est, singulis, & in singulis omnia, & instar omniū esse admiraberis. Claudio censuram voto, nō meo, sed Litteratorum omnium, avidissimè peroptantium, ut reliqua, quæ fœcundissimum, & indefessum Scriptoris Ingenium elaborata iam habet, evulgare pergat in maximū rei litterariæ cōmodum, & Societatis nostræ immortalæ decus. Sic sentio, sal. mel. &c. Casaraug. 29. Decembris anno 1692.

Dominicus Navasques.

IMPRIMATUR.

V. D. Barb. Perez de Nueros, Asses.

CONSPECTVS OPERIS EX INDICE TITVLORVM. DE GRATIA ACTVALI.

DISPVATIO I.

Anteloquia de Gratia Actuali. Pag. 1.

- sectio I.* Varij Status Naturæ elevabilis per Gratiā. 2.
2. An per Naturæ Lapsū perierit in nobis Liberum arbitrium circa naturalia: & quousque saltem fuerit extenuatum. 3.
3. Variæ acceptiones, & Divisiones Gratiæ: & subiectum nostrarum Disputationū. 6.
4. Varij errores circa Gratiā actuale. 8.
5. Dogmata Catholica de Gratia Actuali. 11.
6. Subiecta divinæ Gratiæ Actualis. 13.

DISPVATIO II.

De Quidditate Auxiliorum Gratiæ Actualis. 17.

- sectio I.* An auxilia gratiæ actualis sint actus vitales intellectus, & voluntatis creatæ. 17.
2. An præter auxilia gratiæ actualis, quæ sunt actus vitales nostri, dentur alia, quæ sint emortuæ qualitates, vel quid simile. 20.
3. Nostra conclusio. 24.
4. Mens exploratissima Sancti Thomæ. 30.
5. Ad quos actus intellectus, & voluntatis pertineant inspirationes, & illustrationes auxiliatrices. 33.
6. An concursus Dei simultaneus supernaturalis habeat rem, & nomen auxiliij gratiæ actualis. 37.
7. An auxilia gratiæ sint eiusdem rationis in statu naturæ lapsæ, ac integræ. 38.
8. Communis, & vera, vereque Augustiniana Catholicorum sententia. 40.
9. Respondetur ad superius opposita: & Mens Augustini Magni sincerè, ac solidè retinetur. 42.

DISPVATIO III.

De Supernaturalitate Auxiliorum Gratiæ Actualis. 46.

- sectio I.* Status, & gravitas difficultatis. 46.
2. Discernuntur vtiliter gratiæ, & beneficia

Dei de ordine creationis ab auxilijs vere Gratiæ Theologicæ. 48.

3. Aliæ obiectiones, & responsiones cum vtilitate doctrinæ. 52.
4. Fundamenta P. Vazquez pro eo quod cogitationes, & inspirationes congruæ entitative naturales sint auxilia Gratiæ Theologicæ. 55.
5. Eiusdem sententiæ reliqua fundamenta. 61.
6. Præfertur sententia P. Suarez: quòd omnia auxilia gratiæ Theologicæ sint entitative supernaturalia. 64.
7. Aliæ rationes pro eadem vera sententia. 67.
8. Vera istarum sententiarum dignius sentiat, & loquatur de excellentia auxiliorū divinæ Gratiæ actualis: longiusque distat à doctrinis Pelagij, & Iansenij. 70.

DISPVATIO IIII.

De Causis Auxiliorum Divina Gratiæ. 74.

- sectio I.* Quenam sint Causæ effectivæ physice auxiliorum Gratiæ actualis. 74.
2. An Habitus virtutum infusarum, quando adsunt, sint etiam concausæ efficientes physice ad auxilia indeliberata: & quid quando non adsunt? 75.
3. Quæ sint, & quomodo se habeant ad effectivam auxiliorum Causam Ministeriales, seu Occasionales ipsorum. 77.
4. Causæ meritoria auxiliorum obiter indicantur. 78.

DISPVATIO V.

De Concursu Auxiliorum Divina Gratiæ. 79.

- sectio I.* An auxilia Gratiæ actualis moraliter solum, an etiam efficienter physice concurrant ad actus salutes. 79.
2. Obiectiones adversus coefficientiam physicam auxiliorum diluuntur. 82.
3. An Auxilia Gratiæ actualis effectivè concurrentia cum Voluntate ad actus salutes concurrant ut tota ratio agendi. 86.
4. Argumenta communiora pro sententia

- tribuyente auxilijs Gratia totam rationem agendi. 88.
5. Vera sententia: auxilia Gratia in nullo sensu, qui momenti sit, esse totam rationem agendi opera salutaria. 90.
 6. Solvuntur argumenta communiora opposita sect. 4. 93.
 7. Viteriora argumenta ponuntur, & resolvuntur. 95.
 8. An auxilia Gratia cum arbitrio concurrant ad actus salutares partialiter. 99.
 9. An auxilia concurrant vt causa principalis; & Natura vt instrumentalis. 102.
 10. An concursus auxiliorum Gratiae intrinsecae suppleri valeat per extrinsecam assistentiam Omnipotentiae specialius applicatae. 104.
 11. Praefertur, & adstruitur Pars affirmans. 108.
 12. In quo stare possit specialis haec applicatio extrinsecae Omnipotentiae elevativa Naturae ad actus supernaturales. 112.
 13. An auxilia Gratia possint elevare Potentiam naturalem, & cum ipsa concurrere ad actus salutares interiores se. 115.

DISPUTATIO VI.

De Necessitate Auxiliorum Gratiae Actualis in genere. 118.

- sectio I.* Praemittitur adversus Haereticos, non esse necessariam Gratiam iustificantem ad actus honestos adhuc in statu Naturae lapsae. 118.
1. Doctrina similiter incidens circa necessitatem Fidei ad quodcumque bene moraliter operari. 121.
 2. An, & ad quam conversionem peccatoris necessaria sint auxilia Gratiae actualis. 126.
 3. An ad actus salutares hominis iusti? An specialiter ad singulos? An praeterea ad externam operis executionem? 128.
 4. An ea necessitas sit auxiliorum Gratiae illustrantis; an efficientis, seu inspirantis; an utriusque. 129.
 5. Quanta sit ea auxiliorum Gratiae illustrantis, & inspirantis necessitas ad actus salutares. 134.
 6. Obiectiones graves: praesertim contra motionem actus naturalis ad supernaturalem. 139.
 7. Quid in his dicendum loquendo connaturaliter ex natura, & statu rerum. 144.

DISPUTATIO VII.

De Necessitate Gratia Actualis ad recte cogitandum, & agendum in naturalibus. 145.

- sectio I.* An, & quatenus Gratia necessaria sit ad vere cognoscendas naturales veritates. 145.
2. An, & quatenus Gratia necessaria sit ad opera bona moralia naturalia. 150.
 3. Nostra Mens circa singulare super his prolatum Ioannis Martinez de Ripalda. 152.
 4. Fit satis alijs argumentis. 155.
 5. An, & quatenus Gratia necessaria sit ad opera bona moralia difficilia. 158.

DISPUTATIO VIII.

De necessitate Gratia Actualis ad perfectam Dilectionem Dei super omnia. 161.

- sectio I.* An, & quatenus Gratia necessaria sit ad operandum actum dilectionis Charitatis perfectae Dei super omnia. 162.
2. Verae sententiae vera probatio. 165.
 3. Argumenta contraria. 169.
 4. Reliqua argumenta contraria. 173.

DISPUTATIO IX.

De necessitate Gratia ad vincendas tentationes, vitanda venialia, & perseverandum. 177.

- sectio I.* An & quatenus necessaria sint auxilia Gratia ad vincendas tentationes. 177.
2. Nostrum indicium. 180.
 3. Argumenta contraria posita sect. 1. dissolvuntur. 182.
 4. An & quatenus auxilia Gratia necessaria sint ad observationem totius Legis ad vincendas tentationes; & ad vitanda cuncta peccata etiam venialia collective. 184.
 5. Obiectio difficilis contra doctrinam certam de impotentia vitandi venialia, servandi Legem, & vincendi tentationes collective. 186.
 6. Vera responsio. 191.
 7. Impetitur ulterius nostra responsio, & solidè sustinetur cum utilitate doctrinae. 194.
 8. Confectaria opportuna pro complemento doctrinae, & pro severiori intelligentia Scripturarum, Tridentini, & SS. Patrum in subiecta materia. 200.
 9. An & quatenus auxilia Gratia necessaria sint iustis ad perseverantiam finale. 203.
 10. Obiectiones adversus hoc postremum. 206.

DISPUTATIO X.

De Divisionibus, & Muneribus Gratia Actualis. 211.

- sectio I.* Divisio Gratia in Excitantem, & Adiuvantem. 211.
2. In Operantem, & Cooperantem. 212.
 3. In Praevenientem, seu Antecedentem, Comitantem, & Subsequentem. 214.
 4. In Efficacem, & Sufficientem: vbi de adiutorio, Quo, & Sine quo non. 216.

DISPUTATIO XI.

De Efficacia auxiliorum Divinae Gratia. 219.

DISPUTATIO XII.

De Sufficiencia Auxiliorum Divinae Gratia. 220.

- sectio I.* An in statu Naturae lapsae detur verum auxilium Gratia pure sufficiens, & inefficax. 200.
2. Operosior alia responsio discutitur, & refellitur. 223.
 3. Defenditur Catholica Veritas Baianorum, & Iansenitarum. 225.
 4. Quartum argumentum ex utilitate orationis pro Gratia ad posse. 229.
5. Quintum argumentum ex necessitate peccandi, & obligatione ad impossibilia. 233.
 6. An auxilium Gratia pure sufficiens sit beneficium Dei; & an beneficium minus, quam auxilium efficax. 236.
 7. Quibus distribuat Deus auxilia sufficientia Gratia; & primo de Obstinatis: vbi de auxiliari Custodis Angeli ministerio. 240.
 8. Quid de negativè Infidelibus, Ethnicis Barbaris, & à Fide remotis. 244.
 9. Obiectiones. 246.
 10. Quid de auxilijs sufficientibus Parvulorum absque Baptismo decedentium. 249.
 11. Quibus temporibus, seu occasionibus conferat Deus Adultis auxilia actualia Gratia saltem sufficientia. 251.
 12. Facienti quod est in se Deus non denegat gratiam, quomodo ritè intelligendum, & explanandum. 253.
 13. Orthologia perutilis, & observatu digna circa subiecta auxiliorum materia. 257.

DE GRATIA HABITUALI ET IUSTIFICATIONE.

DISPUTATIO XIII.

De Essentia Gratia Habitualis Iustificantis, & de Remissione peccatorum. 262.

- sectio I.* Errores praecipui Haereticorum circa subiectam materiam. 262.
2. Veritas Catholica de existentia Gratiae Habitualis intrinsece iustificantis, & de Remissione peccatorum de facto ex praesenti Dei lege. 265.
 3. An iuxta aliam Dei Legem posset sine infusione Gratia fieri hominis iustificatio quoad remissionem peccatorum per extrinsecam condonationem. 269.
 4. Graviora sententia negantis fundamenta infirmantur, & subvertuntur. 273.
 5. Viteriora pro eadem sententia negante. 276.
 6. Praefertur Sententia affirmans. 281.
 7. An per extrinsecam Dei condonationem posset remitti peccatum in & pro instanti quo committitur. 285.
 8. An de facto remittantur venialia formaliter per condonationem Dei extrinsecam: an per aliquid homini intrinsecum? per quas dispositiones peccatoris? quomodo per Sacramenta, & per Sacra-

mentalibus? & quid post mortem? 287.

9. An omnia peccata possint remitti: & an possibile sit aliquod per se intrinsece irremissibile. 291.
10. An & quomodo vnum peccatum remittatur, aut posset remitti sine alio. 292.
11. An & quomodo remitti possent in alia lege peccata à Deo, vt Authore naturae. 293.

DISPUTATIO XIII.

De Natura Gratia Iustificantis. 297.

- sectio I.* An Gratia iustificans sit habitus, vel actus. 297.
2. An Gratia iustificans sit vnus habitus physicus, an multiplex, coalescens ex habitibus variarum virtutum. 298.
 3. An Gratia iustificans sit habitus singularis Virtutis Charitatis. 300.
 4. Gratia Habitualis formaliter iustificans non est habitus Virtutis Charitatis, sed alius habitus universalior diversus. 304.
 5. An Gratia habitualis formaliter iustificet ex natura sua physica, an potius ex superveniente novo favore Dei extrinseco. 306.
 6. Obiectiones graves. 310.

DISPUTATIO XV.

De Iustificazione, vel Sanctificatione per alias formas à Gratia habituali distinctas. 315.

- Seçtio 1.* An actus perfectæ Contritionis, Charitatis, seu Dilectionis Dei sit forma iustificans. 315.
 2. Actum Charitatis, vel Contritionis non esse formam sanctificantem, ratione, & Authoritate comprobatur. 321.
 3. An Visio beatifica sit forma per se san-
 ctificans. 325.
 4. An amor beatificus. 327.
 5. An Unio hypostatica. 329.
 6. An Maternitas Dei. 331.

DISPUTATIO XVI.

De oppositione Gratia Habitualis Iustificantis cum peccato mortali. 333.

- Seçtio 1.* Improbatur opinio Magistri Lor-
 ca circa coniunctionem Gratia cum pec-
 cato pro instanti physico. 333.
 2. Quanta sit oppositio Gratia habitualis
 cum peccato mortali. 337.
 3. Univerfaliior, & solidior probatio Theo-
 logica. 339.
 4. Argumenta contraria. 343.
 5. Recens obiectio: & reliqua de hoc pun-
 cto. 347.
 6. Qualis sit oppositio Gratia habitualis
 cum peccato. 351.

DISPUTATIO XVII.

De Connexione Gratia Habitualis cum Virtu-
 tibus, & oppositione cum Vitijs. 353.

- Seçtio 1.* An, & quomodo conectatur Gratia
 cum Virtutibus per se infusus quoad
 primo infundi. 353.
 2. Quoad destrui. 356.
 3. Quoad intendi. 358.
 4. Quid de connexionione, vel inconnexione
 Gratia cum virtutibus acquisitis. 359.
 5. Quid consequenter de inconnexione,
 seu oppositione Gratia habitualis cum
 Vitijs. 361.
 6. An Connexio Gratia habitualis cum
 Habitibus Virtutum infusarum sit per
 modum influxus physici in illos. 362.

DISPUTATIO XVIII.

De Influxu physico Gratia Iustificantis in actus
 virtutum infusarum. 363.

- Seçtio 1.* An Gratia habitualis physice in-

- fluat cum singulis habitibus in actus
 virtutum. 363.
 2. An possit etiam in actus virtutum præ-
 ceptos pro instanti determinato illata
 libertate. 364.
 3. Pars affirmans eligitur, & probatur. 365.
 4. Absolvitur comprobatio veræ senten-
 tia. 368.
 5. Aliquorum responsiones ad rationes du-
 bitandi supra oppositas. 371.
 6. Plena, & plana responsio ad primam ra-
 tionem dubitandi. 373.
 7. Ad secundam. 376.
 8. Complementum responsionis, & doctri-
 na. 379.

DISPUTATIO XIX.

De Prædicatis eximijs Gratia habitualis. 385.

- Seçtio 1.* Quomodo Gratia habitualis sit Iu-
 stitia, & Beatitudo univertalis. 385.
 2. Quid, & quomodo sit in Gratia habitua-
 li prædicatum Sanctitatis. 386.
 3. Quomodo Gratia habitualis sit partici-
 patio, & consortium divinæ Naturæ. 387.
 4. Quomodo Gratia habitualis sit amicitia
 cum Deo: & an hæc esse possit sine Gra-
 tia intrinseca. 389.
 6. Quomodo Gratia habitualis sit Filiatio
 Dei adoptiva. 393.
 6. Quomodo Gratia sit Ius ad hæredita-
 tem Gloria vitæ æternæ. 395.
 7. Quanam excellentiâ Gratia habitualis sit
 ens supernaturale: & remissive, an possit
 esse connaturalis substantiæ entitativæ
 creabili. 397.
 8. Colligitur ex dictis, & perpenditur exi-
 mia perfectio Gratia habitualis: & tan-
 dem eius definitio. 398.

DISPUTATIO XX.

De Dispositionibus ad Gratia Iustificantem. 400.

- Seçtio 1.* An, & quæ dispositio præcedere
 defecto debeat ad infusionem Gratia, &
 remissionem peccatorum. 400.
 2. Dispositiones ex parte intellectus. 402.
 3. Dispositiones ex parte Voluntatis. 404.
 4. An ex parte Voluntatis requiratur ad
 iustificationem intra Sacramentum do-
 lor peccatorum ex motivo Charita-
 tis. 406.
 5. An prædicti actus peccatoris, præsertim
 Contritio, disponant ad iustificationem
 ex natura rei. 411.
 6. An ultima dispositio ad gratiam effectiva

- ve procedat ab Habitu infuso, ad quem
 disponit. 412.
 7. Præfertur sententia negans, & ostenditur
 ex Philosophia, & Theologia. 415.
 8. Cogitatio P. Ripaldæ exponitur, ac dese-
 ritur. 419.
 9. An iuxta aliam Dei legem possit infundi
 Gratia, & peccatum remitti sine disposi-
 tione, & retractatione peccatoris. 421.

DISPUTATIO XXI.

De Causis, Augmento, Inæqualitate, & Terminò
 Gratia Iustificantis. 425.

- Seçtio 1.* Quæ sint Causæ Gratia iustifi-
 cantis; & qualis eius productio. 425.
 2. De inæqualitate, & augmento Gratia ha-
 bitualis. 426.

DE MERITO THEOLOGICO.

DISPUTATIO XXIII.

De Essentia, Existentia, & Varietate Meriti
 Theologici. 435.

- Seçtio 1.* Quid sit Meritum, eiusque discrimen à
 Laudabilitate, Satisfactione, &
 Impetratione. 435.
 2. Veritas Catholica de Existentia Meriti
 hominum apud Deum. 437.
 3. Communis divisio Meriti de condigno,
 & de congruo. 439.
 4. Celebris divisio Meriti in Remunerabile,
 & Solutorium adstruitur, & propugna-
 tur. 440.
 5. Meriti Solutorij probationes. 441.
 6. Obiectiones graves. 445.

DISPUTATIO XXIV.

De Requisitis ad Meritum ex parte ipsius Actus
 Meritorij. 451.

- Seçtio 1.* An & qualis honestas requiratur in
 actu meritorio: an sufficiat cuiuslibet
 virtutis; an esse debeat ex imperio Cha-
 ritatis. 451.
 2. An actus meritorius debeat esse intensior
 habitu: an supererogatorius: an in spe,
 aut sine spe præmij. 456.
 3. An possit esse meritorius actus intrinse-
 cè materialiter malus. 457.
 4. An possit esse meritorius actus alioquin
 bonus, sed ab extrinseco sine vitia-
 tus, aut contra Dei prohibitionem elici-
 tus. 462.

3. An, & qualem augmenti terminum hæ-
 beat Gratia habitualis. 427.

DISPUTATIO XXII.

De Amissione, Reviviscencia, Necessitate, Perse-
 verantia, Confirmatione, & Novitia Gratia
 Iustificantis. 430.

- Seçtio 1.* An, & quomodo Gratia iustifi-
 cans amittatur: quomodo reviviscat: &
 quatenus sit nobis necessaria: remissi-
 ve. 430.
 2. Quid sint, & in quo consistant Perseve-
 rantia in Gratia, & Confirmatio in Gra-
 tia. 430.
 3. Qualis Gratia iustificantis notitia à no-
 bis habeatur, aut haberi possit: & quo-
 modo. 432.

5. An & quomodo actus meritorius debeat
 esse supernaturalis. 465.
 6. An actus meritorius debeat esse actus po-
 sitivus: an sufficere possit ad meritum
 omisso pura. 467.
 7. Fit satis Opinioni contrariæ. 470.

DISPUTATIO XXV.

De Libertate requisita ad Actum Merito-
 rium. 475.

- Seçtio 1.* An sufficiat ad Meritum libertas
 existimata: an semiplena: an in alio ve
 in Capite. 475.
 2. Non sufficit ad Meritum, nec demeritum
 libertas, quam dicunt à Coactione, sed re-
 quiritur libertas à Necessitate. 477.
 3. Irriti conatus erroris contrarij. 481.
 4. Mens Magni Augustini adversus Novato-
 res Pseudoaugustinianos. 484.
 5. An ad Meritum sufficiat libertas inter
 actus æquales cum necessitate vaga ad
 alterutrum. 488.
 6. Eligitur, & probatur pars affirmans. 492.
 7. An actus liber intrinsece efficaciter im-
 perans adimat actui sic efficaciter impe-
 rato libertatem requisitam ad rationem
 propriam Meriti. 497.
 8. Actus voluntatis imperatus non obsta-
 te efficacia intrinseca imperantis habet
 propriam, & immediatam libertatem;
 ideòque sufficientem ad speciale Meri-
 tum. 500.
 9. Obiectiones. 503.

Con:

50. Confectaria. Et quid de Merito, ac libertate actionum externarum imperatarum? & quid speciale de actu interno Fidei. 508

DISPUTATIO XXVI.

De requisitis ad Meritum ex parte Merentis. 513.

- 1. An ad Meritum condignum requiratur ex parte Merentis Gratia sanctificans. 513.
- 2. An Gratia sanctificans debeat antecedere actum meritorium, quem condignificat. 515.
- 3. An & quomodo requiratur ad Meritum, quod merens sit in statu Viatoris: ubi ad Meritum requiratur operis laboriositas, & arduitas. 517.
- 4. An & quomodo ad actum meritorium requiratur in homine merente Fides. 520.
- 5. Nostrum iudicium. 523.

DISPUTATIO XXVII.

De pertinentibus ad incrementum Meriti. 528.

- 1. An Meritum ceteris paribus augeatur ad maius premium ex intensiore Gratia sanctificante, & condignificante. 528.
- 2. Momenta Authorum affirmativa sententia. 532.
- 3. An & quomodo augeatur Meritum ad maius premium a diuturniori duratione actus. 534.
- 4. An & quomodo ab intensiori conatu actus meritorij. 537.
- 5. An & quomodo a maiori operis meritorij difficultate & labore. 538.
- 6. An & quomodo ab unione mystica cum Christo, & ab alijs Personae dignitatibus. 538.
- 7. An & quomodo a relatione operum in Deum. 539.

DISPUTATIO XXVIII.

De pertinentibus ad meritum ex parte praemij. 541.

1. An obstat rationi praemij esse aliun-

Titulus Sect. 3. Disp. 12. in hoc Indice corrigendus sic: Defenditur Catholica Veritas ab argumentis Baianorum, & Iansenistarum. 225.

- de connexum cum opere meritorio. 541.
- 2. An praemium conferri exercite possit antecedenter ad Meritum. 542.
- 3. An praemium possit esse principium sui meriti: aut quomodo principium meriti cadere possit sub Meritum. 545.
- 4. An & quomodo mereatur, & acquirere sibi in praemium possit homo primam Gratiam. 548.
- 5. An & quomodo primam Gloriam. 550.
- 6. Quae praemia valeat mereri sibi peccator. 552.
- 7. An iustus per opera facta in Gratia possit in praemium sibi mereri reparationem post lapsum. 553.
- 8. An & quomodo possit iustus in praemium sibi mereri deinceps auxilia usque ad perseverantiam finalem. 554.
- 9. An, quomodo, & quae praemia possit vnus alteri mereri. 555.

DISPUTATIO XXIX.

De pertinentibus ad Meritum ex parte Dei praemiantis. 557.

- 1. An ad condignitatem Meriti nostri requiratur pactum, promissio, vel ordinatio extrinseca Dei. 557.
- 2. Ex qua virtute praemiet Deus: praesertim an ex Virtute strictae Iustitiae. 559.
- 3. An & quomodo dicatur Deus praemiare ultra, & punire citra condignum. 559.

DISPUTATIO XXX.

De Reviviscencia Meritorum. 560.

- 1. Satuitur Veritas certa de Reviviscencia meritorum. 560.
- 2. Qua potius ratione merita reviviscant, quam demerita. 561.
- 3. An merita pristina mortificata per peccatum integrè, & adaequatè reviviscant per iustificationem. 563.
- 4. An Gratia pristina causata per Sacramentum, amissa per peccatum, reviviscant etiam per novam iustificationem. 564.



R. P.
THOMAE MUNIESSA
 SOCIETATIS IESV,
 DISPVTATIONES SCHOLASTICÆ
DE GRATIA ACTVALLI,
HABITVALLI, ET MERITO.

DIVINA adspirante Gratia, Divinae Theologiae Gratia brevi methodo lustrandam suscipimus. In tres illam Tractatus annuos more Scholarum digeremus. Primus de Gratia Actuali, eiusque Necessitate disputabit. Secundus de Gratia Habituali Iustificante, seu de Iustificatione. Tertius de Merito. His praemitterem, uti pernecessariam, Disputationem de Ente supernaturali, nisi eam ex professo edidisset ad finem primi Tomi Theologici de Deo: ubi eam sibi relegere poterit Studiosus, si libuerit.

Tom. 1. disp. 18.

DE GRATIA ACTVALLI.

GRATVVM Opus Theologis; nec inglorium, si in eo, proinde oportet, Gratia simul addiscendae, & nanciscendae studium impendamus. Scriptores, qui huic insudarunt argumento, longum censum postulabant. Praeter Angelicum Thomam 1. 2. a quaest. 109. duos hic pro multis memoro Augustinos. Quorum primus, ac verè primarius, Ecclesiae scilicet Doctor, & Doctorum Aquila, per complures mirabiles Libros inter eius Opera sparsos; secundus verò (sic Magnum Suarez Doctissimi compellabant) Societatis Iesu Doctor Eximius, per quatuor integros Tomos de Gratia disseruerunt. Hos, & alios Scriptores egregios dabit passim decursus nostrarum Disputationum. In quibus, si plura recudimus, quae passim in alijs leguntur, adest pro nobis S. Prosper ad lib. de Praedest. praeloquens: *Necessarium, & utile est, etiam quae scripta sunt scribere, ne leve existimetur quod non frequenter arguitur.*


5. Thomae August. Saar.

Prosper.

R. P.

DISPUTATIO I.

ANTELOQUIA DE GRATIA ACTUALI.

3  **UONIAM** Gratia respectivè dicitur ad Naturam, quam Deus per illam gratis elevat, & exornat; aliqua præloqui de Statibus Naturæ respectivè ad Gratiâ; aliqua de varijs usurpationibus Gratiæ; aliqua de diversis erroribus circa Gratiâ; aliqua de dogmatibus Catholicis, necesse est. Quæ, & alia nonnulla perstringet præliminaris ista Disputatio ex multis, quæ fusè congeffit Sapientissimus Suarez in Prologomenis suis eruditione, & doctrina plenis per magnam partem Tomi primi de Gratia.

Suar.

SECTIO I.

Varij Status Naturæ elevabilis per Gratiâ.

4 **SOLENT** hi Status octo numerari. Status Puræ naturæ: Status naturæ integræ: Status Iustitiæ originalis: Status Innocentiæ: Status naturæ lapsæ, sive corruptæ: Status naturæ reparatæ: Status naturæ Beatæ: & Status naturæ damnatæ.

5 Status Puræ, seu Innocentiæ naturæ esset ille, in quo staret homo cum sua essentia, potentijs, & proprietatibus; sine peccato tamen, & sine gratia, non ordinatus ad finem beatitudinis supernaturalis, nec amicitia divina, sed ad operationes dumtaxat naturales, necessarias, ac liberar, præventus generali Dei providentia, & concursu ad illas. Nunquam sic fuit in hoc statu natura rationalis: quia Creator liberalissimus illam simul liberrimè ordinavit ad beatitudinem supernaturalem. Potuit tamen sic esse, si Deus voluisset. Oppositum docuit Jansenius tom. 2. per tres Libros de pura natura, id perperam tribuens Augustino, quasi dixerit, Deum non potuisse creare hominem absque peccato, & absque gratia iustificante, utpotè debitâ creaturæ rationali, eo ipso quod non peccasset. Quod videtur iam damnatum à B. Pio V. Gregorio XIIJ. & Urbano VIIJ. in Bullis contra Baium; cuius una ex propositionibus ibi damnatis erat hæc: *Humana natura exaltatio in consortium divine nature debita sive integritati primæ conditionis, ac proinde naturalis dicenda est, & non supernaturalis: & alia hæc: Deus non potuisset ab initio creare hominem qualis nunc*

Jansen.

Pius V. Gregor. XIIJ. Urban. VIII. Baius.

nascitur, id est, destitutum iustitia originali, & gratia sanctificante. De quo nonnihil addemus disput. 3. sect. 7. ex multis, quæ videri possunt apud Eminentissimos Cardinales, Bellarm. tom. 4. lib. de Orat. primi hom. & Saenz de Aguirre tom. 3. disp. 105. & apud Ripaldam tom. 3. de Ente supernat. disput. 4. & seqq. Nec verum puto, quod innuunt aliqui Theologi, à quibus non factis discedit R. P. N. Generalis Thyrsus tom. 3. disput. II. Deum ex suppositione creationis naturæ rationalis, necessitarum moraliter fuisse ad aliquam ordinationem, seu elevationem supernaturalem: non quidem debitam naturæ, sed debitam sibi Summo bono, sui que ex innatâ propensione diffusivo. Quem in modum discurrit etiam Ant. Perez tom. 1. disput. 6. de Volunt. Ijs tamen occurrimus disput. 7. de Incarnat.

Ripald.

Bellarm. Aguirr. Ripalda.

P. N. G. Thyrsus.

Perez, Tom. de Christo, disp. 7.

6 Status naturæ Integræ addit insuper in homine ad perfectiones puræ naturæ dominium partis superioris ad inferiorem cum subiectione appetitus sensitivi ad rationem. Hic status, in quo fuerunt Christus Dominus, & B. Virgo, & in quo fuisse Adamum ante lapsum constat ex Trid. sess. 5. asserente, concupiscentiam ex peccato esse, & ad peccatum inclinare, idèd vocatur integræ naturæ, quia naturam veluti sanat à defectibus appetitus sensitivi, & à fomite effrenatâ concupiscentiæ prævenientis rationem; illamque perficit ad integrè operandum iuxta rationem nõ præoccupatam à motibus appetitus circa sensibilia. Huiusmodi integritatem debitam esse naturæ constat primò. Quia Baius scripsit has duas propositiones: *Integritas primæ conditionis non fuit debita na-*

Trident.

Baius.

ture

turæ humane. Falsa est sententia, primum hominem potuisse à Deo creari, & insitum sine iustitia originali. Utramque damnavit Ecclesia: ergo contra primam, ut contradistinctam à secunda, statuit oppositum, nempe prædictam integritatem esse debitam humanæ naturæ. Secundò à ratione: quia sensationes naturaliter præcedunt ad intellectiones: ergo secundum naturam est, quod appetitus sensitivus moveatur, & operetur ante rationalem. Cum autem ille feratur ad sensibilia, non attentâ honestate, vel turpitudine, sed præcisè delectabilitate; indè est, quod secundum naturam motus appetitus sensitivi præveniat rationem, eique sæpius adversetur: ergo quod è contra evenerit in statu naturæ integræ, præveniente ratione motus omnes appetitus sensitivi, fuit donum indebitum naturæ spectatæ secundum se.

7 Status Iustitiæ originalis addit supra naturam integram, sive supra quamlibet aliam perfectionem gratis naturæ supererogatam, privilegium, seu conditionem transferendi ad Posterios eiusmodi integritatem, & perfectionem ex speciali ordinatione divina. Hoc statu gaudebat Adamus ante lapsum. Undè cum dicitur B. Virgo concepta in iustitia originali; non est, quia in ipsa fuerit originalis, utpotè non cum facultate illam transfundendi in posteros; sed quia habuit iustitiam, quæ fuerat originalis in Adamo illam transfusuro, nisi peccasset.

8 Status Innocentiæ positivè dicta supra integram naturam, & iustitiam originalem, addit Gratiâ sanctificantem, & virtutes infusas cum elevatione naturæ ad finem beatitudinis supernaturalis: itemque immunitatem à culpa, errore, deceptione, dolore, tristitia, & similibus ærumnis. Hunc quoque statum habuit Adamus simul cum duobus præcedentibus nuper explicatis. Quos tamen nos ratione separamus, & re quidem ipsâ separabiles sunt. Quinimò & in singulis illorum cõprehenduntur multa dona, & privilegia ex natura rei separabilia; coniuncta tamen ex ordinatione divina.

9 Status naturæ lapsæ, sive corruptæ, dicit lethale peccatum, sive personale, sive originile, cuius demerito privatur homo Gratiâ, & integritate naturæ, subiecitque defectibus naturæ puræ, ut sunt propensio ad delectabilia, & rebellio appetitus contra rationem, alijsque ærumnis sat notis

experimento. Itaque, præter peccatum, quod addit natura lapsa supra puram, adhuc penès gratiam ipsam differunt ij duo status, ut rectè notat Eminentissimus Caietanus, sicut differt homo spoliatus à nudo. Nudus enim dicitur veste, sive illam habuerit, sive non; spoliatus verò non nisi qui caret veste, quam habuit. Homo ergo, qui conditus esset in statu puræ naturæ, esset nudus gratiâ, alijsque donis supernaturalibus; ijs autem spoliatus dicitur, qui è statu innocentia cecidit per peccatum in statum naturæ lapsæ.

Caietani

10 Status naturæ reparatæ dicit ablationem peccati per gratiam, aut saltè facultatem illud expellendi: & potestates exercendi opera salutaria virtutum, prout oportet ad vitam æternam, ut hæreditatem, vel etiam ut coronam. Retinet tamen status iste defectus alios naturæ puræ, fomitem concupiscentiæ, rebellionem appetitus, &c. In hoc statu sunt de facto per gratiâ Christi Reparatoris Viatores, etiam iusti, qui aliquandò peccaverunt.

11 Status naturæ Beatæ dicit, præter gratiam, possessionem supernaturalem Summi boni, finis ultimi, per Gloriam, cum impotentia illam amittendi. Hoc statu foelicissimo gaudent iusti in Patria cœlesti. Cui opponitur status miserimus naturæ damnatæ, qui dicit amissionem æternam summi boni citra spem illud unquam obtinendi, & talem obstinationem in malo, ut nullum honestum opus in illo exerceri possit. Sub hoc statu gemunt Dammati.

12 Hæc est satis dilucida horum Statuum explicatio. Alij paulò aliter eos distinguunt, & exponunt; sed leve dissidiû est, & magnâ ex parte de vocibus. Plura S. Thom. 1. 2. à quest. 109. & ex illo ibi Curiel: Molina in Concord. disput. 3. & Granad. in Præfat. de Grat. Sed omnia habes ad satietatem in Magno Suarez to. 1. de Grat. Prolog. 4. Ex multis, quæ ille disputat fufissimè, duas hic difficultates utiliores delibo sect. seq.

S. Thom. Curiel. Molina. Granad. Suar.

SECTIO IJ.

An per Natura lapsum perierit in nobis liberum arbitrium circa naturalia: & quousque saltem fuerit exrenuatum?

13 **ARBITRIUM** voluntatis, inquit Augustinus, tunc verè est liberum, tunc non.

August.

A 2

berum,

berum, quando vitijs, peccatisque non servit: taie daturus est à Deo: quod amissum, nisi à quo potest dari, non potest reddi. Adsonant alij Sancti PP. dicentes, Adamum amississe, posse non peccare, & voluntatem de suo non nisi ad peccandum valere: quò faciunt difficilia verba Concilij Arausicanij: *Nemo habet de suo nisi mendacium, & peccatum.* Ex quibus inferunt nostri temporis Heterodoxi, per naturam lapsam ita fuisse extinctum liberum arbitrium, etiam circa naturalia, ut non mansisset in homine libertas, nisi ad peccandum: & non nisi ex nova gratia per Christum, distincta à gratia, seu beneficio de ordine creationis, stare potuisse deinceps arbitrij facultatem ad non peccandum. A quo sensu non satis discesserunt nonnulli Salmantini, quorum meminit Ripalda *rom. 2. disp. 114. sect. 2.* quos tamen alij improbabiliter, alij temerè loquutos pronuntiarunt, quasi accedentes ad hanc propositionem Michaëlis Baij: *Liberum arbitrium sine gratia adiutorio non nisi ad peccandum valet:* prohibitam, & damnatam à B. Pio Quinto, & Gregorio XIIJ.

Araus.

Ripald.

Baius.

Pius V. Gregor. XIII.

14 Agunt etiam à ratione: Quia natura peccans, vtpote merens amissionem cuiuscumque boni, amissit cognitionem omnem sufficientem ad benè operandū, qua resistere posset inclinationi, & tentationi peccandi: ergo mansit ita subiecta peccato, ut non retinuerit libertatem à necessitate ad non peccandum: ac proinde nec liberum arbitrium circa naturalia, nisi ex nova gratia per Christum extra ordinem creationis.

15 Est tamen Catholica, & omninò tenenda doctrina, in natura lapsa mansisse liberum arbitrium circa naturalia: ita nempe, ut sine nova gratia per Christum extra ordinem creationis, posset natura aliqua saltè peccata evitare, & aliquo modo benè agere, aut saltè non male, & peccaminosè. Sic Molina in *Concord. disput. 22.* Suar. cit. à cap. 7. & Vasquez *1. 2. disp. 160. cap. 28.* & videtur sic à Pontificibus definitum contra nupèr relatum propositionem Baij.

Molina. Suar. Vasq.

16 Ratio autem est: Quia Pelagius iam admittebat libertatem naturalem ad bonum: quia tamen aiebat, id non convenire naturæ, nisi ex gratia, reprehendebatur à Sanctis Patribus: ex eo scilicet, quia Gratia supponit naturam: naturalis autem libertas ad naturam rationalem

spectat: ergo quòd natura humana eam libertatem retinet post lapsum, non fuit gratia extra ordinem creationis: sicut nec est gratia extra ordinem creationis naturæ humanæ sentientis, quòd manserit cum facultatibus visus, & auditus, quæ sunt eius proprietates.

17 Confirmatur. Si eiusmodi libertas esset ex gratia speciali extra ordinem creationis facta lapsis per Christum; aut ideò esset, quia per peccatum illam demeruit homo: & hoc non valet, quia etiam demeruit visum, & auditum, quin etiam & sui còservationem: quin tamen hæc propterea dicantur mansisse ex speciali gratia per Christum extra ordinem creationis: aut ideò esset, quia Deus statuit, quòd, Adamo peccante, libertate prorsus privaremur, nisi nobis eam Christus repararet: & hoc dicitur sine fundamento rationis, & authoritatis: neque enim ex effectibus, neque ex Scripturis, Concilijs, aut Patribus constat tale Dei statutum. Non igitur fuit specialis gratia per Christum extra ordinem creationis; quòd manserit in natura lapsa liberum arbitrium circa naturalia: atque adeò non fuit eo ipso extinctum per peccatum.

18 Accedit: Quòd facultas libera ad peccandum, quæ per adversarios mansit post lapsum, essentialitèr dicit potestatem ad non peccandum: non enim sufficit ad peccandum, sicut nec ad merendum, aut demerendum in statu naturæ lapsæ, ut statuit Innocent. X. contra tertiam ex quinque propositionibus Jansenianis, libertas à coactione, sed requiritur libertas à necessitate: implicat ergo, quòd in natura lapsa mansisset libertas sufficiens ad peccandum, quin eo ipso mansisset facultas ad non peccandum; ac proinde arbitrium liberum ad utrumque.

19 Iam ad Augustinum nobis obiectum num. 13. responderetur, Augustinum ibi solum voluisse, quòd natura labens amiserit libertatem, quam habuerat in statu innocentia, quamque postea habemus ex gratia Redemptoris in statu naturæ reparatæ, ad actus supernaturales meritorios salutis æternæ; non verò libertatem ad naturalia, quæ esset in statu naturæ puræ. Sic se explicuit idem August. *lib. 1. contra duas Epist. Pelagij* scribens: *Quis dicat, quòd primo hominis peccato perierit liberum arbitrium in humano genere? Libertas quidem perijt per peccatum; sed illa,*

quæ

que in Paradiso, habendi plenam cum immortalitate iustitiam. Similiter respondet P. Molina in *Concord. disput. 22.* ad alios Patres effatos, hominem lapsu suo amississe posse non peccare: & voluntatem de suo non nisi ad peccandum valere; scilicet per cognitionem, & libertatem ad bonum salutare, & conducens ad salutem.

Molin.

20 Ad alios Patres dicentes, Adamum amississe posse non peccare, responderetur intelligi, per longum tempus: non enim nisi ex gratia esse potest, quòd homo lapsus diu sine novo lapsu permaneat.

Suar.

21 Ad illos, qui dicunt, voluntatem de suo non nisi ad peccandum valere, simulq; ad difficilia verba Arausicanij, varias multorum responsiones refert Suarez *lib. 1. de Grat. cap. 21.* Post quas premit vocem illam, de suo: ex qua eruit genuinam responsionem dicens, Arausicanū, aliosq; Patres sic loquutos, solum voluisse, homines non nisi peccatum posse, nec habere de suo: hoc est, quòd sibi tanquam adæquatæ causæ morali tribuere possint: non quia Deus ad peccatum etiam non physicè concurrat; sed quia non est illius causa, cui imputari possit: cum tamen opera bona etiam naturalia causet, & velit: ideòque non sic dicitur homo ea facere de suo: quamvis non propterea dicatur ea non posse facere, etiam lapsus, viribus naturæ, & naturali libertate sine speciali gratia Theologica per Christum. Sicq; & vix alitèr, conciliatur dictum Arausicanij cum damnatione propositionis Baianæ: *Liberum arbitrium sine gratia adiutorio non nisi ad peccandum valet:* in qua propositione deest notula illa, de suo: quæ viam indicat ad sanam interpretationem Concilij, & aliquorum Sanctorum Patrum, quos inter Augustinus. De quo iterum *disput. 3. sect. 4. à num. 55.*

Innocent. X.

Baius.

Infrà disp. 3.

22 Ad rationem oppositam num. 14. negatur antecedens de demerito in actu secundo; quamvis verum sit, quòd quasi in actu primo meruerit homo peccans amissionem cuiuscumque boni, & omnis cogitationis bonæ etiam sufficientis, sicut & amissionem visus, & auditus, sui que anihilationem, vt diximus num. 17. At non privavit homines Deus, nec privasset omni bono, quòd peccando demeruerant: atque adeò nec libero arbitrio naturali, sicut nec visu, nec auditu, & alijs proprietatibus naturalibus, quæ fuissent

August.

in pura natura. Undè falsa est consequentia.

23 Suboritur difficultas: An saltè in statu naturæ lapsæ extenuatum fuerit intrinsecè liberum arbitrium ad naturalia: taliter nimirum, ut natura lapsa per se loquendo foret intrinsecè debilior ad benè operandum naturalitèr, quam natura pura. Affirmant Illustrissimus Alvarez *disput. 45. & 47. de Auxil.* Zumel *1. 2. quest. 109. art. 2. dist. 2.* & ex nostris Azor *rom. 1. lib. 3. cap. 34.* cum alijs. Negant Suarez *cap. 8.* & Vasquez *disput. 138.* cum Eminentissimis Caietano, & Bellarmino, quibus annuit Gonetus *disput. 4. de Grat. art. 3.* ipseque assentior per se loquendo, & ab intrinsecò.

Alvarez. Zumel. Azor. Suar. Vasq. Caiet. Bellarmino. Gonet.

24 Probatum ex S. Thom. qui *1. part. quest. 95. art. 1.* ait iuxta doctrinam S. Dionysij, naturalia mansisse homini post peccatum: & colligit, dominium rationis in appetitum non fuisse debitum naturæ puræ, ut diximus num. 6. ex eo quòd non manserit in natura lapsa: sensit ergo, in natura lapsa mansisse facultates intrinsecas naturæ puræ: sicque iuxta discursum S. Thom. non est debilior natura lapsa, quam foret pura ad actus naturales. Hinc alij SS. Patres, dum recensent eam, quæ per peccatum amissimus, exp. inveniunt dona gratiosa, & supernaturalia statùs innocentia; non verò, quæ competere naturæ puræ: ut verum sit quòd num. 9. notabat Caiet. naturam lapsam ijs duntaxat spoliandam, quibus nuda foret natura pura: ac proinde mansuram cum facultatibus intrinsecis liberi arbitrij prout naturæ puræ competere: ergo non est eo ipso intrinsecè debilior ad naturalia.

S. Thom. Dionysij

Caiet.

25 Dixi, per se loquendo: quia per accidens, si nempe natura post lapsum adquiret habitus pravos ex peccatis personalibus repetitis, exinde fieret potentior ad ulteriora peccata, & debilior ad bonum. Et sic intelligo S. Thom. *1. 2. quest. 85.* dicentem, naturalem hominis inclinationem ad bonum minui per peccatum: quòd nempe per peccata generantur habitus vitiosi, & consequenter minuuntur vires oppositæ virtutum ad bonum. Id autem per accidens est ad statum naturæ lapsæ: posset enim natura labi per solum originale, quòd nec generat habitum, nec quidquam imprimi physicum, nec adimit de intrinseca potentia debitam naturæ; cum solum sit, aut privatio gratia, & iustitia.

S. Thom.

stitiæ originalis, aut denominatio à peccato Protoparentis moralitèr perseverante, prout est cuiuscumque proprium iuxta varias sententias.

26 Dixi, ab intrinseco: quia subdubitari adhuc potest: an saltè extrinsecè sit debilior ad bonum natura lapsa, quam foret natura pura. Affirmant aliqui: quia naturæ puræ debentur aliquæ cogitationes congruæ, quibus natura lapsa sese indignam fecit peccando: per illas autem cogitationes foret illa potentior ad bonum, & ista debilior ob illarum defectum. Negant meliùs alij: quia, quamvis eam indignitatem incurrit natura labens, non constat de lege Dei negandi propterea eiusmodi cogitationes. P. Ripalda, *sect. 3.* iudicat, aliquomodo naturam lapsam esse extrinsecè debiliorem: quia, quamvis de facto Deus non illam privaret prædictis cogitationibus, quibus sese ostendere posset liberalem Anthorem naturæ puræ; at maius est beneficium, maiorque libertas, eas conferre naturæ lapsæ positivè demerenti, ac indignæ. Sicque putat aliquatenus dici posse naturam lapsam extrinsecè debiliorem. Nec ampliùs in re vult Eminentissimus Dominus Cardinalis de Aguirre late & eruditè hæc edisserens *Aguirr. tom. 3. disput. 107.* ut se explicat *sect. 4.* Haunol. Itemque Haunoldus noster in *Select. lib. 2. tract. 3. cap. 2. contr. 2.* Maneat ergo naturam lapsam non esse ab intrinseco debiliorem per se loquendo.

Cardin. Aguirr. tom. 3. disput. 107. ut se explicat sect. 4. Haunol. Itemque Haunoldus noster in Select. lib. 2. tract. 3. cap. 2. contr. 2.

27 Obijcitur primò. Natura pura mereri posset apud Deum aliquid naturale; non sic natura lapsa ob eius indignitatem: ergo aliquid illa præ ista posset ab intrinseco circa bonum. Secundò: Peccatum avertit creaturam à Deo sine suo: ergo relinquit illam minus aptam ad ea, quæ tendunt ad Deum, qualia sunt omnia bona: qui enim malè se habet circa finem, minus est aptus ad media. Tertio: quod dicunt identidè Concilia, & SS. Patres, nos per peccatum mutatos in deterius penès animam, & corpus: attenuatos, & debilitatos viribus: vulneratos in naturalibus: spoliatos, & semivivos reliquos, instar illius, qui cum iret in Hierico, incidit in latrones, qui illum spoliaverunt, & plagis impositis, reliquerunt semivivum. *Luc. 10.*

Luc. 10.

28 Respondetur ad primum, concessio antecedente, negando consequentiam: quia illa ipsa opera bona, per quæ mere-

retur natura pura, posset agere natura lapsa: quòd autem natura lapsa per ea non sic mereretur, non est defectu virtutis intrinsecæ, sed ob statum inimicitiae impediens rationem meriti, saltè condigni, cuiuscumque boni. Ad secundum, concessio etiam antecedente, distinguo consequens: quandò peccatum relinquit sui habitum, concedo; aliter, nego. Ad probationem dico, quòd si natura malè se habet circa finem per physicam aversionem propriæ voluntatis ad illo, aut per habitum, aut quid simile, est minus apta circa media; nõ tamen ita, quandò malè se habet circa finem quoquo modo, aut ex eo præcisè, quòd antea quomocumque peccaverit originalitèr. Ad tertium ad id, ea omnia dicit à Concilijs, & Sanctis Patribus de nostra natura lapsa comparativè, non vicumque ad statum naturæ puræ, quæ nimium eodem modo esset intrinsecè debilis ad bonum; sed comparativè ad statum innocentiae, à quo cecidimus per lapsum.

29 Sic ergo per peccatum mansimus primò mutati in deterius, utpotè positi in statu miserissimo ab statu innocentiae felicissimo, in quo fuit Adamus. Secundò, attenuati, ac debilitati, utpotè sine viribus gratiæ, nisi repararemur per Christum, quas dicebat status innocentiae: imò & per rebellionem appetitùs minus bene affecti erga bona naturalia, quam essemus in natura integra. Tertio, vulnerati in naturalibus: aut quia per peccatum naturales nostræ vires divisa sunt, & ducisa à viribus gratiæ, & à dominio rationis super appetitum sensitivum, quibus valde iuvamur etiam ad bona naturalia: aut quia primi peccati causâ obvenerunt ulteriora peccata personaj generantia malos habitus imminuètes bonos, quos haberet homo in statu innocentiae; non autem sic in statu puræ naturæ.

SECTIO II.

Varie acceptiones, & divisiones Gratiae & Subiectum nostrarum Disputationum.

30 ACCIPITUR primò Gratia pro pulchritudine: *Prov. 31.* Fallax gratia, & vana est pubritudo. Secundò pro dexteritate dicendi: *Psal. 44.* Diffusa est gratia in labijs tuis. Hæ acceptiones non sunt è re præsentii.

Prov. 31. Psal. 44.

31 Accipitur tertio pro compensatione

2. Reg. 2.

ne beneficij: *2. Reg. 2.* Retribuet Deus misericordiam, & ego retribuam gratiam: id est, gratias agam. Quartò pro interna beneficiis: sic dicimus alicuius inire gratiam, cum efficimur amici: sicquè *Luc. 1.* dicta est B. V. invenisse gratiam apud Deum. Neque hæ duæ acceptiones sunt omninò ad rem nostram: quamvis hæc posterior aequalitèr accedat, quatenus affectus ipse internus benevolentiae simul cum dono, quod causat, videtur impendi etiam in alterius beneficium.

Luc. 1.

Rom. 11.

32 Accipitur quinto pro quovis dono collato gratis: hoc est, non ex debito, nec intuitu compensationis, iuxta illud Apostoli: *Si autem gratia, iam non ex operibus; alioquin gratia iam non est gratia.* In hoc sensu beneficium ipsum naturale creationis, & alia huiusmodi, quæ gratis præstat Dominus Deus, vocant etiam gratiam S. Hieronymus, dicens, gratiæ Dei esse, quod homo creatus sit: S. Augustinus hortans, ut attendamus gratiam Dei, non solum qua fecit nos; sed etiam, qua refecit: & sexta Synodus Generalis *Aet. 11.* statuens, *Angelos, & animas racionales immortales esse: non naturâ, sed gratiâ: hoc est, quia totum hoc quantumvis illis connaturale, sicut & totum iuum esse habuerunt absolute ex Dei beneplacito, & sine debito. Hæc gratiæ acceptio proderit nobis interdum in sequentibus.*

Hieron. August.

Synod. 6.

August.

33 Accipitur sexto rigorosius Gratia pro dono gratis collato naturæ in ordine ad beatitudinem supernaturalem, præsupponente naturam cum suis potentijs, & proprietatibus, & cum omni illo, quod naturali rerum cursu ei competit. Hæc gratiæ acceptio frequens Theologis est contradistinguentibus ordines naturæ, & gratiæ. Et colligitur ex Scripturis, in quibus, ut testantur apud Augustinum Patres Africani, vix unquam reperitur nomen Gratiae pro dono de ordine naturæ. Audiendus Augustinus *epist. 95. ad Innocentium de Pelagio: Illam confitentur aperitissimè gratiam, quam doctrina demonstrat esse propriam Christianorum: nisi enim, quadam non improbanda ratione, dicitur gratia Dei, qua creati sumus, pro qua Creatori nostro gratias agere debemus, quia non precedentium aliquorum operum meritis, sed gratuita Dei bonitate donata est; alia est tamen Grati, quæ prædestinati vocamur, & iustificamur.* Hæc autem est ex Augustino Gratia propriè, ac theologicè accepta, ut ex dicendis clarius constabit.

34 Dividi solet hæc Gratia Theologica in increatam, & creatam. Quam divisionem, ut aliena ab Augustino, rejiciunt aliqui: immeritò tamen, ut monstrat eruditè Suar. *Prolog. 3. cap. 3.* Est itaque gratia increata aliqua Dei perfectio, quatenus nobis specialitèr communicata: sic Spiritus ipse Sanctus dicitur *Altissimi donum Dei*: ipsaque benevola voluntas Dei collativa gratiæ vocatur gratia ab Augustino, & Thoma, ut evincit Suarez *num. 5.* Gratia creata est donum, & effectus Dei: ac proinde non idem cum ipso Deo. Et de hac potissimum Gratia creatâ est nobis agendum.

Suar.

August. S. Thom.

35 Subdividi hæc solet in unam, quæ est per Christum: hoc est, data ex meritis Christi; & in aliam, quæ non esset per Christum, qualis dicitur à multis gratia Angelis, & homini ante peccatum independentè à Christo merente, & merituro. De facto, ut adstruxi *disp. 6. de Incarnat.* cum Suarez, & alijs, omnis gratia data Angelis, & hominibus, tam ante, quam post peccatum, data fuit ex meritis Christi: sicquè de facto omnis nostra gratia est per Christum. Idcirco non curat Suarez de hac divisione, nec nos curamus, nisi pro possibili alia Dei providentia, in qua daret Deus gratiam, & non per Christum.

Tom. 2. disp. 6.

36 Subdividitur ergo aliter Gratia in internam, & externam. Interna est, quæ homini, cui datur, intrinsecè inhæret, ut habitus infusi, sanctæ cogitationes, & inspirationes cordis. Externa est, quæ non homini inhæret, sed extra hominem fit, ut Incarnatio respectu nostri, revelatio Mysteriorum, prædicatio, Sacramentorum institutio, & alia huiusmodi. In præsentii sermo est de Gratia interna. Undè bene notant Vasquez, & Montefino hic, illum qui inscripsit Quæstiones S. Thom. non satis aptè impotuisse huic Quæstioni 109. quæ est de Gratia, titulum: *De exteriori principio actuum humanorum.*

Vasq. Montef.

37 Subdividitur insuper Gratia interna in gratiam gratis datam, & in Gratiam gratum facientem. Gratis data, contracto vocabulo à genere ad speciem, dicitur quæ alicui confertur ad alio: præfertim utilitatem. Gratum faciens dicitur, quæ confertur alicui ad propriam præsertim sanctificationem, & salutem. Sic Magister in 2. *dist. 28. S. Thom. quæst. 111. art. 1.* & Suar. *Prolog. 3. cap. 4.*

Magist. S. Thom. Suar.

38 Gratias gratis datas numeravit novem

1. Corin. 12. novem Apostolus 1. Corin. 12. *Alij quidem datur sermo sapientiae*: quod est donum noscendi, & explicandi Theologiae Mysteria per altissima Fidei principia: *alijs sermo scientiae*; quod est donum sciendi, & explicandi philosophicè eadem Mysteria per media inferiora: *alteri Fides*; quod iuxta aliquos est donum fiduciae requisitae à Christo *Matth. 17.* ad patranda miracula; iuxta alios, donum explicandi, & persuadendi facilius eadem Mysteria Fidei sine ornatu sapientiae & scientiae, ut in quibusdam pijs, ac simplicibus admiramur, dexteriorius, clarius, & fructuosius id praestantibus per hanc gratiam gratis datam, quam Theologi alioquin doctissimi: *alijs gratia sanctorum*; quod est donum curandi infirmitates supra naturam, aut supra peritiam Medicorum, per media fortè naturalia: nam curatio per supernaturalia videtur spectare ad operationem virtutum: *alijs operatio virtutum*; quod est donum patranda miracula in confirmationem Fidei: *alijs Prophecia*; quod est donum cognoscendi quae ab hominum notitia distant: *alijs discretio spirituum*: quod est donum dignoscendi eos, qui à Deo, qui à diabolo, qui à proprio spiritu reguntur: *alijs genera linguarum*; quod est donum intelligendi, & loquendi varia idiomata: *alijs interpretatio sermonum*; quod est donum intelligendi, & exponendi arcanos Scripturae sensus. Haec, inquam, gratiae gratis datae numerantur à Paulo, quae solet Deus aliquibus distribuere prout expedit, & vult, pro bono communi Ecclesiae, ac Fidei, quamvis prodesse quoque minus praecipue possint ipsi habenti. Plura Suarez *cap. 5. & disput. 8. de Fide, sect. 2.* & deinceps.

39 Gratia gratum faciens, non solum est gratia Sanctificans, ut vocabulo nimis adhaerentes volunt aliqui; sed etiam gratiae aliae actuales ordinatae ad propriam cuiuscumque sanctificationem.

40 Itaque subdividitur haec tandem in Habitualementem, & Actualementem. Habitualementem est qualitas permanentè inhaerens naturae rationali, & complens vires efficientes naturae ad exercendos actus virtutum supernaturales: tales sunt Gratia sanctificans, & habitus supernaturales virtutum. Actualis est auxilium speciale supernaturale internum, quo Deus vires effectivas animae certis quibusdam temporibus ad actuale exercitium virtutum supernaturalium excitat, allicit, & movet.

Tales sunt apud nos sanctae cogitationes, inspirationes, seu affectiones piæ, & apud alios praedeterminationes physicae, quae vocantur gratiae auxiliantes; sive auxilia gratiae actualis. Differunt ergo gratiae habituales, & actuales in eo quod habituales non conferuntur adultis, nisi se ad illam liberè, & meritorie disponant; actualis verò, saltè prima, praecedit omne exercitium liberum, ac proinde meritum nostrum: habituales non auferuntur nobis sine culpa; actualis pro Dei arbitrio venit, & vadit: habituales conferuntur etiam parvulis; actualis solis adultis.

41 Iam ex ijs omnibus, subiectum, seu materia praesentium nostrarum Disputationum est Gratia gratum faciens: tam Habitualementem, de qua postea; quam actualis, quae proprie est gratia auxilians, sive Auxilium gratiae: de qua praecipue disputavit Augustinus contra Pelagium, & nobis disputandum est nunc. Dividitur haec in varias gratiae actualis species, sive in varia eiusdem gratiae munera, scilicet in excitantem, & adiuvantem; in praevientem, comitantem, & subsequenter; in operantem, & cooperantem; in sufficientem, & efficacem: quarum divisionum explicatio suam obtinebit locum in sequentibus ex professo. Ab ultimam tamen iustus abstinere, obtemperans, uti par est, Decretis Apostolicae Sedis.

SECTIO III.

Varij errores circa Divinam Gratiam Actualementem.

42 **I**udaeorum quorundam error fuit, Legem sufficere ad iustificationem, & salutem sine adiutorio ulterioris gratiae actualis internae; & gratiam non sufficere nobis sine Lege Moyfi. Contra hoc scripsit Paulus ad Romanos, & Galatas, quod non iustificatur homo ex operibus legis; sed per fidem Iesu Christi: ut notavit Augustinus. Praedicti erroris fit etiam mentio in Actibus Apost. *cap. 15.* De quo, & de alijs, qui sequuntur, fuse, ac eruditè Doctor Eximius *tom. 1. Prolog. 5.*

43 Pelagij errorem exposuit Faustus *lib. 1. de Grat. cap. 1.* sic: *Dicit Pelagius, quod ad obtinendam salutem natura hominis sibi sola sufficit.* Infert Suarez *cap. 5.* negatos primò à Pelagio actus, & habitus supernaturales: quia quidquid boni fit in anima natu-

naturalibus arbitrij viribus deberi contendeat. Ne tamen damnaretur in Concilio Palestino, iam requisivit gratiam; intelligens tamen nomine gratiae iuxta acceptionem expositam *num. 32.* ipsam naturae libertatem gratis à Deo donatam, aliaque dona de ordine creationis. Agnità à Patribus ista fraude, addidit Pelagius aliam gratiam divinitus concessam ultra ordinem creationis; sed intelligebat solam externam, expositam *num. 36.* Damnatus est tamen ab Ecclesia: quia, ut ait Augustinus, *est adiutorium gratia multis verbis efferat, solam revelationem, atque doctrinam, externamque gratiam intelligere, declaravit.* Negabat itaque internam. Quam si aliquandò coactus concessit, intellexit subdole, vel eam gratiam haberi à nobis ex viribus, aut meritis naturae; vel dari solum ad facilius, concedens naturae vires ad simpliciter posse operari salutem. Erravit aliter in hac propositione, quam ex illo refert Augustinus *lib. de Grat. Christi, cap. 5.* *ibi: Posse Deus posuit in natura; velle, & agere, nostra esse voluit: unde non adiuvat ut velimus, non adiuvat ut agamus: sed adiuvat ut velle, & agere valeamus.* Quod totum egregie confutat Augustinus *cap. 14.* probans Gratiae Dei esse, non solum posse, sed etiam ipsum velle, & ipsum agere in negotio salutis. Ad quae tria necessaria illa nobis praestantem, Augustiniana, & Catholicae doctrinae summa est in hoc puncto, ut deducit Antonius Perez *tom. 2. disp. 1. de Grat. auxil. cap. 1. & 2.*

44 Sed punctum August. ipse *cap. 47.* *ibi: Quapropter, quantum attinet ad istam de divina Gratia, & adiutorio quaestionem, tria ista, quae apertissime distinxit Pelagius, scilicet posse, velle, & esse, id est possibilitatem, voluntatem, & actionem, attendere debemus. Si ergo concesserit nobis, non solum possibilitatem in homine, etiamsi nec velit, neque agat bene; sed ipsam quoque voluntatem, & actionem, id est ut bene velimus, & bene agamus, quae non sunt in homine, nisi quando bene vult, & bene agit: si, ut dixi, concesserit, ipsam etiam voluntatem, & actionem divinitus adiuvare, ut sine illo adiutorio nihil bene velimus, & agamus, eamque esse gratiam Dei per Iesum Christum Dominum nostrum, in qua nos, sua, non nostra iustitia iustos facit, ut ea sit nostra iustitia, quae nobis ab illo est; nihil ergo de adiutorio*

gratia Dei, quantum arbitror, inter nos controversia relinquatur. Hac Augustiniana luce non obtante, voluit Navarretus *Navar. tom. 2. contr. 21. §. 7.* Pelagium agnovisse omnem gratiam praeter physicam praedeterminationem. Novit utique punctum controversiae Augustini cum Pelagio melius, quam Augustinus ipse!

45 Semipelagianorum, seu Massiliensium error fuit huiusmodi. Cum Augustinus contra Pelagium extulisset necessitatem Gratiae auxiliantis ad actus salutes; ex sinistra ipsius intelligentia surrexit Haeresis Predestinatorum, dicentium, praedestinationem divinam tollere libertatem humanam, solamque Dei gratiam sine cooperatione nostram liberam sufficere nobis ad salutem. A quo errore ut declinarent aliqui, partim recesserunt ab Augustino, partim adhaerunt Pelagio, sibi visi, sic gratiae auxilia cum cooperatione liberi arbitrij nostri conciliare. Propterea dicti, *Semipelagiani*; aut aliter, *Massilienses*: quia apud Massiliam Galliae Urbem, aut exorti, aut excepti. Tales dicuntur fuisse Vitalis Carthaginensis, Ioannes Cassianus, primò Christiani Diaconus, deinde apud Massiliam Presbyter, ad ann. 440. Faustus Episcopus Regiensis, Gennadius Presbyter Massiliensis, quibus Severum Sulpitium adnumerat Baronius *ad ann. 431. nu. 189.* Eos, qui fuerint, detulerunt per epistolam ad Augustinum, S. Prosper, & Hilarius Arelaten. Nec propterea omnes illi fuerunt formaliter haeretici: quia non omnes perstiterunt in errore suo post declarationem Ecclesiae, ut de Cassiano monet Prosper *ad finem libri contra Collatorem.* De quo Baronius *ad ann. 413. n. 27.*

46 Huius erroris decem articulos numerat exactissimus Montoya *disp. 14. de Praedest.* quorum quinque praecipui sunt. Primus, admissio auxilio externae praedicationis, sine alio supernaturali interius monente, aut excitante, liberum arbitrium posse praebere initium iustificationis, quamvis post illud initium ulterior gratia requiratur ad actus posteriores. Secundus, Gratiam praevientem internam necessariam non esse ad inchoandam iustificationem. Tertius, ex merito operum factorum viribus liberi arbitrij, absque gratia interna, unum assumi ad salutem, & alium non. Quartus, ea opera solis viribus liberi arbitrij facta con-

Navar.

Semipel.

Vitalis
Cassianus
FaustusGennadius
Sulpitius
Baronius

Montoya

Suar.

Galat. 2.

August.
Act. 15.

Suar.

Faust.

Suar.

neſſi, non ſolum cum iuſtificatione, ſed etiam cum pe. ſeverantia finali, & æternâ ſalute. Quintus, ea opera, nondum re exhibita, ſed conditionatè tantum à Deo præſcitta, ut faciendâ viribus arbitrij ſub tali conditione, habere eorſdem effectus apud Deum: ſicquè multos pueros eò meritò ad gratiam Baptiſmî pervenire, & in ea ſtatim mori; quia, ſi viſſent, propria opera bona viribus arbitrij feciſſent: alioſq; in originali mori propter opera mala nunquam faciendâ, ſed quæ feciſſent, ſi diù viverent. Quippè per ſummum errorem exiſtimabant, ut arguit Ant. Perez, hominem de præſenti, & abſolutè eſſe indignum, aut dignum præmio propter merita bona, aut mala, quæ videt Deus nunquam eſſe abſolutè exitura, ſed exitura fore, & quidem ſine adiutorio gratiæ, ſaltèm quoad initium, ſi in tali, aut tali hypotheſi diù viventes cõſtituerentur. Abeat ergo poſt Navarretum Gonetus, effatus diſp. 2. art. 5. ad finem §. primi, Vitalem Semipelagianum omnem gratiam, etiam internam, admiſſiſſe, præter motionem phyſicam applicativam. Cuius dicti ait, non leve argumentũ fieri ex eo quòd Vitalis apud Auguſtinum fatebatur, hominem poſſe, Dei ſuaſſione præcedente, conſequentè conſenſione, libertate naturali credere. Quidquid ſenſerit Vitalis, hæretici namque ſemel ab ſcopo veritatis exerrantes, nec ſenſum, nec ſermonem fixum tenere ſolent; in ijs ſaltèm verbis, ne leviſſimum quidem fundamentum dedit ad eiuſmodi commentum. Virus, à nemine non advertendum, eſt in illis vocibus: *Libertate naturali*: eſt enim ipſum velle, ſeu conſentire, ipſumque credere, non interiori gratiæ ſuadenti, ſed naturalibus arbitrij viribus tribuere. Vereri ſaltèm debuiſſet Gonetus damnationem quartæ propoſitionis Janſenianæ ſtatim recitandæ, præſcribentem, in quo non fuerint hæretici Semipelagiani.

47 Lutheranorum, & Calviniſtarum error eſt in hoc unus, quòd Gratia plùs nimio tribuentes, negent nobis libertatis arbitrium; ac proinde Gratiam, quæ tribuat poſſibilitatem volendi, & operandi liberè, proù oportet ad ſalutem. His & Pelagianis communis error fuit, non ſtare liberum arbitrium noſtrum cum Gratia Dei dante nobis poſſe, & eade. Undè Pelagiani nimium tribuen-

tes arbitrio noſtro, negarunt Gratiam internam dantem poſſe, & velle; Calviniſtæ verò, & Lutherani nimium tribuentes gratiæ, danti nobis poſſe, & velle, negant nobis liberum arbitrium. Sicquè ex eodem principio hæretico, ſubſumptis reſpectivè diverſis propoſitionibus Catholicis, à Pelagio, quod nobis ineſt liberum arbitrium; à Lutero, & Calvino, quòd adiuvamur gratiâ per Chriſtum dante nobis poſſe, & velle; emanarunt Hæreſes ſibi, & veritati oppoſitæ. Appoſitè Bernardus lib. de Grat. & liber. arb.: Tolle, inquit, liberum arbitrium, & non erit quòd ſalvetur; tolle gratiam, & non erit undè ſalvetur: monens ſapientèr Catholicos, ut hinc pro Gratia Dei, hinc pro libertate arbitrij noſtri pari ſtudio decertemus.

48 Nec ij recentes Hæretici conveniunt in omnibus inter ſe. Quidam omninò negant nobis libertatem poſt lapſum. Quidam eam tollunt ad peccandum dicentes, naturam lapſam neceſſariò peccare. Quidam ad benè agendum, dicentes, hominem lapſum, non potentem ſine gratiâ cõverti, cum gratia non liberè, ſed neceſſariò converti; poſtea tamen naturâ iam converſione reparatam liberè operari. Alij aliter deſipiunt, ac inſaniunt. Cunctos expugnat validè Card. Bellarm. tom. 4. ſicut Auguſtinus olim Pelagianos.

49 Michaël Baius, alioquin Catholicus, incidit incautè in abſurdos errores. Septuaginta novem illius propoſitiones damnavit Eccleſia, relatas à Suar. Prol. 6. cap. 2. impugnatas fuſius à Ripald. to. 3. ab ipſo Baio retractatas operâ Cardinalis Toleti ea de cauſa Lovanium miſſi à Clemente VIIJ. Multas illarum miſcuit in materia gratiæ, quarum aliæ in Pelagianiſmum, aliæ in Lutheraniſmum vergunt, & ianuam aperiunt Janſeniſmo, aut ſunt purus putus Janſeniſmus ipſe. Tres diſtinxit hominis ſtatus, primum, hominis ante lapſum; ſecundum, hominis lapſi nondum reparati, & auxiliantem gratiam conſequuti; tertium, hominis lapſi, aduti iam gratiâ per Chriſtum. In primo dixit, poſſe hominem viribus naturæ per ſolam obedientiam legis naturalis, & ſine gratiâ Dei propriè dictâ conſequi vitam æternam in Evangelio promiſſam; putans videlicèt, eſſe debitam obedientiæ naturali Legis. In ſecundo dixit, hominem nullam habere libertatem ad ullum actum bonum, etiã

Bernard.

Bellarm.

Suar.
Ripald.
Tolet.Annat.
Dec. ap.

ordinis naturalis, ſed ſolum poſſe peccare; putans, videlicèt de ratione peccati, quòd ſequitur ad originale, non eſſe libertatem à neceſſitate; ſed ſufficere libertatem à coactione oppoſitâ ſpontaneitati. In tertio dixit, hominem poſſe velle, & perficere bonum ex gratia Chriſti: nomine tamen gratiæ intelligens eandem arbitrij libertatem, & virtutem naturalem amiſſas per peccatum, & reſtitutas per Chriſtum: quatenus eandem libertatem ad bonum, quæ ante peccatum non erat propriè gratia, ſed debita naturæ; collatam poſt peccatum hominì indigno vocabat propriè gratiâ Chriſti: ad modum, quo eadem vita, quæ naturalitèr eſt debita hominì innocenti, ſi ipſe rebellaverit contra Regem miſericorditèr illi ignoſcentem, dicitur iam gratia, ſive ex gratia Regis. Sic exponit Ant. Perez cap. 5.

Perez.

Innoc. X.

50 Janſeniſtarum errores circa Gratiam colligentur ex quinque propoſitionibus Corn. Janſenij Yprenſis, damnatis ab Innoc. X. ann. huius noſtri ſæculi 53. quarum quatuor huc ſpecialiùs pertinent. Prima: *Aliqua Dei præcepta hominibus iuſtis, volentibus, & conantibus, ſecundum præſentes, quas habent vires, impoſſibilia ſunt; deest quoquè illis gratia, qua poſſibilia fiunt.* Secunda: *Interiori gratiæ in ſtatu natura lapſæ nunquam reſiſtitur.* Tertia: *Ad merendum, & demerendum in ſtatu natura lapſæ non requiritur in homine libertas à neceſſitate; ſed ſufficit libertas à coactione.* Liberum à coactione dicitur, quòd quamvis neceſſariò fiat, liberè, & ſpontè fit, ut amor Dei in beatis: Liberum à neceſſitate, quòd non fit neceſſariò, ſed cum poteſtate ut non fiat. Quarta: *Sempelagiani admirabant præveniens gratia interioris neceſſitatem ad ſingulos actus; & in hoc erant hæretici, quòd vellent, eam gratiam talem eſſe, cui poſſet humana voluntas reſiſtere, vel obtemperare.* Quinta: *Sempelagianum eſt dicere, Chriſtum pro omnibus mortuum eſſe, aut ſanguinem ſuiffe.* Quam uti falſam, temerariam, & ſcandalofam damnavit Pontifex: & intellectam in eo ſenſu, ut Chriſtus pro ſalute dumtaxat Prædeſtinatorum, mortuus ſit; uti impiam, blaſphemam, contumelioſam, divinæ pietati derogantem, & hæreticam. Adverſus has hæreticas Janſenij, non formalis hæretici, propoſitiones ſcribunt copioſè Annatus, & Decamps in ſpecialibus Li-

bris de Hæreſi Janſeniana. Multa etiam citant Bellarminus, & Ripalda ante Bullam Innocentianam.

Ripald.
Bellar.

SECTIO V.

Dogmata Catholica de Divina Gratia Aetuali.

51 **E**RRORES exorti, inquit S. Th. in Procem. Opuf. I. occasionem dederunt Sanctis Eccleſiæ Doctõribus, ut Fidei Myſteria maiori circumſpectiõne traderent; & in hac materia Gratia Eccleſiam in dies impulerunt, ut definitionibus ſuis plura dogmata ſtabiliret, ut indè quid effugere, hinc quid tenere Catholici debeamus, ſecuriùs innoſceret.

S. Thom.

52 Dogma primum. Finis, ad quem elevavit Deus rationalem naturam; ita eſt ſupra naturæ vires, ut proprijs meritis, ſine ſupernaturali gratiæ auxilio ad illum conducti minime valeamus. Ex Concilii Arauſicano, Milevitano, & Tridentino ſeſſ. 6. cap. 5. Can. 1. ac ſeqq.

Arauf.
Milevi.
Trident.

53 Secundum. Gratia auxilians, etiã efficaci, non imponit neceſſitatem libero arbitrio, quòd quidè per illam adiutum manet illæſum, & liberum, non ſolum à coactione, ſed etiam à neceſſitate ad merendum, & demerendum. Ex Trident. ſeſſ. 6. Can. 4. & 5. contra noſtri temporis Hæreticos; & ex Bulla Innocentianâ contra Janſenium.

Innoc.

54 Tertium. Non omnis gratia, à Deo collata libero hominis arbitrio, ita ſemper aſſequitur effectum ſuum, id eſt conſenſum noſtrum, ut nunquam illi reſiſtatur. Ex eadem Innocentianâ.

Innoc.

55 Quartum. Gratia Dei diſpenſatur omnibus ſufficientèr, ita ut faciat nobis poſſibilia præcepta, ad quæ obligamur, nec poſſimus dici obligari à Deo ad impoſſibilia. Ex eadem Bulla, & ex Trident. ſeſſ. 6. cap. 11. & Can. 18.

Innoc.
Trid.

56 Quintum. Ea Dei gratia auxiliatrix non confertur nobis ex meritis noſtris viribus naturæ factis; ſed gratis, & miſericorditèr: ideòque oportet pro ea impetranda orare, & pro accepta gratias agere. Hanc propoſitionem cum alijs undecim adſtruit Auguſtinus Ep. 107. quaſi continetur ibi tota doctrina Catholica de neceſſitate Gratia. Cum hoc tamen ſtat, quòd ex meritis cum gratia anteriori factis mereamur aliquo-

Auguſt.

modò ulteriora auxilia gratiæ ad nova merita ulteriora.

57 Sextum. Liberum hominis arbitrium non fuit ita amissum per peccatum originale, ut non maneat in natura lapsa ad peccandum, & benè agendum: ad agendum tamen benè, & salutaritèr, non nisi cum supernaturali gratiæ auxiliantis adiutorio. Ex Arausiano, & Tridentino, & ex Bullis Pontificijs contra Baium. Obiectiuinculas contra hoc repulimus *sect. 2. à num. 19.*

Araus.
Triad.

Alexan.
VIII.

58 Prodiit tandè 7. Decemb. 1690. recens Decretum Alexandri VII. mallas fulguriens serpentium Baiojanensitarum doctrinas ad nostras Disputationes pertinentes. Quod, ut omnium oculis communiùs fiat, & quoniam eo sæpiùs in sequentibus usuri sumus, hoc in limine præmittendum ad longum iudicavi.

DECRETVM.

Feria V. Die VII. Decembris 1690.

In Congregatione Generali Sanctæ Romanæ, & Universalis Inquisitionis habitâ in Palatio Apostolico Montis Quirinalis coram Sanctissimo D. N. D. ALEXANDRO, Divinâ Providentiâ Papa VII. ac Eminentissimis, & Reverendissimis DD. S.R.E. Cardinalibus, in tota Republica Christiana contra Hæreticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus à Sancta Sede Apostolica specialitèr deputatis.

SANCTISSIMVS Dominus Noster ALEXANDER, Divinâ Providentiâ Papa VIII. prædictus: pro Pastoralis curæ à Oviùm à CHRISTO Domino sibi commissâ, de earum salute sollicitus, ut inoffenso gradu per rectas semitas possint incedere, & pascua nimium perniciosâ in pravis doctrinis exhibita vitare, unius supra triginta propositionum examen pluribus in Sacra Theologiâ Magistris, & deindè Eminentissimis, ac Reverendissimis DD. Cardinalibus contra Hæreticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus commissit: qui tantum negotium diligentèr aggressi, eique sedulo, ac pluriès incumbentes, super unaquaque ipsarum sua suffragia Sanctitati Sux, sigillatim detulerunt.

Propositiones autem sunt infrascriptæ. Videlicet:

1. **I**N statu nature lapsæ ad peccatum mortale, & demeritum sufficit illa libertas, qua voluntarium, ac liberum fuit in causa sua, peccato originali, & voluntate Adami peccantis.

2. Tame si deur ignorantia invincibilis iuris nature, hæc in statu nature lapsæ operantem ex ipsa non excusat à peccato formali.

3. Non licet sequi opinionem, vel inter probabiles probabilissimam.

4. Dedit semetipsum pro nobis oblationem Deo, non pro solis Electis, sed pro omnibus, & suis Fidelibus.

5. Pagani, Iudei, Hæretici, alijque huius generis nullum omnino accipiunt à Iesu Christo influxum: adeoque hinc rectè inferes, in illis esse voluntatem nudam, & inermem, sine omni gratia sufficienti.

6. Gratia sufficiens statui nostro, non tam utilis, quam perniciosa est, sic, ut proinde merito possimus petere: A gratia sufficienti, libera nos Domine.

7. Omnis humana actio deliberata, est Dei dilectio, vel mundi: si Dei, Charitas Patris est: si mundi, concupiscentia carnis, hoc est, mala est.

8. Neesse est, infidelem in omni opere peccare.

9. Reverà peccat, qui odio habet peccatum merè ob eius turpitudinem, & disconvenientiam cum natura, sine ullo ad Deum offensum respectu.

10. Inventio, qua quis detestatur malum, & prosequitur bonum, merè ut Cælestem obtineat gloriam, non est recta, nec Deo placens.

11. Omne quod non est ex Fide Christiana supernaturali, quæ per dilectionem operatur, peccatum est.

12. Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiâ Fides: & etiam si videantur credere, non est Fides Divina, sed humana.

13. Quisquis etiam æternæ mercedis intuitu Deo famulatur, charitate si caruerit, vitio non caret, quoties intuitu, licet beatitudinis, operatur.

14. Timor gehennæ non est supernaturalis.

15. Attritio, quæ gehennæ, & penarum metu concipitur, sine directione benevolentie Dei propter se, non est bonus motus, ac supernaturalis.

Or-

16. Ordinem præmittendi satisfactionem absolutioni induxit, non politia, aut institutio Ecclesiæ; sed ipsa Christi lex, & præscriptio; naturâ rei id ipsum quodammodo dictante.

17. Per illam præxim mox absolvendi, ordo penitentiæ est inversus.

18. Consuetudo moderna quoad administrationem Sacramenti Penitentiæ, etiam si eam pluri morum hominum sustentet auctoritas, & multi temporis diuturnitas confirmet, nihilominus ab Ecclesia non habetur pro usu, sed abusu.

19. Homo debet agere totâ vitâ penitentiam pro peccato originali.

20. Confessiones apud Religiosos factæ, pleræque, vel sacrilegæ sunt, vel invalide.

21. Parochianus potest suspicari de Mendicantibus, qui Eleemosynis communibus vivunt, de imponenda nimis levi, & incongrua penitentia, seu satisfactione, ob quæstum, seu lucrum subsidij temporalis.

22. Sacrilegi sunt iudicandi qui ius ad Communionem percipiendam præterdunt, antequam condignam de dilectis suis penitentiam egerint.

23. Similitèr arcendi sunt à Sacra Communionem, quibus nondum inest amor Dei purissimus, & omnis mixtionis expers.

24. Oblatio in Templo, quæ fiebat à B. V. M. in die Purificationis suæ per duos pullos Columbarum, unum in holocaustum, & alterum pro peccatis, sufficientèr testatur, quod indignus purificationem, & quod Filius, qui offerebatur, etiam maculâ Mariæ maculatus esset, secundum verba legis.

25. Dei Parris Simulacrum nefas est Christiano in Templo collocare.

26. Laus, quæ deservitur Mariæ, ut Mariæ, vana est.

27. Valuit aliquando Baptismus sub hac forma collatus, in nomine Patris, Sec. prætermittis illis, Ego te Baptizo.

28. Valet Baptismus collatus à Ministro, qui omnem ritum externum, formamque baptizandi observat, intus verò in corde suo apud se resolvit, Non intendo, quod facit Ecclesia.

29. Futilis, & toties convulsa est assertio de Pontificis Romani supra Concilium Oecumenicum auctoritate, atque in Fidei questionibus decernendis infallibilitate.

30. Vbi quis invenerit doctrinam in Augustino clarè fundatam, illam absolute potest tenere, & docere, non respiciendo ad illam Pontificis Bullam.

31. Bulla Urbani VIII. In eminenti, est subreptiva.

Quibus mature cõsideratis idem Sanctissimus statuit, & decrevit, 31. supradictas Propositiones tanquam temerarias, scandalosâs malè sonantes, iniuriosâs, Hæresi proximas, Hæresim sapientes, erroneas, Schismaticas, & Hæreticas respectivè, esse damnandas, & prohibendas, sicut eas damnat, & prohibet: ita ut quicumque illas, aut coniunctim, aut divisim docuerit, defenderit, ediderit, aut de eis etiam disputativè, publicè, aut privatim tractaverit, nisi forsan impugnando, ipso facto incidat in Excommunicationem, à qua non possit (præterquam in articulo mortis) ab aliquo, quacumque etiam Dignitate fulgentè, nisi à pro tempore existente Romano Pontifice, absolvi.

Insuper districtè in virtute Sanctæ Obedientiæ, & sub interminatione Divini Iudicij prohibet omnibus Christi fidelibus, cuiuscumque conditionis, Dignitatis, & Status, etiam speciali, & specialissimâ notâ dignis, ne prædictas opinioniones, aut aliquam ipsarum ad præxim deducant.

Non intendit tamen Sanctitas Sua per hoc Decretum, alias Propositiones in maiori numero, ultra supradictas 31. iam exhibitas, & in hoc Decreto non expressas approbare. Hucusque Decretum.

59 Ad calcem, ne quis prætextu adstruendi facultatem arbitrij nostri, minus decorè sentiat, & loquatur de prædominio divino in applicatione Omnipotentia ad actus nostros liberos; subijcio duas propositiones novitèr proscriptas ab Innocentio XI. ann. 1679. sub censura novitatis, & temeritatis: Una est: Deus subijcit nobis suam Omnipotentiam. Altera: Donat nobis Omnipotentiam suam, ut ea utamur, sicut aliquis donat alteri, vilam, vel librum.

Innoc.
X.

SECTIO VI.

Subiecta Divina Gratia Actualis.

60 **H**OMINES Viatores iustos, imò & peccatores, esse subiecta, quibus dispensat Deus gratiæ auxilia, certum est adversus Hæreticos Novat. Novatianos, quibus partim adhaerit Mont. Montanus, & fortè Tertullianus, quatenus Tertul. ad-

admissit peccata irremissibilia. Nec obstant Scripturæ loca comminantia in pœnam gravium delictorum Dei derelictionem, & oblivionem. Non enim intelliguntur de omnimoda derelictione per denegationem omnis auxilij, etiam sufficientis; sed per subtractionem auxilij congrui, quo subtracto, prolabantur eiusmodi peccatores in ulteriora peccata finalitèr, ita ut fiat illis difficillima pœnitentia.

Hæbr. 6. 61. Opponunt signanter Hæretici Verba Pauli *Hæbr. 6.* ibi: *Impossibile est, eos qui semel illuminati gustaverunt etiam cœlestem donum, & prolapsi sunt, rursus renovari ad pœnitentiam.* Respondet tamen Iustinianus, quem sequitur Suarez, intelligenda ea Verba cum multis Sanctis PP. de renovatione ad pœnitentiam per Baptismum: quippè irreiterabilis est. Respondet Cornelius, sumens ibi *impossibile* pro *valdè difficile*: præsertim cum loquatur ibi Paulus, non de quolibet prolapsio; sed de Apostata, & Hæretico.

Iustin. Suar. 62. Difficultas est de Obstinationis statu dispensentur auxilia, sensere nonnulli apud Ripaldam *disp. III. sec. 4.* Moventur primò aliquibus Scripturæ locis, ubi dicitur illis impossibilibus Fides, pœnitentia, & salus: ergo quia carent omninò auxilijs ad illas. Secundò: quia confirmati in bono sunt absolute impotentes peccare: ergo obstinati in malo, impotentes converti: per denegationem scilicèt auxiliorum gratiæ. Tertio: quia Obstinatio non dicit dumtaxat subtractionem auxiliorum efficacium ad salutem: hanc enim dicunt omnes reprobi: nec dumtaxat efficacium ad conversionem: hanc enim dicunt omnes, qui re ipsa non convertuntur: cum tamen non omnes isti dicantur Obstinati: ergo Obstinatio dicit specialitèr subtractionem sufficientium: ac proinde est propria subiecti iam facti incapacis auxiliorum ex lege Dei.

Bell. Molin. Valent. Suar. Sor. Ripald. 63. Benignior tamen est communis, & vera Theologia, etiam ad Obstinos, & Ethnicos extendens auxilia gratiæ. Sic Bellarm. Molin. Valent. Suar. Sorus, & alij apud Ripaldam *sec. 3.* Ratio: quia id quod ait opposita sententia est non utcumque Obstinatorum, sed iam damnatorum. Alij autem Obstinati sunt adhuc in via: ergo non destituti viribus suffi-

cientibus, ut possint tendere ad terminum salutis: at sine gratiæ auxilijs tendere non possent. Insuper: Obstinati adhuc tenentur legibus: multæ autem sunt leges inexplebiles absque gratia, ut lex pœnitendi, credendi, &c. debet ergo Deus illis etiam miseris providere sufficientia gratiæ auxilia: alioquin obligarentur ad impossibilia. Denique: Pharaon, & Iudas obstinatissimi fuerunt: qui tamen, quot, & qualia habuerint auxilia gratiæ, satis constat ex Scripturis, & Sanctis PP. pro quibus Augustinus *cap. 14. de Præd. & Gra.* dicit: *Numquid non potuit Pharaon miraculis credens, Deum tantæ virtutis agnoscere?* Et loquitur de Pharaone iam indurato, & obstinatissimo.

August.

64. Ad primum motivum contrarium respondetur, in Scripturis dici illa Obstinationis impossibilia moraliter, id est, valdè difficilia. At inquis: cum ait Scriptura, neminem converti posse sine gratia, non aptè intelligitur per impossibilitatem tantum moralem: ergo neque cum dicit, impossibilem obstinationis conversionem. Concesso antecedente, negatur cõsequentiã. Quia pro illa interpretatione, & non pro ista, stant Sancti PP. quorum est aperire sanos Scripturæ sensus. Maxime, cum sæpè alibi significet Scriptura, omnibus viatoribus adesse gratiam Dei, ut possint parere divinis mandatis, & converti; & venia obstinationis etiam promittatur, si respiciant. Undè necesse est, benignius exponi loca eiusdem Scripturæ insinuantia, impossibile esse quòd convertantur. At, hominem sine gratia Dei non posse converti, ita attestantur Scripturæ, ut nullibi significant oppositum: ideòque non est admittenda interpretatio in sensu minus proprio.

65. Ad secundum negari potest antecedens ex dicendis suo in loco: satis enim est ad confirmationem in gratia, quòd iustus sic confirmatus talitèr præmuniatur auxilijs, ut reddant illi facilem victoriam quarumcumque tentationum, & moraliter impossibilem consensum in illas: id quod non omnibus iustis, etiam perseverantibus, providetur; sed aliquibus singularitèr eximè dilectis à Deo. Adhuc tamen concesso antecedente, saltèm quoad aliquos specialitèr confirmatos, non tenet cõsequentiã: quia impotentia peccandi non est contra rationem status viatoris, ut patet in Christo; impo-

impotentia verò agèdi opus salutare, quã haberet Obstinatus auxilijs omnibus destitutus, est contra rationem status Viatoris: esset enim impotens tendere aliquo motu ad finem æternæ Patriæ, quòd Deus Viatores per se direxit: nam terminus damnationis non est à Deo per se intentus, sed ab hominum deviatione quæsitus.

66. Ad tertium, concesso antecedente, negatur consequentia. Quamvis enim Obstinatio non dicat subtractionem omnium auxiliorum, dicit specialitèr subtractionem efficacium, & difficultatem maximam consentiendi sufficientibus, ortam à consuetudine inveteratâ peccandi, & à desuetudine bene agendi; & reluctantiam eximiarum vocationum auxiliarium ex se potentissimarum, quæ hominem alioquin bene moratum converterent. Tales erant vocationes, quibus reluctabantur Pharaon, & Iudas obstinati, excæcati, & indurati. Sic lapis durus dicitur qui ingentibus icibus resistit, & non emollitur. De ijs redibit fermo *disp. 12. sect. 7.*

Infrà disp. 12.

67. Difficultas aliam Adamo in statu innocentie fuerit opus auxilijs gratiæ. Negasse videtur Baius: ratus, tam naturale fuisse homini in primâ sui conditione ante lapsum, credere, sperare, & diligere salutaritèr, ac videre, & sentire. Eius poprositio 24. damnata à Pio V. & Gregorio XIII. hæc erat: *Absurda est eorum sententia, qui dicunt, hominem ab initio quodam supernaturali, & gratuito dono super naturæ suæ conditionem fuisse exaltatum, ut Fide, Spe, & Charitate Deum supernaturalitèr coleret.*

Baius. Pius V. Gregor. XIII.

68. Dicendum tamen est primò. Adamo adfuerunt auxilia gratiæ ad actus supernaturales Fidei, Spei, & Charitatis, & ad alios, quibus se meritorie disposuit ad primam sanctificationem. Colligitur ex cõdemnatione prædictæ doctrinæ Badianæ per tres Pontifices, Clem. VIII. Gregor. XIII. & Urb. VIII. & traditur à Suarez *lib. 3. de Opere sex dierum, cap. 19.* coherentèr ad ea, quæ docet alibi de Angelis, B. Virgine, & Baptista, primò sanctificatos fuisse more adultorum, non sine prævijs dispositionibus liberis ex gratia factis.

Clem. VIII. Gregor. XIII. Urban. VIII. Suar.

69. Dicendum est secundò. Opus etiam fuit Adamo post primam sanctificationem ante lapsum auxilijs gratiæ ad

exercèdos in eò statu actus salutares meritorios augmenti gratiæ. Ita S. Thom. *hic art. 2.* & videtur definiri in Arausicano *Can. 19.* ibi: *Natura humana, etiam si in illa integritate, in qua est condita, permaneret, nullo modo se ipsam, Creatore suo non adiuvante, servaret. Undè, cum sine gratia salutem non possit custodire, quam accepit, quomodo sine Dei gratia, potuit reparare quod perdidit?* Ratio est: quia natura, tam integra, quàm lapsa, seu pura, est impotens solis suis viribus ad actus supernaturales: ergo in quolibet horum statuum indiget adiutorio gratiæ auxiliantis sibi indebito.

S. Thom. Araus.

70. Nec obest Augustinus dicens de Adamo: *Ille non indigebat eo adiutorio, quod implorant iusti, cum dicunt: video aliam legem in membris meis, &c.* Est enim sensus clarus, quòd Adamus in eo statu ante lapsum, in quo ratio adhuc prædominabatur appetitui, non indigebat eâ gratiâ, quam nos petimus pro compescendâ rebellione appetitûs, ortâ ex lapsu. Cum quo stat, quòd indiguerit auxilijs gratiæ pro exercendis actibus supernaturalibus, quibus auget gratiam, etiam in illo statu.

71. Suboritur dubium: an auxilia gratiæ danda Adamo, & Posteis in eo statu innocentie, si non peccasset, essent uberiora ijs, quæ dantur hominibus lapsis à Christo reparatis. Res videtur nobis inexplorata. P. Suarez *lib. 5. de Opere sex dierum, cap. II.* inclinât in partem negantem. Quinimò ait cum illo Ripalda *sect. 7.* credibilius sibi esse, uberiora dari nobis per Christum reparatis. Quia sic videtur congruere dignitati tantî Reparatoris: ut, quamvis secundum se perfectior sit status innocentie, natura tamen lapsa, iam per Christum reparata, non sit muneribus, ac donis inferior, imò superior, quàm tunc foret. Quòd facit illud Apostoli Roman. 5. *Vbi abundavit delictum, superabundavit & gratia:* illudquè Christi Ioan. 10. *Ego veni, ut vitam habeant, & abundantius habeant.* Obstare videtur S. Thom. *1. part. quæst. 95. art. 4.* dicens, quòd in statu innocentie maiora fuissent hominum merita, charitatem, & gratiam, quàm nunc sint in nobis. Sed responderi potest; quòd ea maiortas meritorum (quam tamen negant aliqui apud Suarez) esse posset; non quia maiora, & uberiora in eo statu forent auxilia; sed

Suar.

Ripald.

Rom. 5.

Ioan. 10.

S. Thom.

Suar.

sed quia uberius fructificarent, prædominante ratione appetitui, quam nunc in hominibus vexatis rebellione appetitûs, resistentis Spiritui Sancto, & prædominantis rationi.

72 Difficultas est tertia de Angelis, de B. Virgine, de Beatis, & de Christo: an sint subiecta auxiliorum divinæ Gratiæ. De omnibus his affirmari solet, & benè. Et in primis de Angelis viatoribus, & de B. Virgine patet ex dictis de Adamo. Deindè de Beatis, tam Angelis, quam hominibus extat testimonium Basilij Magni lib. de Spir. S. cap. 16. ibi: Quomodo ergo dicent Angeli: (& loquitur de iam beatis) gloria in excelsis Deo, nisi ab Spiritu accepta potestate? Tandem de Christo scripsit Anselmus lib. Cûr Deus homo, cap. 10. A Patre inspirante, movente, & impellente fuit voluntas, qua Christus mori voluit. Nec est negabile, adfuisse animæ Christi cogitationes, & affectiones sanctas ad benè agendum: hæc autem

Basil.

Anselm.

sunt gratiæ auxilia respectu animæ Christi, quantumvis in Christo condebita Unioni hypostaticæ.

73 Docet Montoya disp. 43. de Pro-Montoy. vid. sec. 5. B. Virginem post prima auxilia sibi primò collata ad exordium meritorum suorum, non eguisse in posterum similibus alijs gratiæ auxilijs indeliberatis: quia nunquam interrupta fuit prima illa excitatio ab operando meritorie usque ad mortem: & per antecedentes actus meritorios adiuvabatur ad subsequentes. Id quod à fortiori dicere est de Christo Domino. Docet insuper, Beatos non egere auxilijs distinctis ab ipsa essentiali beatitudine: quippè satis, superque excitantur per ipsam beatificam visionem, benèque afficiuntur per amorem beatificum. Hæc tamen non omnino approbat Ripalda, videndus ubi supra circa has, & similes difficultates.

Ripalda.



DISPUTATIO II.

DE QUIDDITATE AUXILIORUM GRATIÆ Actualis.

AUXILIORUM, inquàm, interiorum Gratiæ Actualis Theologica: quæ, ut advertimus disp. præced. num. 41. est subiectum, seu obiectum harum Disputationum. Illius scilicet gratiæ, quam Concilia decernunt, quam Theologi ex Sacris Litteris adstruunt, quamque præcipue propugnavit Magnus Augustinus contra Pelagium, & asseclas. Et, ut ab essentiali definitione sumamus exordium, eiusmodi Gratiæ auxilia possunt sic aptè definiiri: *Subsidia actualia interna divinitus collata rationali creaturæ, quibus eius vires naturales ad actus salubres, ad quos per se non sufficiunt, elevantur, & augentur.* Atque hinc derivatur vox, *auxilium*, scilicet ab *augendo*.

Supr. disput. I. sect. 3.

SECTIO I.

An auxilia gratiæ actualis sint actus vitales intellectûs, & voluntatis creatæ.

2 **D**ARI Gratiæ auxilia, quæ sunt actus nostri vitales intellectûs, & voluntatis, videtur à nemine dubitandum. Conveniunt in hoc è Iesuitis Card. Bellarm. Molin. Lessius, Suar. Vasq. & alij, quos citat Ripalda tom. 2. disp. 102. E Patribus Dominicanis Ferrara, Alvarez, Capreolus, Gonzalez de Aibelda. Et ex alijs Mascareñas, Zumel, Curiel, Montefinos, & plerique communiter cum universa Subtilissimi Scoti Schola apud eundem Rip. & Oviedam 1. 2. trat. 7. cap. 1. punct. 5.

Bellar.
Molin.
Lessius.
Suar.
Vasq.
Ripalda.
Ferrar.
Alvar.
Capreol.
Gonzal.
Ovied.
Scotus.
Suar.
Ripald.

3 Convincunt id innumera Conciliorum, & SS. Patrum testimonia, fuse legenda apud Suar. lib. 3. cap. 4. & 5. & apud Ripaldam disp. 102. & 103. in quibus auxilia gratiæ significantur identidem nomine interiorum illustrationum, illuminationum, suasionum, sanctarum cogitationum, divinarum loquutionum, & audituum, inspirationum, piarum affectionum, & dulcium delectationum spiritualium. At per se patet, cogitationes, suasiones, illustrationes, & illuminationes internas, nihil esse aliud, quam

cognitiones varijs modis proponentes obiecta virtutum, & allicientes ad earum actus. Porro divinæ loquutiones interioræ dicunt cognitionem rei manifestativam: quæ eadem cognitio, prout immittitur à Deo est loquutio, & prout à nostro etiam intellectu efficitur, in eoque recipitur, est auditio, ut notat Suar. cap. 3. nu. 8. Inspirationes verò, quamvis interdum sumantur etiam pro illustrationibus pertinentibus ad actus intellectûs, ut observat Molina; frequentius tamen sunt pij motus voluntatis ab Spiritu Sancto illati. Piæ affectiones, & delectationes spirituales nihil aliud sunt, quam motus, seu actus voluntatis, ut ex terminis etiam sonat. Indubitandum ergo est, pleraque gratiæ auxilia, de quibus loquuntur Scripturæ, Concilia, Sanctique Patres, esse actus ipsos vitales intellectûs, & voluntatis.

Suar.

Molin.

4 Ratio autem ab intrinseco est. Quia dona supernaturalia actualia excitantia, allicientia, & adjuvantia ad opera bona salutaria, meritoria vitæ æternæ, sunt abs dubio gratiæ auxilia. Sed totum hoc competit multis actibus intellectûs, & voluntatis: ergo illis competit esse auxilia gratiæ. Maior est in comperito. Minor patet: multi enim actus intellectûs, & voluntatis sunt supernaturales;

C

ha.

habentque de suo excitare hic & nunc voluntatem, allicere, movere, suadere, iuvare, bene afficere, & urgeat ad pietatis officia liberè, ac merito exercenda; suntque quid actuale, fluens, & transiens. Illis igitur competit quidquid dicitur de ratione auxiliij gratiæ actualis.

5 Præterea. Si Pelagius has cogitationes, illustrationes, inspirationes, & affectiones supernaturales admisisset necessarias ad opera salutis, nullatenus damnaretur ab August. & alijs SS. Patribus, ut evensor auxiliantis gratiæ. Quippe illi ad stabiliendam necessitatē gratiæ, quam Pelagius inficiabatur, constanter insistebant in necessitate eiusmodi illustrationum, & inspirationum ab Spiritu Sancto desuper nobis immisrarum per merita Iesu Christi, ut bene, & salutariter agamus, prout oportet. Hoc igitur intelligebant, & intelligendum est nomine gratiæ Theologicæ actualis auxiliantis.

6 Obijci solet modus loquendi Concilij Arauscani, Sanctorumque Augustini, Bernardi, Anselmi, & aliorum Patrum, passim asserentium, gratiam prævenientem fieri *in nobis sine nobis*: sed actus vitales nostri non fiunt sine nobis, qui quidem operamur illos: ergo nequit in illis stare ratio auxiliij gratiæ, saltē prævenientis, & excitantis. Confirmatur ex verbis Apocal. 7. *Ego sto ad ostium, & pulso*. Per hanc enim pulsationem intelligitur auxilium internæ gratiæ excitans cor. Pulsatio autem à pulsante fit; non, adhuc physicè, ab eo, cuius ostium pulsatur, ut excitetur. Ergo hæc saltē gratia excitans, qua pulsantur corda, stare nequit in actibus vitalibus à nobis physicè effectus.

7 Respondebant nonnulli apud Suarez cap. 3. num. 2. negantes minorem: rati, actus vitales posse fieri in nobis viventibus per illos, quā physicè producantur à nobis. Hoc tamen non stat cum vera Philosophia, quam tenemus cum ipso Suarez, & communi sententia, requirente ad rationem vite in actu secundo, quod actus, per quos vivimus, sint immanentè physicè à nobis, & in nobis.

8 Respondemus aliter, distinguendo maiorem, vel potius explicando modum illum loquendi Sanctorum Patrum, & Concilij. Sensus ergo est, quod gratia primò excitans, de qua loquuntur, ut potè præveniens omne meritum, & exci-

citium liberum nostrum, fit in nobis *sine nobis*: non quidem *sine nobis* physicè illam coefficientibus; sed *sine nobis* liberè, ac merito illam operantibus, & humano modo agentibus: à differentia aliarum gratiarum subsequentiā, quas bono usu supernaturali anteriorum gratiarum promeremur. Sicque, concessa minori, in eo dumtaxat sensu, quod actus vitales nostri non fiunt *sine nobis*, physicè illos coefficientibus; negamus consequentiā. Nam ad vitalitatem, & immanentiam sufficit, quod actus vitales nostri sint à nobis physicè coefficientibus: cum quo stat optimè, quod auxilia primò excitantia, & prævenientia, quamvis sint actus vitales nostri, fiāt à Deo *in nobis sine nobis*, libero, & humano modo cooperantibus, ut loquuntur Concilium, & Sancti PP.

9 Hanc autem, & non aliam esse eorum mentem, monstrant eruditè Suarez, & ex illo Ripalda disp. 103. num. 12. Explicuit se pro omnibus Bernardus lib. de *Grat. & liber. arb.* ibi: *Deus tria, hoc est, cogitare, velle, & perficere operatur in nobis; primum profectò sine nobis, &c. Primum, id est ipsum cogitare, quod, cum sine dubio sit actus vitalis noster, physicè efficitur à nobis, ait fieri sine nobis*. Et contestantur passim alij PP. cum gratiam, quam dicunt fieri *sine nobis*, vocant sanctas illustrationes, & inspirationes, quas, ut potè vitalissimas, à nobis per ipsas viventibus physicè fieri necesse est: ergo cum hac efficientia physicā à nobis trat fieri *sine nobis* in sensu SS. Patrum supra explicatò. Quorum ratio est: quia rectè dicuntur fieri sine nobis, quæ, quamvis physicè ab homine efficiantur, non fiunt ab homine moralitèr, & humano modo: non enim dicuntur, operationes, seu actus humani, nisi qui procedunt ex liberatione, ut habet S. Thom. 1. 2. quæst. 1. art. 1. Undè Suarez cit. Ideo, inquit, tunc dicitur propriè homo, ut homo, operari, quando liberè, & humano modo operatur: & hic modus loquendi maxime locum habet, quando sermo est de actibus ad salutē pertinentibus, ut est in præfati. Sic obiter intelliges Paulum scribentem ad Rom. 7. de inordinatis animi motibus indeliberatis, ut cum Augustino explicat Trident. sess. 5. *Si autem quod nolo, illud facio, iam non ego operor illud*. Pende, *facio*, & non operor: nimirum, *facio*, id est, physicè effici;

Suar.
Ripald.
Berdar.

S. Thom.
Suar.

Rom 7.
August.
Trident.
sess. 5.

August. *ficio; non operor*, id est, non ago deliberate, & humano modo. Sic etiam Augustinum dicentem: *Multa sunt in homine bona, quæ non facit homo*: quamvis loquatur de bonis etiam cogitationibus, & affectionibus, quæ sunt actus vitales.

10 Ad confirmationem dico, illam etiam pulsationem, & tactum cordis esse à nobis physicè, & vitalitèr, ut patet ex Trident. sess. 6. cap. 5. dicente: *Tangi cor hominis per Spiritus Sancti illustrationem, & inspirationem*: quæ quidem actus vitales sunt physicè à nobis effecti. Est ergo illa quoque pulsatio Dei, stantis ad ostium, actus noster vitalis. Eam nos duplicitèr audimus: uno modo, quando reddimur per illam formalitèr vocati, & pulsati; quatenus actus idem, qui prout à Deo est pulsatio, & vocatio; prout physicè à nobis, & in nobis, est perceptio, & auditio: aliò modò, & frequentissimò in sacris Litteris, quando liberè consentimus, & obedimus; quod est aperire ostium cordis Deo pulsanti, liberè exercendo opera, ad quæ pulsationes illæ nos excitant. Ista posterior auditio est actus moralis humanus noster ex gratia Dei; illa prior est gratia auxilians Dei à nobis etiam, divinitus elevatis, physicè effecta, non verò à nobis, moralitèr, & humano modò ipsam coefficientibus. Totam hanc doctrinam, & medullam rectè intelligentiæ in punctis de Gratia comprehendit mirifice sub brevibus Magnus Augustinus aureis illis verbis lib. 83. Quæst. quæst. 78. *Si quispiam sibi tribuat quod venit vocatus; non potest sibi tribuere, quod vocatus sit*. Quia nempe vocatum, sive pulsatum à Deo venire, id est, consentire, respondere, & obedire, est homini liberum; at vocari, non est homini liberum, sed fit à Deo in nobis *sine nobis* liberè id coefficientibus, quamvis non *sine nobis* id coefficientibus physicè, & vitalitèr.

11 Nec est necesse, quod metaphora pulsationis externæ materialis ianuæ teneat quoad omnia. Verum est, quod pulsatio materialis ad ianuam, nec physicè fit ab eo, qui domo clausus auscultat; quia ipse, nec ad ianuam adest, nec est cur concurret ad exteriā illam pulsationem. At pulsatio interna divini gratiæ est intra nos per pulsus, & motus sanctarum cogitationum, & affectionum, per quas vivimus in actu secundo: quod

sint physica coefficientia nostra nequit intelligi. Quia verò fit sine coefficientia libera nostra, non tribuitur nobis; sed Deo liberè pulsanti, & vocanti. Sicque habent dilucidam intelligentiam SS. Patres apud Alvar. significantes, non solum merita nò esse in nobis viribus naturæ; sed etiam auxilia gratiæ à solo Deo, & nò à natura esse. Quippe non propterea negant coefficientiam physicam naturæ divinitus elevatæ ad auxilia gratiæ, sicut neque ad merita, de quibus est certissimum; sed coefficientiam ex solis viribus naturæ, quam & nos quoque negamus, constanter asserentes ad eiusmodi coefficientiam physicam elevari naturam à Deo, ut dicemus disp. 3. Quod autem aiunt, auxilia gratiæ à solo Deo esse, constat ex dictis intelligi debere, à solo Deo, cui tribui illa possint, tanquam liberè operanti, cum natura non liberè, & humano modò ad ea cooperetur; sed pure physicè, & hoc quidem divinitus elevata.

12 Obijcitur secundo. Si auxilium gratiæ excitantis, & prævenientis esset actus noster vitalis, initium salutis esset à nobis, contra quod docet Concilium Araus. Can. 25. *Confitemur, quod in omni opere bono nos non incipimus*. Necesse ergo est, quod auxilium excitantis gratiæ sit quid prævium ad omnem operationem nostram à solo Deo immissum sine ullâ coefficientiâ nostrâ. Id quod videtur etiam innui à Concil. Senonensi, dum ait, Deum non solum operari nobiscum nostram salutem; sed eam primò, & principalitèr operari: ergo quia ante omnem nostram operationem, etiam physicam, imprimi nobis auxilium gratiæ lux, ut operemur: ac proindè auxilium divinæ gratiæ non est actus vitalis noster.

13 Respondetur ex P. Suarez cap. 5. à num. 6. negando antecedens. Nam Concilium subiungit, ibi: *Sed ipse nobis, nullis præcedentibus meritis, & fidem, & amorem sui prius inspirat*. Undè non negat coefficientiam nostram physicam in auxilia, quæ sunt initium salutis; sicut nec illam negare potuit in fidem, & amorem; sed coefficientiam, quæ fundetur in meritis nostris: siquidem ad omne meritum nostrum præsupponitur auxilium gratiæ Dei, quod est initium salutis, & non est meritum nostrum, nec ex meritis nostris, sed ex misericordia Dei, & ex meritis

Alvar.

Infr. disp.
put. 3.

Araus.

Senonens.

Suar.
Araus.

Christi, quavis physicè coefficientur à nobis. Sicq; nec incipimus nos per merita nostra, nec coefficientia illa physica nostra ad primum auxiliū est ex viribus naturalibus nostris, sed primò, & principalis à Deo elevante divinitus naturam nostram ad illam ipsam coefficientiam physicam. Atque hinc patet ad id, quod objicitur ex Senonen. Quòd enim Deus primò, & principalis salutem nostram operetur, non est quia ante omnem operationem nostram etiam physicam imprimat nobis auxiliū non vitale; sed quia ante omnem operationem nostram liberam, & salutarem excitat, & pravenit nos cogitationibus, & inspirationibus sanctis, quæ, quamvis sint actus nostri vitales, non sunt à nobis moraliter, & liberè; sed sic à solo Deo, principalis etiam causante in nobis illam ipsam coefficientiam nostram physicam in eiusmodi gratias excitantes, & pravenientes, quæ nec physicè efficiuntur à nobis, nisi divinitus elevatis.

Trident.

14 Consonat respõsioni nostræ Concilium Trident. sess. 6. cap. 5. declarans, *ipsum iustificacionis exordium in adultis à Dei praveniente gratia sumendum esse, hoc est ab eius vocatione*; & alibi sæpè hanc gratiæ vocationem appellat cum Augustino, & Prospero illuminationem, & inspirationem; quæ, ut vidimus, sunt actus intellectus, & voluntatis: non ergo excluditur coefficientia nostra physica in eam quoque gratiam auxiliarem, quæ est initium salutis. Præmaximè cum id doceant Concilia contra Semipelagianos, qui dicebant, initium salutis esse à nobis promerentibus per actus factos viribus naturæ primas gratias auxiliares: cui errori satis occurritur dicendo, initium salutis esse primum gratiæ auxiliū præcedens omne meritum nostrum. In hoc ergo sensu, ait sapienter Suarez num. 8. *loqui oportet de initio salutis, ut sententiam Conciliorum, & Patrum, à quibus ista voces sumpta sunt, intelligere possimus: alioquin, si per novas impositiones significatio reddatur incerta, etiam definitiones Patrum eludentur, & ad falsa dogmata probanda retorqueri poterunt.*

Suar.

* * *
* * *
* * *

SECTIO II.

An præter auxilia gratia actualis, quæ sunt actus vitales nostri, demur alia, quæ sint emortuæ qualitates, vel quid simile.

15 **A**FFIRMANT multi cum Illustrissimo Alvarez disp. 74. de Auxil. & in Summa lib. 3. cap. 15. Pennotus lib. 9. de Auxil. cap. 3. & ex Jesuitis P. Salas tom. 1. in 1. 2. quæst. 3. tract. 2. disp. 5. Cum aliquo tamen inter se dissidio. Nam Alvarez, & multi ponunt eiusmodi qualitates non vitales prævias ad omnes actus nostros etiam liberos, ac meritorios; Pennotus verò, & Salas, prævias dumtaxat ad actus nostros non liberos, qui sunt illustrationes, & inspirationes auxiliantes, adiuventes etiam ad actus liberos, sine connexionem tamen cum illis: de quo dissidio non disputamus. Conveniunt itaque in eo quòd eiusmodi qualitates emortuas à solo Deo sine coefficientia nostrâ adhuc physicâ causatas, ponant inter auxilia gratiæ excitantis, & pravenientis. Et de hoc disputamus: quod ex ipsis terminis valde diversum est.

Alvar. Pennot. Salas.

16 Moventur primò: quia ad quemcumque actum supernaturalem nostrum, sive intellectus, sive voluntatis; sive deliberatum, sive indeliberatum prærequiritur in creaturâ comprincipium elevans; cum vires naturales sufficientes non sint ad ullam operationem supernaturalem: sed non prærequiritur eiusmodi comprincipiū ad omnia auxilia gratiæ actualis: ergo non omnia sunt actus vitales nostri intellectus, & voluntatis: atque adeò aliqua debent admitti auxilia excitantia, quæ sint qualitates non vitales à solo Deo immissæ sine ullâ coefficientia, adhuc physicâ, ex parte nostri. Probatum minor, in quâ est difficultas: quia in serie auxiliiorum actualium, respectu cuiuscumque hominis, datur aliquod, quod sit primum, exordium, & initium salutis; non enim eundem est in infinitum: ad illud autem primum non prærequiritur in homine comprincipium elevans: sic enim iam illud non esset primum, cum præsupponeret istud aliud comprincipium, quod etiam esset auxiliū actuale. Si autem hoc etiam deberet esse actus noster

noster vitalis; ad hoc e. iam prærequiritur comprincipium elevans potentias nostras naturales: & idem dicam de hoc anteriori comprincipio, & sic similiter de alijs in infinitum. Oportet ergo sistere in aliquo auxilio initiali, quod nullatenus sit actus vitalis noster, sed qualitas excitativa à solo Deo producta sine ulla coefficientia nostrâ, adhuc physicâ. Igitur præter & ante illustrationes, & inspirationes auxiliares, quæ sunt actus vitales nostri, admitti necesse est auxilia actualia non vitalia, quæ nullatenus sint actus nostri.

Infr. disp. put. 4. Suar.

17 Tanguntur hic multa satis difficulta, quæ resolvemus disp. 4. ubi de causis auxiliiorum. Ex ibi dicendis respondetur pro nunc cum Suarez cap. 4. num. 9. distinguendo maiorem ad quemcumque actum supernaturalem nostrum prærequiritur comprincipium elevans creatum, & nobis intrinsecum, nego; sive creatum nobis intrinsecum; sive increatum nobis extrinsecum, quod sit ipsa Dei Omnipotentia nobis specialius applicata, concedo maiorem: & distinguo minorem: non prærequiritur eiusmodi comprincipium creatum, & nobis intrinsecum ad omnia auxilia gratiæ actualis, concedo; sive creatum, & intrinsecum; sive increatum, & extrinsecum, nego minorem, & totam consequentiam. Undè ad probationem minoris dico, inter auxilia gratiæ actualia dari primum, quod est prima sancta cogitatio, exordium, & initium salutis in serie auxiliiorum creatorum: hoc autem primum etiam est à nobis physicè coefficientibus: non quidem à nobis, viribus tantum naturæ, nec à nobis divinitus elevatis per comprincipium creatum nobis intrinsecè inherens, quod esset gratia actualis creata; sed à nobis divinitus elevatis per comprincipium increatum divinæ Omnipotentia nobis specialiter extrinsecè applicatum. Sic salvantur omnia sine processu in infinitum. Hoc autem fieri posse per eiusmodi applicationem specialem Omnipotentia absque comprincipio supernaturali creato nobis intrinsecè inherente, discutiemus, & defendemus disp. 5. sect. 10. & 11. Hinc nego duas ultimas consequentias.

Infr. disp. put. 5.

Rom. 8.

18 Moventur secundo duplici loquutione Scripturæ. Prima, Rom. 8. *Quicumque Spiritu Dei aguntur, hi sunt Filij Dei.*

Ubi Augustinus: *Plus est agi, quam regi.* Porro regi est moveri, & allici moraliter illustrationibus, & inspirationibus vitalibus, à nobis physicè coefficientis: e. go agi est aliter moveri alio genere auxiliiorum, quæ nos nullatenus coefficientimus, sed merè passivè recipimus: ac proinde sunt auxilia nobis minimè vitalia, & quasi emortuæ qualitates nobis à solo Deo immissæ, pravenientes, & excitantes nos. Secunda est ex Ioan. 6. ubi Christus: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater traxerit eum.* Trahi certè plus est, quam duci; duci est moveri, & allici suasio, cognitione, consilio, pia affectione: trahi ergo indicat quasi impulsū impressum tracto ante omnem ipsius concursus nam, ut ait Augustinus: *Quis trahitur, si iam volebat*; igitur gratia, sic trahens nos, est auxiliū à nobis nullatenus coefficientum, sed à solo Deo trahente: ac proinde distinctum ab illustrationibus, & inspirationibus, quæ sint actus nostri vitales.

August.

Ioan. 6.

19 Respondetur ad primam, satis esse perspicuum in Sanctis PP. Spiritum illum, quo Filij Dei aguntur, esse sanctas cogitationes, & inspirationes, ac proinde actus nostros vitales: unde neganda est consequentia; utpotè distincta a sincero sensu Scripturæ iuxta Sanctorū PP. intelligentiam. Cogitationibus ergo, & inspirationibus sanctis dicuntur Filij Dei regi, & agi. Reguntur, quatenus per illas excitantur, invitantur, & alliciuntur ad salutariter operandum; aguntur, quia illas habent a Deo sine morali, ac libera coefficientia ipsorū in illas, quamvis non sine physicâ. Augustinus autem dicens, plus esse agi, quam regi, duo potuit scitissimè significare. Primum, discrimen, quod statim ponemus inter duci, & trahi per illustrationes, & inspirationes auxiliares, salvâ semper coefficientia physicâ nostrâ in illas. Secundum, & fortè magis ad mentem Augustini, & ad litteram Pauli; differentiam ab utroque ibi fieri inter agi spiritu Dei per divinas illustrationes, & inspirationes; & regi motibus naturalibus propriæ voluntatis. Dixerat enim Pelagius, quòd homines propria voluntate sine Deo reguntur: contra quod sic Augustinus: *quod absit à nobis: nam præcitantur plus est agi, quam regi*; & post alia: *Spiritus Sapientia, non viribus propria voluntatis reguntur, & aguntur.*

Pelag.

August.

ur Filij Dei. Distinguit ergo inter *agi*, sive *regi* spiritu Dei, per divinas scilicet illustrationes, & inspirationes illis consentiendo, quod ait Paulus de Filijs Dei bene, & salutariter operantibus: & inter *regi* motibus, ac viribus naturalibus propriæ voluntatis, quod est aut malè, aut saltè non salutariter operari, ut concluderet ex Paulo contra Pelagium, nihil conducens ad salutem posse nos operari viribus propriæ voluntatis absque adiutorio Divini Spiritus per sanctas suas illustrationes, & inspirationes auxiliatrices.

August.

20 Ad secundam, respondeat Augustinus ipse. Quippè super verba Christi nobis obiecta docet *tract. 26. in Ioan. post initium*, modum, quo trahimur à Deo ad Deum, scilicet *voluptate, voluntate, amore*: allegans Virgilianum illud: *Trahit sua quemque voluptas*: Et *serm. 2. de Verb. Apóst. suavitate, desiderio*. Idem habet eius discipulus Prosper *cap. 6. contra Colat.* dicens, homines trahi *illuminatione, delectatione*. Et S. Thom. dicens: *Hominem*

Prosper.

S. Thom.

Deus multipliciter trahit, revelatione interna, persuasione, operatione miraculorum, blanditijs, admirabili delectatione, & amore veritatis. En in omnium istorum ore tractionem per actus nostros vitales, nullà factà mentione de qualitatibus alijs, & impulsibus emortuis. Sic ergo intelligenda veniunt verba Christi de tractione per illustrationes, & inspirationes vitales. Dicitur autem homo potius *trahi*, quam *duci* per eiusmodi impulsus divinarum illustrationum, & inspirationum, quia retrahuntur ut plurimum à concupiscentijs naturæ, quibus vellet obsequi nostra fragilitas: quando namque quis fertur quò vult dicitur *duci*; quando verò fertur quò non vellet, dicitur *trahi*. Deus autem per auxilia gratiæ suæ effert hominem ad operandam honestè, contra id etiam, quod natura suo pondere concupiscit: *ut homines*, inquit Augustinus, *volentes ex nolentibus fiant*. Plura doctè Ripalda *disp. 104. sect. 7.* Aliter fortè, quamvis non ita genuinè ad explicanda prædicta verba Christi, posset constitui discrimen inter *duci*, & *trahi*: quòd nempe *duci* sit per illustrationes, & inspirationes ordinarias; *trahi* autem per potentiores, & activiores. Per hæc optimè concluditur intentum Augustini contra Pelagium, quin recurrere sit opus ad au-

Ripald.

xilia actualia intrinseca, quæ sint qualitates emortuæ, & distincta ab actibus nostris vitalibus.

21 Moventur tertio ex doctrinis Philosophicis. Omnis enim causa secunda, etiam physica, subordinatur in operando Causæ primæ: ergo, ut operetur debet illi imprimi à sola Causa prima motus, sive quasi impulsus aliquis in ipsa physice, & intrinsecè receptus. Cum ergo illustrationes, & inspirationes auxiliaries, utpotè nobis vitales, sint operationes physice causæ secundæ, necesse est quòd præviè ante illas adsit à solo Deo motus ille physicus, sive impulsus non vitalis: qui quidem antecederet ad illustrationes, & inspirationes, sit etiam auxilium gratiæ actualis non vitale. Probatur prima cõsequentiã: nam ad eã subordinationem non sufficit perfectioritas Causæ primæ præ causis secundis: hanc enim subordinationem penès perfectionem habent homines ad Angelos, & causæ particulares minus perfectæ respectu Solis perfectioris, & universalioris causæ, sine subordinatione tamen, quam habent strictius causæ secundæ ad Causam primam. Nec sufficit simultanea concomitantia causarum secundarum cum Causa prima in operando: hanc enim habent duo simul portantes lapidem prægrandem, cui unus non sufficeret; eandemquè habet Causa prima cum secunda simultaneè etiam cõcurrente; quin tamen propterea dici possit Causa prima subordinari causis secundis in operando: hoc enim redoleret modum loquendi dominantum ab Innoc. XI. memoratum *disp. 1. nu. 59.* & unus ex illis simul portantibus lapidem subordinaretur alteri non minus, quam causa secunda Causæ primæ: quòd similiter dici nequit. Necesse igitur est dicere, eam subordinationem omnis causæ secundæ ad Causam primam importare prædictum motum, sive impulsum physicum à solo Deo causatum præviè ad operationes etiam physicas, ac necessarias causæ secundæ. Confirmatur. Causæ secundæ universaliores, ut Sol, quando cooperatur cum causis particularibus inferioribus subordinatis, causant in istis intrinsecè aliquid prævium, ut cooperentur: ergo à fortiori Deus prius naturà debet solus influere, & causare aliquid prævium physice in causis secundis, ut istæ postea cū Deo coope-

Innocen.
XI.
Suprà
di. put. I.
sect. 5.

Ref-

22 Respondetur; concessio libenter antecedente, negando consequentiam de motu, seu impulsu per modum concursus prævij. Ad probationem; concessio toto antecedente; negatur etiam consequentia. Strictior enim, ac specialis subordinatione in operando causarum secundarum ad primam stat optimè, sine prædicta qualitate impulsivâ per modum concursus prævij, in prævio influxu productivo, & conservativo Causæ primæ in totam virtutem causæ secundæ, & in simultaneo concursu requisitissimo ad quamcumque eius operationem, etiam physicam, & necessariam, cum absolutissima potestate eam pro libito impediendi. Quæ specialia sunt Causæ primæ omnipotentissimæ, nec aptari valent Angelo, aut Soli, aut comportantibus lapidem, aut illi causæ creatæ, respectu causarum inferiorum, ut per se patet. Et multò minus creaturæ respectu Dei à se existentis, & à se habentis virtutem omnipotentissimam. Et hoc specialiter est, nihil agere posse causas secundas nisi in virtute Causæ primæ: de quo legendus S. Thom. *in 2. dist. 1. q. 1. ad 4.*

S. Thom.

23 Ad confirmationem audire placeat eundem S. Thom. *quest. 3. de Pot. art. 7. ad 2. ibi: Operatio virtutis naturalis ad Deum, & corporis elementaris ad corpus caeleste, sunt quantum ad aliquid similes; non quantum ad omnia*: ne per hæc exempla confundantur subordinatione in operando omnium causarum secundarum ad primam, supremè universalissimam, & aliquarum secundarum inferiorum ad alias, etiam secundas, superiores, & universaliores; cum ad eiusmodi exempla exstet iam solutio, & disparitas in S. Thom. Valeant ea exempla ad explicandam quodammodo dependentiã, & subordinationem causarum secundarum ad primam; non verò ad eam emittendam, cum sit longè strictior, & superior: quòd significant illa verba S. Thom. *non quantum ad omnia*. Est enim semper lata disparitas, quòd causæ illæ caelestes universaliores, ut Sol, cum non adsint causis sublunariibus proximè præsentibus immediatione, ut aiunt, suppositi, dici possunt egere immisiõne alicuius qualitatis, quæ sublunariibus approximata cum illis cooperetur. Deus autem omnibus adest præsentissimus, idèoque, ut

cum omnibus agat immediatissime, non eget simili emissionem qualitatis intrinsecæ. Addo, eiusmodi qualitates, quas emittunt in sublunaria causæ caelestes, non tam esse per modum prævij concursus, quam per modum principij, seu dispositionis instruentis causas sublunares: undè nullum fit argumentum pro qualitate emortuâ per modum concursus prævij divini, ut intendunt Adversarij, à solo Deo immisiõ causis iam in actu primo completis, & dispositis; sed pro alijs omnibus dispositionibus, & pro ipsa virtute causarum secundarum præviè acceptâ, & conservatâ à Deo potius, quam à causis secundis caelestibus: quòd non negamus, sed libenter, & à fortiori confitemur.

24 Ex quibus omnibus in forma, admisso antecedente confirmationis, distingui potest consequens: à fortiori Deus prius natura debet solus influere, & causare aliquid prævium physice in causis secundis, quòd sit per modum prævij concursus ad earum operationes, nego: quòd sit ipsa virtus, & entitas causarum secundarum, & multarum sæpè concusarum, & dispositionum per modum actus primi ad operandum, concedo consequentiam. Ex hoc autem, quòd multò melius præstat Deus ipse, quam Sol, aliæve causæ caelestes, nihil concluditur ad intentum, ut Sole ipso clarus est.

25 Moventur quartò. Quælibet causa secunda dum operatur, operatur ut instrumentum Dei: ergo intellectus, & voluntas creata, ut coeificiant cum Deo illustrationes, & inspirationes auxiliaries, præter virtutem, quam à Deo permanentèr habent in actu primo, debent recipere à Deo qualitatem aliquam motivam, seu impulsivam per modum concursus prævij, ut operentur in actu secundo. Ille ergo impulsus prævius in ordine supernaturali est gratia actualis auxiliaries distincta ab actibus nostris vitalibus. Confirmatur: cooperatio, seu concursus causæ secundæ pendet essentialiter à concursu Causæ primæ: ergo hic est natura prior, ac prævius ad cooperationem causæ secundæ: ac proinde à Deo immisus, & intrinsecè impressus intellectui, & voluntati, antequam physice cooperentur illustrationes, & inspirationes vitales auxiliaries.

Cir-

Platon. 26 Circa primum antecedens, Platonici quondam, & cum illis Damascenus: itemque Simplicius, & interdum S. Thom. & ex illo Caietanus, admittunt, ac defendunt eum modum loquendi, quod omnes causae secundae sint causae tantaxat instrumentales. Aristoteles vero agnovit causas secundas principales, quamvis subordinatas Causae primae: illas videiicet, quae in suo genere agunt virtute propria, & proportionata ad effectus; a differentia aliarum, quarum virtus improportionata est ad effectus, ideoque egent comprincipio principiori. Hic modus loquendi Aristotelicus factus est comunior inter Philosophos; alius autem videtur per analogiam introductus ad explicandam, & contestandam subordinationem causarum secundarum ad primam: nec alia fuisse creditur mens S. Thomae, ut exponunt eius Discipuli apud Alvarez. *lib. 7. disp. 78.*

27 In hoc ergo sensu, conceditur antecedens, & negatur consequentia. Non enim causae secundae dicuntur instrumentales a Causae primae eam proprietate, qua ferrata, & securis, nihil per se activitatis habentes, dicuntur instrumenta artis: & quamvis interdum adhibeantur haec exempla declarativa, didicimus *nu. 23.* ex S. Thom. quomodo capi debeant eiusmodi comparationes, scilicet, non quantum ad omnia. Itaque dicitur causa secunda operari ut instrumentum Dei, quia virtutem, quam habent, a Deo habent, eamque exercere nequeunt, nisi concurrente Deo: ut recte Suarez legendus *lib. 3. cap. 40. nu. 5.* Sicque, negata prima consequentia, corrumpit subillatio.

28 Ad confirmationem dico, supponi perperam in antecedente, concursus causae secundae esse quid realiter distinctum a concursu Causae primae. Ij concursus eadem sunt actio, qua Causa prima, & secunda agunt in effectum: atque adeo cooperatio, sive concursus creaturae, quamvis realiter, verèq; pendeat a Deo, a quo scilicet simulque a creatura per se physice, ac essentialiter oritur; non tamen sic a concursu Dei, cum quo scilicet concursu realiter identificatur, cum concursu Dei, & concursu creaturae in eodem effectum sint realiter eadem actio. Ad summum dici posset, concursum creaturae pendere a concursu Dei logice, aut per rationem, veinti homo ab animali ra-

tionali; quatenus sine illo esse nequit, sicut neque sine se ipso. Quia etiam, sicut animal dicitur prius homine prioritare universalitatis, quatenus dabile est animal sine homine, & non homo sine animali, dici quadatenus posset concursus Dei prior secundum prioritatem universalitatis concursu creaturae: quatenus dabile est aliquis concursus Dei sine concursu creaturae; nullus vero concursus creaturae sine concursu Dei. Hoc tamen nequidquam obest nostrae doctrinae, nec prodest ad consequentiam confirmationis, quae proinde neganda est absolutissime: quia prioritas naturae dicit distinctionem prioris, & posterioris, ut per se notum est. Haec dicta sunt de concursu Dei exercite sumpto. Quod si sumatur praeparative, ut apud aliquos observavi, intelligendo nomine divini concursus aeternam praeparationem concursus in tempore exhibendi, fatebor concursum creaturae, imò & concursum etiam exercitum Dei, pendere ab illa aeterna Dei praeparatione. Sed hoc est extra rem praesentem.

SECTIO IIJ.

Nostra Conclusio.

29 **C**ONCLUSIO. Non est cur admittantur inter auxilia gratiae actualis praedictae qualitates emortuae distinctae ab omni actu vitali nostro, & nullatenus a nobis productae. Sic communiter Authores nostri, ut videre est apud Eximium *lib. 3. cap. 3.* & latius a *cap. 29.* & apud Ripaldam *asp. 104.* cum sapientissimo Lelsio *cap. 2. de Auxil.* Ex alijs Mascareñas *disp. 1. de Auxil.* cui adnumerant aliqui Curielem *1. 2. quast. 111. dub. 1.* & Ioannem Vincentium *Relect. de Gratia Christi quast. 6.* Sic etiam alij doctissimi ex praesultri Schola Thomistica: qui quamvis admittant auxilia gratiae praedeterminantia, nolunt tamen esse qualitates emortuas a solo Deo immixtas, sed esse actus vitales nostros, ut Gonzalez de Albelda, & Illustrissimus Araujo, quibus noviter accessit Magister Josephus Vita Siculus ex eadem sacra PP. Dominicanorum Familia, latissime per integrum ferè Volumen. Hancque esse mentem S. Thom. testantur Comadus, Caiet. Medina, Ferrara, Sotus, Zamel,

Ca-

Capreol. Capreolus, & ex professo Gonzalez, & Vita citati. Unde discernere licet, quam sit diversa praesens quaestio, in qua versamur de natura auxiliorum, an sint actus vitales necne; ab alia quaestione, a qua abstinemus, de efficacia auxiliorum, in quo scilicet consistat.

30 Ratio conclusionis, abstrahendo prorsus a puncto efficaciae, est. Quia, vel illae qualitates emortuae a solo Deo productae, excitantes, moventes, & applicantes potentias nostras ad efficiendas sanctas illustrationes, & inspirationes, ponuntur universaliter ratione subordinationis cuiuscumque causae secundae, quomodolibet operaturae, ad Causam primam praedictam modo praevie concurrentem ad quasilibet operationes causarum secundarum; vel ponuntur specialiter in hac materia auxiliorum gratiae, ut Deus solus sine coefficientia nostra, adhuc physica, incipiat, & exordiat operari nostram salutem per eiusmodi excitationes, motiones, seu impulsus. Sed neutro ex capite necessariae sunt, nec rationabiliter ponuntur: ergo superfluae, & inutiliter. Minor probanda est quoad utrumque.

31 Quoad priorem partem probatur dupliciter. Primo, ex superfluitate earum qualitatum pro omnibus causis secundis, etiam necessariis, aut indeliberate operaturis, ad absolutissimam earum subordinationem Causae primae; cum absque physico illo impulsu per modum concursus divini praevij salvetur expedite dicta subordinatio, ut ex nostris responsionibus constat liquidò; per ea quae diximus *sect. praec.* & videri otiosius potest apud Suarez *lib. 3.* erudite comprobantem, eiusmodi praevij concursus implicantiam ex varijs doctrinis secum invicem pugnantibus, quibus illum adstruere studuerunt Ledesma, Alvarez, Navarrete, & alij. Secundo, ex incompatibilitate cum causis liberis, sive connaturaliter, seorsim etiam ab adiutorio gratiae auxiliantis Theologicae; sive supernaturaliter, & meritorie cum adiutorio gratiae operaturis: quod altioris indaginis est, & negotium, non minus philosophicum, quam Theologicum.

32 Quoad posteriorem vero partem, cui immiscetur Pennotus, & Salas, citati *num. 15.* probatur eadem minor. Nam in hac materia auxiliorum, & gratiae, ut sapienter monuit Eximius Doctor *tom. 1.*

prolog. 3. cap. 6. num. 12. ne voces quidem admittere oportet praeter usum Sanctorum Patrum. Hi autem, explicantes accuratissime, varijsque nominibus nobis declarantes gratias internas auxiliatrices, excitantes, praevientes, & operantes, nusquam earum qualitatum non vitalium meminerunt; cum tamen identidem utantur nominibus illustrationis, sanctae cogitationis, inspirationis, pie affectionis, & similibus, significantibus, actus vitales intellectus, ac voluntatis nostrae, ut cernere est in eorum Scriptis. Ergo quia certissime solae istae, quae sunt actus vitales, intellexerunt esse auxilia gratiae actualis internae; nullatenus vero qualitates alias emortuas. Nec credi prudenter potest, Sanctos Ecclesiae Patres, & Concilia, dum tanto studio de gratia auxiliante adversus Haereticos disseruerunt, istud genus auxiliorum distinctum ab actibus vitalibus illustrationum, & inspirationum, aut ignorasse, aut nobis dissimulasse. Quod autem necesse minime sint ad doctrinas Conciliorum, & Sanctorum Patrum de initio salutis nostrae, deque praesentia gratiae divinae, satis vidimus *sect. praec.* inter respondendum ad motiva contraria.

33 Conclusio extenditur ad qualitates alias similiter non vitales: non quidem praevias, ut haecenus loquuti sumus, ad efficiendas physice illustrationes, & inspirationes, quae sint actus nostri vitales indeliberati; sed subsequentes ad eiusmodi illustrationes, ac inspirationes; & praevias ad operandos liberè actus nostros deliberatos, ac meritorios, cum munere, ut aiunt, determinandi voluntatem creatam ad illos. Rationes enim ipsae conclusionis id quoque probant: cum nec huiusmodi auxiliorum actualium meminerint Sancti Patres, aut Concilia; nec ad munus determinandi voluntates creatas ad operandum, sive salutariter, sive non salutariter, sive in naturalibus, sive in supernaturalibus, sive in peccaminosis etiam, generaliter necessariae sint: ut de eorum repugnantia cum libertate nostrâ consultò abstrahamus in praesenti; sicut etiam a puncto purè Theologico, an specialiter in illis stet ratio efficaciae auxiliorum actualium: quae longè diversa controversia est inter variarum Scholarum Theologos, aliter, & aliter invicem dissidentes pro diversitate

D

sitate

Damasc.
Simplic.
S. Thom.
Caiet.

Aristot.

Alvar.

Suar.

Suar.
Ripald.
Liss.
Mascar.
Curiel.
Vincent.

Albeld.
Arauj.
Vita.
S. Thom.
Conrad.
Caiet.
Med.
Ferrara.
Sot.
Zamel.

Suar.

Ledesm.
Alvar.
Navarr.

Pennot.
Salas.
Suar.

sitate notissimâ utriusque difficultatis.

34 Obijcies adversus ampliacionem istam, quam ægrè ferunt multi, gravesq; Theologi. A principio indifferenti, ut indifferenti, nequit oriri determinatè operatio consensus, præ diffensu: sed voluntas illustrata, & inspirata, est ex se principium indifferens ad operationem liberam: ergo operatio consensus præ diffensu nequit oriri à voluntate sic indifferenti; sed ut prius determinatâ, seu prædeterminatâ à Deo per concursum prævium illi impressum pro priori ad liberam eius operationem. Maiorem probant dupliciter. Primò, quia principium indifferens nõ est proportionatum effectui determinato, donec prædeterminetur. Secundò, quia indifferentia pugnat cum determinatione: ergo implicat, principium indifferens, ut indifferens, se determinare.

35 Tritæ huic obiectioni elegantem nobis offert responsionem S. Thom. 1. *com. Gen. 82.* docens, dupliciter dici posse principium aliquod indifferens. Uno modo *ex parte sui*, quæ vocatur ab alijs *indifferentia incompleta*: hoc est, quando deest illi complementum prærequisitum, ut operetur: sicut intellectui dubitanti deest motivum sufficiens ad assensum; aut etiam quando igni deest approximatio prærequisita ad comburendum: huiusmodi autem indifferentia competit etiam causis necessarijs, quatenus indifferentes sunt ut compleantur, aut non compleantur omnibus prærequisitis ad operandum, quamvis, positis omnibus prærequisitis, necessariò operentur. Alio modo, *ex parte eius ad quod dicitur*, quæ vocatur *indifferentia libertatis, & dominij*: hoc est, quando principium ex parte sui sufficienter completum cum omnibus prærequisitis ad effectus, seu ad operationes oppositas, pro suo dominio, ac libito potest se flectere ad utramlibet operationem. Sic Deus habens potentiam ad volendum, aut nolendum creare mundum, hac indifferentiâ libertatis non obstante, absque alio determinatore, determinavit se pro libito ad volendum.

36 Respondetur ex ijs ad obiectionem, distinguendo maiorem: à principio indifferenti, ut indifferenti, indifferentiâ complementi, nequit oriri determinatè operatio, concedo: à principio

indifferenti, ut indifferenti, indifferentiâ dominij, & libertatis, nego maiorem: ut est evidens in Deo, determinante se liberrimè, non obstante indifferentiâ absolutissimæ libertatis. Quid enim magis proprium principij liberi completi indifferentè ad duò, quàm eligere determinatè alterutrum? hoc autem est se determinare. Undè, concessâ minori de indifferentia libertatis, nulla est consequentia. In qua, quamvis concederentur maior, & minor, redundat terminus, à Deo, qui à præmissis nullâ arte inferitur, ut ponderat egregiè contra multos sic illegitimè arguentes insignis Dominicanus Magister Vita: miratus, & meritò, eorum Dialecticam, qui ex eo quod voluntas indifferens debeat ab aliquo prædeterminari, ad hoc ut determinatè operetur, inferunt intrepidè, debere prædeterminari à Deo. Undenam, inquit, hæc illatio? præsertim cum præstò ad sit imperium intellectus, cui ipse adscribit munus determinandi, & prædeterminandi voluntatem. Sed hæc nihil ad nos.

37 Ad primam probationem maioris dico sub eadem distinctione: principium indifferens indifferentiâ complementi non est proportionatum effectui determinato, concedo; quia deest illi complementum prærequisitum: principium indifferens, indifferentiâ libertatis, nego; quia isti nullum deest complementum. Quid enim magis proportionatum ad hoc, ut voluntas se pro libito determinet ad alterum, quàm indifferentia libertatis vtrinque completæ ex parte principij, seu actus primi ad utrumlibet? Alioquin nec indifferentia libertatis divinæ esset proportionata ad determinatè volendum, sine aliquo prædeterminatore.

38 Ad secundam oportet aliter distinguere duplicem indifferentiam: unâ suspensionis; aliam libertatis. Illa pugnat cum determinatione: non enim est determinatus, qui manet suspensus à determinatione; ista stat optimè cum determinatione cum ipsa coniunctam; sed dicitur principia secundum se ad utrumlibet exercitium libertatis, sive coniuncta, sive non coniuncta cum tali exercitio: certum autem est exercitium libertatis, quod est ipsa determinatio in actu

secundo non pugnare cum libertate, imò cum ipsa coniungi, sicut actus secundus cum primo. Hinc in forma distinguo antecedens: indifferentia suspensionis pugnat cum determinatione, concedo; quia excludit omninò determinationem: indifferentia libertatis, nego antecedens; quia hæc, quamvis excludat à sui constitutivo determinationem, quæ sit ipse actus primus; non excludit à sui coexistentia, seu coniunctione determinationem, quæ sit actus secundus. Patet in alijs quoque potentijs, seu actibus primis, optimè coniunctis cum suis actibus secundis, per quos formaliter exercentur. Formalis autem determinatio potentie liberæ, stans optimè cum eius libertate, est ipsius actus secundus; quo formaliter exercentur, & operatur.

39 Dices. Liberum arbitrium creatum taliter habet, & exercet dominium in suos actus, ut in eosdem habeat Deus maius, & superius dominium, & prædominium: sed ratione illius dominij creati inferioris non fiunt tales actus liberi, quin liberum arbitrium creatum illos determinet: ergo ratione dominij superioris, & prædominij divini, necesse est non fieri, quin præviè ad illos determinet, seu prædeterminet Deus liberum arbitrium creatum. Confirmatur: nam alioquin, si absque præviâ istâ determinatione divinâ, determinaret se voluntas creata liberè ad suos actus, ipsa esset respectu illorum primum liberum, ac primum determinans: quod tamen est proprium solius Causæ primæ. Probatur sequela: nam sicut liberum est quod se pro libito determinat ad suos actus, primum liberum est quod primò se determinat: primò autem se determinaret voluntas, si præviè non determinaretur à Deo ad suos actus.

40 Plena sunt isthæ æquivocationis, & fallaciæ, nè dicam, imperitiæ terminorum. Maior est verissima, verissima minor: consequentia omninò nulla. Superioritas enim divini dominij, & prædominij non sumitur ex eo, quod præviè determinet liberum arbitrium nostrum ad operandum, de quo nihil habet præmissæ; sed sumitur aliter. Primò, ex decreto libero, quo se Deus ab æterno determinavit, ut fieret, aut saltè, nè ab ipso impediretur, ut potuit, determinatio, qua voluntas se in tempore determinat,

& exercet: quod Dei decretum est determinatio, & exercitium æternum divinæ voluntatis liberrimæ, omnibus prædominans; non determinatio, sicut nec exercitium voluntatis creatæ, quæ in tempore se determinat formaliter per exercitium operationis suæ. Est tamen, & inde disparitas; & supremitas liberi arbitrij divini præ creato: nam ad illam determinationem æternam, qua Deus se sic determinat, non concurrit; nec physice influit arbitrium creatum; ad determinationem verò, qua arbitrium creatum se in tempore determinat, concurrunt simultaneè, ac physice per eandem actionem influit prædominium, & arbitrium Dei. Secundò, sumitur ex libera Dei potestate ponendi, seu non ponendi pro supremo suo libito circumstantias prævias; non quidem determinantes, sed requisitas, ut determinatio nostra ponatur, vel impediatur: quod penès Deum stat; non penès nos, qui ipsimet à Deo sumus dependentissimi in esse, & conservari. En abundè suprematatem dominij, ac prædominij divini in nostros actus, & in ipsas determinationes nostras, quin ipse determinet nos ad actus liberi arbitrij nostri, quos supremo consilio, ac prædominio æterno, reliquit homini in manu consilij sui.

41 Ad confirmationem, negatur sequela. Quamvis enim absque eiuusmodi præviâ determinatione divinâ determinet se voluntas creata liberè ad suos actus, Deus semper est primum liberum quia est principium liberum à se, & exercet suam libertatem æternam circa actus ipsos temporaneos creaturæ impediendos, vel non impediendos, antequam voluntas creata suam libertatem exerceat: & est eadem ratione primum determinans; quia determinat se ab æterno, & à se solo ad liberè volendum, impedire, vel non impedire determinationes temporaneas creaturæ, antequam ista se determinet. At, inquis, quamvis sic Deus sit primum determinans se ad eos actus suos, non est primum determinans creaturam ad actus creaturæ. Fateor, quia Deus, nec est primum, nec secundum determinans creaturam liberam ad actus creaturæ, cum nullatenus determinet creaturam liberam, ut operetur: hoc enim esset auferre libertatem, quam dat, & conservat in eodem instanti, quo exer-

etur: quod implicat in terminis. Unde creatura non est primum liberum, nec primum determinans, ut vidimus: est autem non primum, nec secundum determinans se ipsam, sed unicum se determinans, quia nihil est aliud, quod illam physicè, ac præviè determinet: eo enim ipso non operaretur liberè. Pun-
 S. Thom. in 2. dist. 25. quæst. 1. art. 1. dicens, non esse liberum arbitrium in illis, quorum actiones non determinantur ab ipsis agentibus; sed à quibusdam alijs causis prioribus: & dist. 39. quæst. 1. art. 1. ibi: Potentia quantum est ex se indifferens est ad plura; sed quod determinatè exeat in hunc actum non est ab alio determinante (sic absque dubio legendum, quidquid alij supposuerint, & repetierint, determinatè) sed à se ipsa.

42 Ad probationem sequelæ dictum est iam, Deum esse primum liberum, quia est liber à se, & exercet suam libertatem, antequam nos nostram: & esse primum determinans, quia à se, & independentèr ab alio se determinat ad id quod vult, prius quàm nos determinemus ad id quod volumus. Unde negamus, quòd voluntas creata prius se determinet, quàm Deus se determinet: atque adeò non est primum determinans; non autem prius se determinat, quàm Deus ipsam determinet, nec quidem posterius, quia nec prius, nec posterius illam Deus determinat. Sic Deus est primum vivens, quia prius vivit, quàm vivat voluntas, aut ulla creatura: at per suos actus creatos creatura unice vivit, quia Deus per illos, nec prius, nec posterius vivit: undè ipsa nō vivit per illos prius, quàm per illos vivat Deus, nec quidem posterius, quia Deus per illos nullatenus vivit. Porro determinatio libera creaturae vita actualis, & formalis creaturae est; & sicut per illam unice vivit, per illam unice se determinat, exercens formalitèr per illam vitalissimè suam libertatem, quamvis dependentissimè à Deo: non quidem à Deo præviè determinante, sed à Deo præviè illustrante, præviè inspirante, præviè illam conservante, præviè præparante concursum, ac simultaneè cum ipsa concurrente per eandem physicam actionem, quæ est ipsa formalis determinatio creaturae.

43 Dices iterum. Si præterea Deus non determinaret voluntatem creatam,

sequitur, quòd, aut è contra voluntas creata determinaret Deum, eiusquè voluntatem divinissimam ad concursum cum nostra; aut saltèr Deus æquè, ac voluntas creata, determinaret se in actu secundo per eandem actionem: quæ scilicèt simul est actio creaturae, & actio Dei, per quam uterque simul operantur. Illud prius est implicatorium: nam determinans ad concursum debet præcedere concursum; implicat autem, quòd concursus physicus simultaneus à nobis assertus creaturae præcedat ad concursum Dei, cum sit una, & eadem actio. Istud posterius probatur: quia, si unus est physicè Dei, & creaturae concursus, scilicèt eadem actio physica; sicut uterque per illam physicè concurrat, uterque per illam formalitèr determinat voluntatè, ut operetur: si autem Deus determinat voluntatem, præviè determinat, ut in omnibus primatum teneat respectu creaturae. Respondetur, neutrum absolute, & omninò sequi.

44 Non primum: quia Deus dicit voluntatem Dei, & omnipotentià Dei; illa exercetur formalitèr per actus increatos, & æternos volendi, & nolendi; ista per actiones creatas, & temporarias ad extra producendi. Ad illos, per quos formalitèr se determinat Deus, tanquam per formale exercitium suæ libertatis supremæ, non determinat creatura, quia tolleretur libertatem Dei; sed Deus solus se per illos determinat, sicut Deus solus per illos formalitèr vivit, & vult. Ad istos verum est quòd determinat creatura, posita, & conservata à Deo in manu consilij sui: concurrente tamen physicè ipso Deo: quia sunt ipsa determinatio creaturae, qua se, & omnipotentiã sibi applicatam, & attemperatam in actu primo, & habitus, aliavè comprincipia, quibus à Deo præviè instruitur, determinat ad concurrendum, sive ad concursum in actu secundo. Ad hoc autem non opus est, quòd concursus determinativus formalitèr creaturae præcedat realitèr cōcursum Dei; sed sufficit, quòd sit realitèr ipse concursus physicus Dei: eo enim ipso, quòd actio eadem physica sit concursus creaturae, & Dei in actu secundo, creatura, quæ formalitèr determinat se per illam actionem ad operandum, determinat omnipotentiã, & alia comprincipia operantia per eandem actionem,

nem, quæ quidem est omnium determinatio in actu secundo: & omnes causas físicas, quarum est causalitas, denominat determinatas, non tamen omnes denominat determinantes, sicut nec volentes, nec viventes; sed solam voluntatem nostram, quia sola hæc vult, & vivit formalitèr per illam actionem, sive per illum concursum, ut est certissimum: determinatio autem formalis libera est exercitium vitalissimum potentia liberæ, per ipsum viventis, & volentis: quòd quia solum competit voluntati nostræ liberè se per eam actionem exercenti; idè sola voluntas denominatur se, & alia comprincipia determinans per ipsam ad concurrendum. Quod est luce clarius, terminis probè explicatis, & applicatis, prout oportet.

45 Non secundum: quia, ut ex nuper dictis liquet, quamvis unus sit physicè Dei, & creaturae cōcursum, & actio; & uterque per illam physicè concurrat; non uterque per illam formalitèr vult, nec vivit, cum actio illa non sit volitio Dei, nec vita Dei, quæ Deus formalitèr velit, aut vivat; sed actio Dei, & creaturae, qua creatura, & non Deus, formalitèr vult, & vivit: idèque, quæ creatura, & non Deus formalitèr determinat; quia liberè determinare formalitèr est velle, ac proindè est vivere. Sola autem voluntas creata per illam formalitèr vult, & vivit, quia sola voluntas per illam immanenter exercetur, producendo, simulque in se ab intrinseco sui recipiendo illam actionem, illumvè concursum in actu secundo Dei, & suum. Undè nec præviè, nec simultaneè determinat Deus voluntatem creatam ad illam actionem, quamvis primatum semper teneat Deus in determinando se ipsum, & in concurrando, ut causa prima, ad determinationem ipsam causæ secundæ sibi subordinatissimæ, ut explicuimus à nn. 40. Plura Magnus Suarez, legendus ubi supra, & fufius tom. posthumo de vera intell. auxili. eff. ad finem.

46 Hinc infer primò, quàm longè à vero exerrent, qui ex ijs nostris doctrinis inferri contendunt, determinationem voluntatis creatæ ad bonum non esse à Deo, nec tribuendam gratiæ Dei auxilianti: undè aliquid haberet homo in negotio salutis, nempe determinationem suam, quod non haberet à gratia

Dei contra effatum Apostoli 1. Cor. 4. *1. Cor. 4. Quid habes quod non accepisti?* Totum hoc negamus constantissimè: & Illustrissimus Alvarez, qui lib. 2. Sum. cap. 18. ex disp. *Alvar. 26. de Auxil.* falsò ait sibi concedi eam illationem, deberet dicere ubi, & à quo. Calumniam repellit dignè Suar. cap. 28. *Suar. m. 19. & luculentius tom. post. de ver. Intell. cap. 3. & 4.* Dicimus ergo, ipsum bonum agere, ipsum operari, ipsum determinari nostrum, esse immediatissimè à Deo, non quidem à Deo præviè determinante, ut didicimus ex verbis S. Thom. *relatis m. 41.* sed à Deo simul concurrente, & præviè præparante concursum, excitante, & suadente. Quid plura? Porro ex eo quod dicimus, determinationem nostram non esse à Deo præviè determinante, inferre, non esse à Deo; est ac si ex eo, quòd meritum nostrum in omnium sententia non sit à Deo merente, inferres contra omnes, non esse à Deo. Negamus similiter, ex eo quod determinatio nostra non sit tribuenda gratiæ Dei præviè determinanti, inferri, non esse tribuendam gratiæ: sicut nec hoc inferretur ex eo quod non tribuatur gratiæ merenti. Una igitur voce excipimus, ac veneramur vocem Apostoli, nihil nos habere quod non acceperimus: quia ipsum operari, & determinari nostrum accipimus à Deo: & si bonum est, à gratia Dei; non à Deo, nec à gratia Dei præviè nos determinante; sed à Deo simultaneè concurrente, & à gratia Dei illustrante, inspirante, suadente, adiuvente, & cooperante.

47 Infer tandem, aliam esse, ac loitèrè diversam determinationem formalem voluntatis in actu secundo; & aliam determinationem in actu primo, aut quomodolibet præviã ad actum secundum, quæ propterea dicitur prædeterminatio. Illa est, exercitium vitale, & electivum facultatis appetitivæ indifferenter potentis ad oppositum. Ista est connexio essentialis cum vno ex exercitijs facultatis appetitivæ, antecedens eius actum secundum, nec eluctabilis, nec evitabilis pro libito ipsius. Illam admittimus; istam tam in naturalibus, quàm in supernaturalibus agentibus liberis insciamur. Atque adeò inter auxilia gratiæ actualis nobis datæ ad liberum arbitrium salutariter, ac meritorie exercendum computanda non est: quidquid sit de alia controversia, quàm prætermittimus, an, ead

admissa, stare in ea debeat, aut convenienter possit efficacia auxiliiorum divinæ gratiæ.

SECTIO IIIJ.

Mens exploratissima Sancti Thomæ.

48 **E**AM studiosè, & ex professo

scrutatur doctissimus Cisterciensis ex Cögr. Fulliensis Petrus à S. Josepho in speciali Libro, vindicans S. Thomam, non ab assertione duntaxat; quin etiam, & à suspitione prædictorum auxiliiorum non vitalium. Præter Magistrum Albeldam, & alios antiquiores eiusdem Scholæ, id novius præstitit Illustrissimus Araujo tom. 2. in 1. 2. quæst. 111. art. 5. dub. 6. miratus, & meritò, quòd à multis adeò intrepidè adscribatur eiusmodi assertio Angelico Præceptorì. Novissimè verò ac luculenter id præstitit ex eadem Scholæ, & Familia sapientissimâ, Magister Josephus Vita, quem Romæ perlegi, & nunc ad manum nõ habeo, expèdens, & enervans quidquid pro eiusmodi doctrinis auxiliiorum non vitalium afferri solet ex S. Thomæ, contrâ mentem eius sincerissimam, ut evincunt etiam Suar. tom. 1. lib. 3. cap. 38. 44. & 49. & lib. 5. cap. 49. Lessius cap. 14. de Auxil. & Ripalda disp. 104. sect. 8. Summa sequar fastigia.

49 Relegendus est in locis superius allegatis. Quippè in verbis relatis n. 20. varias memoras gratias actuales auxiliatrices, nullius meminit, quæ non sit actus vitalis. Et in locis allegatis nu. 41. auxiliium per modum concursus prævij determinantis penitus excludit.

50 Præterea 1. 2. q. 110. art. 2. quærit: *Utrum gratia sit qualitas?* Et respòdet, Gratiam habitualem esse qualitatem; actualem verò non esse qualitatem, sed motionem animæ: excludens utique à ratione gratiæ actualis, auxiliium per modum qualitatis emortuæ: *Hoc modo*, ait, *ipse gratuitus affectus in homine non est qualitas, sed motus quidam animæ: actus enim movens in moto est motus.* Phrasis autem est notissima S. Thomæ, actus intellectus, & voluntatis vocare motus animæ, ut se explicat ibidem, gratiam actualem vocans gratuitum affectum, qui sine dubio est actus voluntatis. Ubi Magister Conradus: *Prædicta*, inquit, *verba Sancti Thomæ de qualitate, quæ non sit actus vita-*

lis, non possunt verificari; quia talis qualitas non potest dici motus voluntatis: hoc enim verbum actum vitalem denotat. Idem habet Mag. Medina: sicq; intelligunt S. Thom. Medina. Albelda, & Araujo: quibus in eundem sensum addit Ripalda disp. 104. sect. 8. Arauj. præcipuos alios Discipulos, & Commentatores S. Thomæ, Caietanum, & Ferrar. Caiet. Ferrar.

51 Quoad auxiliium verò per modum concursus prævij ad actus nostros liberos, monet rectè Suarez lib. 3. cap. 38. quòd S. Thom. ubi citatur contra nos, præsertim 1. part. quæst. 105. art. 5. & quæst. 3. de Potentia, art. 7. agit contra negantes immediatū Dei concursum ad quolibet effectus creaturarum, eum concursum immediatum adstruatur: ad hoc autem concludendum, non sufficit concursus ille prævij: nam, hoc admissio, possent Adversarij, contenti illo concursu prævio, persistere negando præterea, Deum immediatè, & intimè concurrere cum creaturis ad earum operationes. Proindè, negotium, & intentum S. Thom. in ijs locis non fuit statuere concursum prævium, sed simultaneum, & immediatum, quem illi tunc negabant, & postea negarunt Durandus, & Dola.

52 Hinc lucem habent aliqua, quæ leguntur in S. Thom. nempè, creaturas moveri, & applicari à Deo, antequam operentur. Undè inferunt Alvarez, & alij: ergo per aliquid non ab ipsis, sed à solo Deo productum: ac proindè prævium, & distinctum ab ipsarum operatione: alioquin non illis daretur ea motio ad operandum. Confirmat hoc Alvarez satis difficulter disp. 19. concl. 1. ex quæst. 3. de Potent. art. 7. ubi ait S. Thom. *In operatione, qua Deus operatur movendo naturam, non operatur natura.* Et ibidem ad 3. subdit: *id quod à Deo fit in re naturali, quo actualiter agat, est velut intentio sola habens esse quoddam incompletum, per modum, quo colores sunt in aëre, & virtus artis in instrumento artificis.* Igitur ex mente S. Thomæ concursus ille, sive motio, est quid prævium distinctum ab operatione creaturæ, & à concursu simultaneo Dei.

53 Responderetur tamen ex Suarez, admittendo illas loquutiones S. Thomæ: quæ quidem generales sunt ad omnes effectus creaturarum, & non speciales pro ijs punctis de gratia, & auxilijs, ut ex instituto, & contextu S. Thom. in iisdem

dem locis patet manifestissimè. Negatur tamen consequentia indè deducta ab Alvarez, quod scilicet ex illis inferatur concursus ille prævij. Per eas enim loquutiones solum significatur, *universaliter loquendo*, concursus Dei simultaneè exhibitus in tempore cum creatura operante, præviè à Deo solo præparatus ab æterno creaturæ cum Deo operaturæ. Dicitur autem à S. Thom. concursus ille Dei, *motio, & applicatio causæ secundæ ad operandum*, quia est actio ipsa, & operatio creaturæ, quæ formalitèr in actu secundo movetur, & applicatur ad agendum simul cum Deo, eo loquendi modo usitatissimo, quo potentia viviva dicitur formalitèr moveri, & applicari per ipsam visionem ad videndum, quamvis videre sit ipsa visio.

54 Dixi, *universaliter loquendo*: utpotè de causis etiam necessarijs. Interdum enim S. Thom. loquendo specialitèr de liberis in ordine ad operationes liberas bonas, & salutare, nomine motionis, seu applicationis intelligit etiam aptissimè aliquid prævium; non quidem distinctum ab actibus vitalibus creaturæ, nec per modum concursus prævij interiecti inter gratias illustrationū, & inspirationum auxiliarium, & actus liberos voluntatis creatæ; sed quod sint ipsæ illustrationes, & inspirationes vitalissimæ auxiliatrices, excitantes, & prævenientes ad actus liberos salutare. Per illas enim movetur, excitatur, & applicatur voluntas nostra, non per modum concursus prævij determinantis; sed ad modum, quo dicimur moveri, & applicari suafione, consilio, & pijs affectionibus ad aliquid operandum. Nihilominus tamen in prædictis locis verosimilius est S. Thomam non loqui de huiusmodi motionibus prævijs specialibus in hac auxiliiorum materia: quandoquidem loquitur generalitèr de omnibus causis secundis quoad omnes operationes, etiam non salutare, imò & necessarias, ut tueatur immediatum Dei concursum ad omnes effectus creaturarum.

55 Ad confirmationem, quæ mihi primò intuitu visâ est valdè difficilis, respondent diversimodè Suarez, & Ripalda. Sed plenam, planamque videor mihi collegisse solutionem ex ipsa contextura. Sibi enim obiecerat S. Thom. in eo articulo pro parte negantium immedia-

tum Dei concursum hoc dilema: *Si Deus operatur in qualibet operatione natura, aut unâ, & eadem operatione operatur Deus, & natura; aut diversis sed non unâ, &c.* Dilemmati autem respondens, ait ibidem: *in operatione, qua Deus operatur movendo naturam, non operatur natura; sed ipsa natura operatio est etiam operatio virtutis divine.* En, ni fallor, totam nostram doctrinam, & mentem S. Thomæ. Quippè admisit priorem partem dilemmatis sibi obiecti; & negat posteriorem: quod est dicere, in operatione, qua Deus operatur movendo naturam, non operari naturâ diversâ actione, quâ Deus; sed unâ, & eadè: ibi: *sed ipsa natura operatio est etiam operatio virtutis divine.* Hic sensus est mihi dilucidus, & constans: alioquin S. Thom. non respondisset ad rem. Sic expressit doctrinam nostram, & explicuit, quid iuxta ipsum sit motio illa naturæ à Deo; nempè simultaneus, & immediatus Dei concursus iuxta expositionem, quam ex P. Suarez. adhibuimus num. 53. & nunc adhibet ipse sibi S. Thom. Loquens enim de operatione, qua Deus operatur movendo naturam, ait quòd *ipsa natura operatio est operatio virtutis divine*: quatenus nimirum concurrunt immediatissimè per eandem physicam actionem.

56 Ad alia verba, quæ S. Thom. subdit ad 3. dico in primis, exempla illa instrumentorum artis, nè rudi prorsus accipiantur Minervâ, non tam esse parificativa, quàm declarativa, ut sapienter monuit ipse S. Thom. allegatus num. 23. & 27. Deindè obiervat Ripalda num. 79. per ea exempla non probari intentum pro concursu prævio physico intrinsecè impresso, & inhærente causis secundis, ut operentur; cum certè nec color aëri, nec virtus artis inhæreat instrumentis physicè, & intrinsecè: sunt enim potius extrinsecæ denominationes à coloribus alibi existentibus, & ab arte existente in mente artificis. Id quod loquutione sibi familiari significat ibi S. Thom. per illa verba: *velut intentio sola*: sic enim appellat sæpè denominationes extrinsecas, eo quòd intentio, sive ratio nostra soleat concipere formas, ac si essent ubi extrinsecè denominant. Loquens itaque S. Thom. de illis Dei motionibus, sive applicationibus, quæ iuxta ipsum, & nos sunt ipsa operatio nostra, & simultaneus Dei cöcurfus, ait verissimè, esse in Deo.

&

Fullien.

Albeld.

Arauj.

Vita.

Suar.

Lessius.

Ripald.

S. Thom.

S. Thom.

Conrad.

Medina.

Albeld.

Arauj.

Caiet.

Ferrar.

Suar.

S. Thom.

Durand.

Dola.

Alvar.

S. Thom.

Suar.

Ripal.

S. Thom.

Suar.

Ripal.

& in creatura operantibus, non intrinsecè, sed extrinsecè; quia nempe actiones sunt intrinsecè in terminis productis, & non in agentibus. Quod, cum sit verum ut plurimum, non tollit, quominus, dum operamur immanèter, actiones insint intrinsecè principio viventi, à quo egrediuntur: nunquã tamen Deo, qui per illas nec vivit, nec immanenter operatur. Sanctus autem Thomas loquebatur ibi generaliter, ut constat.

Alvar. 57 Infiltrit Alvarez *disp. 18. num. 8.* dicit à S. Thom. causam secundam accipere per eiusmodi motionem virtutem ad operandum: ergo alienum est à mente S. Thom. quòd motio, de qua loquitur ibi, sit ipsa operatio causæ secundæ. Excessit Illustrissimus Alvarez in antecedenti: nec citavit locum, ubi id dicat S. Thom. quia non est. Quod ait S. Thom. est, causam secundam pendere à causa prima quoad duo: quoad virtutem agendi, & quoad motionem: quæ verissimæ sunt; nam & ad virtutem, & ad operationem concurrunt immediatissimè Deus: non tamen ait accipere virtutem per motionem. Hanc passus æquivocationem Alvarez, nostram sententiam improbabilem censuit, & suam expressam in S. Thoma. Sed & in hoc excessit: nec certè idem esset, sententiam esse improbabilem, ac esse contrariam Sancto Thomæ.

Rispol. 58 Incuriosè quoque suos legit Authores Rispolis, allèrens *lib. 2. quest. 1. concl. 3.* semper fuisse discipulorum Sancti Thomæ sententiam, quemlibet effectum causæ secundæ prius naturam pendere à causa prima, iuxta illud: *causa secunda non agit, nisi mota à prima.* Nam Caiet. *1. part. quest. 14. art. 13.* istud axioma non intellexit de motione præviã; sed de motione cooperante, quæ est concursus simultaneus, & ipsa actio causæ secundæ operantis in actu secundo: & ad 2. *Scoti* addit ibidem, Causam primam non respicere effectum causæ secundæ prius, quasi in aliquo instanti naturæ effectus attingatur à causa primã, & non à secundã; sed dici prius, quia independentiùs, prout nos explicuimus *sect. 2. nu. 28.* Videndus Suar. *cap. 35.* longius ista persequens, & Alvarez *disp. 18. num. 11.* explicans Caietanum contra id, quod dixit Rispolis fuisse semper sententiam Discipulorum Sancti Thomæ. Et omnes

ij se cum S. Thom. sentire, & loqui, profitentur.

59 Quoad auxiliium tãdem per modum concursus præviã determinativi voluntatis creatæ ad actus liberos salutaris, est ita perspicuum, negandum esse iuxta mentem S. Thomæ, ut nefas sit dubitare. Relegantur in primis eius sanctissima verba, adducta *nu. 41. ex 2. sent. dist. 25. & 39.* & deindè in eadem *dist. 25. quest. 1. art. 1. ad 3. ibi: Determinatio actionis in potestate liberi arbitrii constituitur: & 1. 2. quest. 1. art. 2. Determinatio in rationali creatura per rationalem appetitum fit, qui dicitur voluntas.* Quod si aliquando aliundè petijt determinationem S. Thom. non ab alio extrinsecè, qualis est Deus, illam petijt, ut multis comprobatur, ac demonstrat Magister Vita; sed à iudicio, consilio, seu imperio intellectus. Sic *quest. 3. de Malo, art. 3. ait: Voluntatis, cum sit ad utrumlibet, per aliquid determinatur ad unum, scilicet per consilium rationis; neque oportet, hoc esse per aliquod agens extrinsecum: & quest. 3. de Pot. art. 7. Determinatio actus relinquitur in potestate rationis, & voluntatis.* Ad hæc *quest. 6. de Verit. art. 3. & 4. & Quodlib. 11. art. 3. ait, non dari causas, quæ determinatè inferant hanc, vel illam conversionem; sed tot Deum causas, & adminicula adhibere, ut tandem aliqua causa effectum foriatur.* Profectò, si inter adminicula gratiæ agnovisset S. Thom. auxiliium per modum concursus præviã determinantis ad conversionem, non esset cur recurreret ad multitudinem adminiculorum, ad inferendam certò conversionem, cum unum auxiliium per modum concursus præviã determinantis, illam determinatissimè inferret. Et *1. part. quest. 14. art. 13. & quest. 47. art. 3. & quest. 86. art. 4. & idem tãdem alibi, ingeminat, futura libera non cognosci determinatè à Deo in causis creatis, sed in se ipsis.* Si autem auxilia prædicta per modum concursus præviã ipsi venissent in mentem, præstò illi erat assignare medium creatum, in quo cognoscerentur. Longissimè ergo fuerunt à mente S. Thomæ eiusmodi auxilia.

60 Objici solent quinque. Primum: quod *1. par. quest. 19. art. 3. ait S. Thom. Hoc ipsum, quo causa secunda determinatur, est illis à Deo.* Secundum: quod ibidem *ad 5. ait: Causa, quæ ex se est contingens, oportet, quòd determinetur ab aliquo exteriori?* Ter-

Tertium: quod *1. 2. quest. 9. art. 6. ait: Sed tamen interam speciativè Deus movet aliquos ad aliquid aeternitatè volendū.* Quartum: quod *Quodlib. 12. quest. 1. art. 1. ait: A providentia Dei omnia sunt prædeterminata, & ordinata.* Quintum: quod *1. 2. quest. 10. art. 4. ait: Deus sic voluntatem movet, quòd non ex necessitate ad unum determinet.* Agnovit igitur S. Thom. auxilia per modum concursus præviã determinantis liberum arbitrium creatum ad liberas suas operationes. Respondetur tamen facillimè.

61 Ad primum, libenter à nobis admitti, ipsas determinationes causæ secundæ esse liberè à Deo, & quidem immediatissimè: non quidem à Deo præviã determinante; sed à Deo simultaneè concurrente, & antecederentè concursum præparante, & virtutem causæ secundæ conferente, ac fervente, ut explicuimus *sect. 3. nu. 46.*

62 Ad secundum, legatur ibi textus S. Thom. & ibidem Commentarius Caietani: & doceberis, loqui S. Thomam de causis cõtingentibus indifferentibus *indifferentiã incomplementi*; ut ex eodem S. Thom. distinximus; & explicuimus *sect. 3. nu. 35.* de quibus ibidem ultrò falsi sumus; debere aliundè compleri; & determinari per requisita; quibus complentur in actu primo. Nullatenus verò loquitur de causis contingentibus indifferentibus dumtaxat indifferentiã libertatis.

63 Ad tertium patet, ibi loqui S. Thom. de motione excitativa, & quasi suavisiva per illustrationes, & inspirationes auxiliatrices ad actus liberos salutaris, ut meminimus *nu. 54.* Et certè vox, *interdum*, quam adhibet ibi S. Thom. clarè significat, eius mentem esse prorsus alienam à generalitate, qua ad omnia ponuntur eiusmodi motiones præviæ ad quoscumque effectus liberos, etiam, si referre decet, ad malos.

64 Ad quartum certum est, ea verba non loqui de motionibus prævijs intrinsecè, & in tempore impressis voluntati operaturæ; cum clarissimè loquantur de prædeterminationibus divinis æternis, quæ sunt Dei decreta, quibus Deus ab æterno cuncta disponens, & ordinans, determinavit se, & apud se, veile, sive nolle suum circa singula, non verò creaturas liberas ad operandum, quas potius

relinquit in manu consilij sui; ut se prohibito determinent. Quid hoc, precor, ad motiones creatas per modum concursus præviã determinantis? Et notandum valdè, quòd vox illa, *prædeterminatio*, si semel legitur in S. Thom. est in hoc sensu pro æternã ordinatione divini decreti, sicut legitur interdum etiam apud S. Dionysium: nusquam verò, nec apud S. Thom. nec apud Augustinum, aliosvè Sanctos PP. aut Concilia; in sensu præsentis controversiæ pro temporaneã motionem per modum concursus physici determinante causas liberas, ut observat Suar. *Prolog. 3. cap. 6. nu. 13. & cap. ult. de Vera Intellig.* ideòque ab illa prorsus abstinendum est.

65 Ad quintum mirum est, quòd ea verba S. Thom. detorqueere velint aliqui contra nos. Profectò non est ibi mens S. Thomæ, quòd Deus moveat ita voluntatem nostram, ut illam determinet; quin necessitet; sed quòd ita eam moveat, ut necesse propterea non sit eam determinare. Quid clariùs pro sententia nostra, & mente S. Thomæ?

SECTIO V.

Ad quos actus intellectus, & voluntatis pertineant Illustrationes, & Inspirationes auxiliatrices.

66 POSITO iam, quòd auxilia cuncta gratiæ actualis creatæ sunt actus vitales intellectus, seu voluntatis nostræ, videndum superest, qui nam actus intellectus, aut voluntatis sint. Nam tam in intellectu, quam in voluntate distinguuntur variæ operationes vitales: in intellectu, apprehensiones, iudicia, & discursus; in voluntate, affectus deliberati, & indeliberati, inefficaces, & efficaces, simplices affectiones, desideria gaudia, prosecutiones, & fugæ.

67 Prima conclusio. Gratia actualis divinarum illustrationum, & sanctarum cogitationum auxiliarium spectant ad triplicem operationem intellectus. Ratio. Quia tam cognitiones apprehensivæ, quam iudicativæ, ac discursivæ, possunt esse supernaturales, atque adeò elevantes naturam, illique gratis, ac supra debitum à Deo donatæ: possuntque, potentias naturales excitare, & adjuvare ad actus meritatorios, & ad opera salutis; ergo in omnibus

nibus illis reperiri valet ratio gratiae auxiliantis. Explicatur, & probatur antecedens: nam tam ex apprehensione super naturali obiecti, quam ex iudicio de illius bonitate, excitari, & moveri potest voluntas sic praellustrata ad amorem boni liberum, & meritorium. De discursu autem quotidie experiuntur versari in spiritualibus, se post varios discursus meditationum, Fidei, aut notitia alia supernaturali subnixos, accendi ad affectus liberos virtuosos voluntatis, iuxta *Psalm. 38. In meditatione mea exardecet ignis. Illis igitur apprehensionibus, ac iudicijs, & istis quoque discursibus competit ratio gratiae actualis auxiliantis divinarum illustrationum. Abstrahimus nunc a differentijs gratiae excitantis, adiuvantis, antecedentis, comitantis, & subsequenter de quibus seorsim *Infr. disp. put. 10. disp. 10.**

68. Obijcies quoad apprehensiones. Haec enim nequeunt esse supernaturales: ergo nequeunt esse gratiae auxilia, iuxta doctrinam disputationis sequi. Confirmatur. Apprehensio est imperfectior actu supernaturali deliberato meritorio: ergo nequit ad illum auxiliari, & adiuvari. Respondetur, negando antecedens: non enim est cur dabile non sint apprehensiones multae indebitae toti naturae: ac proinde supernaturales, ut videre est apud Ripald. *tom. 1. disp. 49.* Ad confirmationem, concesso antecedente, negatur consequentia: quia, quando principium non est adaequatum, potest esse minus perfectum effectu.

69. Obijcies quoad iudicium. Hoc enim semper est deliberatum ex aliqua virtute intellectuali, sive Fidei, sive prudentiae, &c. ad quarum exercitium supernaturale praecedere debet auxilium gratiae: ipsum ergo iudicium non est auxilium. Confirmatur: Sancti namque PP. non vocant auxilium iudicium Fidei, quamvis supernaturale sit, & iuret ad actus meritorios; ergo quia iudicia non habent rationem gratiae auxiliantis. Respondetur, negari posse antecedens: posset enim etiam iudicium fieri indeliberate, vel ob evidentiam obiecti, vel ob imperium efficax indeliberatum voluntatis. Omisso tamen antecedente, negatur consequentia: nam ex antecedente solum sequitur, tale iudicium non esse primum auxilium, cum supponat au-

xilia anteriora; cum quo stat: quod ipsum iudicium sit auxilium ad actus meritorios posteriores. Ad confirmationem negatur antecedens: de quo erudite Ripald. *disp. 103. sect. 4.* Sane comprehendunt iudicia etiam Fidei Sancti Patres, nomine illustrationum, & luminis Fidei.

70. Obijcies quoad discursum. Cognitio enim habita per discursum, non est opus, seu donum immediatum largitatis, ac beneficentiae divinae: quippe iam debetur praemis antecedentibus: ergo non est gratiae auxilium. Respondetur, negando antecedens, & proinde consequentiam: non enim est contra rationem doni divinae largitatis, ac beneficentiae, deberi anteriori largitioni, aut beneficio: patet in affectionibus pijs conaturaliter consequentis ad illustrationes praecedentes. Semper enim sunt gratis, & citra debitum in radice primi auxilij, quod nulli anteriori debebatur.

71. Secunda conclusio. Gratia actualis divinarum inspirationum, aut piarum affectionum stat saepe in affectibus indeliberatis simplicibus voluntatis non efficacibus ab intrinseco; saepe etiam in affectibus liberis, sive intrinsece non efficacibus, sive etiam intrinsece efficacibus.

72. Quoad priorem partem de affectibus simplicibus indeliberatis, est communis doctrina cum Bellarm. Molin. Suar. Vasq. Valentia, Montefin. & alijs apud Ripaldam. *disp. 103. sect. 2.* contra Albedam *1. part. disp. 58.* qui, teste Ripaldam, e contra docuit, Gratiam actuale inspirationum stare in affectibus praedictis indeliberatis intrinsece efficacibus; non vero in inefficacibus. Ut omittam Baianorum, & Jansenistarum de iniuriam, docentium, in statu naturae lapsae solum actum charitatis infusae habere rationem auxilij gratiae, ut videre est apud Ripaldam *tom. 3. disp. 23. a num. 135. & disp. 24. sect. 10.* id efficaciter resutantem: de quo nos non nihil dicemus *disp. 12. sect. 2.*

73. Probatur in primis, stare in affectibus indeliberatis simplicibus ab intrinseco non efficacibus. Quia praedicti affectus simplices, quamvis inefficaces, possunt esse supernaturales, & excitant, moventque voluntatem ad actus deliberatos, & ad opera meritoria virtutum, possuntque ad eos actus deliberatos virtutum exercite adiuvari, quamvis saepe exer-

exercite non adiuvent, eo quod voluntas illis excitationibus resistat, & re ipsa non consentiat: nihil ergo illis deest ad rationem auxilij gratiae actualis. Sic imitatur gratia congruentissime conditionem naturae: quatenus, sicut natura incipit a minus perfectis, sicque progreditur ad perfectiora; prius proposita sibi bonitate, bene simpliciter afficitur, & complacet naturaliter circa illam; & deinde deliberate prorumpit in amorem, ac desiderium illius; sic Deus per gratiam prius per simplices affectiones, & indeliberatas complacentias supernaturales bene afficit voluntatem circa bonum propositum per illustrationes, sanctaeque cogitationes, ut deinde ex deliberatione liberè prorumpat in actus meritorios virtutum, ad quos praevijs illis impulsibus incitabatur. Atque hoc genus auxiliorum significant Scriptura, & SS. Patres nomine delectationum, suavitatum, & dulcedinum spiritualium, quibus movemur ad bonum: itemque nomine displicentiae, horroris, amaritudinis, & timoris, quibus desuper avertimur a malo, & ad illud efficaciter fugiendum provocamur: *Quis tandem, ait S. Prosper, perspicere, aut enarrare possit, per quos affectus visitatio Dei animum ducat humanum? Sic cap. 14. contra Collat. postquam exposuit, quomodo timor, letitia, desiderium, ac delectatio trahit nos ad Deum. Quod autem non desit in illis ratio verae gratiae auxiliantis ex eo quod saepe inefficaces sint, nec fortiantur effectum consensu liberi, ad quem excitant, & movent, videtur iam non posse dubitari post damnationem secundae propositionis Jansenianae relatae *disp. 1. nu. 50.* ex cuius damnatione constat, *interiori gratia* aliquando resisti: ac proinde manere veram rationem gratiae, non sequuto consensu: atque adeo, quin ea gratia sit efficax.*

74. Obijcies tamen ex Albedam. Affectio illa indeliberata, simplex, & non efficax ab intrinseco, est naturalis; naturaliter enim consequitur ad propositionem obiecti: deinde est minus perfecta consensu bono efficaci deliberato: ergo non habet rationem auxilij ad consensum deliberatum, utpote perfectiorem se. Respondetur, negando primam partem antecedentis: nam affectio pia, seu complacentia simplex, quam dicimus esse auxilium gratiae, supernaturalis asse-

titur a nobis; utpote subsequuta, non ad quamcumque propositionem obiecti boni, sed ad propositionem per illustrationem supernaturalem, quae etiam est auxilium gratiae, tenens se ex parte intellectus; & fit a Deo ultra exigentiam obiectorum, aliarumque causarum naturalium; estque talis activitatis, ac divinae virtutis, ut pulsset, ac incitet voluntatem, illamque valeat adiuvari ad consensum deliberatos supernaturales. Id quod insinuasse videtur August. apud Oviedum *contr. 1. de Grat. pun. 6.* his verbis: *Qui ergo vult facere Dei mandatum, & non potest, iam quidem habet voluntatem bonam; sed adhuc parvam, & invalidam; poterit autem cum magnam habuerit, & robustam.* Secundam partem antecedentis concedimus, ut in simili *nu. 68.* & negamus consequentiam: quia, ut ibi diximus, bene potest principium inadaequatum esse minus perfectum effectu, quem causat in confortio aliorum comprincipiorum, ex quibus omnibus coalescit principium adaequatum perfectius effectu, aut aequè perfectum.

75. Probatur deinde contra Albedam, auxilia piarum affectionum stare non posse in affectibus indeliberatis ab intrinseco efficacibus. Et, omisso capite libertatis consensu nostri subsequenti, in quo eiusmodi auxilia indeliberata, quantumvis, vitalia aequipararentur non vitalibus physicè praedeterminantibus; scrutandus hic venit duplex modus, quo, ut refert Ripaldam *sect. 3.* tentabat Albedam explicare, ac defendere rationem auxilij gratiae in actibus voluntatis indeliberatis intrinsece efficacibus. Primus modus est, dicendo, eiusmodi affectum auxiliarem indeliberatum intrinsece efficacem distinguere realiter ab affectu deliberato, ad quem movet, eumque non solum naturam, sed & tempore antecedere, eoque sequuto, perire: quia tunc venit indifferentia rationis, cum qua stare nequit affectus indeliberatus. Secundus modus, est dicendo, eum affectum indeliberatum esse indistinctum a deliberato; superaddito nimirum illi ipsi modo intrinseco libertatis, ab ipso physicè resultantem, ratione cuius modi tranit affectus idem de indeliberato in deliberatum.

76. Primus tamen modus non subsistit. Nam auxilium datur, ut cum voluntate per ipsum elevata operetur actum

Ovied.
August.Ripald.
Albedam.

Ripald.

Bellarm.
Molin.
Suar.
Vasq.
Valent.
Montef.
Ripaldam.
Albedam.

Ripald.

Infr. disp.
put. 12.
9.

Prosper.

Supr. disp.
put. 1.
sect. 4.

Albedam.

deliberatum salutarem: incongruum autem est, quod physicè iam non sit, sed iam physicè tempore præterierit, quando fit actus salutaris: præmaximè, cum nobiscum velit Albelda, auxilium physicè causæ consensum nostrum salutarem deliberatum: causâ namque non physicè causât, quando physicè non existit, ut suppono ex vera Philosophia. Præterea: quia posset voluntas ita promptè respondere auxilio vocanti, excitanti, & inspiranti, ut in eodem primo instanti, quo illud habet, liberè consentiat: quid enim hoc implicet? Hoc autem componi nequit cum primo isto modo, quo se explicat Albelda.

77 Nec subsistit secundus modus. Nam iuxta illum, auxilium efficax ad actum liberum misericordiæ esset actus ipse misericordiæ: sicquè auxilium non esset principium actûs, ad quem datur: non enim est principium sui ipsius. Dices, esse principium actûs ut liberi, quia causat modum libertatis, à quo entitas actûs iam distinguitur. Contra tamen est primò, quia alienum est à ratione, & à bona Philosophia, & omninò liberè dictum, ponere libertatem in prædicto modo physico intrinsecò superaddito, & est reducere doctrinas divinæ gratiæ auxiliantis ad inania commenta. Secundò: quia cum SS. Patres, & Concilia requirunt absolutè gratiam auxiliantem, ut principium actuum salutarium, loquuntur planissimè quoad illorum entitatem, & substantiam: extra ergo, & contra mentem exponuntur, dicendo, gratiam auxiliantem non requiri, ut principium entitatis, & substantiæ illorum, sed soliùs modi physici libertatis. Tertio: quia sequeretur eundem affectum, seu voluntatis actum posse esse simul deliberatum, & indeliberatum, liberum, & necessarium; casu nimirum possibili, quo, ut vidimus *nu. præc.* voluntas in eodem primo instanti, quo habet auxilium, liberè consentiret.

78 Quoad posteriorem verò partem de affectibus deliberatis, ac liberis, probatur secunda nostra conclusio. Nil enim obest, quominus affectus piij liberi, ac deliberati voluntatis ipsam voluntatem permoveant, accendant, & iuvent ad ultiores affectus subsequutos virtutum: ergo respectu istorum ulteriorum, habeant illi priores honesti, piij, & superna-

turales rationem auxilij gratiæ actualis: ut eruditè comprobatur Ripalda *sect. 4.* adductis, & expensis in id multis loquutionibus Conciliorum, & Patrum, citantur Bellarminum, Suarez, & Montoyam, aliosquè complures. Quis enim ambigat, actus liberos imperantes movere multum, & invare ad imperatos; intentivos ad electivos; & actus charitatis ad observanda præcepta?

79 Nec obest, quod actus supernaturales deliberati sint iam effectus auxiliorum. Nam bene stat, esse effectus anteriorum auxiliorum, & esse auxilia ad actus ultiores subsequutos. Undè exindè solum concluditur, affectus illos deliberatos non habere rationem primi, ac initialis auxilij; non verò, non habere rationem auxilij, ut in simili diximus *nu. 69.*

80 Nec item obest, quod auxilium debeat esse proprium Dei, & à Deo; cum tamen prædicti actus deliberati sint à nobis, liberè etiam, & humano modo coefficientibus. Respondetur enim, quod, illos actus esse eo etiam modo à nobis non tollit, quominus sint à Deo, & Dei specialissimè, cum supernaturales sint: præterquamquod descendunt à primo auxilio initiali, & radicanur in illo, quod est Dei, & à Deo, sine nobis liberè, & humano modo coefficientibus.

81 Quod autem extendatur nostra conclusio ad affectus supernaturales deliberatos, intrinsecè etiam efficaces, mirum non est. Sentimus enim, eos, quantumvis efficaces, dummodò nobis sint liberi, non officere libertati etiam immediatè ulteriorum actuum, ad quos movent, & adjuvant, ut dicemus ex professo *dis. 25. de Merito*, cum P. Suarez, pro immediatissimâ libertate actûs imperati, non obstante intrinsecâ efficacia, & connexionè imperantis. Et ratio est: quia, quamvis imperans intrinsecè efficax sit connexissimus cum imperato, ac proindè essenziale impedimentum omissionis imperati, est connexio, & impedimentum evitabile pro libito eiusdem voluntatis liberè imperantis. Quæ ratio solidissima non procedit pro Albelda in affectibus indeliberatis intrinsecè efficacibus.

82 Undè infert optimè Ripalda, nò esse contra rationem auxilij divinæ gratiæ, quod sit quoquo modo intrinsecè effi-

Ripald.
Bellar.
Suar.

Montoy.

August.

efficax, dummodò taliter statuatur hæc intrinsecâ efficacia, ut non officiat libertati consensu nostri, ut defendimus de prædictis affectibus deliberatis intrinsecè efficacibus. Quinimò genus istud auxiliorum prodesse potest ad intelligenda planius aliqua Augustini loca, in quibus opera interdum egregia virtutum videtur tribuere intrinsecâ efficacia auxiliorum gratiæ: ut quando *cap. 16. de Grat. & liber. arb.* ait de Deo: *Ille facit, ut faciamus, præbendo vires efficacissimas voluntati: & cap. 4. de Bono persev. Donum Dei datum est, obedienter audire; illis autem, qui sic non audiunt, non est datum. & cap. 10. de Corrept. & Grat.* loquens de primo homine: *Acceperat posse, si vellet; sed non habuit velle, quo posset.* Quæ intelligi fortè valent de auxilijs istis intrinsecè efficacibus affectuum præcedentium deliberatorum respectu subsequentium.

SECTIO VI.

An concursus Dei simultaneus supernaturalis habeat rem, & nomen auxilij gratiæ actualis.

83 **D**IXI; *supernaturalis.* Nam ubi deficit ratio supernaturalitatis, deficit eo ipso ratio auxilij gratiæ Theologica. Undè concursus, sive prævius, sive simultaneus, quem confert Deus ad actus nostros naturales, auxiliû gratiæ non est, quamvis adiuvet ad illos creaturam. Alioquin & concursus ad entitatem peccati dici posset gratiæ auxiliium, ut in vi argumenti non semel à nonnullis Theologastris concessum adivi: quod turpis est blasphemia.

84 Indubium iam est, concursum Dei simultaneum ad unum actum supernaturalem etiam deliberatum, esse, ac dici posse auxilium gratiæ respectu alterius actûs deliberati ulterioris, ad quem excitat, incitat, & invat, ut constat ex dictis *sect. præc.* Cum enim concursus ille simultaneus in actu secundo sit realitè actus ipse noster vitalis, qui, ut vidimus, habet rationem auxilij respectu alterius actûs, eandem similiter rationem auxilij fortiri realitè ipsum Dei concursum respectu alterius actûs, necesse est.

85 Dubium autem est: an Dei concursus simultaneus supernaturalis habeat rationem auxilij respectu eiusdem

actûs supernaturalis, qui reverà est immediatè talis concursus.

86 P. Montoya *disp. 36. de Prov. sect. 7.* multa fert pro parte affirmante, citans pro ea Bellarm. & Vazquez. P. Suar. *lib. 3. cap. 14.* videtur ambigè loqui: faver tamen huic sententiæ affirmanti, dividens auxilium in unum per modum principij, & in aliud per modum concursûs. Et quidem S. Thom. 1. 2. *quæst. 109.* vocat auxilium naturale concursum Dei ad actus naturales; undè pariter infertur, esse auxilium supernaturale gratiæ, concursum Dei ad actus supernaturales. Accedit ratio: quia propriè dicitur auxilium ferrè homini qui simul cum illo concurrat ad portandum onus: similiter ergo Deus simul cum homine concurrens ad efficiendum actum supernaturalem.

87 P. verò Lessius *cap. 5. de Auxil. & alij cum ipso tenent omninò partem negantem.* Quia auxilium gratiæ est principium augens vires potentia ad actum supernaturalem liberum: ergo divinus concursus simultaneus, qui est ipse actus liber, non habet rationem auxilij ad ipsum actum. Præterea auxilium tale dicitur, cui præsupposito in voluntate potest ipsa consentire, & dissentire: concursui autem simultaneo, cum sit ipse consensus, nequit voluntas dissentire: non ergo venire potest concursus ipse, qui est actus secundus, re & nomine auxilij: cum hoc se tenere debeat ex parte actus primi, aut saltem præviè ad actum secundum, ut ex ipsis terminis videtur constans.

88 Sentio cum P. Lessio propter eius rationem mihi solidissimam. Et oppositum videtur dumtaxat dici posse in sensu valdè improprio. Nimirum de concursu simultaneo præparativè sumpto, id est de præparatione divinâ concursûs exequitivè sumpti: quæ divina præparatio tenet se ex parte actus primi in ordine ad secundum; & est aliquomodò in supernaturalibus auxilium gratiæ: non gratiæ creatæ, nobisquè intrinsecâ, de qua disputamus; sed gratiæ increatæ nobis extrinsecâ, quam distinximus *disp. 1. num. 34.* Et sit intelligi potest. S. Thom. supra cit. & similiter P. Suarez in illa sua divisione auxilij universalissimè accepti.

89 Et tandem ad rationem oppositam dici potest, hominem illum com-

Montoy.

Bellar.
Vasq.
Suar.

S. Thom.

Lessius.

Supr. dis.
put. 1.
sect. 3.

portantem onus cum altero dici rectissime, ferre auxilium alteri: non quia ipsa portatio in actu secundo sit auxilium; sed quia antecedenter ad actum secundum portandi confert, & adiungit alteri suas vires, robur, seu virtutem portandi, quæ virtus est verè auxilium ad portandum in actu secundo. Sic autem Deus concurrens auxiliatur, & fert auxilium: non quia concursus ipse in actu secundo exhibitus sit auxilium; sed quia antecedenter præparat, & applicat vires suas creaturæ non habenti sufficientes vires de suo ad operandum salutariter.

SECTIO VIJ.

An Auxilia Gratia sint eiusdem rationis in statu naturæ lapsæ, ac in statu naturæ integræ.

90 **E**IVSDEM, inquam, rationis essentialis. Nō enim agimus de eorum accidentalitatibus: an sint uberiora, frequentiora, aut intensiora nunc per Christum: de hoc enim diximus, quod satis est *disp. 1. num. 71.* an in utroque statu fuerint per Christum, seu ex meritis Christi: de hoc enim, quod illorum entitatibus accidentalissimum est, egimus abundè in *disputationibus de Incarn. & tenuimus partem affirmantem.* Supponimus etiam, in natura lapsa auxilia esse reparativa, & ut alij loquuntur, sanativa; in natura verò integræ fuisse præservativa, & ut fantur, sanitatis: quæ etiam sunt denominationes extrinsecæ accidentales, obvenientes entitati auxiliorum à diversitate illorum statuum: sicut entitati eiusdem portionis, quod præservet, aut quod reparet sanitatem, iuxta statum hominis sani, aut infirmi, cui adhibetur. Quæstio capit ingravescere ijs nostris temporibus: an pro diversitate illorum statuum naturæ integræ, & lapsæ, fuerint auxilia gratiæ essentialiter, & entitativè diversa.

91 Pseudoaugustiniani moderni, suum sequuti Jansenium *Iren. lib. 2. de Gra. Chr. post Calvinum in Antid. ad Trid. sess. 6. cap. 6.* & alibi sæpè, plaudentibus Petro Mart. & Beza, & alijs, quorum syllabum, & verba refert eruditè Card. de Aguirre *disp. 132.* severissimè id affirmant, docentes, auxilia pro statu naturæ integræ fuisse intrinsecè sufficientia, &

indifferentia, coniungibilia entitativè, five cum velle, five cum nolle consentire liberi arbitrij creati: quod similiter docent de auxilijs Angelorum: & hoc vocant gratiæ adiutorium, sine quo non hoc est, sine quo non est posse ad actus salutare: auxilia verò pro statu naturæ lapsæ, & reparativa per Christum, omnia esse intrinsecè efficacia: & hoc vocant adiutorium quo, & gratiam victricem, non indifferentem, sed essentialiter coniunctam cum consensu. Et quoad hoc accedit nimis ad hanc doctrinam *Cotensonus tom. 5. dissert. 1.* Ultra id addunt duo. Unum, hæc auxilia gratiæ victricis in natura lapsa esse necessitantia ad consensum meritorium, & salutarem, liberum propterea, ut aiunt, dumtaxat à coactione, quamvis non à necessitate. Alterum, hæc auxilia gratiæ victricis, reparativa per Christum, facere non solum, ut possimus; sed etiam ut velimus, & faciamus: dant enim non solum posse; sed etiam velle; auxilia verò illa intrinsecè indifferentia statui naturæ integræ, & Angelorum viatorum, facere dumtaxat, ut possimus, non verò, ut faciamus, & velimus: quia dabant posse, non tamen velle: hoc enim relinquebant libero arbitrio sano. Primum additamentum rejicietur *disp. 25. sect. 2.* Secundum *disp. 10. sect. 4.* Nunc prima illi discriminatio essentialis auxiliorum naturæ integræ, & lapsæ rejicienda est. Quam tamen iactant cum Jansen. *cap. 17. de Grat. primi hom. esse Civem doctrinæ Augustinianæ: Cladem dixerint consultius, si veritatem, & sinceram Augustini intelligentiam amarent.*

92 Prætexunt primò in hanc suam finitram exitimationem Augustini verba *cap. 11. de Corrept. dicentis,* quod in statu Innocentiæ dederat homini Deus bonam voluntatem: in illa quippè eum fecerat, qui fecerat rectum: dederat & adiutorium, sine quo in ea non posset permanere, si vellet; ut autem vellet in eius libero reliquit arbitrio. Dixerat prius: *Nec ipsum ergo Deus esse voluit sine gratia, quam reliquit in eius libero arbitrio.* Et iterum: *Tale quippè erat adiutorium, quod desereret, cum vellet; & in quo permaneret, si vellet; non quo fieret, ut vellet. Hæc prima gratia est, quæ data est primo Adamo.* Et mox: *Sed hæc potentior est in secundo Adamo (id est per Christum in natura lapsa.) Prima enim est, quæ fit, ut homo habeat iustitiam, si velit; secunda*

ergo

ergo plus potest, quæ etiam fit; ut velit; & tantum velit; tantoque ardore diligit, ut carnis voluntatem; contraria concupiscentem; voluntate spiritus vincat. Ecce ergo in Augustino Gratiam victricem: Ecce adiutorium, sine quo non in naturâ integrâ; & aliud, quo fiat, ut homo velit; in naturâ lapsa.

93 Secundò: alia eiusdem verba *cap. 12. ibi: Ipsa adiutoria distinguenda sunt: aliud est adiutorium, sine quo aliquid non fit; aliud est adiutorium, quo aliquid fit. Primo itaque homini, qui in eo bono; quo factus fuerat rectus, acceperat posse non peccare; posse non mori; posse non deserere ipsum bonum; datum est adiutorium perseverantiæ: non quo feret, ut perseveraret; sed sine quo per liberum arbitrium perseverare non posset. Nunc verò Sanctis in Regnum Dei per gratiam Dei prædestinatis, non tantum tale adiutorium perseverantiæ datur; sed tale, ut eius perseverantia ipsa donetur: non solum, ut sine isto dono perseverantes esse non possint; verum etiam ut per hoc donum non nisi perseverantes sint. Habemus ergo in Augustino discrimen istud efficaciæ, & non puræ sufficientiæ adiutorij dati naturæ lapsæ ad perseverandum ab adiutorio dato naturæ integræ, quæ non perseveravit in Adamo.*

94 Tertiò, ex subsequentiibus eiusdem verbis ibidem: *Præ ergo non acciperet hoc donum Dei, id est, in bono perseverantiam primus homo; sed perseverare, vel non perseverare in eius relinqueretur arbitrio, tales vires habebat eius voluntas, quæ sine ullo fuerat instituta peccato; & nihil illi ex se ipsa concupiscentialiter resistebat, ut dignè tanta bonitati, & bene vivendi facultati perseverandi committeretur arbitrium: Deo quidem præsciente, quid esset facturum iustè; præsciente tamen, non ad hoc cogente; sed similibi sciente, quid de illo ipse faceret iustè. Nunc verò, postquam illa magna peccati merito est amissa libertas, etiam maioribus dominis adiuvanda remansit infirmitas. Infert mox: *Ac per hoc, nec de ipsa perseverantia boni voluit Deus, sanctos suos in viribus suis, sed in ipso gloriari: qui eis non solum dat adiutorium, quale primo homini dedit, sine quo non possunt perseverare, si velint; sed in eis etiam operatur, & velle, &c.* Et dat rationem: *Nam, si in tanta infirmitate vita huius, &c. ipsis relinqueretur voluntas sua, ut in adiutorio Dei, sine quo perseverare non possent, manerent si vellet, nec Deus in eis operaretur, ut vellet; inter tot tentationes infirmitate sua voluntas ipsa succumberet:**

& ideo perseverare non possent; quia deficientes infirmitate; nec vellet; aut non ita vellet infirmitate voluntatis, ut possent. Subvenit igitur infirmitati voluntatis humanæ; ut divinâ gratiâ indeclinabiliter, & insuperabiliter ageretur. En gratiam reparativam per Christum subvenientem naturæ lapsæ; Victricem, & invincibilem, præ gratiâ naturæ integræ.

95 Quarto, verba, quæ subdit rursus Augustinus ibi: *Ita factum est, ut voluntas hominis invalida, & imbecilla, in bono adhuc parvo; perseveraret per virtutem Dei; cum & voluntas primi hominis fortis, & sana in ampliori bono non perseveraverit, habens virtutem liberi arbitrij; quamvis non defuturo adiutorio Dei, sine quo non posset perseverare, si vellet; non tamen tali, quo in illo Deus operaretur, ut vellet. Fortissimo qui ppè dimisit facere, quod vellet; infirmis servavit, ut, ipso donante; invictissime quod bonum est vellet, & hoc deserere invictissime nollent. En omnem gratiam datam lapsis invictissimam, nedum victricem semper; & efficacem, à differentia gratiæ datæ naturæ integræ.*

96 Quintò, quoad Angelos etiam nunquam lapsos ex *Cotensonio* cit. quâ parte dicto discrimini naturæ lapsæ, non satis sibi constans, adhærescit, *Moveritur ex Augustino cap. 11. de Corrept. dicente: Angelis malis, per liberum arbitrium cadentibus; per liberum arbitrium boni steterunt: quod tunc ita liberum erat, ut bene possent, & male. Nunc autem, per peccatum perditò bono merito, in ijs, qui liberantur, factum est donum gratiæ, quæ merces meriti futura erat: scilicet, liberi arbitrij. Agnovit ergo prædictum dicitur inen pro Angelis, & pro natura humana lapsa, quod ipsis (& idem est de natura humana integra) collata fuerint auxilia intrinsecè indifferentia, quibus non tribueretur velle, sed posse, eo quod velle liberum arbitrij; hominibus verò lapsis, & per Christum reparatis, intrinsecè efficacia, specie diversa, quæ dant posse, & velle. Similia habet Augustinus *cap. 7. de Dono Persev. ibi: Libertas voluntatis in illius primæ conditionis præstantia quantum valuerit, apparet in Angelis, qui, Diabolo cum suis cadente, steterunt. Et mox: Post casum autem hominis, non nisi ad gratiam suam Deus voluit pertinere, ut homo accedat ad eum, neque nisi ad gratiam suam voluit pertinere, ut homo non recedat ab eo.**

Sex:

August.

Cotens.

August.

August.

Supr. disput. 1. sect. 6.

Tom. de Christo, disp. 17. sect. 5.

Jansen. Calvin. Petr. M. Beza.

Aguirre.

Cotens.

August.

Infr. disput. 12. & 10.

Jansen.

August.

August.

97. Sexto tandem ex ijs omnibus prætextum hanc ratiocinationem. Cum diversus sit status hominis primitus sani, & post lapsum infirmi, diversum debet esse adiutorium gratiæ requisitum ad opera salutis in utroque statu. Si namque pro varietate morborum varia requiruntur medicamenta naturæ; quanto longius diversa auxilia gratiæ pro natura sana, ut erat in statu integro, & ægra, ut mansit post lapsum? Sed hæc auxiliorum diversitas stare aliter nequit, nisi penes id, quod in eo statu natura sana egeret adiutorio, sive auxilio, sine quo non posset agere bonum, seu perseverare, & quo illa pro libero arbitrij sui uteretur, vel abuteretur; infirma autem in hoc statu egeat auxilio, quare ipsa efficaciter sanetur, & indeclinabiliter, ac insuperabiliter agatur: ergo in hoc stat diversitas auxiliorum naturæ integræ, & lapsæ. Si enim in utroque statu adiutorio eiusdem rationis egeret natura humana ad actus salutares, frustra insudasset Augustinus in eo discrimine statuendo penes eos status. Comparavit igitur gratiam per se necessariam ad status integritatis, & corruptionis, attentâ conditione hominis sani, & infirmi: ita quod, quamvis lapsus, ob concupiscentiæ rebellis pugnam, egeat per se efficaci, & invictissimo adiutorio; sanus tamen dumtaxat egeret auxilijs sufficientibus: his enim datis, poterat perseverare, & bene agere, si vellet, eadem facilitate, quâ poterat ambulare: quatenus, sicut in creatione facultatem progressivam sanâ acceperat, sic etiam liberum arbitrium sanum, ac robustum, & virtutibus cunctis instructum ad bene agendum in ordine quoque salutari.

SECTIO VIII.

Communis, ac vera, verèque Augustiniana Catholicorum sententia.

98. HIS tamen moliminibus nequa sit Orthodoxorum sententia, auxilia gratiæ eiusdem esse rationis essentialis, intrinsecè, & entitativè, pro statu naturæ lapsæ, ac integræ: quidquid sit de discriminiibus accidentalibus prænotatis num. 88. Sic adversus Jansenium, Ripald. Decaps. da tom. 3. disp. 24. Decamps de Hæc. Jans.

sen. lib. 3. disp. 3. dub. 4. Gonetus disp. 5. de Conet. Gra. Philip. à SS. Trin. dub. 8. Card. de Aguirre disp. 132. Discalc. Salmant. 1. 2. vraz. 14. disp. 6. Requesen. in Select. disp. 3. contra Vindicias Henrici de Noris. Petavius in Lib. sing. Id quod adversus Calvinum edocuerant Albert. Pighius lib. 5. de liber. arb. Malderus 1. 2. dub. 11. de Divis. Grat. Horantius lib. 1. loc. Theol. cap. 55. & 56. Pennot. lib. 9. cap. 13. Tapper. ad art. 7. alijque docti Lovanienles Baianism, & Jansenismo non infecti.

99. Mitto in disp. 12. & 25. probationes huius sententiæ, & impugnationes supraexpositi Jansenismi, quatenus ex hoc suo principio negat in natura lapsa libertatem à necessitate præ efficacitate, & invincibilitate auxiliorum gratiæ vîctricis: quo nihil adversantius Augustinianæ disciplinæ. Et agam unicè, quod nunc agimus, contra discrimen essentialè auxiliorum horum statuum, à Pseudoaugustinianis Calvinismi fautoribus petulantissimè celebratum, tanquam clavim, basim, & fundamentum Augustinianæ doctrinæ, non absque iniuria tanti Doctoris.

100. Audiatur in primis cap. 35. de Spirit. & lit. exponens orthodoxam de gratia, & libero arbitrio sententiam: ibi: Attendat, & videat, non ideò tantum istam voluntatem divino muneri tribuendam, (id est bonum velle nostrum) quia ex libero arbitrio est, quod nobis naturaliter concreatum est; verum etiam, quod visorum suasionibus agit Deus, ut velimus, & credamus; sive extrinsecus per Evangelicas exhortationes, &c. En auxilia externa: Sive intrinsecus, ubi nemo habet in potestate, quid ei veniat in mentem. (En interna sanctorum cogitationum, seu illustrationum) Sed consentire, vel dissentire propria voluntatis est. (En indifferentiam liberi arbitrij, posita gratiâ externâ, & internâ.) His ergo modis, quando Deus agit cum anima, ut credat: (neque enim credere potest quolibet libero arbitrio, si nulla sit suasio, vel vocatio, cui credat;) profecto & ipsam bonum velle Deus operatur in homine. En totam doctrinam Catholicâ nostrâ sententiæ conformem in Augustino. Loquitur enim de nobis in natura lapsa, auxilia gratiæ confitens externa, & interna, sine quibus nõ possemus salutariter consentire, & cum quibus possumus consentire, aut dissentire ad libitum arbitrij sic

sic adiuti; & tamen ipsum nostrum consentire, seu bonum velle liberum tribuens, non solum arbitrio libero, sed potissimum gratiæ naturæ lapsæ. Ubinam ergo discrimen illud Calvinianum, & Jansenianum auxiliorum naturæ integræ, & lapsæ, prorsus oppositum capitali huic doctrinæ Augustinianæ? Caviolationes Jansenij post Kemnitium ad hæc Augustini verba detorquenda contemptas, aut reiectas lege apud Staplet. tom. 2. lib. 4. cap. 4. Bellarm. tom. 4. lib. 6. de liber. arb. & Decamps cap. 1. & iunge supradictis eiusdem Augustini verba lib. 50. Homil. 12. ibi: Cum per Dei adiutorium in potestate tua sit, ut non consentias Diabolo, quare non magis Deo, quam ipsi obtemperare studes? Supponit ergo, nos lapsos, stante Dei etiam adiutorio, non obtemperare Deo, sed Diabolo: atque adeò adiutorium gratiæ non semper esse efficacax in natura lapsa ex mente Augustini: ad quam abs dubio respexit contra Lutherum Trid. sess. 6. can. 4. & novius contra Jansenium Innoc. X. in damnatione secunda propositionis: in qua damnatum intelligitur discrimen, quod impugnamus, auxiliorum naturæ integræ, & lapsæ.

101. Hanc Augustini mentem commendat ac illustrat mirificè Augustini studiosissimus assecla Fulgentius lib. 2. ad Thrasymund. cap. 3. ubi de gratia sic: Ipsa igitur homini reparando fuit necessaria: quia non alia stantem Angelum à ruina potuit custodire, nisi ipsa, quæ lapsum hominem post ruinam potuit reparare. Vna est in utroque gratia operata in hoc, ut surgeret; in illo, nõ caderet; in illo, nõ vulneraretur; in isto, ut sanaretur illius, esca; huius, medicina. Nihil eloqui potuit illustrius Augustinianæ mentis scrutator fidelis. Eandem fatetur gratiam pro Angelis nunquam lapsis, & consequenter pro primis hominibus ante lapsum, ac in natura hominum lapsa, & reparata, tollens de medio Pseudoaugustinianam machinationem prædicti discriminis: & nos elocens differentissimè, differentiam gratiæ reparativæ, medicinalis, seu sanativæ pro statu naturæ post lapsum infirmæ; à gratia sanitatis, seu præservativâ pro statu naturæ integræ, sive Angelicæ, sive humanæ; esse dumtaxat accidentariam, & extrinsecam, eidem entitativè gratiæ advenire potentem: ut præmonuimus num. 90.

102. Nec per hæc adversatur Augusti-

no. cap. 11. de Corrupt. Quinimò in eiusdem verbis, quamvis à Pseudoaugustinianis August. contra nos allegari solitis, varia discrimina auxiliorum naturæ lapsæ, ac integræ, accidentaria tantum discernere poterimus sine fundamento ad imaginarium, & antiaugustinianum istud discrimen essentialè. Augustini verba sunt: Quid ergo? Adam non habuit gratiam? Imò verò magnam; sed disparem. Ille in bonis erat, quâ bonitate sui Conditoris acceperat: neque enim illa bona, & ille suis meritis comparaverat; in quibus nullum prorsus patebatur malum. Sancti verò in hac vita, ad quos pertinet liberationis gratia, in malis sunt, ex quibus clamant, libera nos Domine. Ille in illis bonis Christi morte non eguit; istos à reatu hereditario, & proprio Agni sanguis absovit: ille non opus habebat eo adiutorio, quod implorant isti cum dicunt, video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, &c. Quoniam in eis caro concupiscit adversus spiritum: atque in tali certamine laborantes, dari sibi pugnandi, vincendi quæ virtutem per Christi gratiam possunt. Ille verò, nulla tali re ipsa à se ipso adversus se ipsum tentatus, atque turbatus, in illo beatitudinis loco suâ secum pace fruebatur. Proinde, etsi non latiore nunc, verumtamen potentiore gratiâ indigent isti.

103. En, inquam, ab ipso Augustino graphicè descripta vera discrimina accidentalibus auxiliorum naturæ lapsæ, & integræ. Ubi mirum esset silentium, quod etiam in alijs Patribus, qui Augustini doctrinam ebiberunt, & in S. Thoma, quem Jansenius ipse, Augustinum contra-ctum, appellat, mirandum etiam esset, de hoc novo, ac notabilissimo discrimine essentiali; si venisset ipsis in mentem, ut approbarent. Disparem, ait, habuit gratiam Adam: non quidem disparitate essentiali, sed, quia ille in bonis erat illius status felicitissimi; in quo, ut ipse loquitur August. 12. de Civit. 9. erat Deus simul in eis condens naturam, & largiens gratiam. Homines verò lapsi in malis sunt: vel enim perseverant in peccato; & sic egent Christo Redemptore ad satisfactionem condignam, quo non sic egebat homo innocens: vel iam per Christum iustificati surrexerunt à lapsu peccati; & sic adhuc laborant fomite, & patiuntur rebellionem appetitis contra rationem: ideoque egent gratiâ pro hac pugna, pro qua non egerent hac ipsa gratia in sta-

Staplet. Bellar. Decaps. August.

Triden. Innoc. 10.

Fulgen.

August.

tu integritatis, eiusmodi pugnam excludente, quamvis illa egerent ad salutari-ter operandum. Unde concludit egregie, quod in isto statu naturæ lapsæ indigemus gratiâ, non latiore, cum supponat lapsam lachrimabilem; sed potentiorē: non quidem per se efficaciorē, & abintrinseco semper victrice; sed aut uberiorē, aut intensiorē, ut præponderet concupiscentiæ carnis effræni, & foveat, ac corroboret naturam infirmam. Quod quidem nihil specificè diversum significat in gratiâ sive efficaci, sive sufficiente, in utroque illo statu; sed gratiæ eiusdem rationis specificæ, aut diversas denominationes, aut accretionem penes magis, & minus; ut ex tota Augustiniana contextura sit manifestum, nullâ factâ mentione, ubi è re subiectâ maximè videbatur, de prædicto Pseudoaugustinianorum discrimine.

August. 104 Subiungere iuvat pro Catholicis rationem fundamentalem huius Augustinianæ doctrinæ, & appositissimam ad prædictos Pseudoaugustinianorum insultus coercendos. Sed præluceat Augustinus ipse lib. 2. de duab. animab. cap. 11. rem naturæ lumine notam sic decantans: *Nec hi libri obscuri mihi scrutandi erant, unde discerem, neminem vituperatione, suppliciorum dignum, qui id velit, quod iustitia velle non prohibet; aut id non faciat, quod facere non potest. Nonne ista cantant, & in montibus pastores, & in theatris poëta, & indocti in circulis, & docti in bibliothecis, & Magistri in scholis, & Antistites in sacris locis, & in orbe terrarum genus humanum? Statutum itaque sit, inesse rationali naturæ, etiam lapsæ, liberum arbitrium agendorum, quo possit homo, etiam lapsus, pro libito multa facere, quæ non facit, & multa non facere, quæ facit: alioquin, nec laude, nec vituperio, nec præmio, nec supplicio dignus foret homo: contra quod lumine rationis cunctis est notum.*

105 Nunc sic. Tota hæc humana libertatis Philosophia, & Theologia corruit in nobis per prædictum discrimen Jansenisticum, sive adsit, sive desit naturæ lapsæ illud Gratia adiutorium, Quo, supra explicatum: ergo tanquam indignum Augustino, & rationi naturali repugnans explodendum est. Antecedens ostenditur. Nam, iuxta veterum, ac recentium Philosophorum, & Theologorum definitionem liberum arbitrium simpliciter,

& absolute dictum, dicit potestates expeditas, aut pro libito suo expeditas ad agendum, & non agendum, stante penes ipsum indifferentiâ electivâ ad alterutram partem, ut alibi monstramus. At, iuxta prædictum discrimen, voluntas hominis lapsæ, sive adsit ei adiutorium Quo; sive non adsit, non est sic indifferenter potens pro libito agere, & non agere: ergo corrumpit sic funditus eius libertas. Probatur minor. Si namque adsit adiutorium illud Quo ad agendum, ita irresistibiliter fertur ab illo ad bene agendum, ut non possit hic, & nunc non agere, nisi ad summum remotè, quatenus tale adiutorium potuit non adesse, eo scilicet genere potestatis, quod nec Lutherus, nec Calvinus à Tridentino reiecti negaverunt. Si verò desit, cum nec aliunde in natura lapsæ admittant adiutorium sufficiens, non potest voluntas bene agere, nisi improprie admodum, & remotè, quatenus illud potuit non deesse, eo similiter potestatis genere, quod nec ij Heretici negabant: ergo, sive adsit, sive desit eiusmodi adiutorium, Quo, iuxta explicationem dicti discriminis, corrumpit in natura lapsæ omnino libertas, & planè per lapsum non modo extenuatum, & vulneratum, quin etiam extinctum fuisset liberum arbitriū contra definitionē Tridentini sess. 6. cap. 1. de quo nos disp. 1. sect. 2. Videndus etiam R. P. N. G. Thyrius tom. 1. disp. 17.

SECTIO IX.

Respondetur ad Superius opposita: & mens Augustini Magni sincerè, ac solide retinetur.

106 **T**ENVERAT hanc nostram, & Augustini Catholicam sententiam Guilielmus Estius, quem meritò, & ipsi etiam Advertarij magni faciunt. Quia tamen Heretici plus nimio insultabant ex apicibus verborum Augustini sibi specie tenus arridentibus, scribere non dubitavit ingenuè in 1. dist. 41. §. 14. ad hunc modum: *Quodsi nihilominus contendat aliquis, Augustini verba lib. de Cor. & Gra. cap. 12. huc inspecti non posse, putetque eum revera alterius esse sententia; tum respondebimus, ea quæ de adiutorio primi hominis, & Angelorum obscuras, & ut videtur, extra Scripturæ autoritatem ab illo disputata sunt, non debere præiudica-*

Trident. Supra disp. 1. R. P. N. G. Thyrius.

Estius.

re doctrinæ, quæ apud alios Patres, ipsumque S. Thomam, in eiusmodi rebus exactissimum Doctorem, expressè reperitur: maximè propter rationes in eam partem gravissimas, & ut nobis videtur, insolubiles, & clarè in Scriptura fundatas. Hæc Estius: & super hoc omnino videndum prudentissimum iudicium Sapientissimi Card. de Aguirre disp. 136. per totam: quæ est de autoritate S. Augustini, præsertim circa Gratiam, & liberum arbitrium. Sed necesse nobis non est, ad hæc confugere, si penitus Augustini testimonia à Pseudoaugustinianis contra nos factata introspectantur.

Aguir.

Bellar. Decaps. Aguir.

107 Ad primum ex num. 92. respondent ex Bellarmino, Decamps, & alij, quod valde probabile visum est Cardinali de Aguirre sect. 7. nomine adiutorij, sine quo non in statu integritatis intellexisset Augustinum adiutorium gratiæ habitualis, sine qua non posset Adamus integer perseverare, ut per se patet, & de facto non perseveravit, idèoque dedit solum posse: at in hominibus lapsis prædestinatis dat, ut cum illa, & in illa finaliter perseverent. Quidquid tamen de hoc sit, damus, loqui Augustinū de Actuali: & respondemus, ibi neutiquam contradistingui ab Augustino universim adiutoria naturæ integræ, & lapsæ ex eo quod in integrâ omnia fuerint tantum sufficientia, & in lapsâ omnia efficacia: cum certum esse debeat, in utraque fuisse, & esse, alia tantum sufficientia, & alia efficacia: in integrâ, quia ad aliquos actus bonos salutare, quos Adamus exercuit in illo statu, habuit sine dubio auxilia efficacia, quibus scilicet re ipsa exercuit tales actus; & ad abstinendum à ligno vetito, habuit auxilium tantum sufficienti, siquidem re ipsa non abstinuit: & idem dicere est in Angelis. Idemquè similiter evenit in hominibus lapsis: quippe ad multa, quæ non faciunt, habent auxilium tantum sufficienti, ut possint ea facere, & sine quo non possent; & ad alia, quæ re ipsa faciunt, habent auxilium efficacax, quo ea faciunt. Non ergo contradistinxit universim Augustinus ibi adiutoria cuncta naturæ ex gratiâ penes id, quod utrique statui commune est. Sed singulariter contradistinxit adiutorium datum Adamo ad perseverandum in eo statu integritatis, ab adiutorio, quod datur lapsis prædestinatis ad finaliter per-

severandum in gratiâ: & de illo ait optimè, fuisse adiutorium tantum sufficienti, & sine quo non poterat perseverare; non tamen, quo perseveraverit; siquidem non perseveravit; & dedisse posse, non tamen dedisse velle, siquidem tale velle Adamo non fuit positum: de isto verò ait optimè, esse adiutorium efficacax, quo Prædestinati perseverant, quippe re ipsa perseverant; & dare non solum posse, sed etiam velle, quippe re ipsa possunt, & volunt. Quod autem vocat hæc gratiâ potentiorē, non significat esse ab intrinseco sui efficacem, & necessitativam ad velle, ut volunt Jansenistæ; sed, aut uberiorē, aut intensiorē, aut aliter virtuosiorē, ut ex eodè Augustino explicuimus n. 103. Hanc appositissimam sui intelligentiam indubitata reliquit Augustinus ipse cap. 12. verbis relatis num. 93. *Primo itaque homini, &c. Relege ibi, & perpende, si doctrinam amas Augustini contra illius corruptores.*

108 Ad secundum ex num. 93. respondetur, ex illo dari lucem responsioni præcedenti. Hic enim se explicat Augustinus conceptissimè, sermonem utrobique sibi fuisse comparando auxilia data Adamo ad perseverandum in statu integro, cum auxilijs, quæ in statu naturæ lapsæ dantur Sanctis Prædestinatis ad perseverandum finaliter in gratiâ. Sicquè verissimè est, illud primi hominis adiutorium tale fuisse, sine quo non posset perseverare, non verò, quo re ipsa perseveraverit; dedisse posse perseverare, non verò ipsam perseverantiam; siquidem primus homo non perseveravit in eo statu: adiutorium autem istud Prædestinatorum ad perseverandum finaliter in gratiâ, esse tale, quo re ipsa perseverent, & cum quo non nisi perseverantes sint, & dare posse perseverare, & ipsam perseverantiam; siquidem isti re ipsa finaliter perseverant. Quid clarius? An propterea ex Augustino in illo statu integritatis non datum est ad alios varios actus supernaturales adiutorium, quo re ipsa facti sunt? aut in statu naturæ lapsæ non datur nobis ad multos actus adiutorium, sine quo non possent fieri, cum quo tamen non fiunt? Sunt itaque pro utroque statu promissæ auxilia gratiæ purè sufficientia, & auxilia efficacia; adiutorium, sine quo non, & adiutorium, quo, in sensu verissimo, &

planissimo Augustiniano, prorsus alieno à Janfeniano.

109 Ad tertium ex num. 93. respondetur, nihil indè inferri pro Janfenistis contra nos. Pergit enim Augustinus consequentissimè, comparans adiutorium Adami ad perseverandum in statu integritatis; cum adiutorio lapsorum Prædestinatorum ad perseverandum in statu gratiæ: & dat rationem aliquam congruentiæ, cur in statu naturæ lapsæ dentur adiutoria potentiora, & uberiora, ex quibus multa evadunt efficacia ad finaliter perseverandum, quam data fuerint Adamo in statu naturæ integræ ad non labendum: quia nempe natura integra non habebat pugnam concupiscentiæ effrænæ, & erat integrè sana; natura verò lapsa, utpotè infirma, & pugnam effrænæ concupiscentiæ iuste patiens, maiori indiget ut plurimum adiutorio, ut vincat resistentiam concupiscentiæ: idèdque cum pari adiutorio gratiæ non esset ita fidendum de istius, ac de illius libero arbitrio, quòd actu benè ageret: quamvis utraque posset benè agere, & sine adiutorio neutra posset. Id quod expressit verbis pro nobis adductis n. 102. ex cap. 11. dicens, quòd ille, scilicèt Adamus integer, in bonis erat: Sancti verò post lapsum, in malis sunt, ut expendimus ibi. Undè infert rectissimè, hos Sanctos finaliter perseverantes, (quod & de quocumque benè operante præ non benè operante, sive in statu naturæ lapsæ, sive integræ, dici potest, ac debet) non in viribus suis, sed in Deo gloriosandos, quia illis dedit posse, & velle: siquidem re ipsa possunt, & volunt adiuti per gratiam: non autem sic Adamo, ad perseverandum in eo statu: cum enim non positum fuerit re ipsa suum velle, non dedit Deus velle, sed posse. Verba, quæ restant enucleanda obscuriora sunt; sed lucem accipient ex dicendis num. seq.

110 Ad quartum ex num. 95. dico, persistere ibi Augustinum in eadem doctrina sub eadem contrapositione Adami non perseverantis, & Sanctorum nunc perseverantium: quorum utique velle; & actu perseverare tribuitiure merito gratiæ adiutorio, quo re ipsa perseverantes fiunt, *invictissimè*; & superius ingeminaverat, *indeclinabiliter, & insuperabiliter*. Quibus terminis haud significatur, ut

invertunt Adversarij, Gratia semper *victrix* in statu naturæ lapsæ; sed *victrix* in perseverantibus, & continentibus, quibus utique dat posse, & velle; cum ipsorum tamen libero consensu, & cooperatione: in illis scilicèt, in quibus iuxta phrasim Apostoli, gratia Dei vacua non est, & purè sufficiens; sed efficax, congrua, & re ipsa obtinens consensum: & hoc quidem, sive in statu naturæ lapsæ, sive integræ: quatenus videlicèt Deus cuncta præsciens, & omnem auxiliorum congruentiam ad liberum arbitrii prænoscentem, per gratiam suam excitantem, ut verbis utar Augustini lib. 1. ad Simplic. *quæst. 2.* eum, quem efficaciter velle vult, sic vocat, quomodo scit ei congruere, ut vocantem non respuat. Quod autem ait, *invictissimè, indeclinabiliter, insuperabiliter*, non ad gratiam victricem necessitatem detorqueas cum Janfenistis; sed ad infallibilitatem, & certitudinem humani consensûs per illud adiutorium divini vocationis, sub quo præscivit Deus, consensum fore: iuxta tritam divini Prædestinationis definitionem ex eodem Augustino cap. 14. de Bonæ Persev.: *Præscientia, & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur quicumque liberantur*. Quod nullam vim importat antecederet necessitativam liberi arbitrii ad velle; sed necessitatem consequentem ex certitudine, & infallibilitate divini præscientiæ pro libito nostro evitabilem, ac proindè nullatenus oppositam absolutissimæ libertati à coactione, & à necessitate.

111 Ad quintum dico, ex primis verbis Augustini perperam inferri à Cotenfano, in Angelis bonis, & in creatura humana integra dedisse Deum adiutorium, *sine quo non*, id est, ex se dumtaxat sufficiens; in natura verò lapsa dare potius adiutorium, quo, id est, per se, & intrinsicè efficax, quod importare possit offendiculum aliquod libertati tam à coactione, quam à necessitate lapsorum: hoc enim opponitur, ut vidimus, doctrinis capitalibus Augustini. Inferri solum potest, Angelos malos, sicut & Adamum, quavis gratiâ preventos, per liberum arbitrium cecidisse; & bonos, gratiâ quoque preventos, stetit per liberum arbitrium sanum, idèdque non ita ignorantiz, & passionibus obnoxium, adiutum tamen

Augusti.

Augusti.

211

auxilio gratiæ, ut contra Baium definiit Apostolica Sedes: & ad summum, homines lapsos propter pugnam passionum, & debilitatem naturæ infirmæ gaudere per Christum uberioribus, ac præstantioribus adiutorijs gratiæ, quamvis non ex se; & intrinsicè efficacibus: quod fatebitur. Difficilius est quod sequitur: *nunc autem per peccatum, &c.* undè sumpsit ansam Baius ad multas ex suis propositionibus damnatis. Sensus tamen Augustino dignus est, quòd nunc post lapsum, quo facti sumus positivè indigni illà libertate constitutà per gratiam, qua possumus benè agere salutariter, est specialiter ex gratia, & ex misericordia Dei per Christum reparatorem, quòd illam habeamus: non quia illa non fuerit gratia etiam respectu Angelorum, & Adami in natura integra; sed quia respectu nostri post lapsum facta est specialius donum gratiæ, & ut ita dicam, dupliciter nobis gratia: uno titulo, quia non ex debito, nec ex merito, sicut nec in illis; alio titulo, quia post demeritum, quod non fuerat in illis, & quo positivè nos illam demerimus, iustissimè puniri possemus privatione omnis divini gratiæ; nisi misericordissimè tantum Reparatorem habuissemus. Quo fit, ut quamvis illi, & nos eiusmodi libertatem habeamus per gratiam; nos quidem illam habemus per gratiam medicinalem reparativam post demeritum peccati, qua indulgentiâ illi non indiguerunt. At hæc, ut notavimus num. 90. est quidem differentia inter gratiam naturæ integræ, & lapsæ, non essentialis, sed tantum accidentalis, & extrinseca. In alio testimonio ex cap. 7. de Bonæ Persev. cum constet apud Catholicos contra tertiam, & quartam propositionem Baij, nec in Angelis, nec in hominibus integris fuisse meritum per liberum arbitrium absque adiutorio gratiæ, solum voluit Augustinus commendare præstantiam liberi arbitrii sani, ac robusti in illis integris; præ libero arbitrio infirmo, & extenuato in nobis lapsis: non ex eo quòd utrique non egeamus adiutorio gratiæ indebitæ, elevantis utramque naturam ad supernaturalem; nec ex eo quòd illorum gratia fuerit diversæ rationis essentialis à nostra; nec ex eo quòd non dederit illis volentibus sicut, & nobis, posse, & velle; nec ex eo

quòd gratia nostra debeat potius esse intrinsicè, ac per se efficax; sed ex eo quòd illi pollebant libero arbitrio sano, nos autem habemus infirmum, idèdque uberioribus gratiæ auxilijs indigum, & contra passionem effrænæ specialius roborandum. Nec obstant posteriora verba: *post casum autem, &c.* Non enim per ea exclusit Augustinus cooperationem liberi arbitrii nostri; sed commendavit Dei misericordiam, & Reparatoris beneficium erga naturam positivè indignam illà ipsà gratiâ, quæ in statu integro non erat reparatrix, & in lapso est reparatrix ruinæ peccati.

112 Ad sextum ex num. 97. admitti potest illius ratiocinationis tota maior de aliqua diversitate accidentalibus, & extrinsecis auxiliiorum: nec enim paritas medicinarum aliud probat: cum sapè ad diversos morbos eadem entitativè profint medicamenta, aliter, & aliter alterata, & præparata. Minor autem tota falsa est cum consequentia. Iam enim vidimus, non in eo discrimine essentiali, sed in alijs multis accidentalibus, & extrinsecis diversificari adiutoria gratiæ pro natura angelica, ac humana integris, & pro lapsa. Primò scilicèt, quia, ut ait August. & nos explicuimus ad tertium, *illi in bonis erant; natura verò lapsa in malis est*. Secundò, quia illi non indiguerunt gratiâ, quæ in eis esset medicinalis, & reparatrix; benè verò nos, in quibus eluere debet labem peccati. Tertio, quia in illis non deserviebat, sicut in nobis, ad frandam intestinam pugnam concupiscentiæ pronæ ad delectabilia inconcessa, inconsultà ratione. Quarto, quia in illis innocentibus ea ipsa gratia erat lætior, quamvis in nobis, qui deliquimus, requiratur, ut plurimum, potentior. Quæ omnia ex August. collecta habet etiam S. Thom. 1. 2. *quæst. 109. art. 2.* Vbinam inter hæc discrimen illud essentialiale adiutorij, *sine quo non*, pro sola natura integra, & adiutorij, quo, pro sola lapsa, è cerebro Pseudoaugustinianorum explicatum?

113 Nec propterea frustra insudavit Augustinus in statuendo discrimine auxiliiorum gratiæ penès eos statum naturæ integræ, & lapsæ. Explicatio namque quadruplicis discriminis à nobis assignati, quamvis minimè essentialis, multa in-

S. Thom.

in-


involvit orthodoxo Augustini sudore digna; istud verò aliud discrimen essentialè, inaniter còfictum, servabatur sudoribus Heterodoxorum perperam collocatis. Produant se illo, quo utuntur, exèplo hominis sani, potentis, & infirmi non potentis ambulare. Quippè volunt, naturam integram esse quasi hominem sanum potentem naturaliter cum generali Dei concursu; & lapsam, quasi infirmum, non potentem sine speciali adiutorio sanante, aut adjuvante virtutem progressivam, ambulare. Exemplum currit pariter in doctrina damnata Baiianorum dicentium, in prima Angelorum, hominumque conditione gratiam, & originalem iustitiam illis fuisse ex debito natura: claudicat verò in doctrina sana: iuxta quam natura angelica, & humana, tam in statu integro, quam in lapso, ad actus salutare est non utcumque infirma, sed

impotens absque adiutorio gratiæ sibi indebito: ideòque utraque indiget adiutorio gratiæ ad salutariter progrediendum, ut ex Augustino didicimus *num. 101.*

114 Per hæc, repulso prædicto essentiali discrimine auxiliorum naturæ integræ, & lapsæ, diruta manet Janseniana Basis, cui innixam voluit Jansenius structuram earum propositionum, quas damnavit Apostolica Sedes. Erravit ergo in sabtruendo eiusmodi discrimine, sibi pro illo adrogans Augustinum; sicut in adstruendis, & Augustino etiam imponendis suis illis propositionibus: ut de ijs integrum sit nobis concludere verbis eiusdem Augustini *serm. 2. de Verb. Apost. sic concludentis, loquendo de Hæresi Pelagiana: A Sede Apostolica Rescripta venerunt: Causa finita est: utinam aliquando finiatur error.*

August.

Supra disp. 1. sect. 3.



DISPUTATIO III.

DE SUPERNATURALITATE AUXILIORUM Gratia Actualis.

VAMVIS Supernaturalitas spectare potius videatur ad quidditatem, & naturam auxiliorum gratiæ actualis, oportuit ob rei gravitatem specialem de ea Disputationem seorsim instituerè. Cuius materiem numerat merito Ripalda *disp. 105.* inter difficultates præcipuas Theologiæ. Nam ab ipsa maximè pendent resolutiones peruciles inter gravissima dissidia exorta circa necessitatem gratiæ auxiliantis penès Sapientissimos Theologiæ Proceres PP. Suarez, & Vasquez, eorumque Discipulos: de quibus seremus iudicium *disp. 6. 7. 8. & 9.*

Ripald.

Infra à disp. 6. 7. 8. & 9.

SECTIO I.

Status, & gravitas difficultatis.

CONVENIUNT primò hi præstantissimi Theologi in eo quòd dentur in nobis multæ bonæ cogitationes, bonæque affectiones naturales, excitantes, & allicientes, ad exercitium bonorum operum naturalium iuxta dictamen rationis naturalis. Constat hoc ex *disp. 1. sect. 2.* ubi vidimus, adhuc in naturâ lapsâ mansisse nobis libe-

Supra disp. 1.

rum arbitrium circa naturalia: non solum ad mala, ut volebat Baius, sed etiam ad aliqua bona, quæ in statu naturæ puræ possibilia nobis essent.

3 Conveniunt secundo contra Pelagium, eiusque reliquias, in eo quòd nullum opus salutare positivè conducens ad vitam æternam fieri valeat sine gratia Theologica supra ordinem creationis. Qui enim affirmant, actus virtutum, factos ex gratia cogitationis congruæ, esse salutare, dicunt cogitationem illam congruam, ex qua fiunt, quamvis entitativè

tivè naturalem, esse verè gratiam Theologicam per Christum. Qui verò negant, hanc esse verè gratiam Theologicam per Christum, negant illos actus entitativè naturales ex ea factos, esse salutare. Sic isti graves Theologi opponuntur simul cum Pelagio, & invicem inter se.

4 Conveniunt tertio, in eo quòd prædictæ cogitationes, & affectiones, etiam naturales, sunt in aliquo sensu Gratia Dei. Quia negari nequit, Deum liberè eas donare: quippè potuit, si vellet, res ita disponere, ut nobis non acciderent tales cogitationes congruæ: hoc est, cum quibus re ipsa benè operaremur, adhuc naturaliter: quod sufficit, ut in aliquo sensu dicantur gratia, seu beneficium Dei, ut notavimus *disp. 1. num. 32.*

5 Difficultas est: an eiusmodi cogitationes, seu affectiones congruæ sint, & vocari debeant Gratia strictius dicta Theologica auxilians: quam videlicet Concilia, Sancti PP. ac Theologi colligunt specialiter ex sacris Litteris adversus Hæreticos, præsertim Pelagianos, negantes necessitatem gratiæ ad actus salutare: an verò hæc gratia Theologica, conferens in salutem æternam, sint tantum sanctæ cogitationes, & affectiones in entitate supernaturales, ideòque elevioris perfectionis essentialis, exclusis à strictâ ratione gratiæ entitativè naturalibus, etiam congruis.

6 Prima sententia defendit, bonas cogitationes, piæque affectiones congruas in entitate naturales esse propriè, & absolutè auxilia gratiæ Theologiæ; atque adeò, quamvis concedantur auxilia multa ulteriora, quæ sint actus entitativè supernaturales; non tamen omnia gratiæ Theologiæ auxilia debere esse entitativè supernaturalia. Sic acriter P. Vasquez *1. 2. disp. 189.* & sæpè alibi. Torres *Opusc. 11. de Gra. dub. 3.* Granadus *tract. 1. de Gra. disp. 1. & in Præfat. num. 6.* Meratius *disp. 1. & 4. de Gra.* & doctissimi alij Magistri, præsertim ex præclara Familia Augustiniana: quibus favere dicuntur Coninc, Cardin. Bellarminus, & antiquiores alij: favetque novius Sfortia Cardin. Pallavicinus *lib. 2. qui est de Gra. cap. 2.* & P. Martinus de Esparza *quæst. 4. de Gra.* Addeit Oviedus *Contr. 3. de Gra. punct. 1. §. 1.* Gasparem Hurt. aliosque celebres Magistros Complutenses rationem, nomen-

Vasq. Torres. Gran. Merat.

Coninc. Bellar. Pallav. Espar.

Ovied. Hurt.

que gratiæ auxiliantis Theologiæ extendisse ad cogitationes, & affectiones in entitate naturales, etiam non congruas, sed solum sufficientes.

7 Secunda sententia negat eiusmodi cogitationes, piæque affectiones in entitate naturales, quantumvis congruas, esse auxilia gratiæ Theologiæ: docetque, gratiæ Theologiæ auxilia debere esse entitativè supernaturalia. Sic Doctores Eximius *lib. 1. cap. 17. & 18. & lib. 3. cap. 10.* Molina in *Conc. disp. 4. & 15.* Montoya de *Prov. tract. 4. disp. 40.* Ripalda *disp. 105.* Ovied. *Contr. 1. de Gra. punct. 9.* Arriaga *disp. 36. & 38. de Gra.* Alvarez, Albelda, Lorca, Gonetus, alijque apud ipsos: quibus favere quoque videntur Lessius *cap. 10. de Auxil. num. 31.* & Bellarm. *lib. 5. de Gra. & lib. arb. cap. 3.* & noviter Eminentiissimus de Aguirre *tom. 3. disp. 117. & 118.*

8 Observa pro prima sententia, quòd eius Authores, quamvis dicant, eiusmodi cogitationes, & affectiones congruas, quas volunt esse auxilia gratiæ Theologiæ, esse in entitate naturales; aiunt tamen, esse supernaturales quoad modum ratione alicuius circumstantiæ extrinsecæ: scilicet, sive ex eo quòd eveniant per merita Christi, sive ex Dei voluntate illas ordinante in vitam æternam, sive ex eo quòd hic, & nunc eveniant huic voluntati, id in talibus circumstantijs non exigente naturâ; cum naturalissimè potuerit Deus sic ipsum naturæ cursum ordinare, ut non eveniret hæc cogitatio in tali homine, aut eveniens non accenderet hunc piæ affectum; sive tandem, quia ad nullius causæ, seu dispositionis naturalis id pro nunc exigentis, infundit Deus menti sanctam cogitationem, quam novit fore congruam: naturalem quidem entitativè; at non nisi supernaturaliter, & miraculoso modo pro nunc inditam: quemadmodum non nisi miraculose, & supernaturaliter reunitur cadaveri indisposito anima, quamvis entitativè naturalis. Authores autem secundæ sententiæ contendunt, hanc supernaturalitatem quoad modum non sufficere ad rationem auxilij gratiæ Theologiæ: quippè volunt auxilia gratiæ Theologiæ debere esse intrinsecè, & entitativè supernaturalia: taliter nimirum, ut ad entitates illas cogitationum, & affectionum, quæ verè sunt auxilia Theologi-

Suar. Molin. Mont. Rip. Ovied. Arria. Alvar. Albel. Lorca. Gonet. Less. Bellar. Card. de Aguir.

logica, in nullis circumstantijs dentur sufficientes vires in universa natura: quam utique totam absolutissimè ex intrinsecis suis superare debent, utpotèntia sublimioris ordinis divini, prout explicuimus *disp. 18. de Atrib. præserim sect. 10.*

9 Observa pariter pro secunda sententia, quòd eius Authores, quamvis dicant, eiusmodi cogitationes, piæque affectiones congruas entitativè naturales non esse propriè, & absolutè auxilia gratiæ Theologicæ; non tamen omninò negant esse gratias, & specialia Dei beneficia, distincta quidem à beneficio creationis præcisè physicè sumptæ; sed aiunt, eiusmodi gratias esse beneficia de ordine creationis, quamvis physicè distincta ab ipsa creatione: ac proinde esse gratias in ea laxiori acceptione gratiæ, quam explicuimus *disp. 1. num. 32.* non verò in acceptione strictiori gratiæ Theologicæ propriæ nostrarum disputationum, quam explicuimus *ibidem num. 33.* Hoc postremum, in quo dissentiant P. Vasquez, eiusque discipuli, probandum est ex discrimine gratiæ de ordine creationis à gratia Theologica ordinis divini: quod præstabit Sectio sequens.

SECTIO II.

Discernuntur utiliter gratia, ac beneficia Dei de ordine Creationis, ab auxilijs vera gratia Theologica

10 PRO isto discrimine stabiliendo laborandum est magnopere: nam exinde maximè pendet intelligentia, & resolutio præsentis controversiæ. Igitur, distinguere valdè debere gratias de ordine creationis ab auxilijs gratiæ Theologicæ; & ad illas, non verò ad ista, pertinere cogitationes, & affectiones entitativè naturales, etiam congruas, quamvis quoad aliquem ex supradictis modis dentur à Deo miraculosè; probatur multipliciter contra Patrem Vasquez.

11 Primò: quia ordo creationis non dicit solum beneficium creationis, sed complectitur multa beneficia creationi affinia; nec dicit unquam tantum rationem providentiæ Creatoris, sed multiplicem: est enim de ordine creationis productio naturæ rationalis, & potentia-

ram, quæ sunt illius proprietates, productio Cælorum, elementorum, aliorumque hominum componentium Rempublicam rationalem, & alia similia: ergo quidquid ex istis causis naturali cursu sequitur, censeferi debet de ordine, & iuxta providentiam creationis. Atqui, ut Adversarij nobis concedunt, sæpè cogitationes congruæ entitativè naturales eveniunt ex isto cursu, & combinatione naturali causarum naturalium, usque adeò ut mirum esset, nullas cogitationes congruas evenire ex tanta varietate eiusmodi còcursum: ergo quod sæpè eveniant, est de ordine ipso creationis, & non extra illum adæquatè sumptum, nec præter providentiam Dei, ut Creatoris naturæ rationalis. Quinimò specialis, ac studiosa, & quodammodo violenta videri posset Creatoris providentia, rerum naturalium cursum ita disponere, ut nullæ unquam cogitationes bonæ congruæ nobis occurrerent in tanta rerum varietate. Quemadmodum animalibus esset violèta illa dispositio causarum naturalium ab illorum Creatore, in qua nullus illis occurreret cibus salubris, & proficiuus; sed semper & ubique cibi insalubres, ac lethiferi, quibus continuò ægrotarent.

12 Secundò: quia, sicut Deus omniscius prænovit ordinem possibilem, in quo nullæ nobis congruæ cogitationes evenirent; sic etiam prænovit ordinem possibilem, in quo homo nasceretur cæcus, claudus, & rudis. Nihilominus tamen, quamvis speciale sit beneficium, & actione gratiarum dignum, quòd Deus non potuerit Petrum in eo ordine cæcitate, ruditatis, & claudicationis; at hominem nasci sine illis, & similibus defectibus, non reputatur beneficium extra ordinem creationis, ut habet Augustinus *lib. 4. contra Iulian. cap. 3.* Similiter ergo, quamvis, Deum liberè velle hunc rerum naturalium ordinem, in quo Petrus habet cogitationes bonas congruas, quas non habuisset in alio ordine etiam naturali, sit speciale beneficium Dei; non tamen est beneficium extra ordinem creationis, nec gratia Theologica. Cõfirmatur ex doctrina præcipuorum Adversariorum: qui, quamvis fateri debeant, potuisse Deum disponere talem rerum naturalium ordinem, in quo Petrus non haberet tot cogitationes bonas sufficien-

Agust.

Hurt.

tes, licet incongruas, quot nunc habet; dicunt tamen contra Gasparem Hurt. cit. *num. 5.* non esse beneficium extra ordinem creationis, quòd noluerit illum ordinem, sed istum: ergo similiter de congruis.

13 Tertio: quia, hominem produci in hoc ordine, concursuque rerum, in quo adiuvetur lege, doctrinà, monitis, & alijs adminiculis externis ad bonè, ac congruè cogitandum, non censetur à SS. Patribus beneficium extra ordinem creationis, nec gratia Theologica, quamvis sit aliqualè beneficium, & aliqualis gratia: id enim totum admittebat Pelagius, quem illi impugnabant, uti hostem veræ gratiæ Theologicæ: ergo, quamvis speciale quoque beneficium sit, & aliqualis gratia, poni hominem à Deo in eo rerum naturalium ordine, in quo plures occurrant cogitationes congruæ, quæ in alio ordine non occurrerent; nõ propterea censendum id est beneficium extra ordinem creationis, & gratia Theologica, quam Sancti Patres contra Pelagium adstruebant.

14 Quarto: quia cogitatio prava congrua ad malum non est extra ordinem creationis: ergo neque cogitatio bona congrua. Homini namque secundum se non minùs est indebita cogitatio prava congrua, quam bona congrua: cum æquè creari potuerit in aliquo rerum ordine, in quo non eveniret cogitatio prava congrua, ac in quo non eveniret bona congrua. Si igitur, eo non obstante, cogitatio prava congrua non est quid eveniens extra ordinem, sed de ordine creationis; neque illud obesse debet, quominus cogitatio bona congrua sit de ordine creationis. Dices, bonam, esse beneficium; non verò pravam. Verissimum. At non negamus, bonam præ pravam esse beneficium, & aliquomodo gratiam; sed contendimus, esse beneficium, & gratiam de ordine creationis, ad modum quo prava est malum de ordine creationis: in quo satis tenet paritas.

15 Ratio autem fundamentalis est. Quia, quemadmodum ens supernaturale, ut suo loco vidimus, debet superare totam Naturam; unam enim, aut alteram naturam multa naturalia superant; sic beneficium, seu gratia extra ordinem creationis, qualis est gratia Theologica absolutè dicta, debet esse extra omnem

ordinem creationis; extra unum enim, aut alterum ordinem creationis multæ ex gratijs, quas subdole admittebat Pelagius, absque dubio sunt, ut vidimus *num. 12.* Eo igitur ipso, quòd prædictæ bonæ cogitationes, & affectiones congruæ entitativè naturales, sint iuxta ordinem aliquem possibilem creationis, quamvis iuxta aliquem ordinem creationis, etiam possibilem, non essent, sunt absolutissimè de ordine creationis; atque adeò infra ordinem divinum gratiæ Theologicæ propriè dictæ, & extra ac infra rationem auxilijs Theologici conducentis ad finem supernaturalem vitæ æternæ.

16 Per hæc reiecta manet à fortiori illorum existimatio, qui & bonas etiam cogitationes entitativè naturales, quamvis non cõgruas, numerare aggressi sunt inter auxilia gratiæ Theologicæ. Contra quos, ultra superius dicta, indubium esse debet quod dixit Herize *disp. 25. cap. 8. num. 79.* illustrationes intellectus, & affectiones voluntatis, sicut & applicationem Omnipotentis ad cooperandum cū homine, quatenus præcisè necessariæ sunt, ut ipse possit servare legem naturæ, non posse dici gratias propriè loquendo. Cum enim ex ipsa hominis creatione sequatur, quòd Deus ei prohibeat mala, & præcipiat, aut consulat bona; ex ipsa etiam creatione sequitur naturalissimè, quòd debeat Deus ei exhibere ea, quæ necessaria sunt, ut præcisè saltem possit vitare mala, quæ ei prohibet, & facere bona quæ ei, ut Author naturæ præcipit, aut consulit: ac proinde ipsi providere cogitationes sufficientes, ut id possit. Dicere autem, quod id præstare debet Deus, ut Author gratiæ, ac proinde, eas cogitationes esse iam auxilia gratiæ; est implicatorium; quia si est ex debito, iam non esset gratia, ut didicimus ex Apostolo. Huc facit quod bonè scripsit Turrianus *Opusc. 2. de Grat. disp. 1. dicit. 1.* ex Suarez, à nemine, vel mediocriter docto dici posse, necessariam esse gratiam Theologicam ad peccandum contra legem naturalem. Esset autem ad id necessaria, si cogitatio purè sufficiens necessariissima ad posse observare liberè præcepta naturalia, ac proinde ad peccandum contra illa, esset auxilium gratiæ Theologicæ, ut per se patet.

17 Obijcitur tamen primò ex P. Vasquez *1. 2. disp. 90. cap. 12. à num. 119.* Ut ho-

Heriz.

Rom. 11.

Torres;
Suar.

Vasq. |

mo, quantumvis liber, habeat cogitationem congruam, qua scilicet moveatur cum effectu ad consensum liberum bonum, potius quam aliam incongruam, qua cum effectu non moveatur; non potest applicari à se ipso, sed applicari debet ab aliquo agente extrinseco, nempe Deo, cuius est, illam præ ista donare: & hoc quidem non necessarium, sed liberè ergo quoties homo habet hanc congruam, quamvis entitative naturalem, habet ab speciali gratia Dei distincta à dono creationis. Probatur consequentia. Nam ex vi suæ creationis, cum non magis inclinatur homo in unam, quam in aliam, imò sit indifferens ad alterutram, debet ab extrinseco principio applicari. At aliud non est, nisi Deus: qui propterea speciale beneficium confert homini, liberè applicans ipsi, indeliberatè illam suscipienti, congruam præ incongrua. Sive autem applicatio ista sit proximè à solo Deo, sive sit medijs causis extrinsecis naturalibus, referenda venit in Deum, sic disponentem causas naturales, ut re ipsa inferant cogitationem, quam novit ferè congruam, cum posset aliter disponere. Est igitur id ex speciali gratia Dei: atque adeò eiusmodi cogitationes liberali Dei voluntate nobis preparatæ rectè numerantur inter auxilia gratiæ actualis Theologicæ.

18 Confirmatur hoc ultimum ex eodem Vasquez cap. 10. & ex Meratio disp. 1. sect. 9. Solenne namque est argumentum SS. Patrum pro auxilijs gratiæ, quòd ea petamus à Deo per Christum, & pro ijs collatis gratias agamus: ex quo inferunt eorum existentiam, & necessitatem, ut videre est in eorum verbis copiosè adductis à Vasquez, & Meratio. Ergo, si eas cogitationes congruas sic laudabiliter petimus à Deo, & pro illis gratias agimus, dicere opus est, aut illas cogitationes esse auxilia gratiæ Theologicæ extra ordinem creationis; aut argumentum toties ingeminatum à SS. Patribus, esse debile, & certè nullum. Cum autem hoc postariis dici nequeat, nisi derogando authoritati SS. Patrum, primum illud dici necesse est, scilicet eas cogitationes congruas, quamvis entitative naturales, esse, ac dici debere auxilia, & beneficia gratiæ extra ordinem creationis.

19 Respondetur, concessio antecè-

dente, negatio consequentiam quoad illud additamentum: *distincta à dono creationis*; intellecto, ut debet, dono creationis, non pro sola entitate physica productionis, sed pro ordine creationis ad illam pertinente, ut supra explicatum est. Ad probationem consequentia, negatur in primis in maiori, hominem ex natura sua rationali non magis inclinari ad cognitionem honestam congruam, saltem aliquam, quam in omnes pure sufficientes: imò vidimus *num. 11.* non nisi per aliquam quasi violentiam naturæ posse res ita disponi, ut nulla prorsus contingeret cogitatio congrua. Nec obest, quòd ex voluntate hominis satis instructi ad benè operandum per cogitationes sufficientes, sit illas ipsas cogitationes non esse congruas: sicque non staret per Deum, sed per hominem, quòd non essent congruæ. Quamvis enim verum hoc sit, & exinde inferatur, quòd carere omni cogitatione congrua, non eveniret tali homini coactè contra appetitum elicitum, cum voluntariè desinat facere, ne illæ cogitationes, quas habet, congruæ sint; non tamen inferitur, quòd id non eveniret quasi violentè contra appetitum innatum creaturæ ut rationalis, natura sua conditæ ad laudandum Creatorem. Sic, si quis voluntariè brachium sibi amputaret, esset quidem id quasi violentum contra appetitum innatum naturæ, quamvis verè voluntarium, ideòque non coactum contra appetitum elicitum. Concedo deinde, quòd non staret per Deum, illas cogitationes de facto eventientes non esse congruas; at per Deum staret, quòd nullæ eventirent ex illis, quas prævidet fore congruas: quòd tamen pertinet ad Deum iure conditionis creaturæ rationalis, nisi vellet ipsi ordini creationis aliquam vim inferre.

20 His tamen prætermisissis, concedi, vel permitti posset tota maior: & cõcessa minori, neganda est consequentia. Nam ex præmissis solum inferitur, quòd, eas cogitationes congruas eventire præ incongruis, sit beneficium Dei præter substantiam creationis, Deoque, ut specialiter benefactori tribuendum, & gratulandum; sicut quòd homo benè valeat, aut ingenio polleat, quòd non negabant Pelagiani; non verò inferitur, quòd sit beneficium extra totum ordinem creationis; ac proinde, neque quòd eiusmodi cogi-

cogitationes sint auxilia gratiæ Theologicæ, quam Pelagiani recusabant, & contundebant.

Suar.
Sor.
Veg.

21 Ad confirmationem certum omnibus esse debet, ut videre est apud Suarez tom. 2. de Relig. lib. 1. cap. 18. ex Soto, & Vega, non ex quacumque oratione, etiam pia, & prudenti, nec ex quacumque gratiarum actione pro aliquibus donis, seu beneficijs à Deo acceptis, inferri satis, ea dona, seu beneficia esse extra ordinem creationis. Certè enim, & pro ipsa creatione gratias Deo quotidie agimus: bonam petimus à Deo valetudinem, negotiorum temporalium exitum, pluviam, & terra fructus, & pro illis obtentis grates Deo reddimus; quæ tamen certè sunt beneficia de ordine creationis. Non ergo sufficienter arguitur, cogitationes congruas entitative naturales esse beneficia Dei extra ordinem creationis ex eo præcisè, quòd pro illis orare, & grates Deo agere utiliter, iusteque possimus.

22 Atque hinc, ut authoritati Sanctorum PP. eorumque argumentationi contra Pelagium satisfaciamus, sit conspicuum, mihi què indubitatum, aut Sanctos PP. non inferre existentiam, & necessitatem auxiliorum gratiæ Theologicæ ex eo præcisè, quòd pro illis orare, & grates Deo reddere consultum nobis sit, & in facijs Litteris passim commendatum; sed ex eo quòd pro illis oremus, & grates agamus; tanquam pro subsidijs ad opera conducentia ad vitam æternam, ad quæ sufficientes vires non sunt in toto ordine creationis; aut, quòd maxime advertendum est, sic ex Scripturis sapius argumentatos ad hominem contra Pelagium, qui ea subsidia ad actus salutares conducentes ad vitam æternam ex eo negabat, esse gratiam extra ordinem creationis, quia dicebat, esse debita nobis, sicut proprietates connaturales naturæ rationalis. Huic errori opponebant optimè Sancti PP. loca Scripturæ, in quibus iubemur pro illis orare, & grates Deo reddere, tanquam largitori liberali per Christum pro beneficijs gratuito, & non ex debito collatis, ut inferrent, non esse debita naturæ nostræ: atque adeò ex hoc capite non esse deijcienda à ratione gratiæ, & beneficij nobis indebiti. Non quia hoc utcumque sufficiat ad rationem gratiæ Theologicæ; sed quia hoc saltem requiritur, & negabatur à Pelagio, ut ex

defectu huius requisiti negaret gratiæ Theologicæ necessitatem ad actus salutares. Hoc autem requisito semel statuto à Patribus ex Scripturis, examabatur Pelagius, ne ex illo sui erroris capite subterfugeret veritatem existentia, & necessitatis gratiæ, quam evincebant SS. Patres, non ex solâ præcisè oratione, & gratiarum actione, sed ex alijs etiam Scripturarum testimonijs à nobis expendentis, dum opus erit.

23 Obijcitur secundo. Creatura rationalis est independens ab omni cogitatione congrua; cum hæc potius pendeat ab illa, ut à causa: omnis ergo cogitatio congrua est illi indebita, & donum extra ordinem creationis. Confirmatur. Quia naturæ cuilibet illæ tantum formæ debentur, quibus in sua ratione completur. Satis autem completur in sua ratione naturæ rationalis per cogitationes sufficientes, quibus constituitur in libertate: ergo congruæ sunt indebitæ, & extra ordinem creationis. Quòd si hæc essent de ordine creationis, quia potest dari aliquis ordo causarum naturalium, ex quo evenirent, etiam cogitatio congrua ad actum honestum difficillimum; aut quo vinceretur gravis tentatio, posse esse de ordine creationis; quia sequi posset ex aliqua dispositione rerum naturalium.

24 Respondetur in primis, idem argumentum fieri posse de cogitatione sufficienti. Deinde distingo antecedens: est independens à priori, concedo; à posteriori, nego: hoc autem sufficit, ut debeantur naturæ rationali iuxta ordinem creationis aliqua saltem cogitationes congruæ. Sicquè nego consequentiam. Ad confirmationem dico, naturam rationalem compleri satis quoad libertatem in actu primo per cogitationes sufficientes. At est quoque de illius ratione, aliquandò saltem benè operari in actu secundo; ac proinde aliquam interdum fortiri cogitationem congruam. Nec eadem est ratio pro cogitationibus congruis ad actus difficillimos, cum victoria gravium tentationum, ut dicemus *sect. 4.* inter respondendum ad argumenta
P. Vasquez.

G 2

SEC

SECTIO III.

Alia obiectiones, & responsiones cum
utilitate doctrinae.

25 **O**BJICITUR tertio ex Card.
Pallavicino cap. 2. de Grat.
num. 39. Potuit Deus multis alijs modis
res sic ordinare, ut obtineret fines om-
nes a se intentos, quin occurreret nobis
ea cogitatio, quâ novit nos bene opera-
turos: ergo, quod hæc occurrat, quam-
vis entitativè naturalis, est beneficium
speciale extra ordinem creationis: nam,
ut familiare est apud Augustinum, qui-
cumque bene operatur, grates Dei red-
dit, non solum pro potestate, communi
bene, & male operantibus, sed speciales
pro ipsa bona operatione.

26 Confirmatur Lex num. 40. Quam-
vis posset Deus unico decreto velle crea-
tionem hominum, eorumque actus bo-
nos naturales, discernendo, quod post
primam rerum creationem, præstaret re-
bus concursum dumtaxat generalem, ita
ut ex sola prima creatione, & ex casibus
fortuitis ortis à voluntate creatâ deter-
minarentur omnia; connaturalius tamen,
& congruentius fuit, id disponi
per diversa decreta. Connaturalius qui-
dem: quia, cum cogitatio sit effectus phy-
sicus creaturæ, ordo naturæ videtur po-
stulare, quod prius uno decreto creaturæ,
& posteriùs alio decreto eius effectus de-
cernatur. Congruentius autem, ut ita
creatura rationalis, postquam accepit ef-
fe à Deo, agnoscat tanquam novum Dei
beneficium ea, per quæ disponitur ad
bene esse. Sic verò à Deo defacto fuisse
dispositum, colligitur argumento apud
August. familiari ex oratione. Petimus
enim à Deo, & quidem non superflue,
sed utiliter, ut faciat nos bene operari;
sed non petimus decretum, per quod
nos creavit: ergo cogitatio bona, qua re
ipsa operamur, disponitur nobis decre-
to distincto à decreto creationis; ergo ut
beneficium speciale distinctum à benefi-
cio creationis.

27. Confirmatur secundò, extenden-
do hanc doctrinam ad status etiam na-
turæ integræ, imò & Angelicæ: non so-
lum prout de facto; sed pro qualibet
etiam possibili Dei Providentia. Deus
enim nullum potuit dare donum specia-

le alicui creaturæ in quovis statu, aut
casu possibili, nisi ex benevolentia spe-
ciali per solam providentiam, aut bene-
volentiam generalem, & indifferentem
ad eos, quibus id donat, & quibus id
negat. Id quod videtur supponi tanquam
certum ab Augustino cap. 8. de Corrept. &
Grat. Quatenus nempe ad ratione sum-
mi Boni pertinere videtur, nullum dari
bonum, cuius non sit causa per se, quod-
que habeatur à creatura quasi fortuito,
ita ut creatura illo fruens, nihil speciale
debeat Creatori ratione illius. Undè in-
tulit 12. de Civit. 9. nefas esse cogitare,
quod sancti Angeli non habuerint bo-
nam voluntatem à Deo, sed à se ipsis.
Alioquin, ait, haberent aliquid melius à se,
quam à Deo: cum melior sit affectus bo-
nus, quem haberent à se, quam voluntas
indifferens, quam habent à Deo.

28. Confirmatur tertio. Si enim co-
gitatio congrua ad actum bonum natu-
ralem haberi potest ex sola generali pro-
videntia Dei, ut Authoris naturæ, simi-
liter cogitatio congrua supernaturalis
haberi posset, ex sola providentia gene-
rali Dei erga naturam iam elevatam, ci-
tra specialem Dei benevolentiam: quod
est contra Paulum, supponentem, quod
nemo se discernit; & quod nihil boni
habemus, quod non acceperimus; & in-
crepantem eos, qui gloriantur, quasi
non acceperint. Quod autem neutrum
dici possit, ex eo patet, quia Deo tri-
buere debemus, quod significat eius de-
finitio apud Anselmum: *Deus est, quo nihil
melius excogitari potest.* At, si talis esset,
ut creaturæ possent non illi debere cun-
cta bona, aut ipse posset non intendere
quidquid boni sequitur ex suis operi-
bus; posset quidem cogitari aliquid
melius Deo; principium scilicet, cui ex
intentione speciali deberentur cuncta
bona creaturarum.

29 Respondetur, antecedens posse
esse verum, quoad occursum cogitatio-
num congruarum nobis pro hac deter-
minata occasione: falsum autem pro om-
nibus occasionibus per longum saltem
tempus. Non enim esset mundus ratio-
nalis opus tanto dignum Conditoris, si
taliter res ordinarentur, ut creaturæ ra-
tionales nihil unquam boni operaren-
tur in tanta rerum varietate: nec eius-
modi ordinatio, tam esset providentia,
quam positiva, & affectata, quasi impro-
viden-

videntia circa illas, ac proinde Deum
indecent, eique absolute impossibilis
ex suppositione creationis naturarum
rationalium. Undè negatur consequen-
tia: non enim sequitur ex antecedente
sic concessio, nisi quod ille occursum co-
gitationis congruæ nobis in hac, & illa
occasione sit speciale beneficium de or-
dine creationis; non verò extra ordinem
creationis: ad hoc enim deberet esse ex-
tra omnes dispositiones possibles natu-
rales rerum naturalium, ut dixi num. 15.
Ad illud quod ait Augustinus, de actione
gratiarum pro ipsa etiam bona opera-
tione, sufficit ratio specialis beneficij;
de ordine tamen creationis, ut fatemur.

30 Ad primam confirmationem nu-
m. 26. dico, totum antecedens esse mihi
falsum. Quippè Deum unico suo decre-
to virtualiter indivisibili voluisse cun-
cta, quæ voluit, tenui disp. 8. de Attrib.
sect. 4. & disp. 6. de Incarn. sect. 7. Non
enim ordo decretorum sequitur ordinem
rerum; sed sicut simul tempore vult Deus,
quæ non eveniunt simul tempore; ita si-
mul naturâ vult, quæ non simul naturâ
fiunt, sed servato ad invicem ordine suo
prioris, & posterioris, causæ, & effectus.
Estque hoc Deo ita connaturalius, & co-
gruentius, ut oppositis modis cuncta-
bundè multa discernendi sit Deo impos-
sibilis, utpotè divinæ supercomprehen-
sioni omnino repugnans. Undè, quam-
vis cogitatio congrua sit effectus creatu-
ræ, potuerunt uno ductu divinæ volun-
tatis decerni creaturæ, eiusque operatio.

Quod & in humanis videmus, dum uno
actu amamus finem, & inedia, quæ sunt
causa physica finis; & interdum actu
priori intento amamus finem, qui tem-
pore, & naturâ subsequitur ad positio-
nem mediorum. Eodem igitur decreto
voluit Deus; creaturas rationales con-
dere, & res ita disponere, ut aliqua illis
cogitationes congruæ naturaliter eveni-
rent: alioquin non satis illis provideret.
Nec propterea deest illis ratio agnoscen-
di cogitationes congruas hic, & nunc, ut
beneficium speciale; de ordine tamen
creationis: nec tollitur ratio petendi à
Deo cogitationes congruas, & ipsum
bene operari, ut speciale beneficium iux-
ta Augustinum; quandoquidem, quod
rerum eventus sic disponantur, ut cogi-
tationes congruæ hic; & nunc naturaliter
occurrant, benèq; operemur; debi-

tum nobis non est, quamvis extra am-
bitum omnis ordinis creationis non sit.
Nec oratio nostra petitiva attendit ad
ordinem decretorum; sed ad futuros re-
rum eventus, ut explicui disp. 18. de In-
carn. sect. 2.

31 Insistit tamen doctissimus Cardi-
nalis num. 44. fatendo, deberi quidem
creaturis rationalibus aliquam cogita-
tionem congruam hanc, vel illam ex vi
creationis. At, inquit, debitum vagum
non tollit rationem specialis beneficij
in exhibitione ad partem determinatam,
nisi quando id, quod exhibetur est mi-
nimum, quod dari debet, aut potest: quod
Deus nunquam facit: quippè non dat
cogitationem congruam minimam inter
possibiles; sed supra minimam, præfer-
tim si minima assignabilis non sit. Ergo
semper in exhibitione determinatæ co-
gitationis congruæ facit speciale benefi-
cium, aut quia illam exhibet hic, & nunc,
quando non debet; aut quia plusquam
debet. Atqui hoc beneficium iam est ex-
tra ordinem creationis: ergo semper re-
lucet in cogitatione congrua beneficium
extra ordinem creationis. Minor patet
quia ordo creationis, nec id exigit quan-
do non debetur, nec plusquam debetur.

32 Respondetur, concessâ, vel per-
missâ totâ doctrinâ antecedentis, & pri-
mæ consequentiæ, falsam esse minorem
subiunctam, & subsequentiam. Quamvis
enim rectè dicatur, in prædictâ exhibi-
tione hic & nunc cogitationis congruæ
determinatæ, supposito etiam illo debi-
to disiunctivo, relucere rationem specia-
lis beneficij; non tamen rectè subsumi-
tur, id esse beneficium extra ordinem
creationis; cum omnem creationis ordi-
nem minimè prætervolet. Do exempla
clarissima. Vnum in physicis: nam iure
creationis debetur huic homini aliquod
vagè temperamentum ad intelligendum;
& ad Deum, huius vagæ indifferentiæ
determinatorem, spectat, sic, vel sic res
naturales disponere, ut tale contingat
temperamentum supra infimum, aut
etiam supra mediocre: hoc tamen ultra
debitum est, ideòque speciale benefi-
cium; non tamen extra ordinem crea-
tionis: alioquin bonum ingenium esset
gratia Theologica contra omnes. Alterum
in moralibus: nam si Testator legasset
tibi unum equum è duobus, quos habet
dispare; & exequutor, vagè unum, vel
alium

Tom. 2.
disp. 18.

Pallav.

Tom. 1.
disp. 8.
Tom. 2.
disp. 7.

1. Cor. 4.

Ansel.

alium debens dare, det tibi meliorem; speciale tibi beneficium facit, ostendens se in hac ipsa determinatione tibi benevolens, cum posset esse rigidus, dans tibi equum inferiorem; non tamen est beneficium extra ordinem legati: nam modus ille legendi ad totum id extenditur. Similiter ergo Deus providens creaturis rationalibus, quamvis specialiter benevolus, & beneficus sit, dignusque actione gratiarum, disponens res naturales taliter, ut homini occurrant cogitationes congruæ naturales plures, aut maiores, quam ipsi deberentur; in ea tamen determinatione sibi libera non excedit ordinem creationis, aut munus Creatoris, & provisoris benevoli, ac benefici intra ordinem creationis, omnes illas dispositiones naturales disjunctivè comprehendentem. Hinc ad probationem minoris subiunctæ dicendum consequenter est, aut aliquem ordinem creationis id exigere; aut, quamvis creatura rationalis, & aliquis ordo creationis id non exigat tanquam sibi debitum hinc & nunc, solum inde fieri quod ea Dei dispositio congruentior, sit specialiter benevola, & benefica; non tamen extra ordinem creationis, quo illa quoque determinatio disjunctim comprehenditur.

33 Ad secundam confirmationem *num.* 27. non negamus benevolentiam illam specialem Dei conferentis beneficium speciale cogitationis congruæ naturalis; sed dicimus, eiusmodi specialem benevolentiam, sicut diximus de eiusmodi speciali beneficio, pertinere ad ordinem creationis. Illud, quod obijcitur de providentia generali, indiget explicatione. Vox enim, *providentia generalis*, vel potest significare præparationem mediorum, æquè se habentem ad omnes, ad quos extenditur providentia Dei, sive naturalis, sive supernaturalis: vel habentem se ad omnes, distribuendo singulis cogitationes congruas, uni plures, alteri pauciores; uni maiores, alteri minores, iuxta Dei beneplacitum. In priori illa significatione non datur in Deo *providentia generalis*: quia non omnibus distribuit æqualiter cogitationes congruas; imò nec omnibus æqualiter sufficientes; sicut nec brutis quidem æqualem alimoniam distribuit. In posteriori significatione verum est, quod ex providentia ge-

nerali naturali disponit aliquibus benevolè præ alijs cogitationes plures, aut maiores: & hoc sufficit, ut non eventiant casu, & fortuito, sed providentiissimè, & ordinatissimè pro Dei Authoris naturæ beneplacito, & ut sint specialia beneficia; de ordine tamen creationis. Sicque intelligitur rectè dictum Augustini ibi allegatum. Salvatur enim optimè, quod tam Angeli, quam homines; tam in statu naturæ lapsæ, quam integræ, omnes suas voluntates bonas, sicut & cogitationes congruas habuerint non temerè, & casu; aut ita ex arbitrio suo, ut non potius sint beneficia Dei; sed eas habuerint ex Deo benevolè, ac beneficè illas disponente, intendente, & causante: hoc tamen intra ordinem etiam naturæ, seu creationis; si tales bonæ cogitationes supernaturales entitativè non sunt.

34 Ad tertiam *num.* 28. adverte, quod pro statu naturæ elevate, providentia supernaturalis *generalis* dici solet, quæ communis est circa prædestinatos, & reprobos: & in hoc sensu sine absurdo verum est, quod ex hac providentia supernaturali *generali* dat Deus sæpè reprobis cogitationes congruas supernaturales ad multos actus salutares, & meritorios. Quodsi nomine providentiæ supernaturalis *generalis* intelligas illam, qua Deus singulis elevatis disponit æquè cogitationes congruas, negamus suppositum, quod nempe detur in Deo providentia supernaturalis *generalis* in hoc sensu: sicut in sensu simili negavimus *num. præc.* dari in Deo providentiæ naturalem generalem. Undè etiam constat, falsissimum esse, quod citra specialem Dei benevolentiam, & beneficentiam ordinis supernaturalis eveniat creaturæ elevate cogitatio ulla congrua supernaturalis, aut bona operatio, quæ non potius debeat Deo, quam nobis, aut de qua gloriari iure valeamus, quasi non acceperimus. Quo stant inconcusè dicta Pauli, & Anselmi.

35 Obijcitur tertio ex Esparza *quest.* 4. *de Grat.* Quilibet excessus in bonis unius individui præ alio est respectu illius gratia Dei distincta à dono creationis: sicut in statu elevationis distincta à dono elevationis secundum se: sed cogitatio congrua in individuo illam habente, est excessus in bonis p. a alio sic non habente, ut est ex se notum: ergo est gra-

Espar,

1. Cor. 4. tia distincta à dono creationis. Maior probatur dupliciter. Primum, ex illo Pauli: *Quis enim te discernit?* excessus autem ille discernit habentem à non habente. Secundo: quia alioquin, nec auxilia etiã congrua, quantumvis supernaturalia, essent gratia respectu hominis iam elevate ad statum supernaturalem: quamvis enim hæc, & hunc non sint debita huic individuo, sunt tamen de ordine elevationis. Ad eum fortè modum, quo respectu Christi auxilia gratiæ non sunt ita strictè gratia, utpotè iam condebita Statui Hypostatico.

36 Respondetur negando maiorem, ut videre est in excessu, quoad cogitationes naturales sufficientes; imò & quoad bona magis naturalia, ingenij, valetudinis, & similia. Excessus enim ipse est de ordine creationis, cum naturalissimum sit, ac fere necessarium, quod in tanta causarum, & hominum varietate, non eodem in omnibus modo res illæ pariter evenirent. Undè, concessa minori, falsa est consequentia.

37 Ad primam maiorem probationem; quamvis dici posset, discretionem etiam illam habentis præ non habente cogitationem congruam, tribuendam esse quoque Deo, ut Creatori, potius quam nobis illam à Deo intra ordinem naturæ accipientibus; locus tamen ille Pauli loquitur de discretionem in supernaturalibus, & in ordine elevationis: in quo ordine cogitationes congruæ sunt beneficia specialia de ordine gratiæ, & ultra donum elevationis, ut mox explicabo.

38 Ad secundam, fuerè, qui absurdum minime putaverint, homini elevato, præsertim iam iusto, esse tam connaturales cogitationes congruas supernaturales, quæ verè sunt auxilia gratiæ Theologicæ, ac sunt homini in naturalibus constituto cogitationes congruæ naturales. Hoc tamen absolute negandum est: nec sequitur ex nostra doctrina. Est enim nota disparitas. Quia Gratia dicitur respectivè ad Personam, cui conferitur: status autem elevationis, nec est Persona, nec est de constitutivo Personæ; sed est omnino accidentarius: undè & ipse status, & quidquid est de ipsius ordine, est quid gratuitum respectu Personæ saltem in radice primæ elevationis, utpotè non involventis in suo statu Personam.

At status, & ordo creationis involvit ipsam Personam, quæ quidem de ordine creationis est: sicquè eo ipso quod donum aliquod sit de ordine creationis, est de ordine, ad quem pertinet ipsa persona; ideoque non ita absolute gratuitum, sive gratuitum, sicut dona supernaturalia, quantumvis pertineant ad statum, seu ordinem elevationis, utpotè à toto suo ordine excludentis personam creatam. Hinc, ut ad postremum illud de Christo respondeam, sumit rationem Antonius Perez, videndus *tom. 2. tract. 6. par. 1. disp. 1. à num. 83.* cur gratiæ accidentales collatæ Christo, utpotè statui hypostatico connaturales, & debita, non ita sint, ac dicantur gratiæ, sive gratuita respectu Christi, sicut auxilia Theologica respectu hominis etiam iusti. Quia nempe Persona ipsa Christi, constitutiva ordinis hypostatici, de ordine supernaturalium est, & respectu talis Personæ, nihil est gratuitum, & indebitum. Undè infert *num. 89.* multò magis esse connaturalia donum supernaturalia humanitati Christi in statu hypostatico constitutæ, quam nobis dona naturalia.

Perez.

SECTIO IIIJ.

Fundamenta Patris Vasquez pro eo quod cogitationes, & inspirationes congruæ entitativè naturales sint auxilia gratiæ Theologicæ.

39 **M**ULTA fundamenta inniuntur doctrinæ, quam circa cogitationes congruas entitativè naturales reiecit *à sect. 2.* ubi vidimus, eas non esse beneficia, nec gratias extra ordinem creationis, & viam paravimus ad respondendum argumentis Patris Vasquez, & aliorum, gravioribus quidem quam existimantur à multis, fortè non satis scrutantibus rei difficultatem.

40 Primum fundamentum. Ad vincendam gravem tentationem; ad totius legis naturalis adimplerionem; & ad actus alios heroicis virtutum moralium, necessaria est gratia Theologica per Christum, quam Sancti Patres adstruebant contra Pelagium. Atqui ad id non est necessaria gratia auxilians entitativè supernaturalis: ergo nomine, & re gratiæ auxiliantis Theologicæ veniunt etiam auxilia entitativè naturalia, quæ sunt illu-

lustra.

Illustrationes, & inspirationes in entitate sua naturales. Maiorem probat, & illustrat Vasquez multis Sanctorum PP. præsertim Augustini, testimonijs videndis apud ipsum. Minor probatur: nam ad actus entitativè, & intrinsicè naturales necessaria non est gratia entitativè, & intrinsicè supernaturalis; cum non sit, cur ad effectus naturales non sint sufficientes vires in collectione causarum naturalium: sed actus, quibus vinceretur gravis tentatio, quibus adimpleretur tota lex naturalis; & actus heroici virtutum naturalium, sunt, aut saltè possent esse entitativè, & intrinsicè naturales: ergo ad illos necessaria non est gratia entitativè, & intrinsicè supernaturalis. Probatur hæc minor: nam, urgente tentatione, quantumvis gravi, ad turpem consensum, victor erit qui non consentiat, eliciens dissensum efficacem entitativè naturalem; & lex naturalis, cum per se loquendo solum obliget ad actus naturales, certè per hos adimpleretur: & negari nequit, dari aliquos actus heroicos naturales virtutum moralium naturalium, quales in Gentilibus interdum visi sunt: ergo tria hæc præstari valent per actus entitativè, & intrinsicè naturales. Cum ergo præstari nequeant sine auxilio gratiæ Theologicæ per Christum, sequitur, auxilia gratiæ Theologicæ non semper esse debere intrinsicè supernaturalia: atque adeo esse posse congruas cogitationes, illustrationes, & affectiones entitativè naturales.

41 P. Martinez de Ripalda tom. 1. disp. 20. per totam, ratus, sic se componere cum SS. PP. hoc grave dissidium Patrum Suarez, & Vasq. aliorumq; Theologorū; absolute vult, concedi maiore, loquendo iuxta præsentem Dei legem, in qua veniunt intelligendi SS. Patres sic absolute loquuti; ut videbimus *disp. 7.* quidquid sit ex naturis rerum. Adstruit enim eruditissimè, Deum liberalissimum largitorem gratiæ per Christum, quoties benè operamur adesse nobis cum auxilijs gratiæ suæ entitativè supernaturalis ad ostium animæ, ut etiam super naturaliter operemur: iuxta illud: *Ecce sto ad ostium, & pulso.* Ita nimirum, ut numquam operemur actum naturalem bonum, quin simul operemur alium actum supernaturalem: ad quem adiuvamur tunc per illustrationes, & affectiones entitativè supernaturales,

semper etiam comitantes in hoc statu, ex prædicta Dei liberalissimi lege, sanctas cogitationes naturales: iuxta illud Ioan. 1. *Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum:* sic scilicet intelligendum, ut omnes homines, etiam peccatores, & Ethnicos, Verbum Dei, quod lux est, illustratione suæ gratiæ illuminet quoties benè operantur, ut non solum benè naturaliter, sed simul benè supernaturaliter, & conducenter ad salutem æternam operentur. Id quod multis Scripturæ, Sanctorumque PP. testimonijs luculenter inuadet. Fitque magis verisimile pro statu legis Gratia post Christum, qui venit, ut abundantius haberemus, & superabundaret gratia. Hinc ad minorem ait, quod, quamvis ad vincendam tentationem gravem, ad adimplerem legis naturalis, & ad actus heroicos, sicut & ad non heroicos naturales virtutum, non sit necessaria gratia auxilians entitativè supernaturalis per se, & ex natura rei; benè verò per accidens, & ex lege Dei pro statu naturæ elevatæ: ratione scilicet actus boni supernaturalis, semper comitantis bonum naturalem, nunquam ex lege Dei exercendum sine illo.

42 Video, per hanc doctrinam expeditius responderi, tam ad rationes, quam ad auctoritates, quibus nititur sententia Patris Vasquez. Illud mihi placere nunquam potuit, quod sine sufficienti, ut iudico, fundamento asserit prædictus Author, semper ab homine benè operante elici circa idem obiectum duos actus, unum naturalem, alium supernaturalem eiusdem virtutis. Minus graverer dicere, tunc loco actus naturalis alioquin ex natura rei efficiendi, elici unice actum supernaturalem; cum ex meritis Christi præstò adsit gratia auxilians entitativè supernaturalis ad illum eliciendum. Et similiter, non esse necesse, quod cogitationem congruam naturalem commitetur illustratio supernaturalis; sed quò loco naturalis infundatur per Christum supernaturalis; cum præstò adsit ex illa lege Dei principium elevans intellectum naturalem ad supernaturaliter cogitandum: in qua sancta cogitatione supernaturali fiat illustratio divinæ gratiæ per Christum. Sic enim, evitatur dualitas illa actuum gratis asserta, & de cætero admittitur doctrina Patris Ripaldæ de assiduâ assistentiâ divinæ gratiæ per Christum

Ioan. 1.

Infra
disp. 7.
& 12.

S. Thom.

sum cuicumque homini benè operantis, taliter ut in statu naturæ elevatæ ex lege Dei nunquam benè operetur; quin supernaturaliter operetur. Quò faciūt gravissima fundamenta auctoritatis, & rationis copiose adducta, & profundè perpena à Ripalda. Nec est inconveniens, quòd sic nunquam potentia nostra naturalis exerceretur per actus naturales bonos, & honestos. Melius namque exercetur per supernaturales, ad quos semper est à Deo præventa per gratiam ex meritis Christi Reparatoris. Cæterum de hac doctrina redibit utilis sermo *disp. 7. sect. 3. & disp. 12. sect. 12.* & alibi sæpè. Quoniam verò doctrina ista multis visa est singularis in re gravissimâ;

43 Respondetur aliter ex doctrinis communioribus ad difficultatem communem, discernendo tres modos vincendi tentationes. Primus esse potest, per actum malum, contrarium etiam tentationi, ut quando ex inani gloria, vel ad exequendum furtum resistitur tentationi luxuriæ. Secundus est per actum bonum naturalem nolentem consentire. Tertius, per actum bonum supernaturalem salutariter id ipsum nolentem. Audiatur nunc S. Thom. in 2. dist. 28. art. 2. dicens: *Illo propriè vincit peccatum, qui potest pertinere ad hoc, contra quod est pugna peccati: hoc autem nõ potest esse, nisi in eo, qui opus meritorium operatur: unde valis victoria virtutis æternam meretur, & sine gratia non fit.* Ubi S. Thom. satis nos docet, victoriam tentationis propriè, & absolute dictam, non esse quæ fieret primo, aut secundo modo; sed quæ tertio per actum conducentem ad salutem.

44 Hinc Sancti PP. requirentes gratiam ad victoriam tentationum, non agebant de qualibet victoria; cum certum sit, non requiri ad victoriam per actum alioquin etiam peccaminosum; sed de victoria propriè dicta per actum conducentem ad salutem. Id quod persæpè significant, dum actus, ad quos requirunt gratiam Theologicam propriè dictam, vocant *salutares*; dumque gratiam requirunt ad aliquid operandum, vel evitandum, *salutariter, prout oportet, conducenter ad salutem*: quæ, & similes loquutiones indicant apud Theologos utilitatem ad vitam æternam. Nec valet dicere, quòd Pelagius ad quamcumque tentationis victoriam negabat gratiæ neces-

statem. Non enim exindè licet arguere, quòd Sancti Patres ad quamcumque victoriam gratiam requirebant. Quippè non omne id affirmabant, quòd negabat Pelagius; sed quòd perperam, & hæreticè negabat; gratiam scilicet requiri ad ad actus salutares. Alioquin affirmare debuissent, gratiam requiri ad peccatum; quo interdum vincitur tentatio: quòd etiam à fortiori negabat Pelagius.

45 In forma iam ad argumentum num. 40. ex hac communi doctrina distinguenda est maior, de qua feremus iudicium sigillatim *disp. 7. & 9.* ad vincendam gravem tentationem, ad totius legis naturalis adimplerem, & ad actus alios heroicos virtutum faciendos salutariter; & prout oportet ad vitam æternam, necessaria est gratia Theologica per Christum, quam Sancti PP. adstruebant contra Pelagium, conceditur: ad id faciendum utcumque, negatur maior. Neque id, quoad victorias saltem tentationum, probari legitime potest ex Sanctis Patribus, non certè dicturis, requiri gratiam ad vincendam tentationem, quantumvis gravem, actu peccaminoso. Quòd si aliquando, absolute loquentes, requirunt gratiam ad victorias tentationum, aut loquuntur de gratia nõ Theologica, qualis esset etiam in pura natura intra ordinem creationis; aut certè, si determinatè loquuntur de Theologica, loquuntur quoad victorias propriè dictas iuxta S. Thom. per actus salutares; non verò quoad quascumque victorias per actus etiam naturales, & interdum malas. Cuius intelligentiæ fit etiam coniectura nõ levis, ex eo quòd impotentia naturæ ad vincendam tentationem gravem, ad observandam totam legem naturalem, & ad heroicos actus virtutum moralium, non est impotentia physica, sed moralis, ut videbimus suis in locis: Gratia autem, quam adversus Pelagium exigebant ad benè operandum ut oportet, taliter asseritur necessaria, ut absque illa esset physicè, & metaphysicè impotens natura ad opera, ad quæ dicitur requiri. Dum ergo sic sunt loquuti SS. Patres de ea sua gratia, tanquam de omnino necessaria, non eam requirebant ad victorias tentationum utcumque per actus naturales; sed ad victorias salutares per actus supernaturales.

47 Iam igitur, sic distinctè maiori,
H ne-

Infra
disp. 7.
& 9.

negatur minor primi syllogismi in prædicto sensu victoriæ, & operationis salutari: ad id enim gratia Theologica simpliciter necessaria est. Ad probationem minoris, concessa maiori iuxta communem istam responsionem, distinguitur minor: actus, quibus utcumque vinceret gravis tentatio, adimpleretur lex naturalis, fierentque opera illa heroica, sunt, vel esse possent entitative naturales, conced: actus, quibus id fit, aut fieri posset saluta iter, & prout oportet, negotio minore. In cuius probatione militat cum eadem distinctione eadem doctrina communis responsionis. Quamvis enim eiusmodi opera præstarentur utcumque per actus naturales; non tamen præstarentur per eos salutari, & prout oportet: ad hoc autem, & non utcumque ad illud, requirerent gratiam Theologicam Sancti PP.

48 Secundum fundamentum, vel potius fulcrum precedentis, est humilissimi. Natura nullum actum bonum efficere potest sine auxilio gratiæ Theologicæ: sed multos, saltem faciles, efficere potest sine auxilio gratiæ entitative supernaturalis: ergo non omne auxilium gratiæ Theologicæ est entitative supernaturalitate. Consequentia liquet. Minor supponitur: quia cum multi illorum actuum sint naturales, non est cur natura ad illos non sufficiat absque compendio auxiliij gratiæ entitative supernaturalis. Maior autem probatur impenitentia à Patre Vasquez multipliciter.

49 Primò, ex Scripturis. Ioan. 15. *Sine me nihil potestis facere: & 2. Corinth. 3. Non sumus sufficientes cogitare aliquid à nobis. Quibus, & similibus significatur, nihil boni posse nos facere Dei gratiâ delictos, ut intelligant expressè Summi Pontifices Innocentius, & Celestinus: itemque Sanctus Augustinus: indicans, hanc gratiam, sine qua nihil boni possumus, esse gratiam, quam Ecclesia requirebat a Pelagio, ac proinde Theologicam. Quippè loquens de Pelagianis ait: *Illam vero gratiam Dei, sine qua nihil boni possumus facere, non esse acuti nisi in libero arbitrio. Et serm. 13. de Verb. Apost. Non sic est adiutorium Dei; non sic est adiutorium Christi; non sic est adiutorium Spiritus Sancti: prorsus si defuerit, nihil boni agere poterit. Gratia autem contra Pelagium defensa, quæque adiutorium est Dei, Christi,**

Sti, & Spiritus Sancti, gratia sine dubio Theologica est. Sensus est ergo Scripturarum iuxta Augustinum, gratiam Theologicam esse, quæ requiritur ad quodlibet omnino bonum opus.

50 Secundò, ex Concil. Arausicanorum vulgatum illud: *Nemo habet de suo, nisi mendacium, & peccatum. Quam loquutionem usurpat indemidem Augustinus: clare docens epist. 89. ad Hilarium, hominem gratiæ auxilio destitutum non habituram iustitiæ soliditatem, sed inflationem impiæ superbiæ. Quapropter epist. 106. scribebat de Pelagio: Quod inmeridum ita paribus potestatem voluntatis æqua lance perpendat, ut aiquantum etiam ad non peccandum valere desinat. Quod si ita est, nullus locus adiutorio gratiæ reservatur: sine qua nos dicimus, ad non peccandum nihil voluntatis arbitrium valere. Atqui actus bonus virtutis naturalis, nec est peccatum, nec est impia superbia, & saltem est non peccare; cum per illam resistatur tentationi: ergo neque hanc facere potest homo sine gratia Theologica, de qua ibi Augustinus: alioquin si te gratia posset non peccare. Cum ergo ad actum naturalem necessaria non sit gratia entitative supernaturalis, concluditur, non omne auxilium gratiæ Theologicæ debere esse entitative supernaturalitate.*

51 Tertiò ex orationibus, quibus ad quæcumque bona opera agenda petimus à Deo gratiam, sic edocti à Scripturis, à Sanctis, & ab institutionibus Ecclesiasticis: ergo, quia ad quæcumque bona opera gratia necessaria est. Consequentia hæc, quæ primo intuitu videtur illegitima, ex eo quòd antecedens solum persuadeat utilitatem gratiæ, quamvis non necessitatem; probatur à Vasquez ex eo quòd, aut ea consequentia valet; aut non valet consequentia Patrum Africanorum cum Augustino inferentium gratiæ necessitatem, quam negabat Pelagius ad opera salutaria, ex eo quòd pro ea obtinendâ orandum nobis sit, eamque à Deo petamus, & per preces obtineamus: quem modum argumentandi Pontifices Innocentius, & Celestinus confirmarunt, ut passim legere est in SS. Patribus.

52 Redit huc pro responsione, aliquibus fortè placiturâ, doctrina Patris Ripaldæ exposita num. 41. iuxta quam distinguere debet maior. Natura nullum actum

Araus.

Aug.

Infra disp. 7.

Ripald.

actum bonum efficere potest sine auxilio gratiæ Theologicæ, per se, & ex natura rei, negatur; per accidens, & ex præsentate lege Dei pro statu naturæ elevatæ, & per Christum reparatæ, conceditur maior. In hoc autem sensu negatur minor. Quia nec faciles actus bonos naturales facit homo sine auxilio supernaturali requisito ad actus supernaturales, semper ex lege Dei comitantes naturales bonos. Sicquæ falsa est consequentia. Per eandem doctrinam respondetur ad præcipuas probationes maioris, intelligendo Scripturæ, Patrumque testimonia iuxta præsentem Dei legem. Cui intelligentiæ favere quodammodo potest, quòd Concilia, Sanctique Patres, requirentes gratiam ad omnem actum bonum, requirent gratiam per Christum: cum tamen certum sit, per accidens esse, & ex lege tantum Dei, quòd ea gratia sit per Christum: quandoquidem eadem gratia, si conferretur, quamvis non esset per Christum, sufficeret ad eisdem actus.

53 Respondetur tamen communiùs, negando maiorem ex dicendis disp. 7. Quamvis enim natura sine auxilio gratiæ Theologicæ non habeat sufficientes vires ad actus salutares conducentes ad vitam æternam; habet tamen ad naturales bonos. Quod ex natura rei non negat Ripalda: pro quo necesse est, ut respondeat Patri Vasquez, contententi, nec ex natura rei fieri posse à natura actum ullum bonum sine auxilio gratiæ Theologicæ, nempe sine cogitatione congruâ, quam vult esse gratiam Theologicam, quamvis entitative naturalis sit.

54 Ad primam probationem maioris fatemur, illa Scripturæ, Patrumque testimonia loqui de gratia Theologica, ut rectè ponderat Vasquez. Cæterum quòd aiunt, nihil nos boni facere posse sine illa gratia, intelligi debent, nõ de quocumque bono etiam naturali; sed de bono salutari, positive conducente, prout oportet, ad iustificationem, & vitam æternam. Huiusmodi autem bonum est actus entitative supernaturalis: atque adeò auxiliij divinæ gratiæ Theologicæ requisitum ad illum à nobis efficiendum debet esse entitative supernaturalitate. Gratia verò cogitationis congruæ requisita ad actus etiam naturales bonos, est quidem beneficium de ordine creationis, & ut ita dicam gratia Philosophica; non gratia Theologica

à Sanctis PP. in illis locis significata. Doctrinam huius responsionis habere videtur S. Thom. *quæst. 14. de Verit. art. 4. ubi, cum sibi obieisset prædicta testimonia, respondet: Ad ea, quæ sunt in contrarium patet solutio: quia, vel procedunt de bono meritorio; vel ostendunt, quòd sine operatione Dei homo nullum bonum facere potest.*

55 Per hæc etiam veniunt intelligenda alia testimonia Augustini, Prosperi, & Fulgentij, asserentium, nullas acquiri virtutes veras sine gratia. Virtutes scilicet, conducentes ad salutem. Explicuit sese Augustinus ipse *lib. 4. contra Iulian. cap. 3. sic scribens: Scito, nos illud bonum hominum dicere, illam voluntatem bonam; illud opus bonum sine Dei gratia nemini posse conferri, per quod solum homo potest ad æternum Dei donum, regnumque perducì. En, de quo bono loquatur Augustinus, dum ad illud requirit gratiam: de bono scilicet salutari, & ad vitam æternam conducente: cum quo bono comparata alia non sic bona; scilicet naturalia, quamvis bona quodammodo sint, vix bona reputantur ab eodem Augustino; dicente alibi apud Suarez: *Impius, etsi bona videatur facere; tamen, quia facit sine fide, nec bona vocanda sunt.**

56 Ad secundam iam respondimus disp. i. num. 21. & præter Suarez ibi citatum videri potest Oviedus i. 2. *contr. 3. de Auxil. punct. 1. §. 9. Quoniam verò è re maximè est, eam loquutionem, aliasque similes sincerè intelligere, non gravabor; sensum genuinum penitus eviscerare. Quocirca præ oculis habendum est, hanc propositionem: *Pelagianus est error, dicere, quòd liberum arbitrium valet ad ullum peccatum vitandum: & ista: Liberum arbitrium sine gratia, & Dei adiutorio non. nisi ad peccandum valet; sunt in ordine 28. & 29. ex damnatis à Pio V. & Gregorio XII. prima, saltè ratione censuræ; secunda, quæ sine censura profertur, ratione doctrinæ. Quotuti sumus, non solum à nota Pelagianismi ratione damnationis primæ; quin etiam & à nota falsitatis, ratione damnationis secundæ; quamvis dicantur, liberum arbitrium absque gratia Theologica posse operari aliquem actum, qui peccatum non fit; quin etiam, & aliquem actum naturaliter bonum: quidquid denudò obganizant Jansenistæ Baianis affines. Quomodo autem hæc nostra doctrina, & dæ-**

S. Tho.

August. Prosp. Fulgen.

August. Suar.

Supra disp. 1. sect. 2. Suar. Ovied.

Pius V. Gregor. XIII.

Baius.

natio earum propositionum Baij, stent cum testimonio nobis obiecto Arauficani, aliorumque Patrum agentium contra Pelagium, hoc opus, hic labor.

57 Ut solidam horum intelligentiam semel assequamur; oportet sedulo animadvertere, Augustinum in ea Epist. 106. & alibi sæpe disputasse contra Pelagianos ad ipsorum mentem. Mens autem eorum erat, duas tantum esse classes actuum liberi arbitrii nostri: unam actuum, qui sunt peccata; aliam actuum honestorum conducentium ad æternam salutem: quippe omnem actum honestum dicebant conducere ad salutem. Eos imitatus est Baius, cuius hæc est damnata Propositio 38. *Omnis amor creature rationalis, aut vitiosa est cupiditas; qua mundus diligitur; aut laudabilis illa charitas, quæ per Spiritum Sanctum in corda diffusa Deus amatur.* Nec se ab hac damnata doctrina satis timentur noviores Jansenij vindices Synnichius, & Macharius Havermans, ut eruditè comprobat Eminent. de Aguirre disp. 119. sect. 6. & patet ex damnatione propositionis 7. in Decreto Alexandri VIIJ. posito disp. i. sect. 3. Itaque Pelagianis perinde erat dicere, liberum arbitrii sine gratiæ adiutorio valere non peccare, five ad aliquid amplius valere, quam ad non peccandum; ac dicere, valere ad operandum actus salutares. Hoc impugnans Augustinus, dicebat ad mentem Pelagij, liberum arbitrium sine gratia non valere ad non peccandum, id est, ad exercendos actus illos salutares, quos solos, præter peccata, agnoscebat Pelagius in arbitrio nostro: sicque non relinquit locum adiutorio gratiæ. Gratiæ enim non adjuvat nos ad peccata; si ergo præter peccata non habet arbitrium nostrum alios actus, nisi salutares conducentes ad vitam æternam, & ad hos non egeret adiutorio gratiæ, ad nihil esset necessaria gratia. Insuper aiebat Pelagius, hominem à peccato liberè abstinente, eam ipsam abstinenciam à peccato, utpote eo ipso salutarem, conducere positivè ad vitam æternam, & ad eam abstinenciam sufficere naturæ vires sine adiutorio gratiæ. Contra hanc ergo Pelagij mentem dicebat Augustinus, liberum arbitrium sine adiutorio gratiæ non valere non peccare, seu abstinere à peccato, abstinenciam scilicet salutari assertà à Pelagianis: nec valere ad non peccandum, omisione

scilicet peccati salutari, & meritòri.

58 Baius autem, aut minus benè calens, aut fateri detrectans, in quo steterit error Pelagianus, ratus utique in eo stetisse, quod absolute diceret, liberum arbitrium sine gratia valere ad non peccandum, hanc propositionem censuravit, ut Pelagianam: quam censuram censurarunt Pontifices Pius, & Gregorius. Quia nempe hoc utcumque Pelagianum non est; nisi in sensu, in quo asserabatur à Pelagio, & impugnabatur ab Augustino; scilicet de non peccare per abstinenciam à peccato salutarem, & positivè conducentem ad vitam æternam. Hæc oportuit, semel ex professo attigisse ad genuinam intelligentiam prædictorum verborum Augustini, atque similitum, & ad exactum examen erroris Pelagiani. Multi enim præsertim noviores Jansenistæ post Baium, ad illum ex una parte vitandum, ex alia parte à veritate discedunt: quia non penitus intellecto errore Pelagij, mens Augustini multis in locis intelligi non potest: ideoque eius testimonia præter, & fortè contra ipsius mentem afferuntur.

59 Ex ijs in forma ad secundam probationem num. 49. locus ille Arauficani habet emphasim suam in illa voce, *de suo*: hoc est, quod sibi soli, ut causæ tribui possit: nam bonum, etiam naturale, potius Deo, id etiam volenti, & causanti, quam homini, tribuendum est. Hæc solutio valet etiam pro natura pura. At posset etiam dici, Arauficanum, & Sanctos Patres id dixisse de natura lapsa cum aliâ etiam emphasi: nimirum, quod, spectatâ indignitate positivâ sui peccati, in cuius pœna potuit Deus, nisi ex misericordia aliter voluisset, omnes homines lapsos privare omni omnino bonâ cogitatione congruâ, etiam naturali, nemo habet *de suo*, hoc est, attentâ prædictâ suâ indignitate, nisi mendacium, & peccatum; quatenus nempe redditus est positivè dignus subtractione omnis bonæ cogitationis, qua ullam peccatam tentatus evitaret. Sic Eminentiss. de Aguirre disp. 117. sect. 2.

60 Quod autem ait Augustinus, hominem gratia destitutum non habiturum *instinctu soliditatem, sed inflationem superbia;* non id certè dicit, quia omnis actus, qui non est ex gratia, sit inflatio superbiæ; cum nec id sit omnis actus ma-

Pius V.
Gregor.
XIII.

Jansen.

lus, ut furti, luxuriæ, &c. sed quia homo gratiâ destitutus; quamvis virtutes aliquas naturales utcumque exercent, fortèque acquirat, ut temperantiæ, liberalitatis, & pietatis erga parentes; haud tamen in ea soliditate, & perfectione, ut effugiat inflationem superbiæ: quod passim legere est in historijs veterum Philosophorum: quorum uni, iactanti se, quod calcabat fastum Platonis, responsum appositè fuit: *calcas fastum; sed alio fastu.* Ecce in ipso rerum contemptu inanis gloriolæ iactantiâ. Hoc, & non aliud, voluit Augustinus: non propterea negans illis aliquos actus virtutum, aut existimans veram propositionem 28. Baij damnatam ab Ecclesia, quod *liberum hominis arbitrium sine gratiæ Dei adiutorio non nisi ad peccandum valet.* Illud quod addit Augustinus, *ad non peccandum nihil voluntatis arbitrium valere sine adiutorio gratiæ;* iam est supra explicatum genuinè. Undè concessâ minori, negatur consequentiâ. Nec propterea concedimus; hominem sine gratiâ posse non peccare, in sensu, in quo id negabat Augustinus ad mentem Pelagij; scilicet, evitacione peccati conducente ad salutem; sed in sensu opposito propositioni damnatæ ab Ecclesia contra Baium asserentem: *liberum hominis arbitrium sine gratiæ Dei adiutorio non nisi ad peccandum valet.*

61 Ad tertiam probationem num. 50. responsum iam fuit sect. 2. num. 21. & 22. sicut etiam ad simile aliud, quod adstrui posset ex actione gratiarum pro cogitationibus congruis entitativè naturalibus.

SECTIO V.

Eiusdem sententiæ reliqua fundamenta.

62 TERTIVM fundamentum est è directo auctoritas Augustini cap. 14. de Prædest. & Grat. dicentis: *Ad misericordiam Dei pertinet vocatio. Numquid ergo latebat Pharaonem, quantum boni consequentia fuerant terre illi per adventum Joseph: illius ergo rei gesta cognitio vocatio eius fuit, ut Populum Israël misericorditer tractans non esset ingratus.* Atqui ea rei gesta cognitio, quam habuit Pharaon, erat historica, & entitativè naturalis: ergo cogitatio in entitate naturalis dicitur ab Augustino vocatio pertinens ad Dei misericordiam: quâ phrasi signatissimè

indicatur auxilium gratiæ Theologica: non igitur omne auxilium gratiæ Theologica est entitativè supernaturale. Præterea quæst. 2. ad Simplic. ait, gratiæ Dei, & non industriæ humanæ tribuendum esse, *cum ea menti occurrunt, atque delectant, quibus proficiamus ad Deum.* Hic autem obiectorum cõfusus, naturalis ut plurimum est: ergo ex mente Augustini naturalis est in entitate cogitatio auxiliariis, quâ in Deum proficimus: quæ abs dubio gratia Theologica est. Et epist. 105. nartans; Polemonem Gentilem pijs sermonibus factum ex ebriò sobrium, ait: *Quamquam ergo ille non Deo fuerit adquisitus; sed tantum à dominatu luxuriæ liberatus; tamen ne id ipsum quidem, quod melius in eo factum est, humano operi tribuerim, sed divino.* Hic agnovit etiam Augustinus auxilium divinæ gratiæ: sed nihil hic dignoscitur entitativè supernaturale: tale namque non confertur Gentili: agnovit igitur Augustinus auxilia gratiæ Theologica non entitativè supernaturalia, quales sunt bonæ cogitationes congruæ naturales.

63 Responderetur, in primo testimonio, eam, quam Augustinus ait fuisse vocacionem Pharaonis, non esse entitativè naturalem; sed supernaturalem; à Deo menti desuper immissam, quando externa illa narratio, lectio, aut visio miraculorum excitabat species naturales obiectorum: tunc, inquam Deus misericorditer, & liberaliter infundebat illustrationem supernaturalem, qua vocabat Pharaonem; & sic alios in multis similibus casibus: ex quibus efformat argumentum suum eruditissimè Ripalda pro omnibus. Id quod haud obscure significavit Augustinus ipse subiungens: *Hæc autem vocatio, qua per temporum oportunitates operatur, alta, & profunda ordinationis est.* Si autem ea vocatio historica tantum, & naturalis notitia esset, ut quid in profundam, & occultam ordinationem Dei referretur? Indicat igitur Augustinus, in ijs, & in similibus occurrentijs adesse Deum cordibus nostris intus supernaturaliter illuminando, & inspirando donis suæ gratiæ entitativè supernaturalibus, non debitis naturali exigentiæ illorum occursum naturalium, excitantibus, & elevantibus liberum arbitrium ad operâ salutaria vitæ æternæ. De quibus utique intelligendum venit incrementum illud Apostoli: *Neque qui plantat est aliquid; ne-*

Aug.

Ripald.

Aug.

1. Cor. 3.

que

Baius.

Synnich.
Machar.
Aguir.

Alex.
III.

Baius.

Aug.

Aguir.

que qui rigat; sed qui incrementum dat Deus. Quem in scopum iterum Augustinus tract. 7. in Epist. 1. Ioan. *Ministeria forinsecus adiutoria sunt, & admonitiones; Cathedralium autem in celo habet qui corda docet. Sic sunt hæc verba, sic lectio, sic prædicatio, sic historia pia, sic occursum quorumlibet obiectorum, quæ forinsecus dicimus, quomodo est agricola ad arborem: forinsecus enim agricola operatur, quia adhibet aquam, diligentiamque agriculturæ; sed tamen poma non format.* Hinc neganda est minor: tunc enim. Pharaoni aderat à Deo cognitio, & illustratio entitativè supernaturalis, quam Augustinus vocat Dei vocationem. Undè falsa est consequentia à primo Augustini loco nobis obiecto deducta.

64 Ad secundum testimonium similiter est dicendum, eum occursum proficuum ad salutem, de quo ibi Augustinus, non esse externam obiectorum obventionem, nec cogitationem entitativè naturalem, quæ virtute obiectorum sensibilibus mente concipitur; sed esse cogitationem, seu illustrationem entitativè supernaturalem, quam Deus misericorditer intus immittit ad præsentiam, & oportunitatem rerum sic occurrentium. Ad tertium, admissò, ut sonat, textu Augustini, concedo maiorem inde subductam. Nego autem minorem. Nam & Gentilibus etiam adest liberalissimus Deus, illuminans utique per Christum omnem hominem venientem in hunc mundum, cogitationibus, & inspirationibus sanctis entitativè supernaturalibus, magis, vel minus, congruè, vel incongruè, prout vult: ut firmat luculenter Ripalda, videndus tom. 2. disp. 105. à num. 77. & nos dicemus disp. 12. sect. 7. & 8.

65 Quartum fundamentum. Nullus actus meritorius vitæ æternæ fit sine auxilio gratiæ Theologicæ: sed multi fiunt sine auxilio cogitationis, seu inspirationis entitativè supernaturalis: ergo non omnia auxilia gratiæ Theologicæ sunt entitativè supernaturalia. Maior est certa: consequentia legitima. Minor probatur: quia multi actus virtutum entitativè naturales, sunt meritorij vitæ æternæ in hominibus iustis benè naturaliter operantibus. At actus entitativè naturales fiunt, aut saltem possunt fieri sine auxilio entitativè supernaturali; cum ad naturales sufficiat vires entitativè naturales.

66 Respondetur, negando minorem, eiusque probationem. Aut enim iusti, quoties honestè operantur, exercent actus entitativè supernaturales: aut, si quandoque naturales exercent, quantumvis bonos, ij certè non sunt meritorij vitæ æternæ, aut præmij supernaturalis: ut obiter dixi, de actibus etiam Christi, disp. 16. de Incarn. num. 73. & dicam orotius disp. 24. de Merito, sect. 5. Id quod ad non iustos, imò & ad Ethnicos extendit Ripalda tom. 1. disp. 44. sect. 2. quod nunquam benè operantur, quin supernaturaliter operentur ex adiutorio gratiæ entitativè supernaturali. Quod minus fiet incredibile consideranti, raro fieri ab infidelibus actus omninò bonos: quippe sæpenumero eos vitiant à finibus, aliisque circumstantijs malis, iuxta dictum illud Augustini à nobis expositum num. 60.

67 Quintum fundamentum. Auxilia gratiæ Theologicæ sunt Fide certæ: sed omnia esse entitativè supernaturalia, non est Fide certum; cum probabilis sit opposita sententia Patris Vasquez: ergo non omnia sunt entitativè supernaturalia: veritates enim omninò certæ definiendæ non sunt per principia incerta. Hæc arguendi forma fallit pæssim in multis materijs: & in hac ipsa, quam exagitemus, cernere est. Ex eadè enim maiori, subiunctâ hac minori: *Sed omnia non esse entitativè supernaturalia, non est Fide certum; cum probabilis sit opposita sententia Patris Suarez;* inferri pari iure possit: ergo omnia sunt entitativè supernaturalia. Neutrum tamen concluditur ex illis præmissis; sed solum, quod neutra illarum conclusionum sit Fide certa. Itaque, suppositâ ex Fide existentia auxiliorum gratiæ Theologicæ, illorumque necessitate ad opera salutaria, in quo omnes Catholici convenimus; relinquitur Theologis disputandum ex varijs principijs: an ea auxilia sint actus nostri vitales, necnè? an sint qualitates emortuæ, necnè? an illustrationes, & inspirationes entitativè supernaturales; an etiam entitativè naturales. In quibus disputationibus probabiliter utrinque discutitur, salvâ certâ veritate Fidei, sæpè non declarantis essentias, seu proprietates rerum, quarum existentiam revelat.

68 Sextum fundamentum, & quidem magni roboris in hac re, est à congruenti.

Tom. de
Christ.
disp. 16.
sect. 5.

Infra
disp. 24.
Ripal.

ti. Hæc enim sententia Patris Vasquez, dignius sentit, & loquitur de Providentia Dei, & de excellentia auxiliorum divini gratiæ per Christum; multòque longius recedit à Pelagianismo, & Semipelagianismo, quàm opposita: ergo præferenda est, & à Theologis securius amplectenda.

69 Et primò quoad Providentiam, probat antecedens acerrimè Vasquez disp. 189. cap. 15. Quia non admittentes auxilia gratiæ Theologicæ, nisi entitativè supernaturalia, taliter sentiunt de divina Providentia, ut dicant, sine speciali gratia per Christum posse vinci aliquam tentationem, per actum scilicet naturalem honestum ei contrarium: quod dictum indignum iudicat homine Theologo, quasi in Atheismum inclinans. Confirmat disp. 190. cap. 11. ex eo quod, si ex nobis essent, aut esse possent aliqua bona opera moralia sine gratia per Christum, Paulus Rom. 11. non rectè dixisset de profunditate Providentiæ Dei in elargitione divitiarum gratiæ suæ: *O altitudo divitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei! Quis prior dedit illi, & retribuetur ei? Qui enim suis viribus aliqua bona opera naturalia faceret, prior daret Deo aliquid de suo, eodem modo quo possunt homines suis operibus aliquid boni Deo dare.* Undè *altitudo divitiarum Dei providentissimi non staret in eo, quod nemo prius aliquid Deo daret; cum fatendum esset, Deum aliqua sine gratia facta à nobis prius accipere, quibus aliquid quasi ex gratitudine retribuere possit.* Quod est contra intentum Apostoli contententis, Iudeorum reliquias, id est, paucos aliquos Iudeorum ita per gratiam salvos fuisse factos, ut id non habuerint in retributionem, quasi ex gratitudine: nam alioquin gratia non esset gratia.

70 Secundò quoad excellentiam, probatur idem antecedens: ex eo quod requirere gratiam per Christum superiorem ordini creationis ad omne omninò bonum opus altius abs dubio extollit Divinæ gratiæ virtutem. Cum præsertim ex opposita sententia sequatur, ad nullum opus virtutis acquisitæ, quantumvis heroicum, & arduum, requiri gratiam superiorem ordini creationis: quod certè derogat multò gratiæ Dei per Christum. Sequelam probat Vasquez disp. 190. cap. 12. quia, si aliqua cogitatio congrua acci-

dere nobis posset sine gratia extra ordinem creationis: ergo etiam ad quodcumque opus naturale virtutis, quantumvis arduum, & heroicum; cum ex naturali occursum causarum excitari, tunc etiam possit vehemens congrua cogitatio: aut cur non ita? Hoc autem est contra communem Theologorum sensum: est enim nimium extollere virtutem naturæ, ac deprimere excellentiam gratiæ.

71 Tertiò quoad recessum à Pelagio, probat suum antecedens Vasquez cap. 11. Nam si posset homo viribus naturæ sine gratia per Christum aliquod agere bonum opus morale, posset ex se præbere initium, seu occasionem, cuius intuitu conferrentur ei auxilia gratiæ ad impetrandam iustificationem, & remissionem peccatorum: quippe posset ex se facere opera misericordiæ, & per illa gratiam obtinere: per hæc enim, quomodocumque fiant ex fine, & honestate virtutis moralis, obtineri auxilia gratiæ, supponit probatum ex 1. p. disp. 91. cap. 12. & videtur rationi, ac Divinæ munificentia consentaneum, quod homini, qui facit ex suis viribus quantum potest, largiatur Deus dona suæ gratiæ, ut illum veterius promoveat, & adiuvet ad maiora bona. Cui inconvenienti accedenti ad doctrinam Pelagianorum, aut Semipelagianorum occurrit hæc Vasquij sententia, dicens, cogitationes illas congruas, etiam entitativè naturales præcedentes ad quodlibet opus bonum, etiam entitativè naturale, esse iam auxilia gratiæ Theologicæ: atque adeò, initium salutis non esse nisi à gratia per Christum.

72 Confirmantur hæc ex Card. Pallavicino lib. 2. cap. 5. expendente in id proloquium illud: *Facienti quod est in se, Deus non denegat gratiam:* intelligendo, scilicet, *quod est in se,* non quidem seorsim ab omni gratia Theologica, sed seorsim à gratia entitativè supernaturali: quam scilicet largitur postea Deus *facienti quod est in se,* cum gratia etiam Theologica per Christum cogitationis congruæ entitativè naturalis. Pro qua intelligentia citat S. Thom. q. 14. de Ver. art. 11. dicentem: *Si aliquis in sylvis nutritus ductum rationis naturalis sequeretur in appetitu boni, & fuga mali, certissimè est credendum, quod Deus ei, vel per internam inspirationem revelaret mysteria, vel ad eum Prædicatorem dirigeret.* Et 1. 2. q. 89. art. 6. ait: *Si aliquis in pri-*

Vasq.

Rom. 11.

Vasq.

Pallav.

S. Thom.

Vasq.

Aug.

Ioan. 1.

Ripal.
Infra
disp. 12.

primo instanti vsus rationis convertatur in Deum, tanquam in finem, obtinere gratiam, per quam iustificetur. Quod capi nequit de conversione ad Deum, ut finem supernaturalem: quis enim putet, dictum à S. Thom. Deum cunctis pueris in primo rationis puncto infundere cogitationes supernaturales sufficientes ad actum fidei entitativè supernaturalem? Ergo ex mente S. Thom. illa conversio naturalis facta ex cogitatione congrua naturali, prodest ad obtinendam gratiam supernaturalem pro exercenda supernaturaliter fide: quod nequit dici, nisi dicamus, cogitationem etiam illam entitativè naturalem præviã ad eam conversionem, esse auxiliũ gratiæ Theologicæ.

73 Id quod comprobatur ex Paulo, Romanor. 1. scribente, veteres Philosophos fuisse inexcusabiles, quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, & gratias egerunt. Et ex Daniel. 4. ubi Propheta suadebat Nabuchodonosori, ut elemosynis peccata redimeret: quæ tamen erogata ab homine infidelis essent actiones naturales. Et quidẽ, quod nec naturalibus operibus desit aliqualis proportio, & congruitas, ut Deus largiatur dona gratiæ, habet S. Thom. 1. 2. 4. 114. art. 3. ubi, loquens de bonis operibus, prout oriuntur à libero arbitrio, atque adeo, prout sunt quid bonum naturale, ait: *Est ibi congruitas propter quamdam aequalitatem proportionis: videtur enim congruum, ut homini operanti secundum suã virtutem, Deus recompenset secundum excellentiam suã virtutis.* Igitur bona opera naturalia facta ante fidem ducunt aliquomodo positivè ad collationem gratiæ supernaturalis ad credendum. Si autem illa opera fierent absque gratia Theologica per Christum, fieret abique gratia Theologica opera conducentia ad salutem; sicque à libero arbitrio sine gratia esset initium iustificationis: quod erat hæresis Pelagiana, aut Semipelagiana. A quã, ut longius discedatur, dicendum est, illa etiam opera naturalia fieri ex gratia per Christum: atque adeo, cogitationes congruas ad illa, entitativè naturales, habere rationem auxiliij gratiæ Theologicæ per Christum: & consequenter, non omnia auxilia gratiæ Theologicæ esse entitativè supernaturalia.

74 Huic argumento, ut plenius satisfiat, respondebit sect. 7. postquam se-

ctione 6. visa sint, & expensa fundamenta sententiæ contrariæ. Sic enim, rationibus utriusque partis invicem collatis, rectius feretur iudicium in hoc postremo puncto: vtra dignius sentiat, & loquatur de Gratia.

SECTIO VI.

Præfertur sententia Patris Suarez: quod omnia auxilia gratiæ Theologicæ sint entitativè supernaturalia.

75 **H**ÆC est abs dubio sententia communior, eruditè communita autoritatibus Sanctorum, & rationibus Theologicis à Patre Ripalda, & Cardin. de Aguirre citatis, post Eximium Suarez. Iuxta quam cogitationes, quantumvis congruæ, entitativè naturales, absolutè, & theologicè loquendo cum Concilijs, & Sanctis Patribus, auxilia gratiæ actualis non sunt: atque adeo hoc nomine solum veniunt cogitationes, illustrationes, inspirationes, & affectiones entitativè supernaturales.

76 Prima ratio. Auxiliũ gratiæ actualis est donũ actuale internum, quod negabat Pelagius, & Patres Ecclesia contra illum requisiverunt ad actus salutes operandos: sed cogitatio congrua entitativè naturalis non est huiusmodi: ergo adnumeranda non est inter auxilia gratiæ actualis Theologicæ: atque adeo hoc nomine veniunt dumtaxat illustrationes, & inspirationes entitativè supernaturales. Minor, in qua est difficultas, probatur. Quia bonas cogitationes congruas entitativè naturales iam admittebat Pelagius ad actus salutes liberi arbitrij. Quippè in primis non negabat, dari in nobis cogitationes aliquas representantes honestatem virtutis: nec deinde negare poterat, quandoque nos ex illis cogitationibus operari aliquos actus virtuosos. Præterea fatebatur, eiusmodi cogitationes provideri nobis à Deo talitèr disponente occurrerías obiectorum: nam Augustino teste lib. 1. de Gratia, cap. 7. dicebat: *Adiuvat nos Deus, dum cordis nostri oculos aperit, dum nobis, ne presentibus occupemur, futura demonstrat, dum Diaboli pandit insidias, & nos dono gratiæ celestis illuminat: & paulò inferius: Dum nobis suadet quod bonum est.* Et, teste Prospero, Epist. ad Rufinum, dicebat etiam gra-

gratiam esse *Magistrã liberi arbitrij per cohortationem, per legem, per doctrinam, per creaturas, per contemplationem.* Et, teste Orosio, in Dialogo, dicebat, stare gratiam in solo naturali bono, & in libero arbitrio, & hoc ordine, quem natura bene instituta custodit: hoc enim modo Deus, *elementarijs semel cursibus constitutis, facit inde quæ facit.* Per quæ patet, Pelagium admisisse cogitationes naturales ad bonum, non sine providentia Dei ex rerum occurribus obvenientes; & quidem congruas, hoc est, quandoque coniunctas cum operatione virtuosã liberi arbitrij: ergo eiusmodi cogitationes, etiam congruæ, non sunt gratia, quam negabat Pelagius, quamque ab illo exigebat Ecclesia. Lis ergo cum illo fuit de gratia requisita ad actus salutes distincta ab omni cogitatione entitativè naturali: ac proinde nomine gratiæ ab illo negata, & à Concilijs, ac Patribus defensa, veniunt dumtaxat dona interna intrinsecè supernaturalia, scilicet, illustrationum, & inspirationum entitativè supernaturalium.

77 Responderi solent quatuor. Primo, hos Theologos iammittere auxilia interna gratiæ, quales sunt congruæ illæ cogitationes proponentes honestatem virtutis, non solum speculativè, quin etiam practicè; cum tamen Pelagius, aut solum admisisset gratiam externam in lege, atque doctrinã extrinsecus sonante constitutam; aut, si admisisset internam, admisisset merè speculativam, & non practicam ad opus honestum. Secundò, Pelagianos constituisse illas cogitationes omninò naturales, ideoque indignas nomine gratiæ; ab ijs autem Theologis admitti supernaturales, si minus entitativè, saltem quoad modum: utpotè à Deo datas providentissimè ex meritis Christi, & ad finem vitæ æternæ. Tertio, hos Theologos agnoscere in prædictis cogitationibus congruis rationem specialis beneficii diversi à dono creationis, quod sufficit ad rationem gratiæ specialis Theologicæ: id autem negabant Pelagiani, illas existimantes de debito naturæ, ac proinde non agnoscentes in eis rationem gratiæ, nisi in eo sensu laxiori; quo bonum ingenium, firmã valetudo, aliæque dotes naturales, sive corporis, sive animæ, appellari possunt beneficia, & gratiæ Dei. Quarto, Pelagium damnatum, quia negabat gratiam actualem auxiliari-

tem entitativè supernaturalem, necessariam ad salutem; quam tamen ij Theologi non negant: quippe, licet asserant, cogitationes entitativè naturales esse vere gratiam Theologicam; aiunt requiri præterea auxilia actualia aliarum cogitationũ entitativè supernaturalia ad actus supernaturales necessarios ad salutem. Sicque videtur etiam loquutus P. Suarez lib. 3. cap. 10. quamvis, ne sibi adversetur, intelligendus sit de gratia non Theologica, quando videtur concedere cogitationes entitativè naturales esse gratiam.

78 Adversus primam tamen responsionem constat satis ex num. 76. Pelagium, præter auxilia externa, iam admisisse dona interna, scilicet cogitationes naturales incitantes ad bonum: non enim ignorabat, voluntatem non ferri in incognitum: admisit etiam multas istarum cogitationum suadentes bona opera, ac proinde practicè dirigentes ad ea exercenda, ut constat ex testimonio Augustini ibidem recitato. Ergo admisit in re quidquid admittunt ij Theologi: & tamè nondum sanam de divina gratia doctrinam assequeretur. Quod si dicitur interdum, solam gratiam externam admisisse, ideo est, (& sedulo notandum) quia gratia interna earum cogitationum, quã admittebat, non æstimatur beneficium diversum ab externa propositione, & occursum obiectorum, cum ex natura rei oriatur ex ijs exterioribus ministerijs. Gratia verò, quam exigebant Augustinus, & alij Patres, est interna, & ex natura rei non connexa cum naturali rerum occursum, sed à Deo misericorditer immissa per Christum ultra debitum externorum ministeriorum.

79 Adversus secundam est testimonium eiusdem Augustini lib. 1. de Grat. Christi, cap. 37. 38. & 39. quod iam falsus est Pelagius, illam gratiam à se admisissam, esse per Christum: aiebat enim, *nos per Christi gratiam in meliorem hominem renovatos, & ipsius sanguine ad perfectionem incitatos iustitiæ.* Et quidem, si dissidium Augustini, & Pelagij eò solum devolveretur, ut cogitationes illæ entitativè naturales darentur à Deo per Christum, & ex intentione ad salutem, devolveretur in id, quod multi Theologi, quos vidimus disp. 6. de Incarn. sect. 3. volunt cõtra alios, Tom. 2. omnia dona nostrã, etiam naturalissima disp. 6. ipsamque rerum creationem, esse propter Chri-

Oros.

Ripald.
Aguir.
Suar.

Rom. 1.

Dan. 4.

S. Thom.

August.

Prosp.

Suar.

August.

Tom. 2.

disp. 6.

Christum, aut ex meritis Christi: quin tamen proinde gratia Theologica fiat: & apud adversarios, cogitationes bonæ naturales incongruæ gratiæ Theologica non sunt; & tamen eodem modo sunt, vel non sunt per Christum. E diverso autem, qui non omnia volunt fuisse propter Christum, negant auxilia gratiæ data Angelis, imò & primis hominibus ante peccatum, fuisse ex meritis Christi: & tamen fuerunt verè auxilia gratiæ: ergo, quod sint, vel non sint verè gratia Theologica, pensandum non est ex eo præcisè, quod sint, vel non sint per Christum. Et certè virtus intrinseca auxiliorum ad opera salutis eadem est, sive dentur per Christum, sive independenter à Christo: quod ipsis accidentarium est. Illud etiam, quod dicitur de intentione dandi in ordine ad salutem, ipsi substantiæ creaturæ naturalissimæ adaptatur: nam homines, & Angelos creavit Deus ex intentione, & in ordine ad finem beatitudinis supernaturalis. Supernaturalitas ergo illa quoad modum, petita, sive ex intentione, & in ordine ad salutem, sive ex meritis Christi, non aptè discriminat gratiam à non gratia: ac proinde, si huc quæstio de gratia devolveretur, levissimum, & vix ad rem pertinens fuisset dissidium inter Augustinum, & Pelagium.

80 Adversus tertiam est, quod iam præmissimus *sect. 2. & 3.* ubi vidimus, quod, si donum creationis sumitur præcisè pro beneficio productionis, nec Pelagius, qui vir erat doctus, & acutus, teste Augustino, negabat cogitationes homini supervenientes esse donum realiter, ac physice distinctum ab hominis productione. Si verò sumitur donum creationis pro toto ordine creationis iam vidimus ibidem contra Vasquez, eiusmodi cogitationes naturales spectare ad beneficia de ordine creationis, ac proinde non esse de ordine gratiæ Theologicæ. Non ergo sic conceditur in re gratia Theologica, quæ in re negavit Pelagius; aut certè dissidium inter ipsum, & Ecclesiam, aut nullum fuisset in re; aut vix diversum, ab illo, quod versatur nunc inter Doctores Catholicos, quorum aliqui eiusmodi cogitationem volunt, alij nolunt, vocari, nec esse gratiam verè Theologicam. Quo præoccupatur alia responsio, quam insinuat, & refutat Ariaga, dicentium, cogitationes bonas naturales

admissas à Pelagio verè esse gratiam Theologicam; Pelagium verò eas vocasse dona naturæ, quod ij Theologi recusant, confitentes, esse dona gratiæ indebita naturæ. Certè enim hoc est, quæstionem gravissimam, ac decantantissimam inter Ecclesiæ Patres, & Pelagianos, devolvere ad vocale discrimen ob varias acceptiones Gratia, quas distinximus *disp. 1. sect. 3.* ex eodem Augustino concedente Pelagianis, dona etiam naturalia, quoad non improbanda ratione, vocari posse gratiam: quod nos etiam Adversarijs concedimus. Contendimus autem, hanc non esse gratiam Theologicam, de qua ibi supererat adhuc quæstio dogmatica inter Augustinum, & Pelagium.

81 Adversus quartam est quod, si Concilia, Sanctique PP. inter auxilia gratiæ Theologicæ comprehendissent cogitationes etiam entitative naturales, nullum illis, & nobis superesset argumentum ad admittenda auxilia ulla actualia entitative supernaturalia. Nam de auxilijs gratiæ dicunt indiscriminatim, esse donata à Deo, inspirata, subministrata ab Spiritu Sancto; esse altam Dei misericordiam, secretam, occultam, à sensibus remotam. Si autem hæc loquutiones aptari semel possunt donis entitative naturalibus, non potest exinde probari, ulla dari auxilia entitative supernaturalia. Si verò illis naturalibus non aptantur dictæ loquutiones, non veniunt illæ naturales apud Concilia, & PP. nomine, & sensu auxiliorum gratiæ Theologicæ. Nec valet dicere, entitativam aliquorum auxiliorum supernaturalitatem probari aliunde: ex eo nempe, quod requirantur ad salutem aliqui actus liberi entitative supernaturales, qui sine auxilio entitative supernaturali fieri nequeunt; quamvis ad alios entitative naturales bonos sufficiant auxilia entitative naturalia.

82 Hanc enim evasionem repellit efficaciter Ripalda *sect. 7.* graviter ponderans, quod Sancti PP. & Concilia non distinxerunt in presenti actus naturales, & supernaturales sub his terminis; sed aut conducentes, aut non conducentes ad salutem. Theologi autem non aliunde erunt actus, quos vocant entitative supernaturales, nisi ex eo, quod Concilia, & PP. requirunt ad actus salutare auxilia gratiæ nobis à Deo specialiter immissa per subministrationem Spiritus Sancti,

Supra
disp. 1.

Ripal.

& non vi causarum naturalium. Undè ad stabiliendam supernaturalitatem entitativam aliquorum actuum salutarium ex loquutionibus Sanctorum PP. prius ex illis statuenda est supernaturalitas auxiliorum gratiæ ad eos actus requisitorum. Si autem donum entitative naturale, quales sunt cogitationes non entitative supernaturales, implet significationem illarum loquutionum, non manet argumentum ex prædictis loquutionibus pro auxilio ullo entitative supernaturali. Sicquæ fas esset dicere, ad actus etiam supernaturales credendi, sperandi, & diligendi, sufficere auxilia entitative naturalia; quia solum requiruntur auxilia, quæ verè gratia Theologica sint, quibusquæ convenient prædictæ loquutiones Conciliorum, & Patrum propugnantium veræ gratiæ necessitatem: & rueret tota Theologia de supernaturalitate auxiliorum, & actuum, & cum illa prædicta quarta responsio. Dicendum ergo est, cogitationibus illis entitative naturalibus non aptari prædictas loquutiones, quas de vera gratia auxiliatrice Theologica protulerunt Concilia, & Patres: ac proinde, in illis stare non posse rationem veræ gratiæ Theologicæ; sed solummodò in donis internis entitative supernaturalibus.

SECTIO VII.

Aliæ rationes pro eadem vera sententia.

83 **S**ecunda ratio, & confirmatio præcedentis. Auxilium gratiæ Theologicæ est donum internum, & beneficium novum, ac distinctum à quacumque gratia, & ministracione externa, & ab omni cogitatione illi per se debita, & adiuncta. Sed tale non est auxilium entitative naturale cogitationis congruæ: ergo non est verè auxilium gratiæ Theologicæ: ac proinde tale non est nisi entitative supernaturale. Maior videtur supponi nobiscum ad Adversarijs, propterea contententibus, ut vidimus *sect. 2. & 3.* cogitationes congruas, etiam naturales, esse beneficia Dei extra ordinem creationis, & indebita naturæ. Et probatur ex Augustino adducto *num. 62.* super illud Pauli: *neque qui plantat, &c.* iterumquæ *epist. 95.* scribente, propriam esse gratiam Christianorum, *qua non auribus, sonante doctrina, vel aliquo adiumento visi-*

August.

bili, sicut plantatur quodammodo, & irrigatur extrinsecus; sed subministratione Spiritus, & occulta misericordia, sicut facit ille, qui dat incrementum Deus. Et rursus, *cap. 3. de Grat. Christi* pergit: *Hæc gratia, si doctrina dicenda est, curè si dicatur, ut altius, & interioris eam Deus cum ineffabili suavitate credatur infundere, non solum per eos, qui plantant, & rigant extrinsecus; sed etiam per se ipsum, qui incrementum suum ministrat occultis.* Undè *tract. 3. in Ioan.* addit: *Admonere possumus per strepitum vocis nostræ; si tamen non sit intus qui doceat, inanis est strepitus noster.* Discernit ergo magistralissimè Augustinus interiorem gratiam auxiliantem, quæ sit speciale Dei beneficium ultra debitum omnis ministracionis externæ; ac per consequens diversa à cogitatione naturali, quæ exteriori ministerio hominum, aut obiectorum occurri deberetur.

84 Tale verò non esse auxilium entitative naturale cogitationis congruæ, quæ erat minor primi syllogismi, probatur. Quia externæ propositioni legis, librorum lectioni, hortationibus pijs, consilijs, & exemplis amicorum, & varijs occurribus rerum humanitatis evenientium, debetur ex natura rei suscitatio alicuius bonæ cogitationis; aut certè deberet esse homo, quasi lapis ad ea omnia exteriora. Incredible præterea est, hominem; sæpè tactum huiusmodi cogitationibus, nunquam bene operaturum. Sic ergo iam aliqua illarum cogitationum erit congrua; & tamen non erit beneficium ab externis illis creaturarum ministerijs diversum, illisque indebitum; imò connaturalissimum: haud certè minus, quam pravus consilijs, hortationibus, & exemplis debentur, & correspondent cogitationes pravæ. Id quod latius prosequuti sumus *sect. 2. & 3.* Undè liquet consequentia, quod eiusmodi cogitationes bonæ non sunt verè auxilia gratiæ Theologicæ.

85 Responderi solent duo. Primum, rationem specialis beneficij extra ordinem creationis, non stare solum in prædictis cogitationibus; sed in affectionibus pijs subsequitis. Secundum, stare potius in speciali vivacitate, seu intentione, quam Deus liberaliter, & indebitè superaddit ipsis cogitationibus entitative naturalibus. debitis externo ministerio, & occurri rerum humanarum.

86 Adversus priorem tamen respon-
sionem stat primò, quòd constanter San-
cti PP. & Concilia quorum verba dedi-
mus *disp. 2. sect. v.* speciale gratiæ internæ
beneficium distinctum ab externo mini-
sterio creaturarum, referunt non tantum
in affectiones pias voluntatis, sed in il-
lustrationes etiam intellectus, desuper à
Deo misericorditer infusas, & non ex
debito ministerij externi. Secundò, quia
potius dicendum esset, affectiones illas
indeliberatas, quamvis beneficium sint,
non esse omninò diversum à precedenti
dono illustrationum, ad quod utique
iam ex debito, & connaturaliter subie-
quuntur. Sicque videntur loqui Molina,
Suar. Vasq. & alij contra Basilium Legio-
nensem, & alios apud Ripaldam *disp. 103.
sect. 4.* ubi contendit, cuilibet cognitio-
ni deberi aliquam affectionem circa bo-
num, aut malum representatum. Quòd si
ea affectio infundatur in maiori inten-
sione, quam exigeret illustratio prævia,
in eo saltem relucere posset ratio novi
beneficij. At quomodo sibi, aut nobis
persuadere poterunt Adversarij, quòd
quoties bene operamur, accenditur in
voluntate intensior illa affectio ultra de-
bitum illustrationis? Cum præsertim
aliqua sint bona opera, ut alere filios,
manducare cum expedit, &c. ad quorum
executionem frustra prærequireretur
vehementior affectio voluntatis, exce-
dens intensiorem cogitationis congruæ
præviæ. Tunc autem, nec in cogitatione,
utpotè debitâ exteriori rerum natura-
lium occursum; nec in affectione, utpotè
condebitâ cogitationi, reluceret ratio
specialis beneficij moraliter diversi à be-
neficio ministerij, seu occursum externi
naturalissimi.

87 Adversus posteriorem stant lo-
quutiones Sæctorum Patrum super illud:
Neque qui plantat est aliquid, &c. dicen-
tium, ut vidimus, nihil ex se conferre
ministerium externum creaturarum ad
fructum salutarem; sed solum culturam
internam adhibitam à Deo supra exter-
nam. Multum autem conferret, si V. G.
ex quatuor gradibus intensiõnis, qui re-
quiruntur ad congruitatem cogitatio-
nis, tres tribuerentur externo ministerio
creaturarum plantantium, & rigantium.
Præterea, quartus ille gradus indebitus
huic externo ministerio, posset ab alio
ministerio vehementiori, etiam natura-

li, connaturalissimè excitari, illique de-
beri, cum entitativè naturalis sit: ergo
tunc daretur congruitas cogitationis, &
iuxta hos Theologos vera gratia Theo-
logica, sine ratione specialis beneficij
moraliter diversi à beneficio ministerij
externi. Denique, nõ est ratio, cur cogita-
tio, quæ naturaliter debetur externæ suaf-
sioni amicorum, non sit congrua ad opus
bonum facile, quod persuadet: ergo, si
quælibet bona cogitatio congrua, etiam
naturalis, est gratia Theologica, illa quo-
que erit gratia, quamvis nihil in ensio-
nis ipsi desuper adveniat; & tamen non
esset speciale beneficium moraliter di-
versum à beneficio externæ suassio-
nis, cui connaturaliter debetur.

88 Tertia ratio, & mihi efficac. Au-
xilia gratiæ Theologicæ, quæ Sancti PP.
exigebant à Pelagianis, sunt illa, quæ na-
turam ex se insufficientem, & impoten-
tem ad bonum, reddunt absolute suffi-
cientem, & potentem. Sed tales non sunt
cogitationes entitativè naturales, quan-
tumvis congruæ: ergo hæc non sunt auxi-
lia gratiæ Theologicæ à Sanctis Patribus
requisita, & consequenter id solum com-
petit illustrationibus, & affectionibus à
Deo infusis entitativè supernaturalibus.
Consequentia est legitima.

89 Maior est expressa in Concilijs,
& Sanctis PP. idemdem commendanti-
bus auxiliantis gratiæ necessitatem, ex
eo quòd natura sine illa absolute non
potest facere opera, ad quæ facienda di-
citur indigere adiutorio gratiæ, robo-
rante ipsius imbecillitatem, & dante po-
testatem, & vires, quas sufficientes non
habet: iuxta illud Christi Ioan. 15. *Sine me
nihil potestis facere*: ubi Augustinus tract.
81. in Ioannem glossat: *non ait, sine me
parum, sed nihil potestis facere*: id est, nihil
salutare sine gratia per Christum: & iux-
ta illud Pauli 2. Cor. 3. *Non sumus sufficientes
cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis,
sed sufficientia nostra ex Deo est*: undè Au-
gustinus ipse lib. 2. contra Iulian. cap. 8.
laudat Cyprianum, Pelagianos confu-
tantem, dicens: *Ipsi, Pelagiani, confidunt in
virtute sua, & clamant, perfectio nobis vir-
tutis à nobis est; tu autem, O Cypriane, re-
clamas: nemo suis viribus fortis est; sed Dei
indulgentiâ, & misericordiâ*. Constans igitur
est maior illa, quòd gratia, quam
Sancti PP. exigebant à Pelagio, est quæ
naturam ex se impotentem potentem facit.

Ioan. 15.

August.

2. Cor. 3.

August.

Cyprian.

Minore-

90 Minorem autem probo ex do-
ctrinis ipsis eorum, quos impugnamus.
Quippè cogitatio congrua ratione con-
gruitatis non addit maiores vires natu-
ræ, quam cogitatio sufficiens incongrua:
nam, quatenus congrua, solum addit præ-
incongruam consentium liberum; qui, ut
per se patet, non addit vires, virtutem,
seu potestatem naturæ ad consentien-
dum: sed cogitatio sufficiens incongrua
entitativè naturalis non est auxilium
gratiæ Theologicæ: ergo neque congrua:
Minor hæc, tanquam doctrina clarissima
Patris Vasquez, traditur à Luyfio Turria-
no, asserente à nemine sanæ mentis
negari posse.

Torres.

Hurt.

Ovied.

91 Quoniam verò Gaspar Hurtadus,
prout iam retulimus *sect. 1. num. 7.* illam
negare ausus est, teste Oviedo, subdubi-
tante etiam in hoc de mente Patris Vas-
quez, probo illam paucis ex multis, quæ
opponit Oviedus *contr. 3. pum. 1.* præter
aliâ, quæ iam diximus ex Herize supra
num. 16. Si enim cogitatio bona natura-
lis, etiam incongrua, potestque sufficiens,
esset gratia Theologica, non posset homo
sine gratiâ esse liber ad peccandum, at-
que adeò, & ad peccandum quoque ne-
cessaria esset gratia Theologica: quod ta-
men falsissimum est, & absurdissimum:
nam in statu puræ naturæ, qui destitutus
esset ab omni elevatione gratiæ Theolo-
gicæ, esset homo liber ad peccandum:
imò & damnati peccant, gratia certò de-
stituti: de quo Suar. *lib. 8. de Angelis cap.
7.* Aut negandus omninò esset possibilis
status nature puræ, ut negarunt Lutherus,
& Calvinus apud Bellarm. *lib. de Grat.
primi hom. cap. 5.* dicentem, eam esse opi-
nionem propriam Hæreticorum: quam
susceperat Baius, & promovit Jansenius,
foventque noviores Belgæ, Macarius,
Neeslen, & Egidius Gabrielis apud Pa-
tritium Duffium de Theologia Baij Janseni-
anâ *Classi 3.* & apud Card. de Aguirre
disp. 105. sect. 1. num. 10. Probatur autem
sequela. Quia non est homo liber ad pec-
candum, quin possit non peccare, cum
requiratur ad id libertas à necessitate ex
Baila *Innoc. X. contra Jansenium*: ut autem
possit homo non peccare, necessaria est
aliqualis cognitio, complens volunta-
tem in ratione potentis omittere pecca-
tum, quod committit: ea autem cognitio
est cogitatio bona, & saltem sufficiens,
ut ex ea omittatur peccatum: alioquin

Suar.

Bellar.

Baius.

Jansen.

Macar.

Neesl.

Gabriel.

Duffius.

Aguir.

Inno. X.

peccatum non esset peccatum, cum non
fieret liberè à necessitate: ergo sine cogi-
tatione saltem naturali sufficiète ad non
peccandum, non posset peccari. Si ergo
quælibet bona cogitatio naturalis, etiam
sufficiens, & incongrua, esset gratia Theo-
logica, necessaria hæc esset etiam ad pec-
candum.

92 Propter hæc, & aliâ absurda, vi-
denda apud Oviedum, mitiores Discipu-
li Patris Vasquez concedunt nobis pri-
mam istam minorem, undè nostram in-
tulimus consequentiam *num. 88.* Ter-
tiã versantur autem in maiori:

Ovied.

93 Respondent itaque cum Vasquez
ad nostrum argumentum, insufficientiam,
sive impotentiam ad bonum opus,
quam dicit natura sine cogitatione con-
grua, non esse antecedentem, sed conse-
quentem: in eo videlicet sitam, quòd ho-
mo sine cogitatione congrua non bene
operabitur. Hæc, inquit impotentia
consequens tollitur per cogitationem
congruam; cum qua scilicet bene opera-
tur; non verò per sufficientem incon-
gruam, cum qua non bene operamur.
Cum ista ergo, quæ gratia non est, manet
homo impotens ad bonum opus eâ im-
potentiâ, quam naturæ inesse sine gratia
docent Sancti PP.

94 Cæterum doctrina responsonis
longè videtur abire à mente, & loquu-
tionibus SS. Patrum. Primò: quia impo-
tentia illa consequens, absolute impo-
tentia non est: alioquin homo non pec-
caturus, esset eo ipso impotens peccare:
Sancti autem PP. ex Sacris Scripturis, ho-
minem gratiâ destitutum absolute non
vocant impotentem, & insufficientem
ad opera, ad quæ gratiam requirunt. Se-
cundò: quia gratia, quam Sancti PP. exi-
gebant à Pelagio, est gratia dans vires ad
opera, ad quæ natura est insufficientis ob
defectum virium: vires autem ad effe-
ctum non se tenent consequenter ex par-
te effectus, sed antecedenter ex parte vir-
tutis: ergo, quia sine illa gratia est natura
antecedenter impotens, & insufficientis.
Tertio: quia eiusmodi impotentiam
consequentem naturæ non negabat Pe-
lagius: quippè noverat, hominem non
posse, amare quin amet; aut, credere quin
credat: atque adeò sciebat, quod nescit
nemo; necessariam esse cogitationem
congruam necessitate consequenti ad
actu bene operandum: ac proinde, sine
cogi-

cogitatione, quâ positâ sumus bene operari, non posse nos actu bene operari: impotentia scilicet consequenti, sumptâ ex suppositione, quod desit cogitatio, qua positâ, re ipsâ bene operemur. Clarissimè igitur Sancti PP. dum dicunt, hominem sine gratia non posse ea opera facere, esseque insufficientem ad illa, eo quod *sufficiencia nobis ex Deo est*, scilicet, ex gratia Dei; loquuntur de impotentia, & de sufficiencia antecedenti.

95 Quarta ratio est à sequelâ absurdissimâ. Sequitur enim primò ex oppositâ sententiâ, quod homo, vel Angelus in pura natura constituti, nullum possent actum virtutis operari: nam, ut illum operaretur, deberet præcedere cogitatio aliqua congrua: quæ, si eo ipso esset gratia Theologica, iam eo ipso extraheretur homo, vel Angelus ab statu puræ naturæ. Quo datur ansa Baianis, & Jansenianis Pseud-Augustinianis ad negandum possibilem statum puræ naturæ, ut tetigimus *num. 91. ex prænotatis disp. 1. num. 5.* Sequitur secundò, quod possibile esset homo, vel Angelus, cui Deus non posset denegare gratiam, nisi miraculosè: quia, quamvis moraliter fieri nõ possit, quod homo cuiuscumque bonæ cogitationi data, aut dabili consentiat; at physicè, & metaphysicè id non repugnat: sicquè illi omnis cogitatio bona esset gratia Theologica, siquidem omnis esset congrua: cum autem non possit, nisi miraculosè contra naturâ rationalem, evenire, quod nulla ipsi occurrat cogitatio bona; contra naturam, ac debitum ipsius esset, quod nõ haberet gratiâ Theologicam. Quam sequelam Baiani, & Janseniani non respiciunt. Alias sequelas absurdas expendunt Ripalda, & Arriaga.

96 Quinta ratio è directo contraponitur sexto fundamento contrariæ sententiæ, posito *sect. 5. à n. 68.* Quia nempe per nostram extollitur sublimius, quam per contrariâ excellentia, ac dignitas auxiliorum divinæ gratiæ, multoq; longius distat à Pelagianismo, & Semipelagianismo, à Baianis, & Jansenianis Pseud-Augustinianis: ergo præferenda est, & à Theologis securius amplectenda. Probatio antecedentis erit negotium utile sequentis sectionis.

(.f.)

SECTIO VIII.

Utra istarum Sententiarum dignius sentiat, & loquatur de excellentia auxiliorum divinæ gratiæ actualis; longiusque distet à doctrinis Pelagij, & Iansenij.

97 **P**ATER Oviedus *contr. 3. punct. 1. num. 29.* refert sententiam Patris Vasquez eius discipulis visam esse multum extollere dignitatem gratiæ, atq; de illa sentire; scilicet multò altius, ac dignius, quam nostra. Quocirca Pater Eusebius Nieremberg in vita Patris Vasquez, propter hanc eius sententiam, illum appellat singularem defensorem gratiæ Christi. Fundamenta huius existimationis posuimus *sect. 5. à num. 69.*

98 Existimo tamen, per hanc nostrâ sententiam de supernaturalitate entitativa auxiliorum multò dignius, ac sublimius sentiri de excellentiâ divinæ gratiæ; longiusque distet à doctrinis, quas in Pelagianis, & Semipelagianis impugnarunt Concilia, Sanctique Patres, & in Baianis, & Jansenianis partim damnarunt Pontifices, partim censurant solidiores Theologi.

99 Nollem in primis, ut confundantur in hoc puncto necessitas gratiæ, & excellentiâ gratiæ. Non enim idem est, esse necessariorem, & esse excellentiorem. Profectò excellentior abs dubio est Incarnatio divina, quam auxilia gratiæ; imò & quam gratia habitualis; & tamen gratiæ istæ sunt ad salutem necessariorum. Et quidem, extendere necessitatem gratiæ ad quodcumque opus bonum, etiam entitativè naturale, ut extendit sententia Patris Vasquez, est facere quodammodò gratiam necessariorem extensivè, ut ita dicam, ad ea, ad quæ necessè non est; at non sic consulitur excellentiâ gratiæ; cum potius id non fiat, nisi deprimendo dignitatem gratiæ ad cogitationes naturales, quas esse veram gratiam Theologicam non satis probatur. Porro ad opera bona salutaria, ad quæ, utpotè supernaturalia, omnium Catholicorum suffragio necessaria est gratia Theologica, necessariissimam illam ponit nostra sententia, & quidem entitativè supernaturalem: quæ est præstantior auxiliantis gratiæ dignitas.

Pro-

100 Probatum nunc existimatio nostra discursu solidissimo. Docet enim sententia nobis contraria, ad actus honestos entitativè naturales. necessariam nobis esse gratiam per Christum: quia, si fierent sine illa per solas vires liberi arbitrij, possemus per solas istas vires præbere aliquod initium, seu occasionem, cuius intuitu assequeremur auxilium supernaturale ad iustificationem: possemus namque ex nobis facere opera misericordiæ, quibus obtineremus gratiam supernaturalem requisitam ad iustificationem. Agnoscit ergo, actus bonos naturales esse ex intrinsecâ suâ ratione tales, ut si quoquo modo fierent sine gratia, posset congruè Deus eorum intuitu conferre nobis gratiam auxiliantem supernaturalem, qua ulterius disponeremur ad iustificationem. Atqui homo sine gratia habet vires sufficientes, quibus constituatur ex se potens ad eiusmodi actus naturales virtutum moralium, ad eos saltem, quos facere deberet ex lege naturali, ut latetur Vasquez, & nos fecimus manifestum *sect. 2. præsertim num. 16.* Ergo iuxta prædictam sententiâ homo sine gratia posset absolutè potentiâ antecedente facere actus conducentes ad salutem: quatenus nempe cum cogitatione sufficienti, quamvis incongruâ, quæ iuxta hanc sententiam non est gratia, posset homo illos facere, quamvis re ipsâ non faceret. Hoc autem, cum neget nostra sententia, quamvis concedat posse hominè sine gratia facere eos actus bonos naturales, quos utique negamus conducere ad salutem, ita extollit gratiæ necessitatem, ut sine illa nihil faciamus, nihilquè possimus facere conducentes ad salutem: ita eius excellentiam, ut nulli enti debito naturæ convenire, aut deberi possit: usque adeò Hæreticis malè de gratia sentientibus adversatur, ut nullam relinquat ansam Pelagianis ad dicendum, gratiam esse donum de ordine creationis; nec Semipelagianis ad dicendum, dari ex nobis posse sine gratia per Christum aliquod initium ad salutem; nec Baianis, & Jansenistis ad dicendum, deberi gratiam puræ etiam naturæ; ut operetur conducenter ad beatitudinem supernaturalem.

101 Insuper. Cogitationes auxiliares, quæ requirit opposita sententia ad actus bonos naturales, non sunt entita-

tivè nobiliores alijs, quæ consequuntur ad ordinem creationis; cum utraq; sint entitativè naturales. Diversitas dumtaxat est in eo, quod nos dicimus, eas cogitationes, etiam congruas, ad actus naturales saltè faciles, esse de ordine creationis; quod negat opposita sententia, dicens, esse omninò gratis ex meritis Christi. Nos ergo cum dicimus, aliquos actus bonos fieri posse sine gratia per solas cogitationes naturales, non extrahimus, nec extollimus actus bonos naturales supra eorum dignitatem; siquidem assignamus eis cogitationes adiutrices de ordine creationis, etiam naturales: atque adeò ex hac parte notari non possumus, quod nimium deferamus naturæ. Ex alia verò parte, cum omninò negamus, eos actus naturales sic factos conducere positivè ad salutem, notari non possumus, quod ad Pelagianos, aut Semipelagianos accedamus: hi enim non in eo errabant, quod dicerent, actus bonos naturales fieri posse viribus liberi arbitrij cum sola gratia creationis; sed in eo quod dicebant, actus sic factibiles, aut factos à libero arbitrio cum sola gratia de ordine creationis esse salutes, utpotè meritorios ulteriorum donorum supernaturalium. Opposita verò sententia in eiusmodi actibus agnoscit valorem intrinsecum ad merenda de congruo ulteriora dona supernaturalia Fidei, Spei, & Charitatis: nè tamè dicere cogatur, virtutes has obtineri sine auxilio gratiæ; ait, priores illos actus naturales bonos non posse fieri sine auxilio gratiæ per Christum. Quod sine dubio est, ex una parte eos, naturamquè nimium extollere; cum in eis agnoscat vim meritivam de congruo gratiæ supernaturalis, & ad eos requirere gratiam per Christum: & ex alia parte, gratiam deprimere infra suam dignitatem; cum eam cognoscat in cogitationibus entitativè naturalibus congruis ad eos actus, eamq; faciat præmium congruum operum bonorum naturalium: quibus utique ex eo quod fiant ex illis cogitationibus collatis ex meritis Christi, non accrescit valor intrinsecus, ut vidimus *num. 79.*

102 Hinc perspice, quantum prævaleat nostra doctrina ad extollendâ actualis gratiæ dignitatem, eiusquè necessitatem ad salutem; & quanto longius distet à doctrinis Hæreticorum, nimis

tri-

tribuentium naturæ liberi arbitrij; & detrahentium necessitati gratiæ ad opera salutaria. Superest iam respondere ad rationes sententiæ contrariæ positas ad finem sectionis 5. quarum solutionem huc remissimus, ut expensis iam momenti utriusque partis, maturius posset ferri iudicium. Itaque ad fundamentum contra nos iactum ibi *num.* 68. negatur antecedens.

103 Ad primam eius probationem *num.* 69. excessit sine dubio Vasquez in ea nimis acri censura. Quæ quidem locum haberet, si diceremus, causas, quarum occursum excitantur in nobis eæ cogitationes naturales congruæ, inferentes actum bonum naturalem, sic occurrere fatali quadam necessitate, aut casuitate. Non tamen id dicimus. Quippe agnoscimus in Deo providentissimo, titulo etiam creationis, non solum providentiam physicam, qua providet creaturis irrationalibus; sed providentiam quoque moralem, quâ provideret rationalibus in ordine ad actus liberos bonos naturales. Ad confirmationem aio, quod, quamvis diceremus, fieri à nobis aliqua opera bona moralia naturalia sine gratiâ Theologica, dixit optimè Paulus. *O altitudo, &c. Quis prior dedit illi, & retribuetur ei?* Loquitur enim de obsequio Deo à nobis, ante omnem Dei gratiam Theologicam præstato, meritorio gratiæ Theologica: sic enim gratia iam non esset gratia, sed ex debito. At bona illa opera naturalia, quæ fierent ante omnem gratiam Theologicam, non dicimus fore obsequia ullo modo meritoria gratiæ Theologica: sicque salvamus, primam gratiam Theologicam donari nobis à Deo gratis, quin eam retribuatur pro obsequio ullo nostro antecedenti merito illius. Addo, quod ante illud etiam opus bonum naturale prærogaret nobis Deus, ut Author providentissimus naturæ, beneficium cogitationis bonæ: quod, quamvis non sit gratia Theologica, est beneficium de ordine creationis, quo absolute posset nos privare. In quo suum quoque locum habet *altitudo sapientia, & scientia Dei* providentissimi.

104 Dices. Homo per peccatum originale amisit ius ad bonas cogitationes congruas, quamvis alioquin debitas iure creationis: ergo in statu saltem naturæ lapsæ nullum potest facere actum

bonum, nisi fiat illi prius specialis gratia remissionis illius debiti carenti omni cogitatione congruâ: ea autem specialis gratia est omnino extra donum creationis. Antecedens videtur significari in illo Psalmi: *Homo, cum in honore esset, scilicet, iustitiæ originalis, non intellexit: comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis: scilicet, per peccatum.* *Psal. 48.*

105 Respondetur in primis, totam hanc vim instari manifestè in cogitationibus etiam bonis incongruis: imò & in potentijs intellectus, & voluntatis, quibus etiam dici posset homo factus indignus per peccatum. Et sanè hoc requireretur ad sensum, illorum verborum: *comparatus est iumentis, & similis factus est illis, ut iuxta corticem sonat: Vnde & intellectus, & voluntas dici similiter posset specialis gratia extra ordinem creationis. Quod nulli Adversariorum placebit.*

106 Respondetur deinde, verum esse antecedens, falsamque consequentiam. Nam, ut in similibi dixi *disp. 5. num. 104. de Incarn.* non remissio debiti carenti omni congruâ cogitatione, posset Deus aliquam elargiri purè nolens, solvi sibi totam materiam debiti, relicto tamen formali debito. Potest etiam concedi consequentiâ: negando tamen, remissionem illius partialis poenæ peccati non esse de ordine naturæ: quia eiusmodi remissio alicuius poenæ non est remissio quoad culpam, non nisi ad Deum, ut Authorem supernaturalem pertinens ex dicendis *disp. 13. sect. 11.*

107 Ad secundam ex *num.* 70. constabit specialius solutio ex dicendis *disp. 7. de necessitate gratiæ ad opera bona naturalia difficilia, ardua, & heroica.*

108 Ad tertiam ex *num.* 71. iam dictum est, bona opera naturalia non dare initium salutis, utpotè nullatenus meritoria gratiæ supernaturalis, ad faciendos actus, quibus homo disponitur ad iustificationem, & ad remissionem peccatorum. Quo sic posito, iam vidimus, nostram sententiam discedere à doctrinis, in quibus errarunt Pelagiani, & Semipelagiani: multò quidem magis, quam contraria, tribuens actibus entitativè naturalibus initium salutis, & vim meritivam præmij supernaturalis. Quod autem additur, videti consentaneum rationi, &

muni-

munificentia divina, Deum elargiri ulteriora suæ gratiæ dona homini facienti ex suis viribus quantum potest, verum esse potest, si Deus è thesauro etiam naturæ non haberet unde ea remuneraret præmij naturalibus tali merito Philosophico proportionatis. At habet quidem affluenter, ut Author naturæ, unde compenset eiusmodi obsequia. Non autem esset congruum, aut rationi consentaneum, quod pro eiusmodi operibus daret in præmium quidquam supernaturale: sicut neque quod Princeps subdito levanti digitum, daret eo intuitu in præmium civitatem, quamvis ex liberalitate posset eam donare. De quo *disp. 23. sect. 3.*

Infra
disp. 23.

109 Ad confirmationem *num.* 71. ex Card. Pallavicino, dico, sensum axiomatis: *Facienti quod est in se, &c.* non esse prout ibi asseritur; sed longè alium, atque alium, ut exponemus iuxta varias, & bonas intelligentias *disp. 12. sect. 12.* Nec obstat primum testimonium S. Thom. Certissimum id esse fatemur, quod Sanctus Thomas ait, esse certissimum. At nõ ex eo, quod homo ille sic enutritus operatus benè fuisset naturaliter; sed quia rectè operans modo dicto in illo statu, habuisset sine dubio ex largitate Dei per Christum multa auxilia gratiæ entitativè supernaturalia, ex quibus multi saltè, si non omnes, ut vult Ripalda, ex illis actibus bonis, quos exercuisset in prosecutione boni, & fuga mali, evasissent entitativè supernaturales, sicq; verè salutares initiativè, ut prosequemur *disp. 12. sect. 8.* Nec secundum obstat: quia intelligendus est S. Thom. de conversione illius pueri ad Deum per actum supernaturalem, ad quem efficiendum adest præstò internum gratiæ auxilium. Id enim est multò magis credibile, quam obligatio illa, tam stricta pro primo instanti vsus rationis, quâ supponit S. Thom. Nec item premit argumentatio ducta ex locis Pauli, & Danielis. Tam enim illi Philosophi Ethnici, quos redarguebat Paulus; quam Nabuchodonosor, quem exhortabatur Daniel ad elemosynas, quibus peccata redimeret, habebat à Deo illuminante omnem hominem per Christum, illustrationes, & inspirationes gratiæ, ut si opera bona præstarent, ea præstarent per actus entitativè supernatura-

Infra
disp. 12.

Infra
disp. 12.

les, ut in superioribus sæpè diximus, & dicemus sæpius in sequentibus. Atque adeo nec Philosophorum conversio ad Fidem, nec remissio peccatorum Nabuchodonosoris arguitur ex operibus naturalibus; sed ex supernaturalibus, quæ poterant exercere per gratiam supernaturalem præstò illis adstantem, & pulsanter ad cor, ut latè, doctèque prosequitur Ripalda *disp. 20.* Si autem illi non benè supernaturaliter operabantur; nec benè naturaliter operabantur: ideoque meritò redarguntur à Paulo, ut inexcusabiles in divino iudicio.


110 Postremò ad postremum locum S. Thomæ dico, intelligendum esse, non de operibus bonis liberi arbitrij sine gratia supernaturali factis, ut putat Pallavicinus; sed de operibus supernaturalibus factis à libero arbitrio cum adiutorio gratiæ. De qua mente S. Thom. nequit dubitari, cum loquatur ibi de operibus bonis meritorijs hominis iusti respectu præmij vitæ æternæ. Quod autem id vocet *congruum, & propter quamdam aequalitatem proportionis; non ideo est, quia ea opera non id mereantur condignè; sed quia considerando ex una parte exiguitatem nostrorum operum, & ex aliâ parte æternam gloria pondus, quod operantur in nobis, non est facile, ut videbimus *disp. 23. sect. 3.* invenire æqualitatem moralem nostrorum meritorum cum præmio gloria, requisitam ad meritum condignum. Quocirca ait ibi super hoc S. Thomæ, quod, si spectentur opera, seu obsequia nostra, quamvis supernaturalia, secundum se, non esset rationi congruum illa æstimare moraliter æqualia, ac proinde nec condigna ad præmiũ æternæ gloria; sed ad hoc esse necessè, quod spectentur ut dignificata à gratia, quæ est amicitia Dei, & ut præmianda à summo Deo, Principe Supremo: quibus circumstantijs utrinque pensatis, rationi congruum est, ea æstimari moraliter æqualia, & condigna in ratione obsequij ad magnitudinem præmij gloria æternæ, ut ratio cinamur ferè omnes agentes de Merito condigno Gloria. Vide, quam longè distet intentum Sancti Thomæ in illis verbis ab intelligentia Card.*

Pallavicini.

* * *

K

DISPV.



DISPUTATIO III.

DE CAUSIS AUXILIORUM DIVINÆ GRATIÆ.

TATVTA Quidditate, & supernaturalitate Auxiliorum, agendum est de eorum causis. Quod minus difficultè præstabitur, si habeamus ob oculos, ea esse actus nostros vitales, sive intellectus, sive voluntatis, ac proinde non posse non esse causam illorum efficientem, & materialem, voluntatem, sive intellectum. Causa finalis, est consensus noster liber supernaturalis: eo enim sine largitur Deus auxilia, ut creatura illis præventa exerceat opera meritoria virtutum.

SECTIO I.

Quanam sint causa effectiva physica Auxiliorum gratia actualis.

DIXI, Actualis. Nam causa habituum supernaturalium, qui etiam quodammodo venire possunt nomine gratiæ actualis, aliunde petendæ sunt ex dicendis *disp. 17. sect. 6.* & *disp. 21. sect. 1.*

3 Prima Conclusio. Causæ physice efficientes auxiliorum actualium sunt potentia nostræ vitales; non tamen solæ. Posterior pars est certa: non solum ex doctrina generali, quod ad omnes actus, & effectus creaturarum concurrat physice efficienter, & immediatissimè Causa prima; sed specialius, quia, cum auxilia sint actus entitativè supernaturales, non habent potentia nostræ naturales virtutem sufficientem ad eorum effectum; sed indigent cōprincipio superiori coefficienter illas elevante. Hoc cōprincipium semper est Deus, & aliquandò virtus aliqua creata ordinis divini, ut videbitur *sect. seq.*

4 Prior quoque pars conclusionis, quæ negatur ab aliquibus apud Ripald. *disp. 107. sect. 2.* supponenda nobis est ex Libris de Anima. Nam ad actus nostros vitales debet efficienter concurrere potentia nostra vitalis: sed auxilia sunt actus nostri vitales ex *disp. 2.* ad illos igitur concurrere debet efficienter potentia nostra vitalis respectivè: intellectus sci-

licet ad illustrationes, & volūtas ad inspirationes, seu affectiones auxiliares. Ita Bellarm. Molin. Suar. Zumel, Montefin. Caietan. & alij apud Ripaldam cit. & Oviedum *contr. 1. punct. 10.* Qui rectè addit, quod, etiam si admitteretur possibile, ut volunt aliqui, vita intentionalis in nobis per formam à nobis non productam; absque fundamento existimaretur, tales esse de facto actus nostros vitales auxiliares: atque adeò omnino dicendum esse, physice à potentijs nostris produci.

5 Dices. Auxilia actualia non minus referuntur in Deum eorum largitorem, quàm habitualia: ergo sicut habitus virtutū à solo Deo fiunt, ita & actualia. Respondetur, concessa maiori, minori non esse omnino certam: quamvis enim habitus virtutum infusarum non fiant efficienter à nobis, fortè fiunt à Gratiâ creatâ habituali, cuius sunt proprietates, ut videbimus *disp. 21. sect. 1.* ac proinde non à solo Deo sine concausâ creatâ. Quidquid tamen pro nunc de hoc sit, transmissâ etiam minori, negatur consequentia: Quia coefficientia illa nostrarum potentiarum non tollit, quominus auxilia referri absolutissimè debeant in Deum largitorem, tanquam in causam specialem principalem, & moralem; cum in nobis fiant sine nobis deliberatè in eo operantibus, ut explicuimus *disp. 2. à num. 6.* Nec, me iudice, minus referretur in Deum largitorem cōlatio habituum virtutū infusarum, si nō ipse

Bellar.
Molin.
Suar.
Montef.
Zum.
Rip.
Ovied.

Infra
disp. 21.

Supra
disp. 2.
sect. 1.

ipse solus illos efficeret, sed simul elevarer animam ad eorum effectum. Alia contra conclusionem istam soluta manent abundè *disp. 2. sect. 1.*

Supra
disp. 2.

6 Secunda conclusio. Auxilia sanctorum illustrationum, quæ pertinent ad intellectum, efficiuntur etiam ab speciebus intentionalibus. Sunt enim actus intellectuales, ad quos, præter potentiam intellectivam, concurrunt efficienter vice obiecti species impressæ, ut est doctrina generalis quoad operationes intellectus nostri.

Ripal.
Torres.

7 Dubium est: an prædictæ illustrationes supernaturales efficiantur ab speciebus impressis naturalibus; an à supernaturales divinitus infusis. P. Ripalda *disp. 54.* latè, ac rectè probat contra Patrem Torres, effici ab speciebus naturalibus. Quia cōprincipium supernaturale elevans potentiam intellectivam naturalem ad efficiendos actus supernaturales, non est cur non etiam elevet ad eosdem species naturales in intellectu residentes. Quæ proinde erunt etiam concausæ physice effectivæ auxiliorum, consistentium in sanctis illustrationibus.

8 Tertia conclusio. Si vera est, ut opinor, sententia Philosophica, tribuens actibus intellectus præilluminantibus coefficientiam physicam in actus voluntatis subsequutos, dicendum etiã est, auxilia sanctorum inspirationum, seu affectionum, quæ pertinent ad voluntatem, effici physice ab illustrationibus præilluminantibus, tanquam à concausis physicis cum ipsa potentia voluntatis. Constat à fortiori ex dictis pro secundâ conclusione, suppositâ in naturalibus prædictâ philosophiâ: qua etiam utemur *disp. seq.* pro efficientiâ physica auxiliorum in actus liberos salutare.

Infra
disp. 5.

SECTIO II.

An habitus virtutum infusarum, quando adsunt, sint etiam concausæ efficientes physice ad auxilia indeliberata. Et quid, quando non adsunt?

9 DIXI, indeliberata. Nam ad alia consistentia in actibus deliberatis auxiliantibus, ut diximus *disp. 2. à num. 76.* ad alios ultiores, abs dubio est, concurrere habitus, qui tunc adsunt in anima, respectivè nimirum ad actus circa sua obiecta.

Supra
disp. 2.
sect. 5.

10 De indeliberatis autem, id negant Henriquez, Suarez, Tannerus, Mascareñas, & Curiel apud Ripaldam cit. quos sequitur Oviedus *Cont. 1. punct. 10.* Primò: quia natura habituum infusorum est subditi voluntati, eiusque liberæ determinationi: ergo non habent virtutem in actus indeliberatos præcedentes determinationem liberam voluntatis.

Henr.
Suar.
Tanner.
Masc.
Curiel.
Ripal.
Ovied.

11 Secundò: quia auxilium indeliberatum, datum homini iusto ad actum præceptum virtutis moralis debet esse compositibile cum omissione talis actus præcepti: alioquin actus non evaderet liber, quando fit; & quando sæpè omittitur ea omisio non esset libera, ac proinde neque peccaminosa; cum tunc iam non adsit auxilium ad actum: ergo tale auxilium non efficitur ab habitu infuso. Probatur consequentia: quia habitus virtutis moralis, à quo efficeretur illud auxilium, cum sit gratiæ comes, non posset coexistere cum omissione peccaminosa: ac proinde esset connexum cum existentia actus præcepti, sicut habitus physice illud causans.

12 Conclusio nihilominus sit affirmativa cum Molina in Concord. *disp. 8.* & Ripalda ubi supr. *sect. 3.* & latius *tom. 2. disp. 122.* Quam sic intelligo, ut, quando adsunt in anima habitus virtutum infusarum, hi quoque coefficientiant cum potentijs actus etiam indeliberatos auxiliares à Deo immixtos circa obiecta talium habituum respectivè. Sic indicari videtur ab Augustino, sæpè revocante sanctas illustrationes, & affectiones, ad virtutes Fidei, & Charitatis, hoc est, ad ipsarum habitus infusos.

Molina
Ripal.

Augusti

13 Ratio est: Quia habitus, præsertim infusi, qui dantur per modum potentiarum, & sicut alij tantum ad facile ij etiam ad posse, sunt causæ proportionatæ actuum versantium circa suū obiectum, modò sint efficaces, modò inefficaces; modò desideria, modò gaudia, modò simplices amores; modò sint iudicia, modò discursus, modò apprehensiones; similiter, modò sint deliberati, modò etiam indeliberati: hæc enim differentiæ, tenentes se ex parte actuum, non illos extrahunt à tali ratione sui obiecti: ergo, stantibus in anima habitibus virtutum, sive intellectus, sive voluntatis non est cur illis negetur concursus in actus etiam indeliberatos, qui suscitantur circa eo-

K 2

QUM

Infra
disp. 17.
sect. 21.

Ripal.

Supra
disp. 2.

rum habituum obiecta respectivè. Ita nimirum, ut in homine iusto, si sancta affectio indeliberata est ex obiecto misericordie, coefficienti illam habitus infusus misericordie; & habitus obedientie, sive iustitie, quando pia illa affectio est ex obiecto harum virtutum: si illustratio, seu cogitatio sancta spectat ad Fidem, fiat ab habitu Fidei; si prudentie ab habitu prudentie. In homine autem peccatore fidei, retinente habitus Fidei, & Spei, coefficienti ab ijs habitibus impulsus sancti, spectantes ad istas virtutes respectivè.

14 Ad primam rationem contrariam, positam num. 10. respondetur, eam quidem esse naturam habituum pro casu, quo voluntas operatur ex deliberatione: quo non tollitur, nè casu etiam, quo indeliberatè operatur voluntas, coefficienti cum illa actus etiam indeliberatos vires illæ habituum, quos presentes habet, respectivè ad sua obiecta. Quandoquidem fatetur Oviedus ipse, habitus naturales ad quosdam coefficienti cum voluntate, cui adsunt, actus liberos amoris, seu desiderij deliberatè factos circa sua obiecta; & etiam simplices affectiones naturales circa eadè obiecta indeliberatè sæpius primò motas; gaudiaque necessariò consequuta ad assequutionem obiecti desiderati. Potior videtur esse ratio pro habitibus infusis: quippe latius patere debent; cum sint instar potentiarum.

15 Ad secundam ex num. 11. quæ acriter tangit difficultatem de influxu habituum cum Gratia habituali ad actum præceptum pro instanti determinato; respondetur in primis, ex ea ratione non impugnari nostram conclusionem; sed limitari. Ideòque multi ab illa excipiunt casum propositum actus præcepti. Melius tamè respondemus nunc, negando ante cedens, quidquid reclamant multi, minus penetrantes naturam libertatis. Nò enim propterea tollitur, quominus actus, si fit, fiat liberè. Quia principia illa cum ipso in eo casu connexa, & impossibilia cum ipsius omissione peccaminosa, sunt amovibilia, sicut gratia sanctificans, à qua pendet, pro libito eiusdem voluntatis per potestatem, quam habet omitteudi, & potètis omittendo, ea remove. Nec tollitur, quominus omisio, si fit, fiat liberè: quia nihil est quod necessitet voluntatem ad omittendum: aut si est,

assignetur. Hinc, concessio quidquid dicitur in probatione consequentia, nego quidquam exinde inferri contra libertatem, aut actus, aut omissionis. Sed hæc altioris sunt indaginis, quam remitto

16 Altera conclusio. Quando in anima non sunt habitus infusi, aliqua saltem auxilia gratie actualis fiunt sine coefficienti causa secundæ supernaturalis, scilicet à solo Deo per assistentiam specialem Omnipotentia elevante animam ad physicam eorum effectiorem. Hæc conclusio est contra multos è Sapientissimâ Schola Thomistica, & contra Pennotum, & Salas, qui, ut vidimus

17 Ratio nostra est. Quia, ut ibi diximus, eiusmodi qualitates actuales emortuæ fundamento carent. Illis autem negatis, & absentibus habitibus, nullum superest principium intrinsicum elevans creaturam, & cum illa coefficienti prædictas illustrationes auxiliares: ergo ad illas physicè efficiendas elevatur à solo Deo, specialiter applicante extrinsecus Omnipotentiam ad illas divinitus cum anima causandas: cum in potentia naturali animæ non sit sufficienti virtus ad quidquam supernaturale. Sic in naturalibus passim asserimus, Deum, ut Authorem naturæ, deficiente causâ secundâ proportionatâ, efficere solum multos effectus, quos simul cum causâ secundâ efficeret, si ea adesset. Obstare solum posset, quod nequeat Deus extrinsecè elevans potentiam naturalem supplere pro elevatione principij intrinsici inherentis potentia elevata. At, Deum id

18 Dixi in conclusione, aliqua saltem auxilia. Nam, si actus intellectus præilluminantes ad quemlibet actum voluntatis, ut obiter dicam

Infra
disp. 18.

Pennota
Salas.
Supra
disp. 2.

Infra
disp. 5.
Suar.

Infra
disp. 5.

rale

Ripal.

rale sanctæ affectionis. Sic Ripalda disp. 123. num. 21. Undè manet doctrina conclusionis pro solis prioribus auxilijs sanctarum illustrationum.

SECTIO III.

Quæ sint, & quomodo se habeant ad effectiorem auxiliorum causæ ministeriales, seu occasionales ipsorum.

16 VITUR sæpè Deus variarum causarum naturalium ministerio ad auxilia sua dispensanda: v. g. exhortatione Concionatoris, consilio amici, lectione libri pij, occurso defuncti, operâ Angeli Custodis, & similibus. De quibus nunc quæritur, quomodo se habeant ad efficientiam auxiliorum.

20 Certum est, eiusmodi ministeria, eorumve causas ex natura sua non posse causare in anima auxilia illustrationum, & affectionum supernaturalium: sed naturales dumtaxat illustrationes talis, aut talis obiecti, quas consequitur naturalis affectio.

21 Quodsi ad presentiam eorum ministeriorum, aut in eorum occasione, sive occurso, loco cogitationis naturalis illis debita, aut simul cum ipsa, subvenit illustratio supernaturalis auxiliaris, hoc fit ex lege gratuita Dei extrinsecè, & liberaliter voluntis adiungere prædictis ministerijs auxilium gratie sanctæ illustrationis, quam consequatur affectio etiam supernaturalis: ad modum quo ex simili lege Dei verbis Sacerdotis consecrantis naturaliter prolatis adiunxit positionem Corporis, & Sanguinis Christi sub speciebus Sacramentalibus. Eâ verò Dei lege suppositâ pro omnibus eorum ministeriorum casibus generaliter, ut eruditè contendit Ripalda, aut certè saltem pro multis, ut nemo negat, creaturæ illæ v. g. Concionator, amicus, Angelus, &c. adhibentes eiusmodi ministeria, dicuntur quodammodo causare auxilia eorum illustrationum: scilicet ministerialiter, seu occasionaliter.

22 Dicendum est tamen primò, huiusmodi causas ministeriales non influere physicè immediatè in prædictas illustrationes auxiliares. Hoc dictum est partim contra Vegam lib. 6. in Trid. cap. 8. existimantem, Angelos immediatè cau-

Vega.

sare in nobis eas illustrationes. Probatur tamen cū communi sententia. Quia prædicti Dei Ministri, vel eas immediatè physicè causarent virtute connaturali, vel tantum obedientiali. Non virtute naturali: nam agens naturale non habet virtutem naturalem ad effectus supernaturales, utpotè superantes activitatem totius naturæ, ut suppono ex disp. 18. de

23 Dicendum secundò, Angelos, & homines ministerium suum exhibere in hominum auxilia mediata: diverso tamen modo. Nam homines, (idem suo modo intelligit Ripalda de alijs agentibus non rationalibus, quibus sæpè ntitur Deus) prædicatione, scriptis, exemplis, & similibus incitamentis, ab illis physicè productis, movent sensus externos aliorum hominum; exinde movetur sensus internus; & postmodum excitatur intellectus in cogitationem obiecti sensati. Tunc autem Deus, ut intellectus agat supernaturaliter, illum elevat ad coefficienti illustrationem supernaturalem, quæ est auxilium gratie actualis, derivatum occasionaliter, suppositâ Dei lege, à ministerio hominis, proponente sensibus aliorum hominum ea obiecta.

24 Angeli verò non solum ministrant hoc modo, immutando, ut possunt, sensus externos; verumetiam immediatè internos, ut etiam possunt, & solent facere, comovendo in capite species sensibiles, & in corde, totoque corpore humores idoneos, sicque excitando Phantasiam, & tales affectiones in appetitu sensitivo, quas consequerentur cogitationes intellectuales naturales bonæ ex natura rei; & ex lege Dei, supernaturales: ut è diverso agunt in malum An-

Tom. 1.
disp. 18.

Ripal.

geli

S. Tho.

Suar.

geli mali. Neutri tamen operantur immediate in intellectum, ut docent Sanctus Thom. 1. part. quest. 111. & latè Suar. lib. 6. de Angelis, cap. 16.

25 Dicendum tandem, quòd, quamvis sæpè Deus utatur prædicto creaturarum ministerio in elargitione auxiliorum; non tamen semper. Sæpè namque, nullâ tunc datâ ex naturalibus occasione, occurrunt menti cogitationes bonæ, & cor tangitur dulcibus cœlestium affectionibus, quæ animum ad pietatè emolliunt. Tunc autem in solum Deum misericordissimum, qui per se potest, quæ per aliorum ministeria potest, eiusmodi gratiæ suæ auxilia referenda sunt: de cuius bonitate est, ut tot inter obiecta sensibilia, quæ hominum animos ad turpia, & voluptuosâ pelliciunt, divinis suis illustrationibus, & inspirationibus nostram voluntatem à malo divertat, & ad bonum inclinet, dans intrinsecus incrementum, deficiente quoque ministerio creaturarum, quæ exterius plantent, & rigent.

SECTIO IIIJ.

Causa meritoria Auxiliorum obiter indicantur.

26 **I**NTER causas Auxiliorum divinæ gratiæ, Meritoria scitu dignissima, locum habet. Eius otiosior discussio spectat ad varios Theologiæ Tractatus, præsertim de Incarnatione, Prædestinatione, & Merito. Ex quibus per summa capita ea hic dabo, quæ omitti non possunt.

27 Atque in primis, nè vox meriti videatur contraria gratuitati auxiliorum, quæ ex eo gratiæ dicuntur, quia gratis, & non ex debito, seu ex merito dantur; observandum est, dici gratis, & non ex debito, seu ex merito subiecti cui dantur: cum ante omnem actum ipsius meritorium præcedat auxilium gratiæ ad illum efficiendum, ad quod auxilium, nullum præcedit meritum propriū. Et quamvis per illud primum meritum ex primo auxilio factum mereatur homo multa ulteriora, & sic deinceps; dicuntur tamen gratis in radice primi auxilij, non ex debito, sed omninò gratis collati, utpotè ex nullo proprio ipsius merito. Non tamen perinde excluduntur aliorum merita, seu impetrationes, quibus tribui

possit primum etiam cuiuscumque hominis auxilium, ab alijs meritorie, seu impetratorie causatum.

28 Quo supposito, certum est, Causam meritoriam omnium nostrorum auxiliorum esse Christum. Ideò vocantur gratia per Christum, utpotè ex Christi meritis condignis, & plusquam condignis nobis collata. Constat ex disp. 6. & 17. de Incarnat. Ubi diximus, non solum cunctas gratias nobis post Christum datas; & dandas; sed etiam datas hominibus ante tempus Christi, imò & Protoparentibus ante lapsum; quin etiâ & Angelis, tam bonis, quam malis pro statu suæ viæ, fuisse, & esse ex meritis Christi.

29 Est etiam piè credibile, Beatissimam Virginem, communem omnium Matrem, & Matrem gratiæ, fuisse causam meritoriam de congruo auxiliorum omnium gratiæ, quæ nobis à Deo distribuuntur: ut ex multis Patrum loquutionibus elucidat eruditè P. Franciscus Garau in sua Dei parâ elucidatâ, Princip. 6. adstruens luculenter §. 4. meruisse nobis Mariam de congruo, quidquid Christus nobis meruit de condigno. De congruo, inquam: quia meritorum eius condignitatem explevit præmium suæ gratiæ sanctificantis, & gloriæ. Ob quam rationem, nec dignitatem Maternitatis meruit sibi de condigno, sed de congruo, ut scripsi disp. 5. de Incarnat. sect. 9. Prædictam pietatem extendit citatus Author num. 92. ad auxilia collata antiquioribus, qui Mariam tempore præcesserunt. Id quod, nec esse, nec intelligi valet, nisi in genere meriti Solutorij aucta doctrinam à nobis statutam in ea disp. 5. de Incarnat.

30 Homo peccator per actus supernaturales factos ex auxilijs præcedentibus potest esse sibi causa meritoria de congruo ulteriorum auxiliorum; cum & iustificationem ipsam possit sibi de congruo mereri. Non de condigno: quia peccator nihil supernaturale meretur de condigno; cum eius opera non condignificentur à gratiâ sanctificante. Idem à fortiori de causa impetratoria.

31 Homo iustus meretur, sicq; causat etiam sibi de congruo per actus supernaturales ex gratia factos auxilia ad ultteriores. Non de condigno, quia suorum operum condignitas expletur præmio gratiæ, & gloriæ; sed de congruo.

32 Alter alteri potest etiam per ope-

Tom. de
Christ.
disp. 6.
& 17.

Gram.


Tom. de
Christ.
disp. 5.

ra-

ra sua supernaturalia mereri de congruo, & impetrare auxilia gratiæ; sicque unus homo potuit esse causa meritoria, & impetratoria auxiliorum alterius: quin etiâ & primi auxilij alterius; non sui, nè principium sui meriti mereri dicatur. Est communis doctrina: iuxta quâ capi solet Augustinianum illud: Si Stephanus non oraf-

August.

set, Ecclesia Paulum non haberet: ubi meritis, & precibus Stephani, tribuitur conversio Sauli, ac proinde auxilia, per quæ conversus est. Quod in alijs etiam, precibus suis, & merita applicantibus pro peccatoribus, solenne est. De ijs oportuniùs disp. 28.

Infra
disp. 28.

DISPUTATIO V.

DE CONCURSU AUXILIORUM DIVINÆ GRATIÆ.

SCILICET, in actus liberos supernaturales, saluantes, & meritorios, ad quos exercendos conferuntur. Ad eos actus concurrere efficienter physicè voluntatem, se per ipsos vitalitèr exercentem, certum est à ratione, & à Fide. Certum est etiam, auxilia ad eos adiuvari, & concurrere. Circa modum tamen, quo auxilia adiuvant, & concurrunt, sunt incerta multa, & difficilia.

SECTIO I.

An auxilia gratiæ actualis moralitèr solam, an etiam efficienter physicè concurrant ad actus saluantes.

CONVENIMUS in eo quòd auxilia sanctarum illustrationum, & affectionum antecedentèr ad operationem liberam voluntatis exhibent impulsum aliquem erga illam. Sæpius enim liberum arbitrium per illas illustratum, motum, & excitatum non consentit: quando verò consentit, consentit, quia sic illustratum, motum, & excitatum est; non autem illustratum, motum, & excitatum est, quia consentit; sed ut consentiat. Atqui esse sic illustratum, motum, & excitatum est denominatio exhibitâ ab auxilijs illustrationum, & affectionum sanctarum: ergo hæc auxilia aliquem exhibent impulsum erga consensum liberum antecedentèr ad ipsum consensum. Hic impulsus, seu concursus auxiliorum vocatur moralis, & formalis. Moralitèr, quia est ad instar amici suadentis, & invitantis, qui propterea dicitur causa moralis operis, ad quod suadet, & invitât. Formalitèr, quia præsta-

tur per unionem, qua illustrationes illæ, & affectiones informant animam, redduntq; illam formalitèr illustratam, benèque affectam, & inclinâtam ad consensum salutarem.

3 Disputamus: an præterea auxilia illustrationum, & inspirationum sanctarum præcedentia in anima, præstent influxum physicum effectivum in consensum salutarem voluntatis: talitèr, ut iste consensus immediatè effectivè physicè fit, non solum à voluntate illum physicè efficiente; sed simul etiam à prædictis auxilijs illum immediatè etiam physicè coefficientibus.

5 Negant multi cum Suarez lib. 3. de Auxil. cap. 4. & latius tom. 2. posth. de Grat. lib. 3. cap. 17. Itemq; Granad. Tanner. Lorca, Zumel, quos sequuntur Oviedus contr. 1. punct. 7. & Card. Pallavicinus lib. 4. Assertion. Theologic. num. 4. Vasquez dubiè loquutus est: ideòque pro utraq; parte invenitur citatus à varijs.

5 Ipse tamen Suarez probabilem iudicat sententiam oppositam affirmantè, illâque sæpè utitur in tom. posth. de Vera intellig. auxil. quam, ut omninò veram amplector. Eam sequuntur Card. Bellarminus, Molina, Valentia, Mascarennas, Becanus.

Suar.
Gran.
Tanner.
Lorca.
Zum.
Ovied.
Pallav.
Vasq.
Suar.
Bellar.
Molin.
Valent.
Mascar.
Becanus.

Curiel.
Lefsius.
Pennon.
Herize.
Albel.
Ripal.
Espar.
Mont.

canus, Curiel, Lefsius, Pennotus, Herize, Albelda : quos & alios citat, sequiturque Ripalda *disp.* 110. & novius Esparza *quæst.* 17. de Grat.

6 Hanc nostram sententiam late, ac eruditè fulcit Montoya *disp.* 36. de Provid. *sect.* 5. Videtur tamen loqui de concursu auxiliorum effectivo non ita stricto, ac nos intendimus, ut mihi persuadeo ex ipsius fundamento, quod est huiusmodi: Causalitas auxilij in consensum, nec est materialis, nec formalis, nec finalis: ergo efficiens: non enim restat aliud causandi genus. In primis, inquit, quod non fit finalis, patet: quia potius consensus est finis, propter quem datur auxilium, quam è contra: quia causa finalis non requirit sui existentiam ad causandum; cum tamen auxilium non causet consensum, nisi existat. Quod verò, nec sit materialis, nec formalis, probat: neque enim auxilium recipit, neque informat consensum, neque est pars constitutiva consensus: causæ autem formalis, & materialis causant recipiendo, vel informando, sicquè constituendo totum ex illis coalescens.

Ripal.

7 Hæc ratio, ut benè vidit, Ripalda cit. solum probat, auxilia causare consensum quasi efficienter reductivè, & late: quatenus physicè insunt libero arbitrio, illudque movent, & impellunt ad efficiendum physicè consensum. Non tamen probant physicam actionem consensus immediatè physicè fluere ab auxilio; sed à voluntate physicè excitatà per auxiliu: ad modum, quo opus ab uno homine effectū est ex consilio alterius suadentis. Sic autem non habemus intentum: nihil enim horum negat nobis opposita sententia, ut vidimus *num.* 2.

8 Probamus ergo aliter. Quia non repugnant illustrationes supernaturales auxiliares ex parte intellectus, & inspirationes ex parte voluntatis, habentes, & exercentes virtutem physicè, ac immediatè effectivam nostrorum consensuum liberorum salutarium, ad quos illuminant, & invitant: ergo tales sunt quæ de facto dantur. Antecedens non video, quo possit pacto negari: repugnantia enim, quæ in eo assignari solent, omninò futiles sunt, ut constabit ex nostris responsionibus *sect. seq.* Cōsequentiā verò probatur: quia tales asseri de facto, est in primis multo aptius ad intelligendas, & sal-

vandas doctrinas, & loquutiones Conciliorum & Sancti PP. ut videbimus in sequentibus. Deinde est connaturalius, & congruentius modo operandi divino. Nam Causa primā admittit secūm causas secundas ad operandum, quando cōmodè id fieri potest: nec recūrrit Philosophia ad solam Causam primā, quando adsunt causæ secundæ proportionatæ, quibus etiam potest physicè tribui effectus. At, si auxilia actualia non asseruntur cum virtute physicè coefficientivā actū liberorum supernaturalium, quoties hī fiunt ab homine nondum instructo habitibus supernaturalibus, dici deberent fieri à voluntate, & à Deo, sine concursu causæ secundæ proportionatæ: quod evitatur, si auxilia actualia constituantur cū virtute physicè effectiva eorum consensu. Sic ergo constitui, congruentius est.

9 Nec inde inferas: ergo, ut connaturalius, & congruentius similiter fiant in anima eiusmodi auxilia, constitui similiter oporteret qualitatem aliquam emortuam supernaturalem illorum effectivā. Negatur enim ista consequentiā: quia similiter, ut illa qualitas congruentius produceretur, deberet præconstitui alia qualitas effectiva illius, & sic in infinitum. Veniri igitur necesse est ad aliquid à Deo sine causa secunda supernaturali productum: quale dicimus esse auxilium primæ illustrationis. Positis autem iam aliunde in anima auxilijs actualibus, non est, cur illis denegetur coefficientia physica immediata in actus salutare, qui cum eorum adiutorio fiunt.

10 Probatur secundò ratione Theologicā. Gratia, quam propugnavit Ecclesia contra Pelagianos est, gratia physicè coefficientiva, & coefficientia cum libero arbitrio actus salutare. Sed ea gratia sunt auxilia actualia sanctorum illustrationum, & inspirationum: ergo huiusmodi auxilia sunt non solum moraliter, quin etiam physicè coefficientiva, & coefficientia ad actus salutare. Consequentia tenet. Minor patet: quia gratia à Sanctis Patribus propugnata contra Pelagium, & quam ab ipso exigebant, non erat qualitas emortua transiens, quam nec agnoverunt, utpotè fictitiam, & sine fundamento in Scripturis, ut monstravimus *disp.* 2. à *sect.* 2. nec erat gratia increata per modum auxilij extrinseci: lis enim fuit de gratia, quæ sit

Supra
disp. 2.

do-

donum animæ infusum, & inhærens, ac proinde creatum: nec erat gratia habituum infusorum: lis enim fuit de gratia ad initium Fidei, & ad actus antecedentes infusionem gratiæ sanctificati, & habituum supernaturalium. Ergo erat abs dubio gratia auxiliorum actualium sanctorum illustrationum, & inspirationum.

11 Maior autem, in qua est difficultas, probatur. Pelagianus error erat, tantum tribuere naturæ liberi arbitrij in actus fidei, & alios salutare, ut præter vires effectivas naturæ debitas, nullis alijs effectivis ex dono gratiæ indebitæ naturæ superadditis indigeret. Hinc gratia, quam adversus hunc errorem propugnabat Ecclesia, erat abs dubio gratia, simulque virtus physicè effectiva adjuvans insufficientiam liberi arbitrij: alijs non satis occurrebatur præcipuo Pelagianorum errori. Quod ille fuerit error Pelagij, patet: nam, si quis diceret, præter auxilia moraliter dumtaxat causantia consentium salutare, nullas alias vires gratiæ effectivas per modum auxilij intrinseci, neque extrinseci requiri ad actus salutare, Pelagianus haberetur, ut benè notat Lorca apud Ripaldam: error igitur Pelagij, cui obstitit Ecclesia, erat, naturam ita sibi sufficere ad actus salutare, ut præter effectivas ipsius vires, & virtutem Omnipotentia, quam non negavit Pelagius, nullæ aliæ vires effectivæ auxiliorum gratiæ requirentur.

Lorca.
Ripalda.

12 Porro adversus errorem istum definivit Ecclesia necessitatem gratiæ, supplementis id virium, quod naturæ de suo deest: ergo quod definivit, est necessitas principij physicè effectivi, quo caret natura de suo, & sine quo non habet sufficientes vires ad eos actus salutare. Atqui, ut vidimus *num.* 10. non erat ibi tunc sermo de auxilijs habitualibus; nec de auxilio extrinseci Omnipotentia, quomodolibet applicatæ, de quo nec verbū; sed solum de donis intrinsecis creatis gratiæ actualis illustrantis, & inspirantis: Hæc ergo auxilia intellexit Ecclesia, esse principia physicè effectiva, & coefficientia actuum salutarium, ad quos scilicet statutum est contra Pelagium, naturam liberi arbitrij non habere de suo sufficientes vires effectivas: alioquin præcipuam Pelagianismi partem reliquisset tunc Ecclesia inexpugnatam: quod nefas est cogitare.

13 Confirmatur urgentius ex Augustino *initio Lib. de Grat. Christi.* Tres ibi distinguit propositiones Pelagij. Prima erat: tria in natura reperiri, posse, velle, & agere: quorum primum est nobis à Deo sine nobis; alia duo relinquuntur nostræ potestati. Secunda: ex ijs tribus solum primum, scilicet posse, adjuvari à Deo auxilio superaddito naturæ. Tertia: auxilium, quo Deus adjuvat illud posse, non esse aliud, nisi cogitationes, & affectiones naturales, naturaliter consequutas ad legem, & doctrinam externam. Primam propositionem approbat Augustinus. Secundam, & tertiam reprobat in illo Libro. Tertiam videlicet, ostendens, adiutorium illud gratiæ Dei esse quid diversum à beneficio legis, & doctrinæ externæ: ac proinde non illis naturaliter condebitum. Secundam verò, contendens, gratiam Dei non solum iuvare posse, seu potestatem naturæ; sed ipsum etiam velle, & ipsum agere.

August.

14 Conveniebat igitur Augustinus cum Pelagio in eo quod gratia Dei auxilians iuvet nostrum posse; dissentiebat autem in eo quod addebat, iuvare etiam nostrum velle, & agere, quod Pelagius inficiabatur. In eo ergo dissentiebat, quod aliquem concursum in ipsum velle assererebat Augustinus, quem negabat Pelagius: at iste non negabat moralem: quippe, ut ex ipso vidimus Augustino *disp.* 3. *sect.* 6. iam confitebatur, gratiam à se asseritam illuminare, & iuvare interne ad bene agendum: ergo pro necessitate concursus effectivi physici, quem Pelagius negabat, pugnavit Augustinus, & stare nos debemus, nè ab Augustini sensu dimoveamur. Hunc sensum expressit in alijs etiam locis, legendis apud Ripaldam: & præsertim *lib.* 1. *ad Simplic. quæst.* 2. ubi divinam vocationem absolute vocat effectivam bonæ voluntatis: quæ vox, nisi ad minus proprias significationes distorqueatur, virtutem, & coefficientiam physicam auxiliorum actualium in actus salutare aptissimè significat in terminis nostræ conclusionis.

Ripalda.

15 Corroboratur ex Concilijs Milevitano, Arausicano, Moguntiano, & Tridentino. Canon quartus Milevitani sic habet: *Si quis dixerit, gratiam Dei per Iesum Christum Dominum nostrum propter hoc tantum nos adjuvare, quia per ipsam nobis revelatur, & aperitur intelligentia manda-*

Milevita.

torum.

torum, ut sciamus, quid appetere, quid vitare debeamus; non autem per illam præstari nobis, ut quod faciendum cognoverimus, etiam facere diligamus, atque valeamus, anathema sit. En quomodo, ultra concursum moralem sanctæ cogitationis expressum per illa verba: *Revelatur, & aperitur*, quem minimè negabat Pelagius, statuit Concilium alium concursum gratiæ in opera salutaria. Hic autem ulterior concursus nequit esse, nisi physice coeffectivus, ut expendit rectè Ripalda, id ipsum firmans eruditè ex Arauficano, & Moguntino.

Ripalda.
Arauf.
Mogunt.

16 Prætermitti nõ debent verba Tridentini sess. 6. cap. 5. declarantis: *Ipsius Iustificationis exordium à Dei præveniente gratiæ sumendum esse: ut qui per peccata à Deo averfi erant, per eius excitantem, atque adiutantem gratiam ad convertendum se ad suam ipsorum iustificationem, eidem gratiæ liberè assentiendo, & cooperando disponantur: ita, ut tangente Deo cor hominis per Spiritus Sancti illustrationem, neque homo ipse, nihil omninò agat, inspirationem illam recipiens; neque tamen sine gratiæ Dei movere se ad iustitiam liberè suâ voluntate possit. Quibus in verbis tria considero.*

Trident.

17 Primum: præter excitationem, quo verbo significatur concursus moralis, quasi suavis, tribui eidem gratiæ excitanti concursum per modum adiutantis. Qui quidem ulterior concursus separabilis ab illo priori, ut patet in homine, qui excitatus non consentit, ultra excitationem nihil est quod addat, nisi physicam coefficientiam gratiæ excitantis in consensum salutarem, qui re ipsa fit.

18 Secundum: dici à Concilio, hominem excitanti gratiæ assentiri, & cooperari; hoc est, non quomodocumque assentiri; sed assentiri cooperando conversionem salutarem. Quo cooperationis nomine satis indicatur coefficientia physica voluntatis cum gratiæ excitante, & gratiæ excitantis cum voluntate, nisi verbis inferatur vis.

19 Tertium: declarari à Concilio, gratiam illuminationis auxiliaris agere consensum, non solum, sed simul cum libero creatæ voluntatis arbitrio: quod est planè supponere, gratiam, & voluntatem simul agere consensum. Quod autem ex mente Concilij utraque agat effectivè physice, suadetur hoc solido, & mihi efficaci discursu. Erat ibi sermo contra Cal-

vinistas, docentes, adæquatam causam effectivam consensûs salutaris esse gratiam, voluntate habente se merè passivè; sese nimis opposcentes Pelagianis, qui adæquatam causam activam asseriebant esse naturam. Hæc inter extrema vitiosa, medium tenuit, nobisque ostendit Tridentinum, declarans, nec solum agere naturam, ut errabat Pelagius; nec solum agere gratiam, ut errat Calvinus; sed utramque agere consensum salutarem. Atqui, tam Pelagius, quam Calvinus loquebantur de influxu effectivo physico, ut per se est certum, & ostendit multis Ripalda citatus: quem influxum Pelagius totum soli naturæ; Calvinus totum soli gratiæ tribuebat. Ergo Concilium, distribuens hinc contra Pelagium, inde contra Calvinum, eum influxum inter naturam, & gratiam, loqui oportuit de influxu physice effectivo: alioquin minùs directè ad scopum, quem sibi proposuit, loqueretur. Ritè igitur deducitur ex Tridentino, gratiam actualem præilluminantem causare physice efficienter consensum salutarem.

Ripal.

SECTIO. II.

Obiectiones adversus coefficientiam physicam Auxiliorum diluuntur.

20 **O**BIJCIATUR primò. Auxilium sanctæ illustrationis est actus secundus in genere cognoscitivo: ergo nequit esse actus primus physice effectivus respectu actûs voluntatis liberè diversi generis. Nam cognitio tendit in obiectum per modum expressionis; volitio verò per modum ponderis, & impulsûs: sicq; cognitio nequit esse virtus proportionata effectiva consensûs voluntatis: sicut neque talis esset intellectus, si à voluntate distingueretur. Confirmatur. Cognitio eo titulo prærequiritur ad volitionem, ut quasi approximet obiectum potentiæ amaturæ, quæ sine cognitione cæca est: non est ergo, cur, præter concursum hunc approximativum, seu præsentativum obiecti, tenentem se quasi ex obiecto, præstet in volitionem alium effectivum, tenentem se ex parte potentiæ: quemadmodum è diverso lumè gloriæ, & habitûs infusi, qui se tenent ex parte potentiæ, ideòque physice efficienter cum illa concurrunt ad actus, non ha-

bent

bent alium concursum in eisdem actus, tenentem se parte obiecti.

Bellar.
Heriz.
Albel.

21 His, & alijs non maioris momenti rationibus permoti Authores aliqui nostræ sententiæ, ut Bellarminus, Herize, & Albelda, illam limitant pro solis auxilijs sanctarum affectionum; quas dicunt physice coefficiente consensûs salutares: id negantes de illustrationibus, quas dicunt, solum moraliter cõcurrere. Non placent. Tùm quia argumenta nostræ sententiæ de utrisque pariter probant, nullo quoad hoc facto discrimine illustrationum, & affectionum. Tùm quia multæ loquutiones Conciliorum, Sanctorumq; PP. & verba præsertim Tridentini recitata num. 16. nominatim loquuntur de gratiæ illustrationum, quæ actus intellectûs sunt. Vel ergo eiusmodi loquutiones salvantur quoad gratiam illuminationum absque physica ipsarum coefficientia; vel non. Si non salvantur; ergo, ut sincerè salvantur, illustrationibus etiam se tenentibus ex parte intellectûs, tribuenda est coefficientia physica in consensum salutares. Si salvantur; ergo similes etiam loquutiones Conciliorum, & Patrum, similiter loquentium de sanctis affectionibus, salvantur per solum concursum moralem absque ulteriori coefficientia physica. Tenenda igitur est tota nostræ sententiæ sine prædictâ limitatione.

22 Respondetur itaque ad objectionem, concessio antecedente, negando consequentiam. In primis enim bene potest unus actus secundus esse actus primus respectu novi effectûs, ut patet in actibus potentialium generantibus habitus adquisitos. Deindè, quòd actus intellectûs, & voluntatis sint in diverso genere, & diversimodè tendant in obiectum, nihil officit, quominùs illi ad istos effectivè concurrant; cum illi se teneant antecedenter, & ex parte potentiæ, & actûs primis: novit enim Philosophia causas, & concausas effectivas æquivocas; quæ scilicet sunt ad effectus diversi generis. Actus quidem, & habitus diversi generis sunt; & aliqui actus efficiunt habitus: & habitus efficiunt alios actus: multæ substantiæ producunt accidentia; multaque accidentia efficiunt substantias diversissimi generis, ut ex Philosophia subsumo, & insinuabo in sequentibus. Ex eo tandem quòd intellectus, si distingueretur à voluntate, quod negamus, nõ coef-

ficeret voluntatem, nec actum voluntatis, non inferitur, nec actus prævios intellectûs istû coefficiente: in cognitionibus enim relucet specialis habitudo ad actus voluntatis, ad quos videlicet alliciunt, & invitant.

23 Ad confirmationem, negatur cõsequencia. Nam quòd cognitio prærequiratur eo titulo præilluminationis, nõ tollit, quominùs prærequiratur alio etiã titulo effectivæ: bene nãque stat, quòd res una duplici titulo pro duplici causalitatis genere requiratur ad aliam. Sic anima titulo effectivæ, & receptionis prærequiritur ad actus vitales. Sicque magis è re iuxta P. Suar. & S. Thom. tenui in Philosophia, accidentia dispositiva in cõsortio substantiæ præsentis, v.g. calorem cum igne, coefficiente physice ignem in passio, quod disponunt; quin cõkursus formalis, quem exhibent in genere, & titulo causæ dispositivæ, tollat ipsorum concursum in genere, & titulo concausæ coefficientivæ. Similiter ergo, quavis auxilia illa præcedant in genere, & titulo formalium dispositionum ad consensum salutares, stat benè, quòd alio etiã titulo virtutis coefficientivæ requirantur, & physice efficienter concausent eundem consensum vitaliter causatum à voluntate, de suo ad illû non sufficiente. Quòd si lumini, & habitibus uterque ille concurrendi modus non conceditur, (quamvis utrumque illis cõcedere, nec mirum esset, nec difficile, correcto illo verbo: *ex parte obiecti*) ideò est, quia, concessio his qualitibus concursu coefficientivo, nihil est quod cogat alium concursum concedere. At, concessio auxilijs actualibus concursu morali, cogunt concedere illis effectivum rationes Theologicae nostræ sententiæ; cum in voluntate non sint sufficientes vires effectivæ ad consensum salutares; ideòque petenda sit ulterior virtus physice effectiva ab auxilijs gratiæ.

24 Obijcitur secundò. Cognitio præilluminans, simplexquè voluntatis affectio naturales, præcedentes ad consensum liberum naturalem, non concurrunt physice efficienter ad illum: ergo nec ad supernaturalem supernaturales, quales sunt auxilia sanctarum illustrationum, & inspirationum. Antecedens est in Philosophia satis commune: cognitio enim ad volitionem, & præmissa ad con-

Suar.
S. Thom.

I 2

clu.

clusionum illuminativè dumtaxat concurrunt; pariterque intentio ad electionem solum allicitivè; non verò elicitivè, & effectivè physicè.

25 Responderi posset, concessio, seu permissio antecedente, negando consequentiam. Cuius sufficientem disparitatem adhibet Ripalda. Quia prærequisita illa naturalia supponunt in anima vires effectivas sufficientes ad consensus suos liberos naturales; præmissæ ad conclusionem, & intentio ad electionem naturalem: ideòque nihil est quod obliget tribuere eiusmodi prærequisitis virtutem physicè coefficientivam in eos actus naturales. At auxilia gratiæ illustrantis, & inspirantis non supponunt in natura animæ sufficientem virtutem effectivam consensus salutarium; ideòque debent hæc insufficientiam supplere, importando secum vim illorum coefficientivam cum insufficiente virtute naturæ.

26 Respondetur tamen secundò securiùs, negando antecedens, eiusque probationem, cum Molina, Montoya, & alijs doctissimis, quos sequuntur Quiros tom. 1. disp. 5. sect. 3. & Esparza quest. 6. de Inst. & Iure, ad 2. Et ratio esse potest: quia illi motus vitales prævij disponunt, & alliciunt animam ad actus liberos sublequentes; ac proinde non sine aliqua proportionem cum istis: tenentque se antecederent ex parte principij liberè consentiri: non est ergo cur illis denegetur aliqua virtus coefficientiva consensus liberi in consortio animæ. Præmaximè iuxta doctrinam nuper memoratam Patris Suarez, tribuentis naturalibus etiam dispositionibus accidentalibus mortuis virtutem, & coefficientiam physicam in effectus physicos, ad quos disponunt. Accedit ratio congruentiæ minimè cõtemnenda: quòd Anima, dum amat, actualiter cognoscit, infumens multum suæ virtutis effectivæ in cognoscendo; congruum ergo est, quòd enatæ cognitiones vicissim reficiant eius vires, coefficientivè illam adiuvando ad amandum.

27 Obijcitur tertio, hoc esse multiplicare principia effectiva sine necessitate. Saltem enim quando adsunt animæ habitus virtutum supernaturalium, iam anima in consortio illorum, per illos elevatur, fitque sufficienter potens effectivè ad actus salutaris: nulla ergo necessitas est tribuendi quoque auxilijs actualibus

libus illustrationum, & inspirationum virtutem physicè coefficientivam ad eosdem actus; sed illuminativam dumtaxat, & allicitivam.

28 Propter hoc bona pars Authorum nostræ sententiæ eam aliter limitant, dicendo, auxilia gratiæ actualis coefficientivè physicè actus salutaris, quando non adsunt animæ habitus supernaturales virtutis, ad quos tales actus respectivè pertinent; non verò, quando adsunt. Si enim habitus supernaturales adsunt, ut adsunt omnes in homine iusto, & in peccatore fideli habitus Fidei, & Spei; iam anima virtute effectivè supernaturali habitu elevatur satis effectivè ad eliciendos actus virtutum salutaris: ideòque tunc non est cur auxilia actualia physicè coefficientivè eosdem actus; sed tantum moraliter illuminando, suadendo, excitando, & alliciendo.

29 Non tamen placet ista limitatio Stapletonio lib. 4. de lib. arb. cap. 12. nec Albeldæ 1. part. disp. 58. nec Ripaldæ sect. 8. nec mihi. Quippè dicimus, etiam in præsentia habituum supernaturalium physicè coefficientivum cum voluntate actus salutaris, hos quoque physicè coeffici ab auxilijs gratiæ actualis illustrantis, & inspirantis. Loquutiones enim SS. Patrum, quibus nititur nostra sententia, sine illa limitatione loquuntur de virtute effectiva auxiliorum, sive adsint, sive non adsint habitus. Et ratio nobis est. Quia, semel concessa auxilijs actualibus prædicta virtute physicè coefficientivè actu salutarium, ut certe conceditur à sanctis Assertoribus nostræ sententiæ, pro casu saltem, quo desunt habitus virtutum; præsentia habituum non adimit eam, quam ex se habent, virtutem effectivam auxilia actualia, nec eam impedit, quominus exerceatur, coefficientivè etiam cum anima, & habitibus eosdem actus salutaris: ergo non est cur, præsentibus etiam, & coefficientibus habitibus, auxilijs quoque cum illis eos actus salutaris non coefficientivè. Hoc enim multò conformius est Philosophiæ omnibus familiari, quam quòd, otiantes tunc virtute effectiva auxiliorum actualium ibi præsentium; efficeretur actus salutaris à sola virtute habituum præsentium, & ab anima per istos solos elevatà. Cum enim adsunt multæ causæ v. g. multi simul ignes; ad unum effectum, v. g. ad calorem, aut ad

Staplet.
Albel.
Ripald.

alium ignem producendum, quamvis singulæ seorsim ad illum sufficerent, non unam tantum ad illum concurrunt, alijs in exercitibus; sed omnes simul exercent se, & concurrunt, & coefficientivè eundem effectum.

30 Dices. Tunc saltem coefficientivè physica auxiliorum superflueret; cum iam absque illis coefficientibus, daretur in anima, & in habitibus infusis sufficientis virtus physicè effectiva ad actus salutaris. Respondetur, verum id fore, quòd nempè superflueret physica coefficientivè auxiliorum, si tunc ad id solum ponerentur, ut physicè coefficientivè. At requiruntur, & ponuntur ex alio titulo, & munere, nempè ad illuminandum, excitandum, & alliciendum, quòd habitus non præstant. Semel autem posita requisitivè, & non superflue ex hoc speciali titulo, non est superfluum, sed connaturaliter necessarium, quòd virtutem etiam suam effectivam exercent in actus, qui tunc fiunt, ad quos habent ex se virtutem illam coefficientivam. Superflui profectò essent quatuor ignes ad comburendum lignum, quòd ab unoquoque illorum comburi posset: superflui, inquam, si ad id solum ponerentur in rerum natura. Si verò ex alijs titulis, finibus, seu muneribus in rerum natura adessent æquè prope lignum, non est superfluum, sed naturalissimè, quòd omnes simul attemperati coefficientivè eundem calorem, & ignem. Sic ergo discurre licet in præsentia conformissimè ad naturas rerum.

31 Respondetur hinc ad objectionem, negando, multiplicari à nobis principia effectiva sine necessitate, ob rationem dictam. Quia nempè necesse est, præcedere ad consensus salutarem auxilia illa actualia gratiæ illuminantia, & alliciencia: quòd autem habeant præterea virtutem coefficientivam consensus salutaris, ipsorum natura est: quam certè non mutant, sive adsint, sive non adsint habitus in anima. Quo fit satis ad ratiocinationem ibi subiunctam toto illo num. 27. Concessio enim, vel permissio antecedente, negatur consequentia: aut, si mavis, distingue: nulla est pro eo habituum præsentium casu necessitas tribuendi virtutem coefficientivam auxilijs ex præciso titulo physicè coefficientivè, & elevandi, concedo; ex alio titulo præilluminandi, & alliciendi, secum etiam ferente coefficientivam, nego.

32 Obijcitur quarto. In eadem fit consensus salutaris, quando physicè iam non sunt illustrationes, & inspirationes, quæ ad ipsum præilluminant, & excitant: ergo horum auxiliorum concursus in consensus non est physicè effectivus, sed dumtaxat moralis. Hæc obiectio non plenè impugnat conclusionem nostram. Non enim probat contra physicam coefficientivam eorum auxiliorum in consensus, quando physicè durant, & adsunt: quò nihil amplius intendere possumus. Planè ex eo quòd habitus non physicè coefficientivè actus dum physicè non adsunt, non arguitur illos, dum physicè adsunt, non coefficientivè. In eo autem casu, quo, transactis physicè illustrationibus, & inspirationibus gratiæ actualis, fieret actus salutaris, adesset saltem in anima physicè memoria supernaturalis præterita illustrationis: cui memoriæ competeret physica coefficientivè in consensus. Hæc ad consequentiam objectionis.

33 Circa veritatem autem antecedentis. P. Suar. lib. 3. de Auxil. cap. 4. num. 13. Granad. controv. 8. de Grat. tract. 1. disp. 2. num. 36. & Montoy. disp. 41. de Prov. sect. 2. docent, opus non esse ad actus salutaris, quòd auxilia gratiæ actualis physicè permanent, quando illi fiunt; sed sufficere, quòd physicè præextiterint, & maneat moraliter, scilicet in ipsorum memoria, vel, ut ait Montoya in aliquo effectum ab ipsis excitato. Oppositum docet P. Ripalda disp. 106. sect. 8. ob plures rationes: quarum præcipua, & quæ persuadet necessitatem existentie physicè alicuius saltem auxilijs gratiæ actualis, dum fit consensus salutaris, est huiusmodi.

34 Aut enim memoria illa illustrationis præteritæ est naturalis; aut est supernaturalis. Si supernaturalis, ea memoria est tunc cogitatio, & illustratio sancta gratiæ actualis physicè coefficientivè consensus salutarem: ac proinde iste non fit sine auxilio gratiæ actualis physicè tunc existente, & coefficientivè: illustrationes autem, quæ præterierunt, concurrunt tunc ad consensus obiectivè, quatenus sunt obiectum huius memoriæ: ad modum quo obiecta externa aliarum illustrationum concurrunt ad consensus factos per illustrationes. Si vero dicatur esse naturalis, constabit quid sit dicendum disp. 6. sect. 6. ubi discutietur, an, & quomodo cognitiones, & affectiones natura-

Suar.
Granad.
Montoy.

Ripald.

Infrad.
disp. 6.
les

Molina.
Montoy.
Quiros.
Espar.

Suar.

Ies prodesse possint interdum ad actus voluntatis supernaturales.

35 Pro nunc satis sit dicere ex doctrinis ipsorum, contra quos agimus, negatum, posse fieri amorem supernaturalem ex ulla motione naturali; in praedicto casu memoriae naturalis non factum iri a voluntate consensum supernaturalem: quia tunc deesset supernaturalis propositio boni. Nec prodest, quod praecesserit: quemadmodum enim voluntas, ut amet, requirit actualem obiecti propositionem physicè existentem, quin sufficiat, quod praeterierit; sic, ut supernaturaliter amet, requirit propositionem boni supernaturalem physicè existentem, quin sufficiat, quod praeterierit. Quod verum est, addit bene Ripalda, quamvis negaretur cognitioni effectivus concursus in amorem. Nam quod dicitur communiter, cognitionem concurrere ad amorem moraliter tantum; sumitur moraliter contrapositè ad physicè efficiens; non verò contrapositè ad physicè existens: alioquin sufficeret ad amorè, quòd quando fit amor, adesset cognitio penes affirmationem moralem, quamvis omninò physicè deesset: quod nec Adversarijs veniunt in mentem.

Ripal.

SECTIO IIJ.

An auxilia gratia actualis, effectivè concurrentia cum voluntate ad actus salutaris, concurrant, ut tota ratio agendi.

36 HOC ipsum disputari solet de habitibus: hoc ipsum de lumine gloriae respectu visionis beatificae; & generaliter hoc ipsum de quolibet principio supernaturali elevante potentiam naturalem ad efficiendos actus supernaturales: an scilicet sit tota ratio agendi actus supernaturales.

Thomist.

37 Quamvis non unus sensus, plurimorum est vox tamen una, praesertim Thomistarum, lumen esse totam rationem agendi visionem; & gratiam auxiliantem esse totam rationem agendi actus salutaris. Quod certè non in eo dicunt sensu, quo dicunt Calvinistae, gratiam taliter esse totam rationem agendi, ut voluntas nihil omninò agat in actibus, qui ex gratia fiunt, sed habeat se ad illos merè passivè. Quod anathematizat Tridentinum sess. 6. Can. 4. ibi: Si quis dixerit,

Trid.

liberum hominis arbitrium a Deo motum, & excitatum nihil cooperari assentiendo Deo excitanti, &c. sed, velut inanime quoddam, nihil omnino agere; sed merè passivè se habere, anathema sit. Qui Canon praec oculis habendus est, ut cautè legamus multa ex argumentis afferri solitis pro tota ratione agendi penes gratiam, ne contra doctrinam Tridentini vergant in reprobum sensum Heterodoxorum.

38 Quis autem sit multorum Orthodoxorum sensus, quando dicunt, gratiam esse totam rationem agendi, non est facile deprehendere: quia variè se explicant, & aliud videntur asserere, aliud argumentis suis probare. Praestat audire variorum explicationes, & ipsorum argumenta proponere, ut quid rei, quid vocum asserant discernere possimus, & tantorum Theologorum sensum ediscere.

39 Doctissimus Gonzalez de Albelda 1. p. disp. 27. in id tandem devolvere videtur assertionem suam, ut dicat, principium supernaturale, sive lumen, sive gratiam, sic esse totam rationem agendi, ut sit tota ratio elevandi potentias naturales ad operationes supernaturales: quia naturales potentiae non sunt ad id virtus elevans, sed elevata. Rem dicit verissimam: cum hoc autem rei retinere in voce, quòd lumen, seu gratia sit tota ratio agendi, est quaestionem reducere ad ineptam iogomachiam.

Albel.

40 Capreolus, & Ferrara apud Curielem 1. 2. q. 1. art. 5. citantur pro quorumdam explicatione, nimis praescindentium in eodem actu supernaturali vitalitatem, & supernaturalitatem; & dicentium, lumen, seu gratiam esse totam rationem agendi supernaturalitatem; totam verò rationem agendi vitalitatem eiusdem actus esse potètiàs vitales naturales. Hæc explicatio, quam fovere potest nimia laxitas nostri Lyncei in promovendis praecisionibus obiectivis, nihil explicat. Manet enim vtrinque eadè difficultas: quid scilicet sit gratiam esse totam rationem agendi supernaturalitatem actus, cum ad eandem etiam supernaturalitatem concurrat physicè, & realitèr voluntas. Quod si nec sic concurrat, sed sola gratia efficit supernaturalitatem actus; sola potentia efficit vitalitatem. Cum autem ea vitalitas sit physicè, & realitèr actus salutaris, potentia naturalis habebit de suo sufficientem virtutem ad efficiendum aliquid quod

Capreol. Ferrar. Curiel.

Lync.

quod realitèr est actus supernaturalis, & salutaris: quo contentus esset Pelagius. Nihil ergo prodest ad rem, & sensum huius sententiae explicatio per eiusmodi praecifunctionulas: de quibus Ripalda disp. 30. sect. 26.

Ripal.

Lorca.

41 Lorca 1. 2. disp. 31. falsus est, potentias nostras naturales, & comprincipium elevans supernaturale coefficere immediatè actus supernaturales: hoc autem & non illas esse totam rationem formalem agendi: quia est virtus superveniens, & instar partis formalis complens virtutem potentiarum naturalium in ratione potentis agere actus supernaturales. Sic aucti quoque nonnullos Recentiores sese explicantes. Hoc non est negare potentiae naturali suam etiam rationem agendi; nec dicere comprincipium supernaturale esse totam rationem agendi; sed esse totam rationem formalem, & completivam agendi. Sicque nec in re favent Thomistis, nec in re nobis adversantur. Modulum tamen loquedi scrutabimur sect. 5.

Ioann. à S. Thom.

42 Ioan. à S. Thom. 1. part. q. 12. art. 2. fuorum ait doctrinam esse, quòd quamvis potentiae naturales verè, & immediatè concurrant, & influant; non tamen per propriam virtutem naturalem in suo naturali ordine manentem, sed ut elevatam per comprincipium supernaturale. Et hoc appellat, comprincipium supernaturale esse totam rationem agendi. Demptà vocali hac appellatione, reliquum doctrinae mutare potuit à P. Suar. lib. 6. de Grat. cap. 3. num. 3. & 6. ut clarè perspiciatur sensum venisse eadè in rem nostrorum Authorum, & voces fuorum, ut asolet, retinuisse. Viderunt hoc multi, qui, ut reale discrimen invenirent, rem nobis imponunt à nobis non dictam, nec dicendam. Alij, quòd dicamus, virtutem potentiae naturalis, quamvis partialem, esse proportionatam vitalitati actus supernaturalis. Falsum, ut iam monuimus, num. 40. pro quo adiri potest Vasquez 1. part. disp. 43. num. 12. Alij, quòd dicamus, potentias naturales concurrere ad actus supernaturales concursu naturali distincto à concursu comprincipij supernaturalis. Falsius: cum nostra doctrina sit, eodem indivisibili còcursu, & quidem supernaturali, concurrere naturam, & gratiam ad actus supernaturales. Legisse id potuerunt in suo Bañez: qui 1. p. q. 10. art. 5. ait, visionem Dei quantum ad

Bañez.

substantiam procedere à principio intrinseco naturalitèr, & habere admixtum aliquid naturale: & contraponens habitus, & actus supernaturales ait, habitus esse in re supernaturales; actus verò habere aliquid admixtum: quam mixturam approbasse videtur Sotus in 4. dist. 14. q. 2. art. 6. & dist. 16. q. 2. art. 1. Eos tamen excusat benignè Suarez lib. 8. cap. 12. num. 17. Plura Oviedus contro. 8. de Beatitud. punct. 1. §. 2.

Sotus.

Suar. Ovied.

43 Illustrissimus Godoy disput. 26. de visione, §. 3. eatenus docet, comprincipium supernaturale esse totam rationem agendi actus vitales supernaturales, quatenus potentia naturalis, quamvis verè, & immediatè illos coefficiat, nullam tamen omninò adhuc partialem virtutem ad illos de suo habet, sed tota, & adæquata virtus ad illos est comprincipium supernaturale, cuius virtute ipsum, & potentia immediatè agunt. Sic etiam explicat se Reverendissimus Lumbier q. 9. de visione, art. 4. qui olim in Manuscriptis cum Lorca loquebatur.

Godoy.

Lumbier.

44 Gonetus miscet mirabilia. Disp. 2. de visione, art. 8. ait, quòd lumen gloriae est virtus proximè, & immediatè influens in visionem beatificam; intellectus autem in eam influit radicalitèr tantum, & remotè. Et art. 6. infert quasi absurdum, quòd lumen esset tota ratio agendi, si alia potentiae naturales, & consequentèr intellectus creaturè merè passivè se haberet ad visionem. Hæc suis aut Discipulis, aut Magistris concilianda relinquo. Et art. 7. §. 2. dicit, quòd intellectus increatus lumine perfusus producit efficientèr visionem, ut vera causa secunda principalis, & non ut merum instrumentum. Et ait hoc esse omnium Thomistarum contra Patres Suarez, & Vasquez. Certus sum, nec ipsum obtèturum ab omnibus Thomistis, ut affirmant potentiam naturalem esse veram causam principalem actus supernaturalis; nec me à Patribus Suar. & Vasquez, vt dicant, intellectum se habere ad visionem, ut merum instrumentum. Citat Patrem Suar. lib. 2. de Attrib. cap. 6. sed non benè legit: & fortè Patrem Vasquez nec benè, nec malè: saltem locum non citat. Mirabilius est quòd art. 5. §. 2. suscipit probandum, potètiàs naturales, ut supernaturalitèr agant, debere praesupponi elevatas per aliquam virtutem in actu primo: & sudat, ut suadeat, ad id non satis elevari per concursum simultaneum,

Gonet.

Suar.

neum, qui est ipsa operatio, & actus secundus: atque se id probare contra Recentiores. Cuperem scire, contra quos? ne pro imaginaria doctrina, quam impugnat, imaginarios quoque Recentiores, quos impugnaret, sibi confinxisse putemus.

45 Alij tandem, ut ad rem veniamus, taliter dicunt, gratiam esse totam rationem agendi, ut sit tota virtus immediate, & proxime productiva actuum supernaturalium; potentias vero naturales concurrere dumtaxat radicaliter, remote, & mediate: quatenus recipiunt virtutem illam immediate productivam, quae est ipsa gratia. Citat Ripalda Sotum, Cabreram, Nazarium, & Illustrissimum Alvarez, quasi propterea negent immediatum concursum naturae ad actus supernaturales.

46 Aegre tulit Ioan. a S. Thom. quod his suis Authoribus sensus iste tribueretur. Sed immerito. Nam Sotus in 4. dist. 49. q. 3. art. 2. disertè scribit, totam facultatem producendi visionem esse lumen: & utitur exemplo aquae calidae calefacientis per calorem: unde potentia naturalis habebit se ad supernaturaliter operandum, sicut substantia aquae calidae ad calefaciendum. Cabrera tom. 1. in 3. part. q. 1. art. 1. dist. 6. §. 4. num. 11. ait, potentias obedientiales nullam virtutem activam habere, neque vllum actum, hoc est nullam actionem ab illis procedere: & in hoc esse sicut potentias passivas: & tantum dici activas, quatenus recipiunt virtutem activam, quae tota est ipsa gratia, qua operentur. Nazarius 1. par. q. 12. art. 5. contr. 2. ait, lumen non concurrere ad visionem ut causam partialem, id probans exemplo caloris, qui receptus in substantia ignis producit calorem: vnde consequens est, quod potentiae naturales habeant se ad actus naturales, sicut substantia ignis ad calefaciendum, quae in sua, suorumque sententia non immediate producit calorem.

47 At inquis, mentem horum Authorum ex alijs ipsorum locis deprehendi, longè abesse ab isto sensu. Id quod ex nostris eruditè comprobatur Oviedo. Malè igitur illis hoc attribuunt Ripalda, & Anton. Perez Benedictinus in Laur. cert. 6. Scholast. Sed responderetur, non malè citari. Quod si alijs in locis oppositum loquuntur, facilius est, di cere, nec mirum,

contradictoria loquutos, quam eos in locis supra citatis excusare.

48 Quidquid tamen de ijs sit, fuit saltem doctrina Calvini, & Lutheri, Gratiam taliter esse totam rationem agendi actus supernaturales, ut potentiae naturales merè passivè se ad illos habeant, & ad illos activè non cooperentur. Quam doctrinam in quocumque reperitur, licebit nobis impugnare. Sed prius audire iuvat argumenta communiora, quibus pro suis sensibus utuntur Authores superius citati, ut dignoscamus iacula, quae ex pharetra sint, & cuius sensui saveat.

SECTIO III.

Argumenta communiora pro sententia tribuente Auxilijs Gratia totam rationem agendi.

48 ARGVUNT primò cum Alvarez disp. 68. n. 3. ex Roman. 9. ibi: Non est volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei. Super quo Augustinus in Enchirid. glosat sic: Alioqui, si propterea dictum est, non est volentis, neque currentis, sed Dei miserentis, quia ex viroque fit; videlicet ex voluntate hominis, & misericordia Dei; cur non è contra dicitur, non miserentis est Dei, sed volentis est hominis? Vnde concludit Augustinus, ita illud dici à Paulo esse non currentis, sed Dei miserentis, ut totum Deo detur. Nunc infert Alvarez: ergo voluntas non concurrat partialiter ad actum salutarem. Subinferunt alij: ergo gratia est tota ratio agendi. Indidem, teste Stapletonio, inferre voluit Calvinus, solam gratiam operari actus salutare.

49 Arguunt secundò, ex Roman. 8. ibi: Quicumque spiritu Dei aguntur, ij sunt Filij Dei. Sermo est de actionibus supernaturalibus. Dicit ergo Filios Dei, potius agi, quam agere, nihil aliud esse potest, nisi quod gratia Spiritus Sancti est, quoad supernaturalia, tota ratio agendi. Hoc etià argumento, testibus Stapletonio, & Camerario, utuntur Calviniani pro suo errore. Cui propterea Catholici omnes respondere debemus, nè merè passivè nos agi per gratiam asseramus.

50 Arguunt tertio cum eodem Alvarez ex S. Thom. 1. 2. q. 3. art. 2. dicente: Tota operatio pertinet ad gratiam. Et 3. cont. Gen. cap. 7. ibi: Non sic idem effectus causis naturali,

rati, & divina virtuti tribuitur, quasi partim à Deo, & partim à naturali agente fiant; sed totus ab utroque secundum alium modum; sicut idem effectus totus attribuitur instrumento, & principali agenti etiam totus. Unde sic Alvarez: sed agens principale, & instrumentum non sunt duae causae partiales effectus: cum instrumentum subordinetur in suo influxu agenti principali: ergo ex S. Thom. gratia, & arbitrium non sunt causae partiales consensus. Subinferunt alij: ergo gratia est causa totalis, ac proinde tota ratio agendi. Tria hic observo. Primum, ex primo testimonio nihil concludi pro tota ratione agendi, potius quam contra illam; nisi velint arguentes voluisse S. Thom. quod operatio vitalis non pertineat ad potentiam vitalem: quod nefas est. Secundum, in secundo dici rectè, totum effectum esse à Deo, & totum à natura: quod quidem non est negare naturae suam rationem agendi. Tertium, scire me velle à subinferentibus; quid intelligant in S. Thom. nomine instrumenti? Si merum instrumentum, nihil habens activitatis in opus, tribuitur S. Thom. id quod Alvarez ipse disp. 68. num. 7. vocat improbabile: & merito: quia esset favere nimis Calvinismo. Si non merum instrumentum, sed veram causam instrumentalem, id est non principalem, pertinet ad questionem vocalem elucidandam sect. 9. & nihil concludit adversus partialem rationem agendi obedientialem naturae elevatae per gratiam in actus supernaturales.

51 Arguunt quartò cum eodem Alvarez nu. 5. Actus liberi meritorij secundum totam suam substantiam sunt supernaturales: ergo potentiae naturales non possunt habere virtutem proportionatam sibi connaturalem, & innatam, qua illos agant, adhuc ut causae partiales. Nà alioquin aliquid naturale connexionem haberet cum supernaturali: scilicet activitas illa partialis obedientialis cum effectu supernaturali ab ipsa producibili. Ergo tota ratio agendi effectum supernaturalem est principium supernaturale. Certè, si non negatur contra Tridentinum, potentias naturales physice agere actus supernaturales, nequit negari physica earum activitas: quae, & ipsissima est ratio agendi; & eamdemsecum importat difficultatem connexionis.

52 Arguunt quinto cum Nazario 1. p.

q. 12. art. 5. contr. 2. Potentia naturalis cum principio supernaturali sic se habet ad efficientiam actus supernaturalis, sicut alia agentia cum suis virtutibus ad operandum. V. g. Sol cum luce, ignis cum calore: sed haec agentia non concurrunt, ut causae partiales ad operationes suorum accidentium: ergo neque potentiae naturales ad actus supernaturales. Ab hac paritate abstinere debuissent hi Authores, alioquin opinantes, substantias agentium naturalium non esse immediate operativas, sed quatenus sustentant passivè accidentia à quibus fluit operatio; nè similiter concursum alium præter receptivum, negare videantur potentijs naturalibus in actus supernaturales, ut innuimus num. 45.

53 Arguunt sextò ex eodem Nazario. Non solum errabant Pelagiani, qui opera salutaria tribuebant libero arbitrio; quin etiam, & Semipelagiani, qui ea partim Deo, partim arbitrio tribuebant: ergo, ut hunc etiam errorem declinemus, omnino sunt Deo tribuenda, ita ut nec partialiter tribuantur arbitrio. Subinferunt: ergo gratia Dei est tota ratio agendi opera salutaria. Alium errorem non minus à Catholicis declinandum debuit ob oculos habere Nazarius: doctrinas scilicet Calvini, & Lutheri: qui nimium declinantes ab errore Pelagij, in errorem extremè contrarium impegerunt, negantes libero arbitrio activitatem in opera salutaria, sicque sibi persuadentes, gratiam esse totam rationem agendi.

54 Arguunt septimò. Habitus supernaturales efficiuntur à principio supernaturali, ut à tota ratione illos agendi; quin potentiae naturales sint ratio illos agendi adhuc partialiter: ergo & actus. Non enim minus supernaturales sunt actus, quam habitus. Si tenet paritas, nimis probat: quia ad habitus merè passivè se habent potentiae naturales: quod dicere de actibus supernaturalibus, Calvinismus, aut Lutheranismus est, damnatus à Tridentino sess. 6. Can. 4.

55 Alia argumenta mitiora subijciam. Hæc præmissi, ut ex doctrina, quæ probant, si quid probant, & veræ forent rationes istæ, discamus recedere à doctrina, pro qua non satis cautè afferuntur.

(***)

Ripal. Sotus. Cabr. Nazar. Alvar.

S. Thom. Sotus.

Cabr.

Nazar.

Ovied. Ripal. Perez.

Alvar. Roma. 9

August.

Alvar.

Staplet.

Alvar.

Staplet. Camer.

Alvar. S. Thom.

Nazar.

Nazar.

Trid.

SECTIO V.

Vera sententia: auxilia gratiæ in nullo sensu qui momenti sit, esse totam rationem agendi opera saluaria.

56 **A**TQVE in primis in sensu exposito num. 45. qui è re, & momenti est, cuiuscumque sit, dici nequit gratia tota ratio agendi actus salutares. Nam 1. *Corinth.* 15. ait Paulus: *Abundantius omnibus laboravi: non ego, sed gratia Dei mecum.* Ubi Augustin. *cap. 5 de Grat. & lib. arbitr.* glossat: *Non ego autem, sed gratia Dei mecum: ac per hoc, nec gratia Dei sola, nec ipse solus; sed gratia Dei cum illo: id est, laborat, operatur, agit.* Undè Trident. *sess. 6. Can. 4.* contra Calvinum, & Lutherum, anathematizat: *Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium, à Deo motum, & excitatum nihil cooperari, &c. sed, veluti inanime quoddam, nihil omnino agere: sed merè passivè se habere.*

57 Nec satisfacit Illustrissimus Godoy. Qui *disp. 16. à num. 135.* referens verba Calvinii, in quibus aliqualem cooperationem iam tribuebat arbitrio, respondere tentat, negotium Concilij in hoc Canone fuisse, adversari Pelagio, neganti necessitatem gratiæ; & Luthero, neganti cum illa libertatè arbitrij; ideòque eatenus tantum statuentis activitatem arbitrij, quatenus opus est ad libertatem. Non, inquam, satisfacit. Conciliū enim, supponens iam necessitatem gratiæ, duo statuit ibi contra Lutherum, & Calvinū: scilicet, libertatem arbitrij, quam uterque negat; & activitatem arbitrij in actus salutares, quam Lutherus omnino negat; & Calvinus non satis concedit, quamvis aliquibus verbis infra recensendis illā simulare videatur. Itaque, si quis prætexeret, quoquo modo libertatem, & negaret veram activitatem arbitrij in eos actus; aut è cõtra; damnaretur quidem ex hoc Canone, & satis non discederet à Calvinio, & Luthero. Oportet ergo iuxta Canonem Concilij, & veram libertatem, & veram activitatem arbitrij confiteri in actus salutares, quin sufficiat activitas illa mediata, & remota, quam confitebatur Calvinus impugnatus à Concilio.

58 Responsio solebat esse, negata sic ratione agendi libero arbitrio, nõ propterea negari, voluntatem activè concurrere; sed concurrere proximè, & immediatè: satis autem fieri Tridentino, di-

cendo, voluntatem activè concurrere ad eos actus, quamvis mediatè, remotè, & radicalitèr, per activitatem, & virtutem gratiæ in se receptam. Idque explicabatur, ut visum est num. 46. exemplo substantiarum naturalium: quæ, cum non sint immediatè operativæ, dicuntur agere, & operari per virtutem potentiarum accidentalium in se receptorum.

59 Contra tamen est. Quia ex his ipsis exemplis, quibus incautè utebantur, evincitur, quòd, iuxta ipsorum doctrinas, si voluntas non concurreret immediatè, & proximè ad actus salutares; nec mediatè, remotè, aut radicalitèr dici posset ad eos concurrere: ergo nullo modo ageret, & omnino passivè se haberet contra Tridentinum. Probatur antecedens: nam ad hoc ut voluntas mediatè, remotè, aut, si mavis, radicalitèr ageret eos actus, deberet immediatè, proximè, & formalitèr sibi producere, sibi que radicare comprincipium illud, eos agens immediatè, & proximè, aut saltem, ea principia sibi exigere, ut ab alio producantur, ut sit in substantijs naturalibus, sibi producentibus, aut exigentibus potentias accidentales, quarum virtute agunt. At voluntas, nec sibi de suo producit comprincipium supernaturale, tãquam ipsius proprietatem; nec illud sibi exigit produci à suo agente; cum sibi sit indebitum. Undè, non solum non ageret immediatè per se actus salutares, sed nec mediatè modo illo mediato, quo substantia aquæ dicitur infrigidare ratione virtutis accidentalis frigiditatis sibi debita, seu congenita; sed potius modo illo merè passivo, quo substantia aquæ calida dici posset calefacere manum ratione virtutis accidentalis caloris, sibi nec debiti, nec congeniti: quod est re ipsa merè passivè se habere. Quod autem innuunt Godoy cit. & Lumbier num. 453. substantiam aquæ calidæ dici posse plusquam passivè se habere ad actum calefaciendi, paradoxum est, & malæ causæ peius patrocinium. Eritnè satis ijs Authoribus, quòd voluntas nostra ad actus salutares sibi liberos, non magis influat activè, quàm substantia aquæ calidæ in calefactionem? Quid sibi volunt istæ doctrinæ?

60 Præterea. Vel præter hoc quod est, in se recipere, & sustentare comprincipium supernaturale, exhibet voluntas alium

alium concursum in actus salutares, vel non. Si non exhibet alium: ergo merè passivè se habet: quia concursus ille passivus est, & saltè non liber. Si exhibet alium concursum, aut hic alius est merè passivus, aut activus. Si merè passivus, hoc etiam erit habere se merè passivè. Si activus; ergo præter hoc quod est in se recipere, & sustentare habitum, & actum, exhibet voluntas in genere causæ efficientis alium concursum, & quidem liberum: non in comprincipium supernaturale: quia, si est habitus infusus, aut alia qualitas emortua, nullatenus efficitur à voluntate; si est actus indeliberatus auxilians, non liberè efficitur à voluntate, sed indeliberatè, & quidem per concursum physicum iam anteceditèr exhibitum: ergo in actum salutarem deliberatum: qui propterea ratione istius novi concursus activi immediatissimè efficitur à voluntate; cum non sit alius terminus immediatior illius concursus activi; aut saltem non efficitur eâ mediatione, qua calefactio manûs ab aqua calida, cuius nempe substantia, præter hoc quod est recipere in se, & sustentare calorem, nullum alium concursum activum exhibet in calefactionem manûs: ideòque merè passivè se habet ad calefaciendum.

61 Insupèr. Non satisfacit Tridentino, statuenti veram activitatem arbitrij in actus salutares, doctrina, quæ in ea activitate contenta, & explicanda non satis se discernit à Calvinissimo damnato per Tridentinū: sed activitas arbitrij mediata in actus salutares, ut explicatur in supradictis responsionibus, non satis se discernit à Calvinismo: ergo non satisfacit Tridentino. Minor probatur expressis Calvinii, & Kemnitij confessionibus, quas affert ipse Godoy cit. & copiosius Ripalda *sess. 5. ex Malder. Staplet. Camerario, Ruaro, & Bellarmino.* Ex quibus manifestè constat, Calvinistas cum Lutheranis non negare, recipi in voluntate gratiam, quæ sit principium activum actuum salutarium: deinde neque negare, gratiam receptam in voluntate esse principium activum ipsorum: denique, neque negare, hoc esse, voluntatè ipsam aliquomodo agere eos actus: dicente ipso Calvinio: *Non hoc quaritur, agant voluntas, quod extra dubium est: in quo dissensit à Luthero. Admissit igitur Calvinus, voluntatem agere: quod intel-*

ligere non potuit nisi mediatè, remotè, & radicalitèr: hic enim est minor concursus activus; quem supponere posset extra dubium. Ergo qui in suis explanationibus, & responsionibus nullum alium concursum activum voluntati concedebant in actus salutares, non plus in se concedebant quàm Calvinus: ac proinde, quoad hoc caput de activitate, nihil se à Calvino discernebant. Oportet ergo, veram, immediatam, & proximam activitatem voluntatis agnoscere, à qua, & à gratia immediatissimè, & per se efficitur actus salutaris.

62 Nec in ijs amplius moror; cum iam nec Thomistæ id negare ausint; nec patiantur, negatum unquam fuisse ab Orthodoxis, ut legere est apud Ioann. à S. Thom. cit. Quo fit, in prædicto sensu, prout ab antiquioribus exposito num. 46. dici iam non posse, gratiam esse totam rationem agendi actus salutares.

63 Deinde nec in sensu exposito num. 39. Nam sensus ille prorsus extra rem confundit rationem elevandi, & rationem agendi. Totam rationem elevandi, seu elevantem, fatemur esse gratiam, seu comprincipium supernaturale: quia ibi nihil est aliud elevans, nisi comprincipium supernaturale: at tota ratio agendi, seu activa, seu agens, non sic est comprincipium supernaturale, ut nihil ibi sit verè agens actus supernaturales præter illud; cum certum sit, voluntatem verè agere eos actus, & non merè passivè se habere, sicut passivè se habet ad recipiendam totam rationem elevandi, seu elevantem. Ineptè ergo, & extra rem diceretur, gratia tota ratio agendi, sicut, est, & dicitur tota ratio elevandi: quandoquidem ratio agendi coalescit, ut contendimus, ex ratione elevante, & ex elevatâ; ratio verò elevandi est penes solam rationem, & virtutem elevantem. Quem admodum nõ nisi ineptissimè diceremus, voluntatem esse totam rationem agendi, quia est tota ratio elevata ad agendum.

64 Nec similiter in sensu exposito num. 40. Nam præterquamquòd præcisiones illæ metaphysicæ levissimæ sunt ad rem præsentem Theologicam; & ut ibi vidimus, esset nimis concedere Pelagianis; certè ex eiusmodi expositione, si rem sincerè teneamus, solum fit, quòd metaphysicè loquendo verè dicimus, comprincipium gratiæ requiri ad actum salu-

Aug.

Trid.

Godoy.

Calvin.

Kemn.

Godoy.

Ripal.

Mald.

Stapl.

Camer.

Ruar.

Bellar.

Calvin.

Ioan.

à S. Tho.

taré ratione supernaturalitatis, seu quia supernaturalis est; & potentiam vitalem ratione vitalitatis, seu quia vitalis est: ita nimirum, ut, si actus non esset supernaturalis, non opus esset cōprincipio supernaturali; neq; potentia vitali, si actus vitalis non esset. Ex quibus certè formalitatulis, aut nihil concluditur, quod momenti sit ad hoc ut comprincipium supernaturale sit tota ratio realis agendi respectu actus, qui realiter simul est supernaturalis, & vitalis; aut potius concluditur, tam comprincipium supernaturale, quam potentiam naturalem vitalem, esse simul rationem adæquatam agendi actum, qui simul est supernaturalis, & vitalis: exigens utique formaliter, quæ supernaturalis, comprincipium supernaturale, & quæ vitalis formaliter, potentiam vitalem. At quid hoc ad rem?

65 Nec item in sensu exposito *num.* 41. Nam hic sensus non negat, comprincipium supernaturale, simulque potentiam naturalem esse totam adæquatam rationem agendi actus vitales supernaturales; sed ait, illud esse totam rationem *formalem* agendi; quia supervenit quasi forma potentia naturali, quam elevat, quæque propterea, quamvis verè sit ratio agendi, non est ratio *formalis* agendi, sed quasi materialis, cui advenit alia ratio formalis. Hoc autem futilius est, quam præcedens. Sic enim in ratione adæquatâ agendi visionem ocularem, sive intellectionem coalescente ex potentia vitali, & ex specie impressâ superveniente, quasi formâ potentia illam recipienti, tota ratio *formalis* agendi actum naturalem esset species superveniens potentia illam recipienti, & potentia esset ratio agendi, quasi materialis. Quod in modo loquendi ridendum esset; & in re, non tollit, quominus, eo non obstante, potentia visiva, & intellectiva sint verè ratio agendi actus suos naturales. Similiter ergo ea explicatio non tollit, quominus potentia naturalis, simulque comprincipium supernaturale sint verè ratio agendi actus supernaturales; sicq; non erit istud tota ratio agendi, quamvis in eo inani sensu dicatur tota ratio *formalis* agendi: in quo sensu dicere possent eadem inanitate, potentiam naturalem esse totam rationem agendi, scilicet *materiam*, utpotè adæquate receptivam comprincipij supernaturalis, quod dicitur tota ratio *formalis*.

Mihi quidem satius multò videretur dicere, neutrum illorum esse rationem formalem agendi; sed rationem formalem agendi esse actionem ipsam, qua agunt, utpotè quæ utrique supervenit, & utriq; formaliter denominat actualiter agens.

66 Circa sensum expositum *num.* 42. nihil est quod addam ad ibi dicta: cum in re nobiscum consentiat negantibus, comprincipium supernaturale esse totam rationem agendi; & asserentibus, rationem totam agendi actus salutares esse complexum ex potentia naturali elevatâ, & ex comprincipio supernaturali elevante.

67 Veniamus ad sensum expositum *num.* 43. qui aliquid in re dicit; sed, aut sibi contradicit, aut mihi prorsus intelligibilis est, aut omnino falsus. Vult itaque, & benè, rationem agendi pro eodem hic sumi, ac virtutem agendi: aitque, comprincipium supernaturale esse totam rationem agendi, quia ipsum est tota, & adæquata virtus, quæ agit actus salutares: taliter, ut in potentia naturali nulla omnino sit alia virtus ad id, nisi virtus comprincipij supernaturalis: qua tamen virtute supernaturali receptâ in potentia supernaturali, nõ solum comprincipium supernaturale agit immediate eos actus; sed etiam eos agit immediate quoque potentia naturalis.

68 Edoceri vellem à Sapientissimis hinc Magistris, in quo differant virtus activa, potentia activa, principium activum, & actus primus activus. Aut enim quatuor hæc sunt in re ipsâ idem; aut sunt diversa. Si sunt idem; ergo totum id competit eodem modo, vel non competit eodem modo potentijs nostris vitalibus respectu actuum supernaturalium, quos immediate efficiunt simul cum comprincipio elevante: ut ex terminis est clarum. Sicquè non nisi cum manifestâ implicatione terminorum asseritur, potentias nostras vitales esse potentias activas, & quidem immediate activas; esse principium activum, esse actum primum activum immediate efficiens actum secundum supernaturalem; & non esse eodem modo virtutem activam. Est enim uno verbo negare id ipsum, quod alio conceditur.

69 Si verò quatuor illa sunt in re ipsa quid diversum, scire vellem, in quo differantur. Mihi certè id, à quo immediate active oritur actio, sive actus se-

cundus, est actus primus activus; sive adæquatus, & totalis; sive inadæquatus, & partialis; sive principalis, sive obedientialis; sive naturalis, sive supernaturalis: iuxta modum scilicet, quo oritur ab illo physice immediate actus secundus. Id autem ipsum est mihi principium activum cum eisdem omnino differentijs: id ipsum est potentia activa: implicat enim in terminis, actum secundum oriri immediate physice ab actu primo, quin talis actus primus activus, sit eodem modo potentia immediate activa ad talè actum secundum: quod tam est certum, ac certum est, valere consequentiam ab actu ad potentiam: alioquin actu ageret immediate physice ille actus primus actum secundum; quin esset potentia ad talem actum secundum. Hoc autem ipsum est, esse virtutem, eo eodem modo, ad eundem illum actum secundum: & iuxta hos Authores, rectè explicantes rationem agendi per rationem virtutis, hoc ipsum erit etiam, esse rationem agendi: alioquin dicant nobis, quid sit esse virtutem activam contrapositè ad esse actum primum activum, ad esse principium activum, & ad esse potentiam activam?

70 Igitur, evolutis, iuxta veritatem omnibus notam, istis vocibus, eo ipso modo, quo potentia nostræ vitales sunt verè actus primus immediate activus, seu coeffectivus, simul cum auxilio elevante, actus secundi supernaturalis; sunt etiam comprincipium ad illum, potentia activa ad illum, virtus activa ad illum, & ratio agendi ad illum: ergo comprincipium elevans non est tota, & adæquata ratio agendi, nec tota, & adæquata virtus activa; eo eodem modo, quo non est totus, & adæquatus actus primus, nec est totus, & adæquatus principium activum, nec est tota, & adæquata potentia immediate activa, & immediate agens actum secundum supernaturalem: nè incidatur in errorem dicentium, potentias nostras vitales non nisi passivè se habere ad actus salutares.

71 Undè, ut ingenuè dicam quod sentio, hi Authores, nobiscum iam concedentes, actus supernaturales oriri active immediate non solum à comprincipio supernaturali elevante, verumetiam à potentijs nostris vitalibus, verè immediate influentibus in ipsos; & deinde negantes, potentias nostras vitales esse vir-

tutes ad illos; eo modo incompleto, & obedientiali, quo sunt potentia ad illos, & quo sunt actus primi ad illos secundos; veritatem nostræ sententiæ assequuti sunt, & uno verbulo synonymo retinere sine opere præterio laborat honoris causa contrarium modum loquendi, & quo modo defendendi, voce tenus, comprincipia supernaturalia esse totam rationem agendi actus supernaturales: quod, salvâ re nostræ sententiæ, vix est momenti.

Ut verum omnino sit assertum nostrum, quod auxilia gratia, quamvis præcipuas partes agant circa actus salutares, quos etiâ immediate efficiunt potentia nostræ vitales; in nullo tamen sensu, qui momenti sit, dici possunt tota ratio agendi. Quia potentia nostræ vitales eo ipso modo, quo simul cum auxilijs gratia immediate influunt in illos in actu secundo, sunt in actu primo virtus, quamvis incompleta, & obedientialis, ad illos: ac proinde eo ipso modo sunt ratio agendi respectu illorum: cum nihil aliud sit vera ratio agendi, veraq; virtus in actu primo ad aliquem actum secundum, nisi id, à quo immediate oritur, & efficitur actus secundus, ut satis expendimus. Cum ergo sua quoque insit virtus, & ratio agendi potentijs nostris vitalibus elevatis, quamvis incompleta, insufficientis, & obedientialis ad actus salutares; auxilia gratia, quamvis sint tota ratio elevandi, nõ sunt tota ratio agendi: quia hæc adæquate coalescit ex ratione agendi, aut virtute elevatâ; & ex ratione agendi, & virtute elevante.

SECTIO VI.

Solvuntur argumenta communiora opposita sect. 4.

73 **A**D primum ex *num.* 48. quod potius videtur oppugnare immediatam activitatem liberi arbitrij in actus salutares, quam pugnare pro tota ratione agendi comprincipij supernaturalis, prout iam defenditur; respondetur, admittendo super locum Pauli totam doctrinam Augustini: & negando, ut illegitimas, illationem arguentis, & subillationem aliorum. Agebat Augustinus ibi contra Semipelagianos, partientes opera salutaria inter naturam, & gratiam.

tiam, longè aliter, ac nos. Nos enim nullum opus salutare tribuimus soli nature, nullum soli gratiæ; sed omnia naturæ simul, & gratiæ; naturæ scilicet adiutæ, ac elevatæ per gratiam; & gratiæ adjuvanti, & elevanti naturam. Illi verò sic partiebantur, ut aliqua opera salutaria, scilicet initium Fidei, tribuerent soli naturæ independentem ab adiutorio gratiæ Theologicæ, ut sæpè vidimus in superioribus, quamvis ad alia ulteriora requirerent gratiam. Contra hos igitur agens Augustinus, ut ex ipso Libri argumento perspicuum est, ait optimè, totum salutis nostræ negotium taliter esse à Deo per gratiam suam auxiliante, ut nullus absque illa fiat actus salutaris, ne initium quidè ipsum, aut volitio credendi: ideòque Dei potius miserentis, quam hominis volentis, & currentis esse negotium illud: non quia homo volens, & currentis in via salutis non agat immediatissimè simul cum gratia Dei eos actus salutes; sed quia Deus per gratiam eos specialiter, & principaliter agit; & quia negotium illud incipit à primis auxilijs gratiæ excitantis, quæ in nobis sine nobis fiunt gratis à Deo miserente: quod negabant Semipelagiani dicentes, negotium salutis incipere in primâ voluntate credendi, à nobis deliberatè factâ viribus solius naturæ sine præcedenti gratiæ auxilio. Ex illa autem nostra doctrina, quæ altè retinemus, nihil infertur, nec subinfertur contra nos, pro eo quod gratia sit tota ratio agendi.

74 Ad secundum ex num. 49. iam disp. 2. à num. 18. dedimus verum sensum illorum verborum Apostoli. Ex ibi dictis respondeo nunc, quòd Filios Dei agi Spiritu Dei, ne Calvinismo faveamus, non est ita passivè se habere in operationibus salutaribus, ut illas cum gratiæ auxilio non agant immediatissimè; sed est ad illas liberè, & salutariter peragendas præinclinari illustrationibus, & inspirationibus Spiritus Sancti, ad quas ipsi non cooperantur liberè, & deliberatè. Præterea, actus ipsos salutes sic agunt, ut potiores partes, & rationes eos in ipsis agendi habeat Spiritus Sanctus per auxilia gratiæ: quod non est negare ipsis suam quoque rationem agendi. Perbellè Magnus August. serm. 13. de Verb. Apost. Dicit mihi aliquis: si ergo agimur, non agimus. En in Augustino argumen-

tum Lutheri. Respondeo: imò agis, & ageris; & tunc benè agis, si à bono agaris: Spiritus enim Dei, qui te agit, agentibus adiutor est: ipsum nomen adiutoris præscribit tibi, quia & tu ipse aliquid agis. En responsionem nostram in Augustino.

75 Ad tertium ex num. 50. adnotavimus ibidem aliqua oportuna. Respondeo nunc, rectè dici à S. Thom. in primo testimonio frustra nobis objecto, pertinere ad gratiam totam operationem: totam, inquam, totalitate effectus: id est, nihil in illa esse, neque vitalitatem, neque libertatem, neque supernaturalitatem, neque bonitatem, quod non pertineat ad gratiam, ut ad comprincipium elevans, & principaliter causans: non verò totalitate causæ; id est, quòd ad solam gratiam pertineat totum id, aut quidquam illius, sitque propterea gratia tota ratio id agendi; cum totum etiam id totalitate effectus pertineat ad potentiam naturalem elevatam, & adiutam per gratiam. Itaque tota operatio salutaris pertinet ad gratiam, tota ad naturam: tota ad gratiam elevantem, adjuvantem, & efficientem; tota ad naturam elevatam, adiutam, & coefficientem: rejucentem propterea in vtraque coniunctim totâ ratione agendi, seu coefficienti eas operationes: ad quas utique, ut est per se certum, neutra illarum sufficit sine alterâ activè quoque immediatè concurrente. Secundum testimonium non affertur ad rem. Quia in eo loco contra Gent. non scribit S. Thom. de concursu naturæ, & gratiæ ad operationes salutes, quod est è re præfenti; sed de concursu Causæ primæ, & secundæ ad omnes operationes creaturarum. Undè qui vellet aliquid concludere pro tota ratione agendi, concluderet contra se totam rationem agendi esse Deum; & nullatenus naturam, neque gratiam, quæ sunt causæ secundæ. Placere hoc? Sed teneamus mentem Sancti Thom. cuius sincerus sensus est, effectus creaturarum non sic Deo, sicque creaturis tribuendos esse, ut pars illorum fiat à Deo, & pars à creatura; sed ita, ut totus effectus fiat à Deo, idemque totus à creatura; totalitate scilicet effectus: servatâ tamen aliunde infinitâ disparitate inter concausas primam, & secundas; & attributâ

butâ cuique cum differentijs suis suâ ratione agendi, seu causandi eos effectus. Illud de instrumento satis evolvimus disp. 2. sect. 2. & 4.

Suprà
disp. 2.

76 Ad quartum ex num. 50. concessio antecedente, distingo consequens: potentia naturales non possunt habere virtutem sibi connaturalem, & innatam, qua salutes actus agant, se solâ proportionatam, & sine adiutorio virtutis supernaturalis, illam elevantis, sufficientem ad illos efficiendos, concedo: virtutem obedientialem elevabilem à superiori virtute, & in istius consortio sufficientem, & proportionatam; nego. Nam, quamvis virtus illa, seu ratio inadæquata agendi connaturalis, & innata potentijs naturalibus, non sit per se proportionata, & sufficiens ad agendos actus salutes; ex illa tamen virtute, & ratione agendi elevatâ, & ex virtute, & ratione agendi supernaturali elevante, coalescit principium, virtus, & ratio agendi adæquatâ proportionatâ, & sufficiens. Unde negatur ultima consequentia, quòd nempe comprincipium supernaturale sit tota ratio agendi: hæc enim non est nisi complexum ex comprincipio supernaturali, & ex potentia naturali. Illud de connectione, in quo insistere nimium videntur Lumbier, & Gonetus, vix quidquam mihi negotij facescit. Sentio enim, nec virtutem obedientialem potentiæ naturalis, nec virtutem elevantem, comprincipij supernaturalis, habere veram connexionem cum effectibus supernaturalibus; sicut nec causæ aliæ naturales, nec ipsa Dei Omnipotentia cum naturalibus, sine quibus existentibus possunt existere, ut adstruxi latè disp. 9. de Attrib. sect. 4. Quòd si in sensu aliquo abusivo admittitur ea connexio in alijs causis, seu potentijs cum effectibus suis, ut possibilibus; in eodem abusivo sensu admitti debere in causis, seu potentijs naturalibus obedientialibus cum effectibus supernaturalibus, ad quos efficiendos elevari possunt, defendimus ibidem disp. 18. sect. 11. contra quod, nec Lumbier, nec Gonetus, quidquam afferunt.

Tom. de
Deo.
disp. 9.

Ibid.
disp. 18.

77 Ad quintum ex num. 52. facile permitterent maiorem, quam forte Nazario non omnes sui permittent, obinconveniens, quod ex ipsorum doctrinis insinuavimus ibi. Minor tamen mihi falsa est. Quippè sentio ex Philosophia, sub-

stantias ipsas simul cum accidentibus suis esse immediatè operativas, atque adeo virtutes, & rationes agendi. Ex quo à pari potius argueretur, suas quoque competere rationes agendi potentijs naturalibus simul cum comprincipijs supernaturalibus ad actus salutes; immediatè ab illis procedentibus.

78 Ad sextum ex num. 53. dico, procedere ex sinistra intelligentia erroris Semipelagiani, quem nuper satis explicuimus à num. 73. Ex ibi dictis constat, taliter nobis esse ab illo recedendum, ut errorè etiam extremum negantium activitatem libero arbitrio in actus salutes; evitemus. Itaque dicendum est, errasse Semipelagianos, quia opera salutis partim naturæ, partim gratiæ tribuebant, partialitate scilicet effectus: taliter nimirum, ut aliqua salutis opera tribuerent viribus naturæ sine adiutorio gratiæ Theologicæ. Ab hoc errore longè absumus, qui nullum actum salutare soli naturæ tribuimus; sed omnes naturæ simul, & auxilio gratiæ, in illum actum influentibus. Cui quo stat optimè, quòd nec gratia sola, nec natura sola sit ratio agendi respectu illorum; sed complexum ex utraque. Sic explicato antecedente, consequentia nulla est, & subillatio à longè petita.

79 Ad septimum ex num. 54. concessio antecedente, negatur planissimè consequentia, ob evidentissimam disparitatem. Quia nempe, quamvis tam habitus illi, quam actus, sint supernaturales; habitus tamen, cum non sint operatio: vitalis potentiarum naturalium, non est cur activè efficiantur à potentijs; sed sufficit, quòd merè passive in illis recipiantur: quod dicere de actibus, qui sunt operationes vitales potentiarum, damnat Concilium Trident. & oppugnat ratio naturalis ex principijs Philosophicis circa constitutum operationis vitalis.

SECTIO VIJ.

Pluriora argumenta ponuntur, & resolvuntur.

80 ARGUUNT alij octavo. Ad operationes supernaturales non datur in nobis potentia, seu virtus naturalis: alioquin naturaliter possemus operari, supernaturaliter, & salutariter: ergo potentijs naturalibus nulla prorsus

Suprà
disp. 2.
sect. 2.

Aug.

prorsus inest virtus ad operationes supernaturales: ergo tota virtus, & tota ratio agendi respectu actuum salutarium est auxilium gratiæ. Confirmatur: nam in natura ipsa ex se, nec semina gratiæ agnoscere debemus ex doctrinis Sanctorum Patrum, & Conciliorum: illa autem qualisqualis virtus, seu ratio agendi, tenens se ex parte potentiæ naturalis, esset sine dubio, si minùs gratia, saltem semen gratiæ: ergo admittenda non est; imò tota ratio agendi adscribenda comprincipio gratiæ supernaturalis elevantis.

81 Respondetur, amphibologiam esse in illa voce, *naturalis*: quæ potest, & solet, bifariam usurpari: scilicet, vel pro *naturali*, cõtrapositè ad supernaturale; vel pro *naturali* contrapositè ad obediẽtiale. Quo sic distincto, dico, antecedens esse verum in posteriori usurpatione: nam illa potentia, seu virtus nostra inchoata ad actus supernaturales non est naturalis, sicut ad effectus sibi debitos, connaturales; & proportionatos; sed est obediẽtialis; non exigens, potens tamen compleri, & elevari à virtute superiori sibi indebita ad effectus sibi indebitos, & ordinis superioris. In priori verò usurpatione, falsum est antecedens. Quia virtus illa obediẽtialis, incompleta, & per se insufficiens, nõ est supernaturalis; cum sit ipsa natura potẽtiæ naturalis, de se elevabilis per gratiã ad operandũ vitaliter, salutariter, & supernaturaliter, ad quod elevari nequit lapis, aut brutum. Neque hoc est, posse nos naturaliter operari supernaturaliter, & salutariter, ut sonat: id est, sufficientibus ad sic operandum viribus naturæ sine comprincipio elevante; sed est, inesse naturæ potentiam, & virtutem obediẽtialẽ, potentem, quamvis non exigentem, compleri, & elevari per comprincipium gratiæ sibi indebitum ad operandum cum ipsius adiutorio supernaturali supernaturaliter, & salutariter. Vno verbo: inest naturæ sine comprincipio elevante illa virtus obediẽtialis ad operandum simul cum comprincipio elevante salutariter actus supernaturales; ad sic autem eos operandum sine comprincipio elevante, nulla inest virtus naturæ, adhuc per comprincipium gratiæ; quia esset virtus ad chimeram, ad quam per nullum comprincipium dabilis est. Hinc ad primam consequentiam, respondeo cum distinctio-

ne: potentijs naturalibus nulla prorsus inest virtus ad operationes supernaturales agendas sine adiutorio gratiæ, concedo; agendas simul cum adiutorio gratiæ illam elevante, subdistinguo: nulla inest virtus naturalis, potens illos se solã efficere, concedo: nulla inest virtus obediẽtialis, potens illos efficere simul cum adiutorio gratiæ illam elevante, nego. Et absolutissimè nego secundam consequentiam.

82 Ad confirmationem est intelligere, semina gratiæ, quæ Sancti Patres negant inesse naturæ de suo, esse virtutem, cui quasi ipsius fructus debeantur auxilia gratiæ: quod & nos unanimiter negamus. Ab hoc autem distat longissimè potentia, & virtus agendi obediẽtialis, quam asserimus. Undè, nec est, nec dici potest semen gratiæ: cum nec operationes supernaturales, nec comprincipia supernaturalia elevantia ad illas, ipsi debeantur. Undè negantur minor, & consequentia.

83 Inistes. Potentiæ naturales non possunt agere operationes supernaturales, nisi ut elevata: ergo comprincipium illas elevans est tota ratio agendi. Nulla tamen est illatio, sicut ista: comprincipium elevans non potest agere eisdem actus, nisi ut coniunctum cum potentia naturali: ergo hæc est tota ratio agendi: & sicut ista, aliæque consimiles: intellectus nequit cognoscere naturaliter, nisi ut adiutus specie obiecti: ergo species est tota ratio naturaliter cognoscendi. Apage cum istis formulis illegitimè argumentandi: & concessis antecedentibus, negentur omnes eiusmodi consequentiæ. Quia exinde solum sequitur, potentias naturales non esse per se solas adæquatam, & sufficientem virtutem, & rationem agendi; non verò, quòd non sint ratio, & virtus agendi inadæquata, & obediẽtialis, elevabilis per adiutorium gratiæ ad agendas simul cum illo operationes supernaturales, & salutaris. Quod si in antecedente per illam reduplicacionem: nisi ut elevata; significare quis velit pueriliter solam elevationem, aut formam elevantem agere eas operationes, negabitur illi antecedens eodem lusu, quo negaretur in retorsionibus nostris.

84 Invehitur iniquè Gonetus contra potentias istas, seu virtutes obediẽtiales, quas ait esse chimericas, & totius

Gonet.

or-

ordinis gratiæ destructivas disp. 2. de Visione art. 5. §. 3. Sed nihil facilius, quam sine probatione loqui. Rectam potentiæ obediẽtialis explicationem, aut non vidit, aut non percepit, ut videre est in eius impugnationibus, quæ momenti nõ sunt, nec solutione dignæ. Dictæ parvi facimus, quia argumenta non sunt.

85 Restabit alicui scrupulus. Quamvis intellectus insufficiens se solo sit ad efficiendam cognitionem naturalẽ, nec possit illam agere, nisi cum adiutorio speciei; & quamvis gratia insufficiens se sola sit ad eliciendum actum salutarem, nec possit illum elicere sine cooperatione potentiæ naturalis; nec intellectus ad cognitionem naturalem, nec gratia ad actum salutarem dicitur potentia, seu virtus obediẽtialis. Cur ergo potentiæ naturales sunt, & dicuntur potentia, seu virtutes dumtaxat obediẽtiales ad actus supernaturales, quamvis se solis sufficientes ad illos sint, nec possint eos operari sine adiutorio gratiæ? Deponi tamen potest, & debet scrupulus iste, benè perspecta nostra explicatione potentiæ, seu virtutis obediẽtialis. Quippè non diximus in eo stare, quòd potentiæ naturales immediatè eos actus agentes, nõ possint eos agere sine coadiutorio gratiæ; sed in eo quòd istud coadiutorium ad operationes superioris ordinis ipsis indebitas per necessarium, sit ipsis etiam indebitum, utpotè ordinis etiam superioris, ac divini. Undè est, quòd ipsæ, quæ inferioris ordinis sunt, non nisi præelevatæ sic operentur, & ad sic operandum ex se non habeant nisi potentiam, & virtutem obediẽtialẽ, potentem, sed non exigentem sic elevari per comprincipium altioris ordinis. Non sic est in paritatibus nobis obiectis. Neque enim intellectus, indigens speciebus naturalibus ad cognitiones naturales, indiget illis, ut comprincipijs altioris ordinis sibi indebitis: nec gratia indigens potentia naturali ad operationes salutaris, indiget illã ut comprincipio altioris ordinis, sibiq; indebitis; sed debitissimo. Undè est, quòd ad eiusmodi operationes altera virtus alteram requirat, natura gratiam, & gratia naturam, & coniunctum ex utraque sit adæquata ratio agendi actus salutaris: gratia tamen, ut comprincipium, virtus, & ratio agendi elevans; potentia verò naturalis, ut comprincipium, virtus, &

ratio agendi obediẽtialis, & elevata. Quod oportet sedulo animadvertere.

86 Arguit nonò Reverendissimus meus Lumbier à num. 440. ex Illustrissimo Godoy. Ex parte naturæ nullus datur sapor, aut inchoatio specialis ad actũ salutarem, ut talem; nec datur formalitas physica habens aliquod prædicatum speciale virtutis ad superna, ut superna sunt: esset enim respectiva ad operationem supernaturalem ut talem: ergo tota virtus ad istã, atque adeò tota ratio agendi, debet esse adventitia potentiæ naturali. Confirmatur primò: quia, si ex parte naturæ inesset potentiæ naturali aliqua virtus, & ratio agendi ad actus salutaris, hi præcontinerentur in illa: quod implicat. Nam, quãdo effectus cõtinentur in virtute etiam partiali causã, debentur illi comprincipia ad illos, nè tota linea illius virtutis esset perpetuò inutilis, & frustranea: sed comprincipia gratiæ nequeunt deberi potentiæ naturali: ergo huic non inest ea virtus. Confirmatur secundò: quia eiusmodi virtus inchoata obediẽtialis esset naturalis, utpotè identificata realiter cum ipsa potentia naturali: & esset supernaturalis, utpotè formalitas activitatis specificata ab effectu supernaturali. Insuper effectus iste supernaturalis desineret esse supernaturalis: siquidem iam non esset supra omnem connexionem naturæ. Et tandem essent in natura semina gratiæ, ut errabant Semipelagiani.

87 Respondetur facilè, distinguendo antecedens: sapor, inchoatio, & formalitas physica se sola sine elevatione sufficiens ad actum salutarem, concedo; obediẽtialis, & non sufficiens ad actum salutarem sine adiutorio ipsam elevante, nego antecedens. Quòd autem ea virtus obediẽtialis sit essentialiter respectiva ad effectum supernaturalem nihil prorsus officit; cum de ratione supernaturalium minimè sit, superare omnem respectum transcendentale naturæ, ut scripsi disp. 18. de Attrib. sect. 10. Quòd si hunc respectum intelligit nomine saporis Magister Lumbier, negabimus ipsi, quòd nõ inest naturæ sapor iste obediẽtialis ad supernaturalia. Nemo, qui sapit, negare nobis poterit, aliquid inesse naturæ intellectivæ in ordine ad amandum, & videndũ Deum supernaturaliter, quòd non inest bruto, nec lapidi. Hoc vocamus

Lumbier
Godoy.

Tom. de
Deo disp.
18.

N

po-

potentiam, & virtutem obedientialem; & si libet, voca saporem. Hinc consequentia nulla est. Solum enim sequitur, totam virtutem, & rationem agendi elevatam esse adventitiam, & indebitam potentiae naturali; non vero totam omnino virtutem, & rationem agendi: haec enim est complexum ex virtute elevante, & ex virtute elevata obedientiali.

88 Ad primam confirmationem distinguo sequelam: pracontinerentur in illa eo modo imperfecto, inchoato, & obedientiali, quo est virtus ad ipsos, concedo: alio modo, nego. Id autem nihil est implicantis, nec absurdi: nam praesens, & penetratis vocibus, pracontinentia illa eminentialis effectuum in causa nihil rei est aliud, quam virtus, qualis qualis sit causae ad effectus. Unde eo modo, quo reperitur ratio virtutis, seu potentiae, seu actus primi ad effectus, sive naturales, sive supernaturales, dicentur ij pracontineri eminentialiter in causa: adaequatè in adaequata; partialiter in partiali, obedientialiter in obedientiali, infinitè in infinita. Quid in hoc monstri est? Ad probationem implicantis, negatur maior. Nam, ut linea illius virtutis non sit frustranea, sufficit, quod Deus illam interdum elevet, quamvis non ex debito, sed gratis: imò & quamvis nunquam sic illam elevaret, non esset frustranea: quia tota illa realitas virtutis exercetur per operationes naturales. Sic non desineret esse obedientialiter unibilis hypostaticè natura humana ad suppositum divinum, quamvis nulla unquam humanitas uniretur: nec est frustranea unibilitas naturae humanae, & Angelicae ad suppositum Patris divini; quamvis nunquam unienda sit. Ad secundam confirmationem, negamus sequelam. Illud de connexionione praedictae virtutis obedientialis cum effectibus supernaturalibus, iam est explicatum, & solutum num. 76. & illud postremum de Seminibus gratiae num. 82. procul omnino ab errore Semipelagiano. Demum omnia haec habent retorsionem manifestam in elevabilitate nostrarum potentiarum vitalium per comprincipium supernaturale.

89 Arguitur decimò. Si potentiae nostrae vitales essent etiam quoquo modo ratio agendi actus supernaturales, sequeretur, quod inaequales potentiae naturales, v.g. hominis, & Angelì, elevatae,

& instructae pari comprincipio supernaturali, haberent inaequales virtutes ad supernaturaliter operandum: atque adeò Angelum potentiozem absolutè fore ad operationes supernaturales. Nam, data eorum aequalitate ex parte comprincipij supernaturalis, excederet Angelus ex parte virtutis, & rationis agendi potentiae suae naturalis. Hoc autem absurdum esse, patet: quia subsequeretur, quod Angelus, & homo per aequalia merita haberent in Coelo praemium inaequale visionis beatificae, quae dicitur tota merces. Subsequela probatur: nam Angelus ille & homo per aequalia merita reciperent aequale lumen gloriae. Si ergo cum aequali lumine, ob excessum intellectus Angelici supra humanum, posset Angelus clariùs ac perfectiùs videre Deum, sic Deum perfectiùs videret: quia Beati vident, & amant Deum, quantum possunt: ergo cum aequalibus meritis obtinerent clariorem Dei visionem, ac proinde plus mercedis, & praemij. Ne ergo haec dicantur, dicendum est, ex parte intellectus nullam prorsus esse virtutem, & rationem agendi visionem supernaturalem; sed lumen esse totam virtutem, & rationem agendi respectu visionis Dei: & similiter auxilium gratiae respectu actus salutaris.

90 Respondent aliqui, concedendo sequelam cum Subtili Scoto, Molina, Vasquez, & Herize. Eam tamen non reputant absurdam: nam excessus ille operationum Angelicae, & humanae, non posset tribui soli naturae; sed naturae adiutae comprincipio supernaturali elevante. Subsequelam vero negant. Ad eius probationem diversimodè respondent. Molina concedit antecedens, & negat consequentia: quia, inquit, cum visio sit tota merces, quamvis Angelus ille, & homo haberent aequale lumen, & inaequales intellectus, Deus decreto suo nolendi aliter concurrere, taxaret utrique aequales visiones; ac proinde aequale praemium pro aequalibus meritis. Vasquez vero negat antecedens, quia, inquit, cum visio sit tota merces, & lumen solum detur ratione visionis, unicuique illorum daretur tantum luminis dumtaxat, quantum opus est ad aequales visiones: dempto scilicet intellectui Angelico tantillo luminis pro excessu suae potentiae, ut visiones, quae sunt praemium, non possint esse nisi aequales. Haec tantorum Theologorum doctrinae habent pro se

Scot. Molina, Vasq. Heriz.

Molin.

Vasq.

se recursum necessarium ad alterutram illarum in poenis damnatorum inaequalium in intellectu. Nam ex meliori apprehensione malorum maior resultat poena: ea autem apprehensio, caeteris paribus, maior erit, ac vehementior pro maiori perfectione intellectuum. Unde proculpis aequalibus inflicta poena aliunde aequali Angelo, & homini, Angelus pro vivaciori vi sua apprehensiva, aut magis torqueretur, aut tantundem illi minuentum esset de alijs cruciatibus, quantum excedit hominem penes vim naturalem apprehensivam.

Ripald. Oviéd. Quir.

91 Respondetur aliter securius, negando sequelam cum Ripalda tom. 1. disp. 37. sect. 4. Oviéd. tract. 1. contror. 4. punct. 2. & Quiròs tom. 1. disp. 29. sect. 2. Ad probationem negatur etiam, quod eo ipso excederet hominem Angelus in ratione virtutis ad actus supernaturales. Nam ex maiori perfectione entitativa potentiae non arguitur maior virtus ad quamlibet speciem operationum. Id exinde patet manifestè, quod potentia visiva hominis, cum includat animam rationalem entitativè perfectiorem animam bruti, perfectior est entitativè, quam potentia visiva cuiuslibet bruti; quin propterea in ratione virtutis ad videndum excedat virtutem visivam cuiuslibet bruti; imò sunt bruta perspicacius visiva, quam homo. Et ratio generalior est: quia maior perfectio potentiae potest aliunde peti versus alias operationes; & penes alia etiam praedicata. Non enim virtutes productivae in ratione virtutis sequuntur semper entitativas perfectiones rerum: homo inferior Angelo est productivus hominis; & Angelus perfectior homine, nec est productivus Angeli, nec hominis: ignis entitativè imperfectior adamantè, nec magis proportionatus entitativè alteri igni, quam adamantè alteri adamantè, habet virtutem productivam ignis; & adamantè caret virtute productiva adamantis, & ignis. Sic ergo, quamvis virtus intellectiva, seu volitiva Angeli sit absolutè, & entitativè perfectior, quam hominis, non exinde inferitur, quod in ratione virtutis ad actus supernaturales sit maior, & potentior. Unde cum aequalibus comprincipij supernaturalibus elevantibus non sequitur, inaequaliter operaturos supernaturaliter Angelum, & hominem: quamvis aliunde in actibus liberis

possent inaequaliter operari ex doctrina tradenda sect. 11.

SECTIO VIII.

An auxilia Gratiae cum arbitrio concurrant ad actus saluare partialiter.

92 ABSOLVTE affirmant, auxilia concurrere partialiter Illustriss. Ant. Perez cap. 10. Sic etiam S. Bonavent. Gregor. Gabriël, Olchot, Eliasus, & multi ex Nostris: nec dissentit Suarez, illos referens lib. 3. cap. 27. & quidem meritò. Cum enim potentia naturalis elevata, & auxilium elevans simul actuè coefficant actum salutarem per propriam virtutem, & rationem agendi respective; & alterum ab altero partem virtutis sibi competentem non accipiat; neutrum illorum est causa, seu, quod idem mihi est, virtus totalis, nec per se sufficiens ad salutariter operandum: ergo quodlibet illorum est causa partialis; unum elevans, aliud elevata.

Perez. Bonav. Greg. Gabr. Olch. Suar.

93 Obstant tamen vocibus potius, quam re, Illustrissimi Alvarez, & Godoy: ille disp. 85. de Auxilijs; iste disp. 26. de Visione, §. praesertim 3. & 8. quos sequuntur multi. Non quia negent, Gratiam, & naturam simul coefficere illos actus; sed, aut, quia volunt, quod iam negavimus, totam omnino virtutem, & rationem agendi esse gratiam; aut quia alia a nobis facillimè neganda, requirunt liberimè ad rationem causae partialis. Ideò quae dicere multi nolunt, esse causas partiales; sed quamlibet esse totalem in suo genere. Hoc, uti decet, explicatum non recusat in re P. Suarez: quemadmodum nec recusaremus nos, materiam; & formam, causas certè intrinsecas partialissimas hominis, appellare causas totales: quamlibet scilicet totalem in suo genere; unam totalem materialem; aliam totalem formalem: quod multi cum risu exciperent.

Alvar. Godoy.

Suar.

94 Noster tamen modus loquendi solidissimus est. Nihil enim aliud requisivit unquam vera Philosophia, nisi quod supra diximus, ad rationem causae partialis. Explicuit id Molina per exemplum duorum simul trahentium navim, more aliorum Theologorum apud Bellarminum, Stapletonium, Caietanum, & Conradum, quos etiam citat Suarez. Non

Molin. Bell. Staplet. Caiet. Conrad. Suarez.

quia ad præfens paritas teneat in omnibus; cum Natura, & Gratia sint ex illis concausis partialibus, quarum una est elevans, & alia elevata; sed præcisè ad declarandam insufficientiam alterutrius, & necessitatem utriusque ad sic operandum.

95 Dices. Si id sufficeret ad rationem causæ partialis, sequeretur, Patrem, & Filium esse principia partialia Spiritus S. procedentis scilicet ab utroque, simul illum producente. Negatur tamen sequela: in qua nempe supponitur falsissimè, Patrem, & Filium esse *duo principia* Spiritus S. cum sint unum, & indivisibile: sunt enim unus Spirator ab unica spiratione activâ, ad modum, quo sunt, & dicuntur unus Deus ab unica Deitate. Ut autem duo dicantur principia partialia debent esse duo principia, habentia seorsim virtutes partiales. Has iam habent natura, & gratia ad actus salutares, quavis una sit virtus elevans, & alia virtus elevata, seu obediens. Quam disparitatem respuere nequeunt Adversarij, ne dicant, Patrem, & Filium esse duo principia totalia, quodlibet in suo genere, sicut id dicunt de natura, & gratia, utentes lubricè prædictâ paritate.

96 Dices secundò. Virtus, seu causa partialis exigit compleri per aliam compartialem: si ergo natura esset virtus partialis cum gratia, exigeret per hanc compleri, & elevari ad salutariter agendum: quod nefas est; cum naturæ non debeatur gratia elevans; & gratia sit supra exigentiam naturæ. Negatur antecedens: sufficit enim, quod aut compartiale exigat, aut quod compartiale indigeat ad sic agendum: exigit quondò virtus naturalis est, & alia compartialis illi debetur, quasi proprietas, aut alio titulo ad operationem sibi proportionatam: indiget verò, quamvis non exigat, quondò virtus est obediens, & alia compartialis est elevans ad operationem supernaturalem sibi indebitam, & improporcionatam. Undè consequentia falsa est.

97 Dices tertio. Quondò duo concurrunt partialiter, ideò est, quia unum habet virtutem imperfectam: ergo natura non concurrat partialiter cum Deo, aut cum gratia: alioquin Deus, & gratia haberet virtutem imperfectam: ergo neque gratia concurrat partialiter cum natura. Negatur etiam antecedens. Quam-

vis enim interdum duo concurrant partialiter, quia unum ob suam imperfectionem non habet virtutem sufficientem: sicut quondò duo movemus grande saxum, quod unus non posset; at interdum duo etiam concurrunt partialiter, quamvis alteruter posset solus totum effectum; quia præfentes suas vires mutuò attemperant: ut quondò duo movemus parvum lignum, quod unus posset. Hæc in causis eiusdem rationis pervia sunt. In causis verò diversæ rationis, quales sunt natura, & gratia, ad effectus salutares, quarum una est principium vitale non supernaturale; & alia principium supernaturale non vitale; conceditur earum virtutes ideò concurrere partialiter, quia effectus utramque petit, & neutra est per se sufficiens ad illum: negamus tamen, hoc esse imperfectionem positivam cuiuscumque virtutis sic concurrentis, repugnantem, aut naturæ, aut gratiæ, quæ virtutes creatæ sunt, plenæ imperfectionibus, quibus scaturit ens omne creatum, cum non sit plenitudo perfectionis. Dei autem, cuius virtus est increata, supereminentiissimè, quamvis non formaliter, continens omnes perfectiones, etiam creatas sine imperfectionibus, nulla est imperfectio sic concurrere; imò summa perfectio, non posse vivere, nisi per suos actus increatos; ac proindè requiri principium aliud vitale ad quodlibet creatum exercitium vitæ. Deberent arguentes, non confundere in ijs concursum gratiæ, quæ virtus creata est, cum concursu Dei, cuius virtus est increata: de qua alia est quæstio, an dicenda sit virtus partialis: & quidem ad omnes effectus creaturarum: ex eo præsertim, quod ab ipsa sit tota ea virtus creata, quæ cum ipsa cooperatur. At natura non sic est à gratia, quacum coëfficit actum salutarem. Sed contra vulgare istam, aut æquivocationem, aut versutiam redibit sermo num. 99.

98 Dices quartò. Causa, seu virtus partialis denominari debet per actionem, sicut altera compartialis; debetque talis esse, ut fieri posset totalis per adiectionem virtutis eiusdem rationis. Atqui gratia per actionem salutarem non denominatur vivens, sicut natura; nec natura fieret virtus totalis ad actus supernaturales per adiectionem similis virtutis naturalis, seu obediens; nec gratia per adiectionem maioris gratiæ: ergo nec

nec gratia, nec natura dici possunt virtutes partiales. Tota maior est falsa, & gratis composita; ideòque eadem facilitate, qua dicitur, neganda, quondò causæ partiales sunt diversæ rationis. Quid requiratur, & sufficiat ad conceptum causæ, seu virtutis partialis, dictum est num. 92.

99 Dices quintò. Quondò duo concurrunt ad effectum taliter, ut unum accipiat ab altero totam suam virtutem, & concursum, non concurrunt partialiter, sicut duo quæ trahunt navim: Sed Deus, & natura, habens utique à Deo totam suam virtutem, sic concurrunt: ergo non partialiter. Quamvis totus syllogismus concederetur, non est è re: loquitur enim de Deo, & natura concurrentibus: cum quæstio nobis sit de natura, & gratia; à qua non accipit virtutem suam partiale natura, ut præmonui num. 97. Illud, quod additur in fine maioris: *sicut duo, qui trahunt navim*; illam mihi facit indubitatum; cum certum sit, unum trahentem non accipere suam virtutem ab alio, & per alium elevari ad operationem sublimioris ordinis. At indè, nec bene arguitur ad Deum, à quo natura accipit suam virtutem; nec quidem ad gratiam, à qua elevatur virtus naturæ ad operationem supernaturalem. Admissâ igitur consequentia pro Deo, admitti etiam posset pro gratia, si iuxta legitimam formam adhiberetur additamentum illud: *sicut duo, qui trahunt navim*. Non enim se gerunt, sicut isti, natura, & Deus, à quo suam virtutem accipit natura; nec natura, & gratia, à qua elevatur naturæ virtus ad operationes sublimioris ordinis. At consequentia, ut iacet, illegitima est, & prorsus falsa.

100 Dices tandem. Paulus 1. Corinth. 4. ait: *Quis enim te discernit? Quid habes, quod non accepisti? Vbi Sancti PP. præsertim Augustinus, exponunt, solum Deum esse causam totalem, & adæquatam discretionis prædestinati à reprobo, quæ fit per actus salutares: ergo homo non est partialis causa: alioquin dicitur: ego me discerno. Hoc telum quam sit imbelles, constat satis ex nupèr dictis: non enim comparatur natura cum gratia, de quibus est præfens quæstio; sed cum Deo: quod est extra scopum. Præerea propter utilitatem doctrinæ, notanda venit triplex discretio prædestinati à reprobo.*

101 Prima, æterna per voluntatè Dei præeligentem, seu prædestinantem: & hæc solius est Dei. Secunda temporalis per collationem auxiliorum gratiæ, cum quibus re ipsa consentit prædestinatus in actus salutares: & hæc quoque solius est Dei, ut causæ moralis: quia ea collatio fit liberè à Deo in nobis sine nobis liberè id coefficientibus. Tertia temporalis etiam per consensum ipsum salutarem, quem liberè ponit prædestinatus præ reprobo. Hæc autem non ita est à solo Deo, ut homo consentiens nequeat dici partialis causa se liberè discernens, in actu secundo à non consentiente, ut expendit eruditè Ripalda *disp. 30. sect. 28.* quippè liberè consentiens, partialiter cum gratia coëfficit consensum, quo verissimè in actu secundo discernitur à non consentiente. Quam discretionem non negat nobis Augustinus, revocans alibi discretionem operantis à non operante, in hominis libitum, ut videre est apud Ribadeneiram *disp. 10. de Prædest. cap. 4.*

102 Itaque, ut veniamus ad verba, & ad mentem Apostoli, quondò soli Deo tribuitur discretio; aut sumitur hæc in primo, & secundo sensu; aut, si sumitur etiam in tertio, ut volunt alii, sicut illud Roman. 9. *Non est volentis, nequa currentis, sed miserentis est Dei*; sic est intelligendum, ut tota discretio, seu totus contentus noster salutaris debeat tribui potius Deo, tanquam causæ principaliori, non solum cum natura, & cum gratia concurrenti, sed exhibenti etiam utrique virtutem cooperandi cum ipso. Cum qua solidâ veritate fiat inoffensè, quod gratia, & natura sint concausæ secundæ partialiter coefficientes consensum salutarem, exercitè discretivum consentientis à non consentiente. Quid, precor, id prohibet?

103 Insupèr elucet in vtroque Pauli loco Hæbraïsmus vulgatissimus: cuius est, quondò unum alteri valdè præfertur; alterum quasi excludere; cum tamen reverà non omninò excludatur. Sic dicitur Matth. 9. *Misericordiam volo, non sacrificium.* Et cap. 10. *Non estis vos qui loquimini, sed Spiritus, &c.* & Joan. 7. *Mea doctrina non est mea; sed eius, qui misit me*: quin nec in primo loco rejiciat Deus omninò sacrificia: sed illis præferat misericordiâ; nec in secundo negetur omninò, Apostolos loqui; sed potius tribuatur eorum

loquutio Spiritui Sancto; nec in tertio neget Christus omnino, doctrinam esse suam; sed agnoscat, eam esse sibi à Patre. Ad hunc ergo modum in prædictis locis Pauli dici potest, nec omnino negari, prædestinatos se discernere à reprobis; sed asseri, eam discretionem præmaximè attribui Deo; nec omnino negari, esse currentis, & volentis cum adiutorio gratiæ; sed præferri Deum miserentem, & gratiam elevatam naturæ elevatæ. Cum quo fiat, utramque partialiter coëfficere actus salutares. Videndus Ripald. *sect. 22.* & Justinianus *ad cap. 9. Roman.*

Ripald.
Justin.

SECTIO IX.

An Auxilia concurrant, ut concausa principales; & Natura, ut instrumentalis.

104 **M**IRA super hoc est Authorem Logomachia: quam nimium negotij facessivit Gonet *disp. 2. de Visione, art. 7.* non nisi aërem verberanti contra Magnum Suarez. Alij volunt, gratiam dicendam esse adæquatam causam principalem actus salutaris; & naturam esse dumtaxat causam instrumentalem. Sic Ariminen. & latè Suar. *tom. 3. de Grat. lib. 6. cap. 6. & 7.* Granad. Fasolus cum multis. Alij, naturam quoque vocant causam partialem principalem. Sic Alvarez, Vasquez, Perez Benedictin. Herize, Molina, & magno cum molimine Gonet. cit. qui, si distinxisset cum Sancto Thom. ut monuimus *disp. 2. sect. 2.* purum instrumentum, & causam instrumentalem, non frustra laborasset contra Patre Suarez, scitè ea duo discernentem. Alij dicunt, naturam esse causam instrumentalem productivam; esse verò principalem vitalem, ut vult Ripalda *disp. 31.* aut saltem principalem materialem, ut alij loquuntur; scilicet, quâ parte recipit actum vitalem. Quod certè est, nihil rei dicere: quia his modis, scilicet recipiendo actum, & per illum vivendo, sola natura est causa, sine respectu ad ullam aliam concausam sic cooperantem.

105 Iterum iam, & tertio animadverto, hanc quæstionem inter naturam, & gratiam non debere confundi cū alia inter creaturam, & Deum: an scilicet natura, sive universalis, quælibet causa secunda concurrans ad aliquid agendum cum Deo, Causâ primâ, dicenda sit con-

currere principaliter, ut loquuntur multi; an instrumentaliter, ut cum alijs vult eruditissimus Montoya *disp. 48. de Voluntate, sect. 1.* Stat enim benè, quòd respectu Dei simul concurrere dicatur omnis causa secunda concurrere instrumentaliter, utpotè taliter subordinata Deo in esse, & in operari, ut & esse, & operari accipiat à Deo causarum Causâ; & non sic dicatur natura respectu gratiæ, quæ causa secunda est; cui, quamvis altioris ordinis, non ita subordinatur natura, ut suum esse, suamque virtutem accipiat à gratia. Quomodo in illâ priori quæstione sit loquendum, diximus *disp. 2. sect. 2.* Nunc versamur in posteriori.

Montoya.

106 In qua, si nomine causæ instrumentalis intelligatur purum instrumentum, merè passivè se habens ad operationem, & activè immediatè ad illam non concurrans, certum est, naturâ non esse causam instrumentalem actuum salutariû; cum verè activè ad illos cooperetur, immediatè illos coëfficiens, ut vidimus in superioribus. Et in hoc sensu capiuntur multi, nolens vocare potentias nostras vitales causas instrumentales, sed principales actuum vitalium, quantumvis supernaturalium: ad quos utique verè immediatè activè influunt.

107 Cæterum non sic sumimus causam instrumentalem pro puro instrumento, merè passivè se habente; sed pro causa partiali indigente, quamvis non exigente, concausam elevatam ad effectus altioris ordinis sibi indebitos, & improporcionados: quod in re est idem, ac causa, seu potentia obedientialis.

108 In hoc autem usitatissimo sensu retinendus est modus loquendi Doctoris Eximij varijs in locis præsertim *tom. 3. de Grat. lib. 6. cap. 6. & 7.* dicendo, Gratiâ esse causam principalem; naturam verò instrumentalem. Sic etiam Pater Borrull *disp. 21. de Visione, sect. 2. & 3.* conclusionè meritò extendens *num. 30.* contra Ripaldam, & alios, ad naturam, ut vitalem, & ut receptivam etiam actus salutaris.

Supra
disp. 2.

109 Ratio est: quia, quamvis gratia, & natura sint causæ partiales activè immediatè coëfficiens actum supernaturalem: at gratia est pars elevans, & natura elevata ad eiusmodi effectum ordinis gratiæ improporcionatum naturæ: ad quem producendum, & recipiendum, & ad vivendum per illum gratia exigit naturâ;

na-

natura verò, quamvis indigeat gratiâ, non exigit gratiam, utpotè sibi indebitam: quia tam actus vitalis supernaturalis, quam comprincipium supernaturale, & elevatio, superant exigentiam, & sunt ultra debitum naturæ. In hoc autem stat, gratiam esse concausam principalem respectu naturæ; & naturam, non solum, ut causam productivam, verumetiam, ut vitalem, & ut materialem, esse causam instrumentalem, verè tamen immediatè activâ, nisi rem verbis implicare velimus. Quidquid sit de alia quæstione: an utraque respectivè ad Deum, simul etiam concurrentem, dicenda sit causa instrumentalis, ob rationem insinuatam *num. 105.*

110 Dices. Actus salutaris non est connaturalis soli gratiæ; cum à sola gratia esse non possit: ergo gratia præ naturâ non est causa principalis illius; sed complexum ex gratia, & natura, ex quo actus connaturaliter procedit. Respondetur, concessio antecedente, negando consequentiam. Nam de ratione causæ principalis non est, quòd effectus sit connaturaliter ab illa sola; sed quòd effectus, & alia comprincipia, sine quibus nequit agere, non sint ipsi indebita, & inexacta. Hoc autem iam habet gratia, non verò natura, respectu actus salutaris.

111 Dices secundò. Voluntas, quæ est potentia naturæ, habet, & exercet dominium in actus salutares, utpotè liberos. Tale autem dominium non competit principio non libero, quantumvis elevanti: ergo soli voluntati, ut electivè determinanti se, & alia comprincipia exercitè ad operationem. In hoc igitur genere voluntas est causa principalis, & non instrumentalis, utpotè specialiter domina operationis, quantumvis exercitè cū adiutorio gratiæ. Respondetur, distinguendo maiorem: voluntas exercet dominium in actus salutares dependenter à comprincipio gratiæ ipsi indebito, & inexacto, concedo; independenter, nego maiorem. Et concessâ minori, distinguo consequens: soli voluntati dependenter à comprincipio elevante ipsi indebito, & inexacto, quamvis non determinante, concedo; independenter, nego. Et absolute nego subillationem. Quia in eo etiam genere voluntas, quantumvis determinans, & domina, non exercet suum dominium, nisi dependenter ab adiutorio gratiæ, ipsi indebito, & inexacto. Nihil

autem aliud est esse causam instrumentalem, ut explicuimus. Quod si iudat aliquis, volens, dici debere voluntatem principalem in genere determinativo, quia non est alia concausa sic determinans; dicat similiter, purum instrumentum in suo etiam genere esse principale, quandoquidem non intervenit ad eum effectum aliud purum instrumentum: quod esset dicere omnino nihil.

112 Dices tertio. Cuiusvis operationis assignanda est causa principalis, cui tribuatur, quamque denominet: sed natura, & non gratia denominatur vivens, & liberè formaliter operans per actum salutarem: ergo natura potius, quam gratia, dicenda est causa principalis; non verò instrumentalis. Hæc argumentatio nimis probat: cum præter intentum faciat gratiam, imò & Deum, causam instrumentalem actus salutaris. Respondetur, distinguendo antecedens: quamque denominet effectivè producentem, concedo: sic autem iam denominat gratiam operatio salutaris: quamque denominet omni modo, quo denominat alias concausas, nego antecedens: nam formaliter viventem, volentem, ac liberè operantem non denominat ea operatio, nisi voluntatem, à qua efficitur, & cui immanet intrinsecè: hæc enim est sola potentia vitalis naturalis; sive sit principalis, ut est ad operationes naturales; sive sit instrumentalis, ut est ad supernaturales: pro quibus indiget comprincipio effectivo elevante sibi indebito, & inexacto. Hinc autem petenda est ratio causæ instrumentalis, potius quam ab eo quòd sic, aut sic denominetur. Undè falsum est quod aliqui sibi assumunt, scilicet, causam, quæ vitaliter operatur, esse principalem præ alijs, quæ non vitaliter operantur. Hoc enim solum est verum, quando, ut ita vitaliter operetur, non indiget comprincipio elevante; non verò, quando non nisi, obedientialiter sic vivit.

113 Dices tandem. Instrumentum est, quod taliter movetur ad opus ab agente extrinsecò, ut se ipsum ab intrinsecò non moveat: natura autem ad operationem, qua vivit, ab intrinsecò se movet: ergo non instrumentaliter, sed principaliter. Respondetur, maiorem esse veram de puro instrumento: & in hoc sensu capiendi sunt, si qui Patres dicunt, voluntatem ad actus salutares, & intellectum ad actum

vā-

visionis beatificæ non se habere ad instar instrumenti. Falsam verò, de causâ instrumentali, ut explicuimus, in sensu aptiori. Unde, concessâ minori, negatur consequentia.

SECTIO X.

An concursus auxiliorum gratiæ intrinsicæ suppleri valeat per extrinsecam assistentiam Omnipotentia specialius applicatâ.

114 **N**EGANT id multi absolutissimè rati, nec de potestate absolutâ Dei posse naturam exercere actû salutarem, nec ullum supernaturalem absque cõprincipio intrinsicõ ipsi inhærente, ipsam elevante. Capreolus, Caiet. Sot. Alvar. Nazar. quos citat, sequiturq; Cursus Carmelit. tom. 1. tract. 2. dub. 4. Godoy disp. 18. de Visione, Gonet. ibid. disp. 2. art. 5. accessitq; M. Lumbier quæst. 9. de Visione, art. 5. Citant ancipiti iure S. Thom. varijs in locis, quos ultrò citroque prolixè discussos apud ipsos, & alios reperies.

115 Probat hanc sententiam Illustrissimus Godoy à num. 5. hac ratione, cui dicit, Authores suos potissimè fidere. Implicat, potentiam naturalem intellectûs, aut voluntatis elicere actum ullum supernaturalem, nisi hunc in se præcontineat eminenter in actu primo: sed implicat hæc præcontinentia absque forma creata intrinsicè elevante potentiam naturalem: ergo, & potentiam ullam naturalem elicere actum supernaturalem absque auxilio, seu cõprincipio intrinsicõ præelevante, huius defectum supplet extrinsecus Omnipotentia quomodolibet applicatâ. Hunc discursum vocat evidentem: & probat minorem. Potentia naturalis ratione sui non præcontinet actum supernaturalem: ergo, ut illum præcontineat, debet intrinsicè immutari per aliquam formam creatam: transit enim de contradictorio in contradictorium per denominationem intrinsicam, implicat fieri absque intrinsicâ mutatione, & consequenter absque formâ intrinsicâ.

116 Hinc Gonetus §. 2. Nulla causa potest agere, quin priùs habeat in se virtutem physicam, & realem ad agendum: nam actus primus supponitur ad secun-

dum. Quare, si velit Deus, creaturâ quidquam producere, necesse est, quòd ponat, aut supponat in ea virtutè ad illud: alioquin non illa, sed Deus solus ad illius præsentiam ageret. Atqui potentia naturalis non habet ex se virtutè saltè proximam, & immediatam ad operationem supernaturalem, nisi Deus illam infundat: ergo sine præinfusione alicuius virtutis intrinsicæ elevantis implicat, potentiam naturalem operari supernaturaliter, atque adeò nec salutariter. Minor supponitur, potius quàm probatur, ex eo quòd cõprincipium supernaturale elevans potentias naturales est tota virtus, totaq; ratio agendi actus supernaturales. Confirmat id §. 1. Nam Lumen gloriæ ad visionem, & auxilium gratiæ ad actum salutarem, est virtus quædam vitalis vitalitate supernaturali: sicut enim intra ordinem naturæ datur sua vitalitas naturalis; ita intra ordinem supernaturalem sua vitalitas supernaturalis iuxta illud: *Gratia Dei vita æterna.* Atqui Deus nequit immediatè per se ipsum supplere vices principij vitalis; cum omne principium vitale debeat esse intrinsicum operanti: ergo nec defectum auxiliij intrinsici ad actum salutarem.

117 Pressius M. Lumbier num. 464. Contradictorium est, intellectum facere in actu secundo, absque posse facere in actu primo: esset enim faciens, & non faciens; cum non esset potens facere. Sed potentia nostra naturalis nequit fieri potes ad actus vitales supernos sine virtute elevante sibi inhærente: ergo nec eos faciens. Minorem probat: nam operatio vitalis, ut sit talis, debet oriri ab intrinsicõ principij vitalis: ergo, & contineri intrinsicè eminenter in virtute speciali talis principij: quæ virtus, si non sit intrinsicæ, & inhærens principio vitali, non verificabitur, quòd effectus ortus ab ipsa oritur ab intrinsicõ principij vitalis: esse enim ab intrinsicõ, saltè sonat, esse ex vi, & ex fœcunditate speciali intrinsicæ, quæ stat in sola virtute supernaturali elevante, quæ est tota ratio agendi, & est primum posse potentia naturalis ad actus supernaturales. Hæc ergo virtus, & hoc primum posse, debet esse intrinsicè inhærens potentia naturali, quin hoc valeat suppleri per Omnipotentiam extrinsecus tantum applicabilem.

118 Confirmat à num. 466. Potentia na-

naturalis ex se solâ non est potens operari vitaliter salutariter: ergo, ut taliter operetur, debet fieri potens: alioquin operaretur non potens operari. Sed de non potente nequit fieri potens, nisi per aliquid sibi intrinsicum: ergo non per extrinsecam assistentiam Omnipotentia quomodolibet applicatâ. Probat minorem. Primò: quia denominatio potentis in eo discriminatur à denominatione adjuvati, quòd ista supponit aliquid posse proportionatum, quamvis non completum; illa verò nullum supponit posse, sed facit posse, physicè immutando subiectum, quod de non potente facit potens; sicut albedo, non nisi intrinsicè inhærens, de non albo facit album. Secundò: quia denominatio physicè potentis nota Philosophis, non est minùs intrinsicæ, quàm denominationis albi, & calidi. Si ergo paries nequit reddi de non albo albus sine susceptione formæ intrinsicè inhærentis per solam extrinsecam assistentiam albedinis, aut Omnipotentia suppletis; quâ ratione potentia naturalis reddi poterit de non potente potens sine nova forma intrinsicè inhærente, per assistentiam extrinsecam Omnipotentia, quantumvis specialiter applicatâ? Cum præsertim titulo vitalitatis requiratur specialis intrinsicitas principij potentis vivere.

119 His, & alijs magnâ ex parte occurrimus supra, negantes ijs Authoribus doctrinam, quâ principuè nituntur prædicti discursus, scilicet, cõprincipium supernaturale elevans potentias vitales naturales ad actus supernos esse totam virtutem activam, seu totam rationem agendi: & simul explicuimus modum, quo potentijs naturalibus immediatissima etiam sua competat virtus, & ratio agendi eos actus; quamvis non adæquata, & principalis; sed partialis, & obedientialis. Quo magna ex parte corrunt horum Authorum fundamenta. Præterea tamen sigillatim.

120 Ad primum ex num. 115. facili negotio negari posset absolute maior, quam arguens non probat. Non enim est necesse, effectum præcontineri in qualibet causâ illum quomodolibet efficiente; sed in causâ adæquata, aut principali, qualis nunquam est potentia naturalis respectu actuum vitalium supernaturalium, sive elevetur per auxilium

intrinsicum; sive per extrinsecam assistentiam Omnipotentia: illa enim semper est causâ non nisi partialis, & obedientialis. Sufficit igitur, effectum supernaturalem præcontineri eminenter in complexo potentia elevatâ, & cõprincipij elevantis: quòd complexum est virtus, & causâ adæquata operationis vitalis supernæ. Nec duorum coniunctio facit, ut alterutrum sit virtus totalis, & causâ adæquata; sed quòd coalescat ex utroque sicut non facit, quòd alterutrum sit utrumque; sed quòd alterum, & alterum simul, sint utrumque.

121 Si mavis, distingue maiorem: nisi effectum contineat eminenter in actu primo, eo modo quo est potentia ad ipsum, concedo; alio modo nego. Certè enim continentia hæc eminentialis, evolutis vocibus, nihii est aliud, quàm potentia productiva; undè eo ipso modo, & non alio, quo est, & dicitur potentia productiva effectus, est, & dicitur continentia hæc eminentialis: quidquid vocabulis inaniter ludatur. Distinguo autem minorem: implicat hæc continentia principalis absolute, & simpliciter dicta actus supernaturalis in potentia naturali, concedo libentissimè; obedientialis, & instrumentalis, & non nisi secundum quid, & diminutè dicta, nego maiorem, & consequentiam. Cum enim potentia naturalis, quæ absolute, & simpliciter sunt, & dicuntur veræ potentia ad actus naturales, non nisi obedientialiter, & instrumentaliter, sicquè diminutè, & secundum quid dumtaxat, sint potentia ad supernaturales; hoc dumtaxat modo, & non aliter, dicuntur eminenter istos continere. Quid hoc monstri est, reducis vocibus ad res? Hinc ad probationem minoris, negatur antecedens de præcontinentiâ istâ obedientiali, & instrumentali limitativè dumtaxat, ac secundum quid dicta: & meliore iure negatur consequentia. Quia, vt hoc modulo præcontineat potentia naturalis actum supernaturalem, non indiget immutari, nec elevari per formam intrinsicam; imò & nec per extrinsecam: nec vlla istarum faciet unquam, quòd potentia naturalis aliter præcontineat actum supernaturalem: quamvis verum semper sit, quòd in coniuncto potentia naturalis elevatâ, & cõprincipij supernaturalis, sive intrinsici, sive extrinseci elevantis, præcontinetur prin-

cialiter, simpliciter, & absolute actus supernaturalis. Quid inde?

122 Ad illud Gonetii ex *num.* 116. distinguendum debet maior: nulla causa adaequata, concedo; inadaequata, subdistinguo: quin, prius habeat in se aliqualem virtutem eo modulo, quo est causa, concedo; alio, nego. Nam causa inadaequata, & partialis, praesertim obedientialis, non est necesse, quod praehabeat in se virtutem adaequatam principalem, & absolute dictam; sed virtutem obedientialem eo modulo, quo est causa. Sufficit ergo, quod coniunctum ex ipsa, & ex alijs principijs praehabeat in se absolutam, & adaequatam virtutem simpliciter, absolute, & complete dictam: & hoc etiam sufficit, ut non solum principium elevans in praesentia illius agat; sed ut vtrumque verè tunc agat: illa scilicet obedientialiter, & elevata, exercendo suam virtutem obedientialem; principium verò elevans, exercendo suam virtutem principalem elevantem; sive tale principium illam informet intrinsecè, sive extrinsecè tantum illi accedat, & applicetur, ut cum ipsa coefferat: utroque namque modo potest adjuvari virtus ex se insufficientis. Iam ad minorem dico, potentiam naturalem non habere ex se virtutem adaequatam, & principalem; bene verò obedientialem, & elevabilem: datam quidem à Deo, à quo est omnis potestas in Caelo, & in terra; non tamen superinfusam à Deo entitati potentiae naturalis; cum sit ipsum esse potentiae naturalis. In probatione minoris, supponitur doctrina omnino neganda ex dictis late superius, quod nempe principium elevans sit tota ratio agendi. Ad confirmationem negatur maior. Quamvis enim principium elevans ad actus supernaturales sit saepe actio vitalis sanctae illustrationis, & inspirationis, ut statui-mus *disp.* 2. non tamen est principium vitale actuum vitalium ad quos elevat: non enim per istos vivit, nec videt, nec vult, ut est per se clarum; cum voluntas sola per illos adiuta velit; solusque intellectus adiutus per lumen gloriae videat; non verò ipsum lumen. Nec est necesse, quod intra ordinem supernaturalem detur sua vitalitas, hoc est principium vitale, sed adiutorium principij vitalis naturalis; sicut non est necesse, quod detur voluntas, aut intellectus supernaturalis;

Supra
disp. 2.

sed quod dentur comprincipia adjuvantia, & elevantia voluntatem, & intellectum naturales ad actus supernaturales. Locus ille Ioannis extra rem est: non enim dicitur, *gratia Dei vita aeterna*, in sensu formali, quia principium vitale sit; sicut nec, quia aeterna sit; cum saepe pereat semel habita; sed in sensu causali; eo quod sit semen gloriae, & ius ad gloriam, quae est vita aeterna: de quo nemini debet esse dubium. Vnde, permixta minori, nulla est ultima consequentia.

123 Ad corroboramentum Magistri Lumbier ex *num.* 117. concessa maiori, negatur minor. Ad probationem, conceditur antecedens, & consequentia de continentia eminentiali intrinsecè obedientiali, in virtute similiter, non nisi obedientiali intrinsecè potentiae naturalis ad actus supernaturales: quae quidem virtus intrinsecè est, non verò inherens; cum superaddita non sit entitati potentiae naturalis; sed est entitas ipsa potentiae naturalis, ut dictum est. Cum autem actus supernaturalis, dum sit à virtute principij supernaturalis elevantis, fiat etiam à virtute illa intrinsecè obedientiali potentiae naturalis elevata; iam sit ab intrinsecò talis potentiae, & immanet ipsi potentiae, prout opus est ad rationem viventis; sive principium illud elevans, & adjuvans, sit intrinsecum, sive extrinsecum tali potentiae. Non enim est verum, quod saepe in ijs repetitur, & constanter à nobis negatur, principium elevans esse totam rationem, aut totam virtutem agendi. Nec item est verum, quod in *num.* 466. supponit Lumbier, scilicet, primum posse potentiae vitalis ad actus supernaturales esse à principio elevante: nam primum posse est posse dumtaxat inchoatum, insufficientis, obedientiale, diminutè, ac secundum quid dictum: quod nec est à principio elevante, nec à forma inherente superaddita entitati potentiae naturalis; sed est ipsa entitas potentiae naturalis: sicque actus vitalis supernaturalis erit magis ab intrinsecò principij viventis, cui immanet. Falsa ergo est ultima consequentia.

124 Ad confirmationem ex *num.* 118. distinguo antecedens: potentia naturalis ex se sola non est potens operari vitaliter, salutariter, absolute, simpliciter, & complete, concedo: obedientialiter, inchoative, & secundum quid, nego: hoc enim

enim cum istis limitationibus ex se habet. Distinguo autem consequens: ut taliter operetur, debet ipsa sola fieri potens virtute illa obedientiali, & inchoata, nego: sic enim non fit de novo, sed iam ipsa erat obedientialiter potens: virtute adaequata, & completa; subdistinguo: denominatione sic absolute potentis cadente in illam solam nego: nec enim per comprincipium intrinsecum fit illa sola sic potens: denominatione sic absolute potentis cadente in complexum ex illa elevata, & ex comprincipio elevante, concedo: & quidem, sive ipsi intrinsecò, ut est auxilium gratiae; sive ipsi extrinsecò assistente, ut esset Omnipotentia specialiter applicata. Nego autem minorem subiunctam de denominatione potentis, cadente, non in potentiam naturalem solam; sed in coniunctum ex illa, & ex comprincipio elevante. Nam bene stat, rem absolute, & complete non potentem, accedente, & adjuvante illius incompletionem, & insufficientiam alia concausa ipsi extrinsecè, constituere cum hac alia complexum absolute, & complete potens: ut patet in duobus potètib; simul movere saxum, quod neuter seorsim absolute posset: & in causis secunda, & prima: quarum illa nihil absolute, & complete potest sine virtute istius: & tamen, quin virtus causae primae inhaereat intrinsecè causae secundae, constituitur ex vtraque complexum, absolute, & complete potens. Vnde nulla est consequentia.

125 In prima probatione minoris, non possum in primis non mirari lapsum sapientissimi Lumbier: qui *num.* 466. non vult, denominationem principij supernaturalis elevantis in potentiam elevatam, esse denominationem adjuvanti; sed primò potentis, quia confert primum posse. Certè nihil familiarius in Concilio, Sanctis PP. & Theologis, quam cognomen gratiae adjuvantis inter alia, quae tribuunt principio supernaturali elevanti ad actus salutes. Vnde aptissime cadit in potentiam naturalem denominatione adjuvata: & ut vidimus *num.* 122. multò inoffensius, quam denominatio primò potentis. Deinde falsum est illud discrimen, quod denominatio adjuvanti debeat supponere in adjuvato aliquod posse proportionatum: sufficit enim supponere aliquale posse, sive proportionatum, ut in causis partialibus naturalibus,

quae complentur per alias concausas etiam naturales ad effectus naturales; sive improporionatum, obedientiale, & inchoatum; ut in potentijs naturalibus, quae complentur per comprincipia supernaturalia ipsis indebita, & inexacta, ad effectus supernaturales. Falsum est etiam, & ab arguente nondum probatum, quod comprincipium elevans nullum omnino posse supponat in natura; sed totum posse faciat: supponit enim, & non facit primum posse obedientiale, & inchoatum; & facit posse adaequatum, & completum: non quidem, quod sit sola natura; sed quod sit complexum ex natura, & ex comprincipio elevante; sive intrinsecè inherente naturae; sive extrinsecè tantum assistente naturae, & concausante cum natura, ut explicuimus *num. praec.* Hinc patet, nullam esse paritatem denominationis albi, ut explicuimus *num. seq.*

126 Ad secundam eiusdem minoris probationem, dato antecedente, bene intellecto pari cum respectu ad id, supra quod cadit denominatio potentis, & denominatio albi; dico ad consequentiam interrogatoriam, falso in ea supponi, quod potentia naturalis reddatur de non potente potens, cadente denominatione sic potentis supra solam; potentiam naturalem; sicut denominatio albi cadit supra solum parietem. Nam, ut dixi *num.* 124. ea denominatio absolute potentis, quae non erat ante comprincipium elevans, & est post elevationem, non cadit supra solam potentiam naturalem, sed supra complexum ex potentia naturali elevata, & ex comprincipio elevante, sive intrinsecò, sive extrinsecò potentiae naturali. Non est itaque necesse, quod superaddatur forma inherens potentiae naturali; sed quod superaddatur aliquid, ex quo, & ex potentia naturali fiat complexum absolute potens: sive id intrinsecè, sive extrinsecè superaddatur. Quemadmodum, ut sint numeraliter duo, sufficit, quod uni superaddatur aliud; sive intrinsecè, ut superaddatur forma materiae; sive tantum extrinsecè, ut lapis lapidi.

127 Per hæc patet disparitas ad illud de denominatione albi. Quodsi urgeas, cur denominatio albi requirat intrinsecam inherentiam formae superadditae ad subiectum; & non sic denominatio potentis quomodocumque cadat? Sed insto: cur non sic denominatio visus, quae cadit

supra eundem parietem à visione ipsi nõ inherente? Omnibus certè necesse est recurrere ad naturas denominationũ iuxta institutionem significationis vocabulorum: cui institutioni conformius est, rem nõ satis potentem ad aliquem effectum, fieri cum alia potentem, hoc est constituere cū altera coniunctum satis potens ad talem effectum, quia virtus alterius illi inherere, sed extrinsecè illam comitetur, ut videmus in duobus potentibus levare saxum, quod unus satis non posset, quin virtus unius inherere alteri: & multò aptius in causa secunda, & prima, potentibus aliquid efficere, quod secunda sola satis non posset: quin tamen virtus increata Causæ primæ inherere causæ secundæ: ut adstruemus in probationibus nostræ sententiæ.

SECTIO XJ.

Præfertur, & adstruitur pars affirmans.

Scot.
Durand.
Gabr.
Perez.
Suar.
Vasq.
Montoy.
Ripald.
S.Thom.

128 **H**ANC tenent cum præclara Schola sua Subtilissimus Scotus, Gabriël, Durandus, Illustrissimus Perez Benedictinus: & cum nostris communiter Doctor Eximius, Vasquez, eruditissimus Montoya, alijq; apud Ripaldam disp. 34. sect. 3. Citant etiam pro se S.Thom. 1. part. quest. 105. art. 2. in corp. sic fantem: *Erroneum est dicere, Deum non posse facere per se ipsum omnes deter minatos effectus, qui fiunt per quamcumque causam creatam.* Ex quo à fortiori videtur liquidò inferri, posse Deum per suam virtutem increatam adiuvere, & elevare potentias naturales ad effectus supernaturales, non minùs, quàm per virtutem creatam comprincipij intrinsicè.

129. Ratio. Quòd actus supernaturalis fiat à potentia naturali sine comprincipio supernaturali intrinsicè inherente; concurrente tamen specialiter Omnipotentia extrinsecus applicatà, & elevante, nullo implicat ex capite: ergo sic à Deo fieri potest. Antecedens satis constat ex solutionibus ad rationes implicantiæ excogitatas ab Adversarijs, & discussas sect. præc. Positivè tamen probatur denuò propter utilitatem doctrinæ.

130 Primò namque id non implicat ex capite vitalitatis; eo nempe quòd actus salutaris sit vitalis. Nam actus ex conceptu vitalitatis solum dicit specialiter,

esse à principio intrinsecò vitali immanenter: id autem iam haberet actus ille, procedens à potentia naturali vitali, illicque immanens, quamvis præterea procederet ab alio etiam comprincipio extrinsecò ipsi potentia, & non vivente per ipsum; cui scilicet principio non immaneret. Deindè, neque ex capite supernaturalitatis, eo nempe quòd actus ille sit supernaturalis. Nam de conceptu entis supernaturalis non est, procedere à principio intrinsecò, ut patet in lumine gloriæ, Gratiâ, & habitibus à solo Deo productis. Denique, neque ex capite improprietatis, eo nempe quòd potentia naturalis secundum se sit insufficientis, & improprietata ad actum supernaturalem. Nam, eà improprietate non obstante, elevatâ potentia per habitum; aut per auxilium intrinsecum, fit ex elevato, & elevante causa adæquata proportionata effectus supernaturalis: cur ergo elevatâ potentia per Dei Omnipotentiam specialiter applicatam extrinsecus, ex utraque non fiet causa adæquata proportionata ad actum supernaturalem: cum ex S. Thom. activa virtus Omnipotentia tanta sit, ut per se facere possit, quidquid cum creatura potest: ita certò, ut id negare censeat erroneum.

131 Respondent, posse Deum sine comprincipio creato supernaturali efficere actum supernaturalem; non verò facere, ut potentia naturalis illum faciat, præsertim vitaliter. Hoc enim importat: concurrere formalem, præter efficientem: quatenus nempe potentia naturalis, ex se impotens ad actus supernaturales, fit formaliter potens per intrinsecam mutationem de non potente in potentem; sicut paries de non albo fit albus. Quæ admodum ergo nequit Deus parietem de non albo facere album, absque forma intrinsecâ inherente parieti; ita nec naturam de non potente potentem absque infusione comprincipij supernaturalis intrinsicè: à quo in genere causæ formalis fiat potens, ad hoc ut postea in genere efficientis causet actum supernaturalem. Hæc est medulla doctrinæ contrariæ, quo potuit acumine à modernis propugnatoribus expressa. Iam tamen satis à nobis repressa inter respondendum sect. præced.

132 Contra illam denuò sic instauro probationem nostram. Vel potentia natura-

turalis indiget eâ formâ supernaturali, ut fiat potens se solâ efficere actum supernaturalem; vel, ut fiat potens illum efficere, non se solâ, sed adjuvante comprincipio supernaturali. Prius dici nequit: quia nulla forma, nec extrinsecâ, nec intrinsecâ, facere potest, quòd natura sit potens se solâ efficere actum supernaturalem. Dicendum est ergo posterius, naturam nempe non se solâ, sed simul cum comprincipio supernaturali illam elevante, & adjuvante, esse absolutè potentem: quod quidem in re est complexum ex illa elevata, & ex comprincipio elevante esse absolutè potens efficere actum supernaturalem. Atqui ad id non requiritur, quòd intrinsicè informetur à tali comprincipio: ergo. Probatur hæc minor: ut homo, se solo impotens ad levandum saxum, fiat cum alio adjuvante potens, non requiritur quòd robor alterius illum intrinsicè informet: sufficit, quòd extrinsecè accedens illum coadiuvet: ut igitur natura se sola impotens ad actus supernaturales, fiat potens, non sola, sed simul cum comprincipio adjuvante, & elevante, non requiritur, quòd informetur intrinsicè à virtute talis comprincipij: sufficit ergo, ab illo assistente extrinsecus adjuvari.

133 Dant discrimen: quia ex utroque illo homine alteruter habet virtutem proportionatam ad illum effectum secundum speciem, seu substantiam, quamvis ratione maioris intensiõis, seu quantitatis indigeat iuvamine alterius: saxum enim mediocre posset solus levare: quod non nisi penes magis, & minus differret ab isto grandiori: at magis, & minus non mutant speciem. Potentia verò naturalis ad nihil supernaturale agendum est ex se solâ potens.

134 Nimis defert huic responsioni P. Oviedus contr. 8. arbitratus, satis occurrere per eam argumento nostro. Sed quidem immeritò Non negamus doctrinam disparitatis. Ratio tamen disparitatis non enervat argumentum nostrum quoad id quod intendit. Intentum erat probare, principium se solo non potens ad aliquem effectum, esse simul cum alio potens sine intrinsecâ sui mutatione, quin scilicet virtus comprincipij superveniens illud informet intrinsicè: Disparitas autem data, quamvis probet, comprincipium superveniens, & adjuvans naturam

ad actus supernaturales, debere esse non eiusdem ordinis cum natura, qualis est homo adjuvans ad saxum cum alio homine; sed debere esse ordinis altioris, & elevatioris; non tamen probat, sed gratis assumit, virtutem illam comprincipij superveniens, eo quòd altioris ordinis sit, debere informare intrinsicè naturam sic adjuvatam. Profectò, stante toto illo discrimine comprincipiorum adjuvantium, quorum vnum sit eiusdem, aliud altioris ordinis cum adjuvato, stat, quòd neutrum informet intrinsicè suum adjuvatum; aut cur non? Tenet igitur aptissimè inita paritas quoad intentum argumenti.

135 Verum enim verò, ne vel umbra datæ disparitatis videri possit obscurare veritatem, probo secundò securius illam nostram minorem. Natura, & quælibet causa secunda, impotens se solâ producere effectum, penes minimam etiam eius partem, est potens ad illum simul cum Causa prima concurrente, & adjuvante: sed hoc fit per extrinsecam applicationem Omnipotentia, quin virtus Causæ primæ informet intrinsicè causam secundam: ergo, ut natura, se sola impotens ad actum supernaturalem, etiam penes minimam eius partem, fit simul cum comprincipio elevante, potens necesse non est, quòd virtus talis comprincipij informet, & immutet intrinsicè naturam.

136 Dices, naturam præcisim à virtute increatâ Omnipotentia esse iam completam ad effectum naturalem in esse virtutis create; ideoque non egere aliâ virtute ipsam informantem, & immutantem: præterquam quòd iam etiam informatur ex parte Causæ primæ physicæ præmotione ad agendum. Cõtra tamen manifestè. Quæcumque excogitetur necessitas, seu dependentia naturæ à comprincipio superiore elevante in operando supernaturaliter; in nihilo certè minorem habet quælibet causa secunda à Causa prima in operando, etiam naturaliter: neque enim natura valet supernaturaliter agere nisi simul cum virtute talis comprincipij; neque causa secunda supernaturaliter, nec naturaliter, nisi simul cum virtute increata Causæ primæ: id quod verum etiam est, adhibitâ, si velis, physicâ prædeterminatione: nec enim hæc cum creata sit quidquam potest, nisi simul cum virtute increata Causæ primæ.

Vnde

Ovied.

137 Unde sic progredior. Natura, quomodocumque velis completa in esse potentia creata, quod est collusorie dicere, in esse potentia incompleta, non minus est absolute impotens quidquam efficere, nisi simul cum virtute Cause primae; quam sit impotens efficere quidquam supernaturale, nisi simul cum principio elevante: & tamen, extrinsecus ipsi applicata, & assistente virtute increata Cause primae, est simul cum ea virtute completa, & absolute potens, partim scilicet intrinsecè à virtute sua creata, & partim extrinsecè à virtute increata Cause primae extrinsecè applicata, & adiuvante: quod in re est, complexum ex utraque esse absolute potens: ergo, ut natura, se sola absolute impotens, sit simul cum principio elevante absolute potens partim intrinsecè, & partim extrinsecè, quod in re est complexum ex utroque esse absolute potens ad efficiendos actus supernaturales, necesse non est, virtutem comprincipij elevantis informare, & immutare intrinsecè naturam; sed sufficit extrinsecè applicari. Quid tandem sibi vult lusus ille, quod natura precisim à virtute Cause primae est completa ad agendum naturaliter in esse virtutis creatae? Nihil aliud certè, quam non egere alià virtute creata ad agendum. Sic autem sim iliter colludendo dicas, si placeat, naturam esse completam ad agendum supernaturaliter in esse naturae, quatenus non eget alià virtute naturali ad sic agendum. Nenià. Nihil superest quod dicant, nisi ex parte naturae nullam omnino esse virtutem adhuc incompletam, inchoatam, aut obedientialem ad agendum supernaturaliter; cum comprincipium elevans sit tota omnino virtus, & tota ratio agendi. At hoc impugnatum à nobis, & comminatum manet in superioribus *sect. 5.*

138 Confirmantur haec, & probatur tertio illa eadem nostra minor. Ens supernaturale non solum est supra potentiam activam, quin etiam supra passivam, seu receptivam naturae, ut cum multis ex ijs, quibuscum nunc arguimus, tenui contra paucos *tom. 1. disp. 18. sect. 10.* Ergo natura, sicut non est ex se absolute potens agere, ita nec recipere formam supernaturalem: atque adeo ad utrumque indiget elevatione supernaturali. Atqui, ut de non potente recipere fiat potens

eam recipere, non indiget formam intrinsecam praelevante; sed sufficit elevatio extrinsecam: ergo similiter nec, ut de non potente agere fiat potens agere effectum supernaturalem. Consequutio videtur legitima: in utroque namque, vel in neutro casu fit transitus de non posse ad posse. Minor autem ostenditur. Nam inter formas supernaturales, quae recipiuntur in natura, aliqua est prima, ne procedatur in infinitum: sed ut fiat potens ad hanc primam recipiendam non praelevatur natura per formam intrinsecam: iam enim illa prima non esset prima: & de ista alia praelevante eadem contradictio imminet, aut processus in infinitum: necesse igitur est fieri, non fieri naturam absolute potentem recipere illam primam formam supernaturalem per formam intrinsecam in se receptam praelevantem; sed per elevationem extrinsecam Divinae virtutis increatae.

139 Respondet Magister Lumbier *num. 469.* ex à se dictis *num. 417.* potentiam receptivam elevari, & immutari intrinsecè per ipsam formam, quam recipit. At hoc est apertissime falsum: haud secus, ac dici potentiam activam naturalem elevari ad supernaturaliter agendum per ipsos actus, nec indigere vlla praelevatione ex parte potentiae: quod nullis exemplis, sive probativis, sive declarativis persuaderi potest. Praeterea, de duplici mutatione loqui potest responsio: vel de mutatione, qua natura de non recipiente fit recipientis primam formam supernaturalem; vel de mutatione, qua de non potente recipere fit potens recipere. Si loquitur de illa, convenimus in eo quod natura de non recipiente fit recipientis formam per receptionem ipsius formae; sicut de non agente fit agens per ipsum actum; at hoc est extra questionem. Si vero loquitur de ista, de qua est questio, prorsus aberrat à vero. Nam receptio formae, cum sit actus ipse secundae potentiae receptivae, supponit actum primum proximum, ac proinde potentiam proximè potentem recipere: ergo supponit eam constitutam in esse proximè potentis ad suum actum secundum: atque adeo non illam constituit in esse proximè potentis: ergo transitus, seu mutatio naturae de non potente recipere in potentem recipere formam supernaturalem, non fit per ipsam formam, aut per eius recep-

Lumbier.

tionem, ut est luce clarius: sicut quod non fit natura potens agere supernaturaliter per ipsum actum. Huc potuisset Gonet. convertere tela, quae frustra calculatur contra P. Suarez: quem in vestibulo articuli quinti è cerebro suo refert, quasi dixerit, naturam fieri proximè potentem ad agendum supernaturaliter per concursum Dei simultaneum supernaturalem, qui est ipsum agere: & §. 1. strenuè dimicat contra hostem, quem sibi effinxit. Didicisse debuit à P. Suarez discernere concursum simultaneum, qui est ipsum agere creatum, & actus secundus, à preparatione concursus simultanei, quae est increata applicatio Omnipotentiae, sive specialis, sive generalis, spectans ad actum primum. Sed in ijs pudet immorari.

140 Duas alias responsiones offert M. Lumbier: unam ibidem, aliam *num. 470.* Una est, quod natura fit potens recipere primam formam supernaturalem per assistentiam extrinsecam Omnipotentiae: non tanquam per virtutem primariam recipiendi; sed tanquam per conditionem recipiendi elevativam entitatis naturae. Alia est, quod posse passivum est partialiter extrinsecum; secus prima activitas, seu primum posse activum: quia illud est quoddam posse imperfectissimum, & sufficit quod fiat quocumque modo: at operatio vitalis debet esse activè ab imo, & ab intrinsecò potentiae operantis.

141 Contra primam est, quod conditiones etiam ad recipiendum, sicut & ad agendum, aliae sunt intrinsecae, ut calor in subiecto ad recipiendum ignem; aliae extrinsecae, ut causa productiva sive subiecti, sive formae ignis: quemadmodum & formae, aliae sunt intrinsecae, ut calor inherens subiecto calido; aliae extrinsecae, ut visio non inherens subiecto viso. Ergo, quod aliquid sit potius conditio, quam forma essentialis, non est ratio ad intrinsecitatem potius, quam ad extrinsecitatem: sicutque disparitas est ad rem non pertinens. Quidquod iam concedit responsio, Omnipotentiam extrinsecam assistentem, sive sit conditio, sive forma, aut quasi forma, elevare potentiam passivam naturalem ad receptionem supernaturalem, ad quam se sola est impotens: cur non sic etiam potentiam activam naturalem ad effectum, sive sit forma,

aut quasi forma; sive conditio? Quod quidem ad rem, parinde est. *142* Contra secundam est, quod maior; vel minor perfectio potentiae non attinet ad intrinsecitatem, vel extrinsecitatem; cum commune sit omnibus causis secundis, sive perfectioribus, sive minus perfectis, compleri in ratione absolute, & proximè potentis per virtutem Cause primae extrinsecè applicatae: ergo ex maiori, vel minori perfectione potentiae passivae, & activae frustra paratur disparitas solida intrinsecitatis, aut extrinsecitatis comprincipij; per quod utraque completur, & elevatur. Nec est è re, quod actus vitalis debeat esse ab imo potentiae vitalis: nam, ut voce vocem eludamus, etiam forma, sive vitalis, sive non vitalis, debet recipi in imo potentiae passivae: utrumque autem verissime salvatur, quamvis comprincipium, sive virtus elevans sit extrinsecam, sive intrinsecam potentiae elevatae: nam quoquo modo comprincipium elevans se habeat respectu potentiae elevatae, fiat quod forma, ad quam recipiendam elevatur, subiectetur in intrinsecò, seu in imo potentiae passivae; sicut, quod actus vitalis procedat ab imo, seu ab intrinsecò potentiae vitalis, ipsique intrinsecè immaneat, prout opus est ad rationem vitae.

143 Ex ijs omnibus perficio argumentationem in *initio sect.* Si natura, non potens se sola agere supernaturaliter, non posset fieri absolute potens per specialem assistentiam extrinsecam Omnipotentiae absque comprincipio creato inherente auxiliij intrinseci; aut ideo esset, quia universaliter quod se solo est impotens ad aliquem effectum nequit fieri potens nisi per potentiam intrinsecè supervenientem: quod tamen fallere in multis vidimus in decursu: cum homo, se solo impotens levare pondus, fiat potens cum alio extrinsecè adiuvante: aut ex eo esset, quod naturaliter est impotens, ut ad nullam partem effectus supernaturalis se sola sufficiat absque gratiae adiutorio: at nec ista ratio subsistit, per eam quae subinde diximus: vidimus enim naturam, se sola, nullam omnino partem effectus potentem causare, nisi simul cum virtute Cause primae, esse potentes simul cum virtute Cause primae extrinsecè applicatae: aut ex eo esset, quod natura taliter est impotens, ut tota virtus, tota

ratio.

ratio agendi supernaturaliter sit principium elevans: at hoc, præterquamquod *sect. 5.* probavimus contra multos esse falsum, instatur contra aliquos in potentia receptivâ naturali; cuius, utpotè æquè ac activa, superata ab ente supernaturali, tota ratio recipiendi est similiter principium elevans illam ad recipiendum, hæud secus, quam activa ad agendū; quin tamen ad eius elevationem prærequiratur principium intrinsecum præelevans. Nullo igitur ex capite, nullaq; ratione requiritur essentialiter comprincipium elevans intrinsecum inhærens naturæ elevata, ut hæc possit agere salutariter, & supernaturaliter: atque adeo eo principio intrinseco deficiente, non est cur nõ possit per extrinsecam assistentiam Omnipotentia specialiter applicata elevari potentia naturalis ad eliciendos actus supernaturales.

SECTIO XIJ.

In quo stare possit specialis hæc applicatio extrinseca Omnipotentia elevativa naturæ ad actus supernaturales.

144 **D**ICENDVM, stare in virtute increata Omnipotentia, secundum se indifferentis ad hoc, vel illo modo concurrendum cum potentia naturali ad actus supernaturales; determinatæ verò formaliter per Dei decretū ad non nisi taliter concurrendum: tali videlicet concursu supernaturali in actu secundo, qui non pendeat à comprincipio creato intrinsecè elevante, & in quo maior, & potior reluceat influxus Omnipotentia, utpotè supplet defectum comprincipij supernaturalis intrinseci, quam, si Omnipotentia ipsa simul cum comprincipio elevato intrinseco concurreret adjuvando potentiam naturalem. Hic autem specialis concursus in actu secundo est specialis modus actionis supernaturalis, quo in tali casu efficeretur actus salutaris. Sic colligitur ex Ripalda *sect. 8.* & tenent communiter in re Scriptores nostri.

145 Obstat fortiter Illustrissimus Godoy à *num. 27. ad 38.* Quia iuxta sententiam Ripaldæ, & nostram, cum actus vitalis sit modus ipsæ suæ productionis, ac proinde essentialiter per se affixus, seu determinatus oriri à principijs, à quibus

Ripald.

Godoy.

oritur, nequit, deficiente comprincipio creato intrinsecè elevante, oriri ob defectū istius à sola Omnipotentia quomolibet extrinsecus assistente: ergo imperceptibile est, quòd Omnipotentia specialius applicata supplere possit defectum principij intrinseci elevativi. Implicat enim in terminis, quòd in effectione actus, cui repugnat procedere à principio intrinseco elevativo, qualis esset qui procederet à potentia extrinsecè tantum elevata per Omnipotentiam, suppleatur defectus principij intrinseci elevativi. Undè similiter implicat, quòd specialis illa assistentia, & applicatio stet in decreto volente tale supplementum, utpotè implicatorium.

146 Admitto libenter totam doctrinam primi antecedentis, quam tenui in Animasticis. Et deinceps nego totum discursum. Quamvis enim Omnipotentia sic applicata pro actu, qui fieret absque elevativo intrinseco, non suppleat defectum elevativi intrinseci, à quo possit oriri ille ipse actus, supplet defectum elevativi intrinseci, à quo oriretur alius actus similiter supernaturalis: quod quidem aliud non est in re, nisi Omnipotentiam sic specialius applicatam præstare quoad istum actum sic procedentem, id quod cum generali applicatione Omnipotentia extrinsecè elevantis, præstaret quoad alium actum similiter supernaturalem, & salutarem comprincipium creatum intrinsecè elevans. In quo nihil video difficultatis, explicatis vocibus. Nec quidem aliud venit in mentem P. Ripaldæ. Nec absonat modus loquendi. Sic enim dicimus, in statu beatifico visionis supplere defectum Fidei; quamvis Fides repugnet statui beatifico.

147 Auget difficultatem *num. 28.* Quia potentia naturalis non est minus impotens, & insufficientis de se ad actum salutarem elicitum cum elevativo intrinseco, quam cum extrinseco: ergo non eget robustiori Dei concursu ad unum, quam ad aliud: imbecillitas enim æqualis æquali auxilio, vel concursu iuvatur. Confundit, ut vides, auxilium, & concursum: cum in eo maxime differant, quod concursus sit actus ipse secundus, qui est actio Dei simul, ac creaturæ: & auxilium sit comprincipium tenens se ex parte actus primi ad talem actum secundum. Respondetur itaque, concessio antecedente, negan-

gando consequentiam. Quòd enim robustiori seu specialiori Dei concursu indigeat potentia non intrinsecè elevata, præ intrinsecè elevata, non provenit ex maiori imbecillitate potentia de se ad unum actum, quam ad alium; cum ad utrumque de se sit æquè imbecillis; sed provenit ex eo quòd potentia non intrinsecè elevata non habet adiutorium supernaturale creatum, cui debita sit applicatio Omnipotentia ad actum supernaturalem: ideoque sola virtus increata Dei, pro illo supplet, & extrinsecè potentiam elevans, & adjuvans, præstare debet, quod in simili præstare solent ipsa, & virtus creata elevativi intrinseci. Potentia verò intrinsecè elevata habet secum iam comprincipium supernaturale, cum quo, & cum ipsa concurrat Omnipotentia còncursu respectivè generali, utpotè tam proportionato, & connaturali tali complexo causarum secundarum, ac est concursus Dei naturalis causis secundis naturalibus.

Godoy.

148 Invehitur contra responsum istam claram, & solidam Godoy à *n. 29.* Primò: quia, quòd, deficiente elevativo intrinseco, requiratur concursus Dei robustior, & quasi duplex; ideo est, quia tunc Deus supplet defectum elevativi intrinseci: atqui non supplet: ergo. Minorem supponit à se clarè monstratam per ea quæ retulimus *num. 145.* Secundò: quia ideo ignis productus à Deo solo petit à Deo influxum fortiozem, quam si à Deo, & ab alio igne produceretur, quia connaturaliter petit produci ab alio igne, & à Deo: sed actus supernaturalis productus à Deo, & à potentia naturali extrinsecè tantum elevata, nõ petit produci connaturaliter ab elevativo intrinseco: cum hoc ipsi repugnet, ut admittimus: ergo non petit fortiozem illum, & quasi duplicatum Dei concursum. Tertio: quia in actu supernaturali factò à potentia naturali extrinsecè tantum à Deo elevata, nullum est prædicatum, ratione cuius petat in Deo dictum fortiozem concursum: ergo confingitur hoc absque fundamento. Probat antecedens: quia illud esset prædicatum supernaturalitatis: sed hoc non: ergo nullum. Probat minorem: nam supernaturalitas actus satis salvatur per hoc, quòd Deus indebitum paret concursum, & concurrat, ut Author supernaturalis, cum solo Causa primæ concursus: ergo non est, cur requiratur in Deo con-

curfus duplicis causæ, nec robustior, illo, quo influeret in actum supernaturalem elicitum à potentia, & ab elevativo intrinseco. Ostendit hanc minorem: quia Deus, ut Author naturæ, potest concursum indebitum præparare: ut constat, quandò concurrat cum homine lapio ad victoriam gravis tentationis ex motivo dumtaxat naturali. Aut cur id repugnet?

149 Ad primum tamen respondetur facile, concessa maiori iuxta explicationem à nobis exhibitam *num. 146.* negando minorem: quam nec monstratam, nec quidem vel mediocriter fundatam ibi reperio.

150 Ad secundum, negatur maior, ut tota ruat argumentatio. Ratio namque, cur Deus producens solus ignem, adhibet potiozem influxum, non est, quia ignis petit ab alio igne produci; sed quia, sive id petat, ut sibi supponit arguens; sive id non petat, ut fortè verum est, quandò in effectione ignis non influit alius ignis, sed solus Deus; Deus solus præstat, quod alioquin præstarent alius ignis, & Deus, scilicet producere ignem. Et hoc est eodem, quo pro re nostra modò diximus, Deum tunc supplere defectum ignis, qui causaret ignem. Hinc post veram minorem, falsa est consequentia.

151 Ad tertium negatur antecedens. Ad probationem dico, illud exigens in eo actu supernaturali concursum quasi duplicatum, & robustiozem Dei, nõ esse prædicatum supernaturalitatis: multa enim sunt supernaturalissima, quæ id non exigunt: in primis omnia increata; deinde ex creatis illa, quæ habent comprincipium creatum supernaturale proportionatum. Quòd autem id exigit, est prædicatum supernaturalitatis effectus creati, ad quem deest comprincipium creatum supernaturale elevans potentiam naturalem ad supernaturalem iter agendum: eo enim ipso incumbit Deo, volenti effectorem actus supernaturalis, concurrere ad illum cum natura pro se, & pro comprincipio supernaturali deficiente: non, inquam, concurrere duplici concursu, ut minus benè ingeminat arguens; sed uno robustiori, & specialiori, vi sua æquivalente alteri, qui simul esset à Deo, & à comprincipio supernaturali. Hanc doctrinam minimè feriunt, quæ in probatione minoris involvuntur nondum factis explorata.

E

Obi

152 Obsistit ulterius: quia sequeretur, intrinsecam gratiæ inhærentiam esse superfluum: & subsequeretur, ad salutariter operandum non requiri gratiam in nobis inhærentem. Respondetur, sequentiam esse absolute falsam: quia non est absolute superfluum quod alicui enti est necessarium, quamvis alijs necessarium non sit: at omni accidenti, qualis est gratia creata, est connaturalis inhærentia, ac proinde minime superflua. Subsequela autem, aut falsa est, aut minime absurda: discutietur, & explicabitur *disp. seq. sect. 6. & 7.* ubi expendemus, quanta sit nobis necessitas gratiæ intrinsecæ.

Infrà
disp. 6.

153 Urget *num. 33.* saltè sequi, attentam indigentiam potètiæ naturalis, æquè benè eius imbecillitati succurri per iuvamen auxilij extrinseci, ac intrinseci: sed gratia erogatur à Deo in iuvamen imbecillitatis naturæ iuxta Augustinianum illud: *Subventum est infirmitati humanae*; ergo non esset, cur potius per auxilium gratiæ intrinsecæ, quam extrinsecæ: ergo superflua esset intrinsecæ, inhærens potentia. Alia subiungit, quæ prætermitto: quia procedunt ex falsa suppositione responsionis à nobis non adhibendæ, quam sibi accomodat doctus Impugnator.

August.

154 Tangitur in ijs difficultas, de qua latè Ripalda *disp. 35.* quid sit connaturalius? actus supernaturales fieri per iuvamen auxilij intrinseci creati, an sine illo per extrinsecam assistentiam Omnipotentia specialius applicatæ? Dicam cù Ripalda, connaturalioritatem esse conceptum respectivum: quia connaturale, alicui est connaturale: ac proinde discerni debere respectivè ad varia subiecta, sive ad varios terminos. Sicquè, si loquamur respectivè ad potètiæ naturales naturæ puræ, neutro modo fiunt connaturaliter ab illis prædicti actus; sed utroque modo supra ipsarum exigentiam. Si respectivè ad naturam iam ordinatam, ad finem supernaturalem, & antecedenter elevatam per aliqua dona intrinsecæ supernaturalia productiva actuum salutarium, ij connaturalius fiunt per iuvamen auxilij intrinseci: cum enim sit effectus in præsentia causæ secundæ habentis virtutem productivam illius, connaturalius est, quod causa secunda præsens concurrat, quàm quod, impedito eius concursu, eius partes omnino suscipiat Causa pri-

Ripald.

ma: ut videre est in naturalibus. Si respectivè ad universum ordinem supernaturalem, simulque ad modum ordinarium, quo Deus cuncta gubernat etiam naturalia, connaturalius est, quod actus alicui nostri vitales supernaturales, ut sunt prima auxilia illustrantia, & excitantia, fiant à potètijs naturalibus vitalibus cù iuvamine extrinsecæ Omnipotentia specialius applicatæ: quia ad primum auxilium intrinsecum, implicat quod præcedat aliud intrinsecum, ut diximus *disp. 4. sect. 2.* Alij verò actus supernaturales, qui deinceps subsequuntur, præsertim liberi salutare, connaturalius est, quod fiant per iuvamen auxilij intrinseci. Quia sic Deus communiter facit: nec est cur cohibeat virtutem illorum auxiliorum præcedentium ab influxu in actus subsequentes. Patet etiam in naturalibus: priores enim causas, aut efficientes, aut formales dispositivas, Deus solus producit, ne in illis abeat in infinitum, ut erravit Aristoteles, ratus mundum fuisse ab æterno; subsequentes verò non solus Deus, sed simul cum ministerio causæ secundæ, ubi præsens adest. Sic ergo discurre licet in ordine supernaturali: cui propterea connaturalius est, demptis primis auxilijs indeliberatis, quæ fiunt à nobis sine nobis, ad alios actus supernaturales subsequentes uti Deum ministerio principij creati intrinseci elevantis potètiæ naturalem, & cum illa, & cum Causa prima còcurrentis ad actus supernaturales subsequentes, sive intellectus, sive voluntatis, sive liberos, sive necessarios.

Supra
disp. 4.

155 Hinc ad argumentum *num. 153.* dico, maiorem esse veram, attentam imbecillitate naturæ puræ: cui utique neutrum illud iuvamen gratiæ est connaturale. Distinguo autem minorem: gratia omnis erogatur à Deo in iuvamen naturæ puræ, nego: in iuvamen naturæ ordinatæ ad finem supernaturalem, sæpè iam de facto intrinsecè præelevatæ ad illum per anteriora gratiæ dona, concedo minorem, & distingo consequens: ad primos actus vitales auxiliares, concedo; ad subsequentes, nego. Ratio enim pro ijs congruenti ssima est maior connaturalitas, cui vult se Deus conformare de facto in supernaturalibus, sicut in naturalibus. Subillationem absolutissimè negamus. Quia, adhuc dato, quod uterque ille

mo-

modus elevandi, sive per gratiam intrinsecam, sive per extrinsecam, esset æquè connaturalis, nullo certè iure potest dici superfluum unus modus, relicto alio; cum alteruter necessarius sit ad elevandum. Quemadmodum, quamvis æquè connaturale sit, produci ab igne in ligno istum numero calorem, ac aërum; non est superfluum, produci istum præ alio.

156 Suboritur dubium inter Nostrates: an idem numero actus vitalis supernaturalis, qui fit per auxilium creatum intrinsecum, possit fieri sine illo per extrinsecam assistentiam Omnipotentia elevantis. Affirmant multi, supponentes ex Philosophia, actum vitalem consistere in qualitate producta, & recepta in sua potètia vitali per actionem, & receptionem à se distinctas. Quia, inquirunt, variatio principiorum, quamvis variet modos actionum, utpotè suis principijs essentialiter affixos; non tamen variat effectus entitativos; cum idem effectus possit à varijs causis produci: posset igitur eadem numero qualitas, quæ est actus vitalis supernaturalis, effici, sive à principio intrinsecè elevante potètiæ per vnam actionem; sive per aliam à principio extrinsecè tantum assistente, & elevante. Negat verò Ripalda *sect. 7.* opinatus, & merito, actum vitalem esse modum ipsum suæ productionis: quia eo ipso est, haud secus ac ipsa productio, essentialiter affixus suis principijs. Obtāt nihilominus Oviedus *1. 2. tract. 1. contr. 8. punct. 2. §. 6. & Quiros tom. 1. disp. 28. sect. 4. & 5.* Nam, adhuc dato, quod actus vitalis utpotè sua ipsius productio, affigatur essentialiter his numero principijs, v.g. huic potètiæ, & huic habitui intrinsecè elevanti potètiæ, invariatis principijs, posset habitus variare statum, factus scilicet de inhærente non inhærens potètiæ in sequenti instanti, sicque de intrinsecò factus principium extrinsecum; assistens tamen extrinsecè applicatus eidem potètiæ: sic ergo actus idem, quamvis essentialiter affixus his suis principijs, in uno instanti fieret à potètia intrinsecè elevatâ, & in alio ab extrinsecè tantum elevatâ. Bene: sed an hoc sit contra intentum Ripaldæ, alij viderint. Me non angit, nec tangit ista difficultas. Quippe non solum iudico cum Ripalda, actum vitalem esse modum ipsum suæ productionis, atque adeò essentialiter affixum

Ripald.

Ovied.
Quiros.

his numero principijs; sed præterea iudico cum Card. de Lugo, & alijs alibi à me non semel citatis, omnem modum productionis; ac proinde omnem actum vitalem, qui sua ipsius productio est, esse quoque modum suæ durationis: & consequenter, esse instantaneum, & repugnans manere per duplex instans. Sicquè ruit obstaculum Oviedi: fitque extra dubium, non posse eundem actum, qui fit per còprincipium elevativum intrinsecum, fieri per solum extrinsecum, aut è contra.

Lugo.

SECTIO XIIJ.

An auxilia gratia possint elevare potètiæ naturalem, & cum ipsa concurrere ad actus salutare intentiones se.

157 **N**EGANT absolute multi cù Alvarez *disp. 62. de Auxil.* quibus adnumerat ex parte Ripaldæ citandus Moncæum, & Coninc. Moventur autem diversimodè.

Alvarez
Monc.
Coninc.

158 Primò: quia, si ex gratia intensâ ut quatuor, fieret actus salutaris ut sex, penès eum excessum intensiōis non tribueretur gratiæ, cuius scilicet activitatè excederet. At ex Augustino, alijsquè Patribus, totum pietatis opus tribuendum est Deo, hoc est gratiæ ipsius. Vndè S. Thom. *2. 2. quest. 24. art. 3.* ait, conatum voluntatis humanæ præveniri, *Spiritu Sancto movente mentem hominis plus, vel minus secundum suam voluntatem*; nequit ergo actus salutaris intensiōe excedere intensiōem motiōis auxiliatricis Spiritus Sancti. Respondetur aliud esse intensiōem, aliud activitatem auxilij; sicquè fiat, auxilium esse minus in intensiōe; & in activitate exequare, & superare intensiōem actus, ad quem elevat potètiæ. Hinc conceditur iuxta Augustinū, totum actum in eò etiam casu tribuendum esse gratiæ: & negatur, adhuc penès eum excessum non esse gratiæ tribuendum: quia, quamvis excedat intensiōem, non excedit activitatem, & virtutem auxilij moventis ad ipsum. Ait ergo rectè S. Thom. conatum salutarem voluntatis semper præveniri per gratiam, nunc magis, nunc minus uberem, prout Spiritus Sanctus vult. Negatur tamen consequentia, hinc non rectè deducta: hinc enim non deducitur, conatum voluntatis ad iuvamen per gratiam eò semper esse intensiō-

August.

S. Thom.

Pa

sem,

rem, quò intensiori gratiâ prævenitur; ac proinde non posse interdum esse intensiorem gratiâ præveniente, & adjuvante.

159 Secundò. Quia consensus voluntatis intensus ut sex, v.g. non continetur in virtute, & activitate gratiæ auxiliantis illustrationis, ac inspirationis intensæ ut quatuor: ergo nequit ab ista gratia excitari. Consequentia probatur: quia movens, & mobile sunt correlata, taliter ut mobile tantum possit moveri, quantum movens movere potest: sicque movens ut quatuor, qualis esset gratia intensæ ut quatuor, nequit esse movens ad motum ut sex, qualis est consensus intensus ut sex. Probatur autem primum antecedens: virtus enim, & activitas auxiliij creati limitata est: ergo taliter limitata, ut in virtute auxiliij intensi ut quatuor, non contineatur consensus intensus ut sex: aut quare non ut octo? ut decem? ut centum? & sic in infinitum? Commensurari ergo debet virtus, & activitas intensiori. Respondetur, negando antecedens: nam auxilia gratiæ causant æquivocè consensus voluntatis, utpotè effectum diversæ rationis. Causæ autè æquivocæ sæpè causant effectus intensiores se, ut lux remissior calorem intensiorem, utpotè cõtentum in virtute minoris intensiori, ratione specialis perfectionis entitativæ talis causæ; cui utique virtuti, & activitati entitativæ potius quam intensiori graduati, commensuratur effectus, ut in illa dicatur eminenter contineri. Ad probationem primi antecedentis, concesso antecedente, negatur illatio. Quamvis enim supponamus virtutem ad consensus intensum ut sex, non inde sequitur ad septem; nec ex septem ad octo. Ad quotos autem gradus consensus sit ea activitas, inexploratum nobis est. Deus, qui novit virtutem talis, & talis auxiliij dignoscit, ad quatum gradum consensus valeat, & non ultra. Quod sufficit ad limitationem; quin propterea virtus illa commensuranda sit intensiori graduati. In probatione primæ consequentiæ falsæ, observandum occurrit; movens, & mobile esse quidem correlata; non penes intensiorem gradualem; sed penes virtutem entitativam moventis, sive minus, sive magis intensi gradualiter: sic nempe, ut virtus activa motiva correferatur ad motum passivum, utpotè non excedentem virtutem moventis. Vndè negatur,

movens intensum ut quatuor non esse movens ad motum ut sex: quando nempe istud non excedit illius virtutem, & activitatem, quamvis excedat intensiorem.

160 Tertio. Visio beata intensæ, v.g. ut quatuor movet dumtaxat ad amorem beatificum intensum, ut quatuor: ergo auxilium ut quatuor, ad actum salutarem tantum ut quatuor. Concesso antecedente, negatur consequentia. Disparitas est clara: quia visio necessitat Beatum amare Deum, quantum potest. Deus autem, præmia Beatis distribuens, sic ea taxat ad mensuram meritorem, ut videns ut quatuor habeat dumtaxat potestatem amoris ut quatuor. Vndè fit, quod, positâ eâ lege Dei, visio ut quatuor excitet amorem tantum ut quatuor, exercentem totam virtutem amandi. In via verò auxiliâ non necessitant ad consensus liberum: & contingit sæpè, quòd homo habens illustrationem, ut quatuor ad amandum liberè Deum, habeat simul habitum charitatis intensum ut sex, ac proinde vires effectivas amoris ut sex, intensioris illustratione intensæ ut quatuor.

161 Affirmant ergo melius Scot. Durand. Molina, Suarez, alijq; apud Ripaldam disp. 38. Nam in calu posito in fine num. præc. iustus ille per habitum intensum ut sex, & illustrationem ut quatuor, haberet vires effectivas satis superq; potentes ad amorem salutarem ut sex; & per eiusmodi illustrationem sufficienter proponeretur ipsi divina bonitas summo amore dignissima: nam hoc ipsum cognosci potest cognitione magis, vel minus intensæ. Non est ergo, cur iustus ille, sic excitatus, & roboratus, non posset liberè exercere amorem Dei ut sex; atque adeò intensiorem auxilio actuali illustrationis. Confirmatur: quia si non posset, aut esset ratione concursus formalis, aut effectivi, quos, ut vidimus sect. 1. præstat illustratio auxilians in consensus. At non ratione effectivi; nam iustus sic illustratus ut quatuor, habet, præter illustrationem, in habitu vires effectivas ut sex: ergo non esset impotens defectu virtutis effectivæ. Neque ratione concursus formalis, aut defectu virtutis illuminativæ: nam hic concursus præstatur informando, & illuminando animam: anima autem per eam illustrationem ut quatuor, illuminatur, allicitur, & vocatur

Scotus.
Durand.
Molina.
Suarez.
Ripald.

sufficienter ad amorem boni cogniti, ad quem habet vires effectivas, quæcumque istæ sint: quemadmodum habens habitum misericordie intensum, actu remisso charitatis posset imperare intensum misericordie, ut mihi est abs dubio: quandoquidem ad hunc habet in se sufficientes vires effectivas per habitum intensum misericordie. Porro inter causalitates formalem, & effectivam est discrimen sedulo notandum: quòd effectiva limitatur à limitatione suæ virtutis, ideoque calor remissus non efficit intensum. Formalis verò non ita: nam unus calor informans subiectum, truderet à subiecto infinita frigora si adessent; & ab infinitis subiectis frigus expelleret, si in illis reciperetur.

Ripald. 162 Quinimò addit bene Ripaldam disp. 39. posse voluntatem conatu suo libero elicere actum salutarem intensiorem etiâ habitu supernaturali, quo elevatur. Et ratio est: quia, nullo præexistente habitu charitatis, potest ab homine, qui se perfectè, ac fervidè convertit, fieri actus charitatis intensus: ergo multò magis præexistente habitu charitatis remisso. Quod circa antecedens posset ab aliquibus reponderi, eum actum charitatis, vel contritionis intensum fieri tunc per habitum intensum charitatis, ad quem in eo instanti infundendum disponit, confutabitur ex professo disp. 20. sect. 7. Et potest præoccupari, disposito antecedente, de actu intenso alterius virtutis moralis, cuius actus non sunt ultima dispositio ad iustificationem; atque adeò nec ad infusionem sui habitus Gratiam comitantis, v.g. in actu intenso virtutis humilitatis. Vndè sic confirmo. Potens quis se disponere ad iustificationem actu intenso virtutis ut quinque, præ sua tepiditate se disposuit actu remisso ut duo, sicque accepit in iustificatione habitum remissum ut duo. Cur ergo sic iam iustificatus nequeat elicere actum eiusdem virtutis intensum ut quinque; cum id potuerit ante iustificationem? sic ergo habens habitum, posset cum illo, & per illum elicere actum intensiorem habitum.

163 Præterea. Iustus habens v.g. habitum ut duo, potest elicere actum æquè intensum, ac iustus, habens habitum ut quatuor: ergo intensiorem suo habitu. Antecedens patet: nam alioquin nõ posset exercere actus ferventiores illis, quos

re ipsa exercet: sicq; non esset ipsi imputabilis tepiditas, nec ob eam esset reprehensibilis, nisi ad summum in causa: quod ex terminis absonat: nam in causa, quia nempe per antecedentia non sibi meruit potentiora comprincipia, multis etiam Beatis posset imputari, quòd minus intensè Deum ament, quam alij beatiore. Atque hinc colligit Ripaldam disp. 111. sect. 1. non semper magis iusto habenti intensiores habitus virtutum, sicut intensiorem gratiam habitualem, conferri auxilia gratiæ actualis intensiora, quam minus iusto; aut etiam, quam peccatori: ut visum est in Saulo, Magdalena, & alijs peccatoribus extraordinariâ conversione insignibus: quibus utique contulit Deus ingentia gratiæ actualis auxilia ad actus ferventissimos, quibus se eximie converterunt.

164 Negotiū facefsit aliquibus, quo fieri modò possit actus intensus ab habitu remissiore. Falsò dixit Bañez, fieri ab habitu præexistente, & ab intensiōne superveniente in præmium talis actus. Hoc tamen confutabitur disp. 20. cit.

165 Triplex occurrit modus. Primus, si defectus intensiori habitus suppleatur per extrinsecam assistentiam Omnipotentia specialius applicatæ iuxta doctrinam sect. præc. Si enim actus noster intensus supernaturalis fieri potest à potentia elevatâ tantum extrinsecè per Omnipotentiam sic elevatam; à fortiori, si præterea adsit habitus, quamvis remissus. Secundus, si suppleatur per auxilia intrinseca actualia intensiora habitu, suppositâ ex sect. 1. doctrinâ nostrâ de influxu physico effectivo auxiliorum. Tertius forè si ne ijs etiam supplementis. Quia, quamvis aliquandò necesse sit, suppleri defectum intensiori habitus, ex eo quòd eius virtus effectiva, limitata cum sit, excedatur à maximâ intensiōne actus; non tamen semper: quia causa æquivoca entitativè perfectior potest proportionatè causare effectum entitativè minus perfectum, magis tamen intensum, ut patet in colore ut duo, causante speciem sui intensam ut sex; & in luce ut tria, causante calorem ut quinque: sed habitus est causa æquivoca actus, ut iam monuimus num. 159. & est entitativè perfectior: ergo, quamvis sit minus intensus, potest esse causa, & virtus proportionatâ ad actum intensiorem se. Tunc ergo sine concausa

Ripald.


Bañez.

Infrâ
disp. 20.

sup.

supplente defectum virtutis, cum cōcur-
su Omnipotentia sibi connaturali pote-
rit causare actum intensiorem se. Ad quo-
tam autem intensionem actus se maiore

extendatur cū proportione virtutis hac,
vel illa minor intensio habitus, inexplor-
atum nobis est. Noverit qui cuncta no-
vit Deus.



DISPUTATIO VI.

DE NECESSITATE AUXILIORVM GRATIAE actualis in genere.

RERSTRINGAM in hac, & in sequentibus tribus Disputatiō-
bus Doctrinam utiliore, & commodiore Tractatus celebris
de Necessitate Gratia, prout opus est ad pleniorē intelligen-
tiam eorum, quae ad auxilia gratiae pertinent. Supponimus ex Fide, ad actum
supernaturalem salutarem non sufficere vires naturae, ideoque necessariam
esse aliquam Gratiam elevativam naturae, sive actuale, sive habituale,
sive extrinsecam, sive intrinsecam. Qualis verò gratia requiratur, & ad quos
specialiter actus, disputandum superest sigillatim.

SECTIO I.

*Premittitur adversus Haereticos, non esse
necessariam Gratiam iustificantem ad actus
honestos, adhuc in statu natura
lapsae.*

2 DEFINITVM hoc est contra
Lutherum à Trident. sess. 6.
*Trident. Can. 7. ibi: Si quis dixerit, opera omnia, quae
ante iustificationem fiunt, quacumque ratio-
ne facta sint, verè esse peccata, vel odium
Dei mereri, anathema sit. Undè Pius V.
Gregor. XIII. & Urban. VIII. damnarunt
hanc Baij propositionem: Omne, quod agit
peccator, vel servus peccati, peccatum est.
Urban. VIII. Peccator ergo, ac proinde non habens
gratiam iustificantem in statu naturae lap-
sae, in quo sumus, & de quo loquitur Cō-
cilium prout de facto, facere potest, & re
ipsa facit, aliquos actus honestos. Proba-
tur hæc consequentia: quia omne opus
liberum nostrum, vel est bonum, vel ma-
lum, vel, iuxta aliquos, indifferens: de-
finire ergo in statu peccati, fieri opera
non peccaminosa, est definire fieri opera
bona, vel indifferentia in individuo iux-
ta naturas obiectorum, ac proinde bona
circa obiecta bona: aut certè, si hoc dis-
iunctum non sic definitur, eo quod,*

Trident.

*Pius V.
Gregor. XIII.
Urban. VIII.*

ut plures malunt, dabilis non sit actus
indifferens in individuo, sequitur ma-
nifestè ex prædicta definitione, fieri in
statu peccati aliquos actus bonos; ac
proinde non esse necessariam ad quosli-
bet gratiam iustificantem.

3 Præluxit Concilij Scriptura Sa-
cra, actus honestos laudans etiam in Ido-
latriis. Exod. I. de Obstetricibus Ægyptijs:
*Exod. I. Qui a timuerunt Deum Hebraeorum, ideoque
non paruerunt mandato Regis de masculis
Hebraeorum infantibus occidendis, Deus ad-
ificavit eis domos: id est, eas, earumque
Filios ditavit: actus ergo misericordiae,
quos exercuerunt, erant honesti, utpotè
aliquali laude, ac præmiò digni; prop-
ter quos benè fecit Deus obstetricibus. Et ta-
men erant Ægyptiæ Idolatræ: quamvis
enim noverint Deum Hebraeorum, non
tamen, ut verum, & unicum Deum, sed
ad summum, ut inter alios Deos adnu-
merandum: & quamvis eum timuerint;
non quidem timore filiali Theologicae
charitatis; sed servili. Præterea Daniel
cap. 4. consuluit Nabuchodonosori infi-
delli: Peccata tua elemosynis redimeant sci-
licet per eas disposeretur ad Fidem, &
exinde ad contritionem, & iustificatio-
nem: ad quod certè debebant esse opera
bona.*

Exod. I.

Dan. 4.

Et

4 Et ratio hinc est. Quia homo exi-
stens in peccato potest habere dolorem,
& poenitentiam peccatorum ob foedita-
tem ipsorum: qui certè actus honestus
est: si enim amare reflexè peccatum, ma-
lum est; illud detestari, bonum erit. Qui-
nimò non utcumque bonos, sed super-
naturales etiam, & salutares actus potest
peccator exercere: scilicet attritionem,
quæ non est sufficiens dispositio per se ad
gratiam iustificantem, & cum Sacramen-
to est sufficiens: ac proinde supernatura-
lis; cum nec probabile sit, sufficere natu-
ralem ex Decr. Innoc. XI. ann. 1679. dam-
nantis propositionem ibi quinquagesi-
mam septimam: *Probabile est, sufficere
attritionem naturalem, modò honestam. Plu-
ra Suarez lib. I. cap. 5. & Valquez I. 2. disp.
192.*

Innoc. XI.

*Suarez
Vasq.*

Isai. I.

5 Obijciunt Hæretici aliqua Scrip-
turae loca. Primum Isaiæ I. *Incensum abomi-
natio est mihi, & solemnitates vestras odit
anima mea: & interius: Qui immolat bo-
vem, quasi qui interficit hominem.* Quia
nempe peccatores erant: ergo quia opera
ipsa, quæ religiosa, & pia videbantur,
erant peccata eo ipso quod sine gratia
habituali exercerentur. Secundum ex cap.
66. Sacrificium impiorum abominatio. Ter-
tium, Matth. 7. *Non potest arbor mala bonos
fructus facere: Peccator autem est arbor
mala: ergo nequit in eo statu facere ope-
ra bona, sed eo ipso mala. Addunt ratio-
nem: quia, sicut gratia non solum dig-
nificat hominem, sed etiam opera ipsius;
sic etiam peccatum excludens ab anima
gratiam, non solum inficit animam, sed
etiam eius opera: atque adeò omnia eva-
dunt mala, Deoque odibilia.*

Isai. 66.

6 Respondetur ad primum, & secun-
dum, sacrificia illa Iudaica, quæ tunc
abominabatur Deus, fuisse mala, pecca-
minosa, Deoque odibilia: non quia sa-
crificantes erant mali, & peccatores; sed
quia ipsa sacrificatio erat mala, facta
utique, ut plurimum in illis perditissi-
mis temporibus ex pravis intentioni-
bus: nimirum, aut ex fine inanis gloriae,
sive ut per ea impetraret à Deo, non bona
spiritualia, sed temporalia, divitias, ho-
nores, voluptates, victorias, longam, &
salubrem vitam, ut diutius, superbius,
ac liberius suis cupiditatibus vitiosè in-
fervirent. Sic enim, & sacrificatio Missæ
nunc Deo displiceret. Cū quo stat, quod,
si ab aliquo peccatore fierent sine ijs ma-

lis finibus, posset esse sacrificatio bona,
& honesta, Deoque placens; quamvis
alioquin sacrificans Deo displiceret,
essetque peccator infensissimus: & in
eodem sensu abominatur Propheta no-
mine Dei *sacrificia impiorum.* Aliam res-
poncionem præbet Bellarm. lib. 5. de Gra-
tia, cap. 10. quam tamen improbant Sua-
rez lib. I. cap. 4. num. 12. & Vasq. disp. 91.
cap. 3.

*Bellar.
Suarez.
Vasq.*

7 Ad tertium, certum mihi est, no-
luisse Christum ibi dicere, peccatorem,
qui est arbor mala, non posse facere nisi
mala: alioquin similiter dixisset, iustum,
qui est arbor bona, non posse facere nisi
bona. Nec deviat doctrina nostra ab hac
ipsa arborum similitudine; inte. dum
enim, & arbor mala inter plures malos
facit unum, vel alterum fructum bonum;
& bona inter plures bonos, unum, vel
alterum malum. Voluit ergo Christus, ho-
minem non esse iudicandum utcumque per
exteriora; quæ quidem in hypocritis etiã
reperiuntur apparenter bona: & non
sunt arboris fructus, sed folia: arbor au-
tem non tam ex folijs, quam ex fructi-
bus iudicatur bona, vel mala. Undè eum
hominem dicemus bonum, qui ut plu-
rimum bona corde facit, potius quam
qui de se ore dicit: sicque est verum, quod
peccator facit ut plurimum opera mala,
ex quibus iudicatur malus; quamvis ha-
beat verba bona, & faciat etiam aliqua
opera bona. Id quod optimè, & à fortiori
suadet arboris similitudo. Sicut enim ar-
bor, cum sit mala, non facit fructus bo-
nos, quia non potest; sic nec malus ope-
ra bona, quamvis habeat verba, sicut fo-
lia bona, quia non vult. Hincque colli-
gitur, esse malum, ut concludit ibi Chri-
stus adversus hypocritas, *qui veniunt ad
vos, inquit, in vestimentis ovium; intrinse-
cus autem sunt lupi rapaces: concludit in-
quam sic: Igitur ex fructibus eorum cognos-
cetis eos: non omnis, qui dicit, Domine, Do-
mine, &c. sed qui facit, &c.* Vbi animad-
vertas oportet perversitatem Hæretico-
rum invertentium doctrinam Christi.
Christus enim ex fructibus, scilicet ex
operibus dignosci vult hominem; Hære-
tici è contra ex homine fructus, dum vo-
lunt, hominem malum non facere opera
nisi mala.

Matth. 7

8 Ad additamentum rationis in eod.
num. 5. discerni debet, & non confundi,
honestare actus, & eos dignificare. Gra-
tia

tia quidem habitualis eos dignificat, nō honestat: hoc est, eos bonos, alioquin non condignè meritorios, facit esse condignè meritorios; non verò facit esse honestos, & bonos eos, qui sunt turpes, & mali. Vndè peccat enormiter paritas nobis obiecta, arguens non à bonificatione, sed à condignificatione operum ad pravificationem. Et ratio est: quia bonitas, & malitia moralis est intrinseca actibus ex modo suo tendendi ad obiectum bonum, vel malum, cognitum ut tale: at condignificatio est ipsis extrinseca, & non refunditur in actum, ut cognita: cum opera iusti ignorantis iustitiam suā, eodem modo sint condigna, ac si eam non ignoraret. Quod si sic refunderet malitiam peccatum antecedens in omnia opera peccatoris, eam refunderet independenter ab ignorantia, vel notitia sui status peccati: quod est contra manifestam rationem contrahendi malitiam, sicut & bonitatem moralem, non nisi mediā cognitione.

Baius. 9 Obijcit aliter Baius, in eo alius à Luthero, quod falsò putans, veram charitatem Theologicam esse posse in peccatore sine gratia; ait, posse peccatorem sine gratia habituali facere aliquos actus bonos; non verò sine charitate Theologica erga Deum: sic erat eius propositio 31. ex damnatis. Et sibi contrarius, in propositione 35. dicebat: *Omne, quod agit peccator, vel servus peccati, peccatum est.* Quomodo ergo habens charitatem sine gratia, adhuc servus peccati, faceret vllū actum bonum? In alio sensu dixit Ariminenfis, nullum dari actum bonum, qui non sit, aut charitas, aut procedens ab actu charitatis illum ad Deum referente. Quippè non id intellexit de habitu supernaturali charitatis, sicut Baius; sed vel de actu supernaturali, vel de naturali dilectione Dei.

Arim. 10 Obijcit, inquam, aliqua Augustini testimonia satis ardua. Primum ex lib. 19. de Civit. cap. 25. ubi de infideli, & de virtutibus, quas sibi videtur habere, dicit: *Virtutes, quas sibi habere videtur, per quas imperat corpori, & vitijs ad quodlibet adipiscendum, vel tenendum, nisi ad Deum revertentur, etiam ipse vitia sunt potius, quam virtutes: nam, licet à quibusdam tunc vera, ac honesta putentur, esse virtutes, cum ad se ipsas referuntur, nec propter aliud expetuntur, etiam tunc inflatae, ac superbae sunt.*

Debet igitur illas comitari charitas, ut virtutes sint, & actus ipsi temperantiae, iustitiae, veracitatis, &c. qui virtutum moralium sunt, planè nec absolute virtuosus, nec honestus sunt, si ad ipsas referantur, hoc est, si in suis obiectis sistant, nisi ex amore charitatis erga Deum procedant, sicque in Deum amatum referantur. Secundum ex lib. de Mor. Eccles. cap. 14. ubi ait, ad vitam, ac morum honestatem esse necesse, quod homo omnia sua referat in Deum. Tertium ex lib. 83. *quæst. q. 30.* ubi ait, *perfectam hominis rationem vitam suā, id est, vitales suas actiones ad id referre, ut fruatur Deo; miseram autem esse, & superbam hominis rationem, sive animam, si ad se ipsam, non ad Deum referatur.* Vocat ergo superbiam, ac proinde vitium, actiones eo ipso, quod non referantur in Deum, si nempe in hoc præcisè sistant, ut fiant consentaneè ad suam naturam rationalem. Quartum ex alijs locis, ubi sentire videtur, eo ipso quod aliquod opus nostrum non referatur in Deum, esse malum. Ea autem ratio debet fieri per actum amoris Dei saltem naturalem, ut saltem voluit Ariminenfis.

August. 11 Respondetur ad primum, observando diligenter ex P. Suar. lib. 1. cap. 7. profundè indagante mentem Augustini circa hæc, varijs ipsius locis inter se collatis; Augustinum, acerrimum impugnatores Pelagij tribuentis actibus naturalibus virtutum conducentiam per modum meriti ad salutem; in id maximè intendisse more aliorum Patrum, quando in aliquem errorem acriter invehantur, ut actuum naturalium dignitatem valdè deprimeret, usque adeò, ut interdum quasi exaggeratorie loquutus, & honestatem illis adimere videatur, & potius vitia, quam virtutes appelliet, præsertim in infidelibus. Non quod sentierit, non esse aequaliter bonos, ac virtuosos; sed quia non sunt virtuosus, & honesti eā honestate conducete meritorie ad salutem, quam volebat Pelagius: ideòque comparative ad bonitatem actuum verè salutarium, præsertim condignè merentium salutem æternam, vix boni sunt, & in infidelibus sæpenuerò mali, ac vitiosi ex pravis respectibus, sive intentionibus superbiā plenis. Sic igitur intelligendus est Augustinus in primo loco: non quod omnino velit, omnes actus malorum esse

ma-

malos; sed ut plurimum esse malos in infidelibus Ethnicis illos non referentibus ad Deum: quatenus Deum verum non respicientes, ipsos actus, qui virtuosus apparent, non tam ex honestate verè virtutis, quam ex alijs finibus pravis operantur, scilicet, aut in gratiam suorum fautorum Numinum, aut ex inani gloria, & fastu superbo: quemadmodum Gentilis ille, qui apparenter modestus, mundique contemptor, calcabat fastum Platonis; sed planè non nisi alio fastu superbiore. Vndè negatur consequentia.

12 Ad secundum similiter dico, rectè ibi requiri ab Augustino, omnia referri ad Deum, aut omnia faciendo ex amore charitatis, aut aliter ordinando in ultimum finem: non quidem, ut fiat aliquis actus virtutis utcumque bonus; sed ad vitam, ac morum honestatem; hoc est, ut homo absolute, & undequaque mores suos, vitamque undequaque bonam laudabiliter instituat, prout ad perfectè vivendum oportet: quod verissimum est. Cum quo stat, quod homo alioquin malus, aliquid exerceat boni, quamvis non ex dilectione charitatis Divinæ.

13 Ad tertium respondetur partim, sicut ad primum, & partim, sicut ad secundum, *perfectam hominis rationem* id exigere, quod nempe actiones referantur, ut fruatur Deo: quod tamen, & sine ordinatione per amorem charitatis fieri potest, & stat cum eo quod homo imperfecta vitæ aliqua opera virtutum moralium agat sine ea ordinatione. De cætero vocat Augustinus meritissimè *miseram, & superbam animam*, si ad se ipsam, hoc est, ad inanem sui gloriam, potius quam ad Deum, suas referat actiones: quod, quamvis verum sit, non est vocare superbiam, & vitium, actionem quamlibet hominis, eo ipso quod non referatur in Deum ex amore charitatis, si sistantur in ipsa honestate virtutis moralis.

14 Ad quartum dico, nunquam dici ab Augustino, quodlibet opus nostrum, eo ipso quod non referatur ad Deum per amorem Divinæ charitatis, esse malum. Si tamen aliquando dicit, non esse bonum, aut non mereri nomen virtutis, si non referatur ad Deum; ideò est, aut quia actus boni naturales non sunt boni bonitate Theologica conducente meritorie ad vitam æternam, ut errabant Pelagiani, contra quos agebat Augustinus,

parum curans, intētus in suum scopum, de alia bonitate purè philosophicā; aut quia comparative ad actus bonos earumdem virtutum ad Deum per charitatem relatos, vix alij vocari possunt simpliciter boni, & virtuosus.

August. 15 Insistat aliquis ex alio loco Augustini lib. de Morib. Eccles. cap. 25. dicens: *Quando incipit fieri bonum, non amore iustitiæ, sed timore pænæ, nondum fieri bonè.* Ergo quia actus ipse timoris, ac proinde alij actus virtutum moralium, qui fiunt à nō iusto, eo ipso non sunt boni; impotius mali. Respondet optimè Suar. cap. 5. num. 17. non satis inferri consequentiam istā. Præterquamquod aperte loquitur August. de actu timoris omnino servilis, qui nō excludit pravum affectum peccandi; imò eum retinet, & involvit; volendo scilicet ulterius peccare, nisi cohiberet timor: talis enim modus timendi certò insufficientis est ad bonè operandum. Quod si intelligatur de timore pænæ moderato excludente eiusmodi affectum, sufficit abs dubio, ut in eo dicatur quis bonè moraliter operari; quamvis non ita bonè, ut per timorem illum, si naturalis esset, disponatur meritorie ad iustificationem, ut volebat Pelagius; aut, si supernaturalis sit, & ex adiutorio gratiæ, non ita perfectè, satisque disponatur, ut per illum disponatur ultimo peccator ad iustificationem. Videndus omnino Suar. in locis citatis has responsiones firmans, & illustrans eruditè ex multis alijs loquutionibus eiusdem Augustini, nostræ concisioni opitulantis. Nobis quoque redibit de ijs sermo in Disputationibus de Merito.

SECTIO II.

Doctrina similiter incidens circa necessitatem Fidei ad quodcumque bonè moraliter operari.

16 **N**ON solum non esse necessariam Gratiam iustificantem, sed neque Fidem ad quodcumque bonum opus morale, certa quoque res est inter Authores, & denuò confirmata per Decretum Alexandri VIII. exscriptum *disp. 1. sect. 5.* damnantis inter alias triginta & vnam, hanc octavam Iansenistarum propositionem: *Necesse est, infidelium in omni opere peccare.* Convincitur ex Textu Danielis adducto m. 3. Et præter multa, quæ

Q

in

August.

Suar.

Suar.

Infra disp. 24.

Supra

disp. 1.

Alex.

VIII.

Ripal. 1.Tim.2.

in id ubertim affert Ripalda tom. 3. disp. 20. arguitur ex 1. Timoth. 2. Deus vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire: id est ad Fidem, sine qua salvari nequeunt. Vbi venire ad Fidem, non est Fidem miraculosè infundi adultis nihil agentibus; hoc enim non tam esset illos ad Fidem, quam Fidem ad illos venire; sed est per aliquos actus, quasi per quosdam animæ gressus, accedere ad agnitionem Fidei, ad illam se congruè disponendo. Non autem, per quos Gentiles referrent sua opera in suos falsos Deos, nec per alia peccaminosa; sic enim non venit ad Fidem, sed receditur, illam demerendo. Ergo per aliqua bona opera non relata ad cultum Idolorum: atque adeò facta antecedenter ad Fidem, & sine Fide, quamvis non sine auxilio gratiæ illustrantis, & inspirantis.

17 Et ratio à priori est. Quia implicat, operantem conformiter ad rectam regulam, operari obliquè, hoc est peccaminosè. Recta autem regula actionum moralium, seorsim etiam à Fide, est dictamen rectæ rationis naturalis: implicat ergo operantem conformiter ad hoc dictamen operari obliquè; imò eo ipso operatur rectè. Atqui, seorsim etiam à Fide potest materia morum proportionata lumini naturali conformari dictamini rectè rationis naturalis, v.g. colere Deum unum naturaliter cognitum, obedire parentibus, succurrere miseris: ergo absque Fide posset homo sic rectè operari. Alioquin si omnia opera infidelium essent eo ipso mala, & peccata, non possemus licitè consulere, aut suadere infidelibus, ut dum in eo statu manent, colerent Deum, & parentes, aut succurrerent miseris, ut suadebat Daniel Nabuchodonosori: quia esset illis consulere peccatum: quod omnibus prohibetur, & omninò absonat. Non igitur necessaria est Fides ad quemlibet actum moraliter bonum, & honestum.

18 Certè namque ad exercendum v. g. actum virtutis moralis misericordiæ, nec est necessaria Fides, ut cognoscatur miseria pauperis, quam utique oculis cernimus; nec, ut cognoscatur, esse bonum ei succurrere; quia hoc ratio naturalis dicat; nec, ut cognoscatur, actum illum debere referri in Deum ultimum finem; quia sufficit exerceri intuitu honestatis relucens in ipsa sublevatione

miseriæ præcisim ab ulteriori relatione in Deum: & quamvis requireretur ista relatio, fieri posset ex naturali lumine, quo nosci potest Deum esse naturalem finem, sicut & principium omnis operationis honestæ. Non est ergo caput, unde sit ad id necessarium lumen Fidei. Dicere autem, esse necessarium ex lege Dei, negantis auxilium sufficiens ad quodlibet opus bonum homini non habenti Fidem, est liberè loqui absque fundamento rationis, & auctoritatis.

19 Nobis opitulatur antiqui Patres Ecclesiæ. Nazianzenus orat. 19. Quemadmodum ex nostris plerique nobiscum non sunt, quos scilicet à communium corpore flagitiosa vitæ ratio separat; sic contra permulti exterorum, id est infidelium, à nobis stant: quicumque nimirum fidem moribus antevertunt, ac solo Christiani nomine carent, cum rem ipsam habeant. Non potuit significantius attestari veros actus bonos virtutum moralium in ijs, qui fide carent. Hieron. Epist. ad Demetriad. Multos Philosophorum audivimus, & vidimus castos, patientes, benignos, modestos, liberales, abstinentes, iustitia amatores, non minus, quam sapientia. Similiter August. de Spir. & Litt. cap. 27. In numero eorum etiam impiorum, nec Deum verum veraciter, iustèque colentium, quedam facta, vel legimus, vel novimus, vel audi vimus, quæ secundum iustitiæ regulam, non solum vituperare non possumus, verum etiam meritò, iustèque laudamus.

20 Obstrepunt Baius, & asectæ, qui, cum dicant, humanum genus per Adæ peccatum mansisse sub dominio peccati, taliter, vt sine gratia Christi, nihil posset per liberum arbitrium operari nisi peccatum; consequenter aiunt, hominem lapsum carentem fide supernaturali, quæ apud ipsos est prima gratiarum per Christum, nullum posse facere actum bonum, nisi affectum iam credendi, qui iam involvitur in ipso negotio Fidei: ac proinde, infidelem nihil omninò posse nisi peccare; sicque Fidem esse necessariam ad quodcumque benè moraliter operari. Obijciuntque nobis primò Paulum Roman. 14. dicentem: Omne, quod non est ex Fide, peccatum est: & ad Tit. 1. Omnia munda mundis; coinquinatis autem, & infidelibus nihil est mundum. Et Hæbr. 11. sine Fide impossibile est placere Deo.

21 Respondetur, primum locum exponi

Nazian.

Hieron.

August.

Baius.

Rom. 14. Tit. 1.

Hæbr. 11

August.

Ambr. Chris. Theod. Teoph. Oecum.

Suar.

Cap. fin. de Pres.

poni quidem ab Augustino, & ab alijs de Fide strictà divinà Theologica. Et iuxta hanc expositionem aiunt, loqui Paulum per figuram Miosim in sensu non utcumque negativè, sed positivè opposito Fidei: quasi dicat: quod est ex infidelitate, quod fit contra fidem ad cultum idolorum, peccatum est: & hoc est verissimum. Aliter verò Ambrosius, Chrysostomus, Theodoretus, Theophyl. Oecumen. & alij id exponunt, non de Fide Theologica, quæ speculative creditur revelata; & de qua lis est præsens cum Baianis; sed de bona fide, seu credulitate, cōfidentia, persuasione, seu dictamine pratico conscientiæ, quo prudenter iudicamus, nos in agendis benè operari. Sic autem verissimè ait Paulus, malum esse omne, quod non est ex fide; id est non ex bonà fide; cum certum sit, male agere moraliter illos omnes, qui non agunt iuxta conscientiam, quæ prudenti credulitate fidunt se bene agere. Hanc intelligentiam adstruunt eruditè Suarez cap. 6. num. 17. & Cornelius super eum Pauli locum, ut sinceriores, & aptiorem contexturâ Paulinâ in eo capite. Et, quod caput est, in eodem nostro sensu usurpantur hæc Apostoli Verba in Sacris Canonibus, ut videre est in cap. fin. de Prescriptionibus. Itaque extra rem hinc arguunt Baiani contra nos.

22 In eundem sensum coincidit secundus Locus ad Tit. Cum enim Iudæi, & aliqui Hæretici vellent persuadere Fidelibus, aliquos cibos esse immundos, id est, prohibitos illudque per legem Moy- sis; ait Paulus, mundis, hoc est, verè iam in Christum credentibus, cuncta comestibilia esse munda, hoc est, licita, utpotè scientibus, cessasse iam prohibitionem legis: coinquinatis autem, & infidelibus, illis nimirum, sive Iudæis, sive Hæreticis, qui ex conscientia erronea sibi persuadent, cibos illos adhuc esse prohibitos, nullum esse mundum: quia, si comedunt prohibitos per legem, peccant; cum existiment prohibitionem durare; si verò comedant alios illà lege permisos, etiam peccant; quia illos comedunt, ut permisos lege Moy- si, rati aliàs non fore licitos; sicque fit, nullum cibum illis esse mundum, peccantibus nimirum in utrorumque comestione.

23 Tertius Hæbr. Locus minus negotij facescit. Quoniam non significat,

quàmlibet actionem hominis, ut placeat Deo, debere procedere à Fide, ut contendeat Baius; sed loquitur de homine ipso, dicens, hominem, ut placeat Deo, tanquam amicus, & Filius adoptivus, debere habere fidem: quod est verissimum: quia debet habere gratiam adoptionis, quæ sine fide datur in nemine. Quod si Apostolus exponatur iuxta alios de fide actuali ad quamlibet actionem bonam; verba illa intellige in ordine ad meritum gloriæ, & ad veram iustitiam assequendam. Sic Suar. cap. 6. num. 18.

24 Obijciunt secundò aliqua Augustini testimonia latè urgentia. Primum tract. 86. in Ioan. Non est ut dicas: antequam crederem iam bona operabar, ideo creatus sum: quid enim est boni operis ante Fidem, cum dicat Apostolus: omne, quod non est ex fide, peccatum est; & sine fide impossibile est placere Deo? Nihil sic agit hic Princeps, (Diabolus) quàm, ut non credatur in Deum. Multa similia sapius alibi: ex quibus, utens ijsdem Scripturis, quibus abutuntur Baiani, videtur sensisse contra nos.

25 Respondetur, videri primà facie contra nos sensisse. Ceterum benè inspectus ipsa non sensit contra nos; quia sensisset contra se ipsum, prout retulimus num. 19. & videri locupletius potest apud Suar. cap. 7. Agebat nimirum in ijs, & similibus locis Augustinus de infidelibus tunc cognitis, infidelitate positiva Idolatriæ, vel Iudaismi; non de Hæreticis; qui, quamvis infideles sint, non sic tunc veniebant nomine Infidelium, sed Hæreticorum, contradistinctim utique ab Infidelibus non Christianis. Quoniam verò in eiusmodi tunc absolute dictis Infidelibus communiter, & ordinariè opera sancta, illa etiam, quæ ex obiecto præferunt honestatem, ut obedire Parentibus, & misereri pauperum, sunt ab Idolatriæ relata ad suos falsos Deos; à Iudæis autem ut conformia Legi Moy- si ex conscientia vincibiliter erronea vigoris adhuc legis suæ; ideo omnia in eiusmodi infidelibus censentur mala ab Augustino; ad id applicante prædicta Scripturæ testimonia consequenter ad ipsius expositionem memoratam num. 21. Ex quo sic benè intellecto, non concludunt pro se Baiani, nullum opus non ortum ex Fide in omnibus omninò fide Theologica carentibus esse malum.

Suar.

August.

Suar.

26 Obijciunt tertio alia testimonia eiusdem Augustini, nullum agnoscentis opus bonum, quod non sit salutare, & conducens ad vitam æternam. Cum autem opus omne salutare procedere debeat à Fide, quæ salutis initium est; sequitur, nullum opus bonum esse dabile sine Fide; atque adeo, Fidem esse necessariam ad omne omnino opus bonum. Verba Augustini lib. 4. cap. 2. contra Iulianum, agnoscentem in Infidelibus opera bona, sterilia tamen meriti vitæ æternæ, sunt hæc: *Fieri non potest, ut steriliter boni sumus; sed boni non sumus, quidquid steriliter boni sumus.* Moxque cap. 3. *Si ad consequendam veram beatitudinem, quam nobis fides per Christum promittit, nihil profunt homini virtutes, non sunt veræ virtutes.* Similia alibi. Sensit ergo, nullum dari actum bonum non salutare; ac proinde non ortum ex Fide.

27 Responderi posset, ex ijs Augustini testimonijs firmari existimationem Patris Ripaldæ non semel à nobis memoratam, & cum animadversione à nobis adhibitâ, fortè sequendam, præsertim disp. 7. sect. 3. quod nempe in præfenti Dei Lege nullum sit opus undequaque bonum, quod non sit supernaturale ex gratia per Christum; atque adeo, quod non sit salutare. Quæ verò ratione dici queat esse etiam aliquam ex Fide, dicemus disp. 12. sect. 9. Ex quo tamen pro nunc nihil concluditur ad intentum Baianorum: quia opera, non utcumque bona, quin etiam supernaturalia, & dispositivè salutaria fiunt, non orta ex Fide, sumptâ pro actu ipso iam credendi, ut volunt Baiani.

28 Respondetur tamen communiùs ex doctrinis receptoribus, negando, id non agnovisse Augustinum, ut colligi potest ex eius testimonijs adductis n. 19. Pro testimonijs autem nunc nobis obiectis, univèrsim dici solet, quod ubicumque significat Augustinus, non dari veras virtutes steriles meriti vitæ æternæ; aut veræ virtutis opera non esse alia, nisi, quæ ex fide sunt; & quæ non sunt ex fide, esse peccata; scribit contra Pelagianos, ratos, hominem non egere gratiâ per Christum ad merendam vitam æternam: & viribus liberi arbitrij valere etiam in hoc statu, (quem ipsi non putabant naturæ lapsæ sicut nos, cum originale peccatum inficiarentur) face-

re opera taliter honesta, ut vitam æternam mereantur; Fidem verò, & auxilia gratiæ per Christum iuvare quidem ad meliùs, & faciliùs; at non simpliciter ad id requiri. Hoc impugnans Augustinus, abstrahit ab operibus bonis bonitate honestatis purè philosophicæ; & totus est ad rem, circa virtutes, & opera Theologicè bona, in Sacris Scripturis commendata, ut meritoria vitæ æternæ; & de ijs, utpotè pertinentibus ad veram iustitiam, ait, non esse virtutes steriles, sed fructuosas ad præmium æternæ vitæ: atque ad istas ait, fidem esse necessariam, quod est verissimum. Quamvis enim aliquis fortè faciat actus supernaturales virtutum, si moritur non recepto habitu, & non exercitis aliquibus actibus Fidei, non consequetur salutem. In hoc igitur sensu verum est, virtutes, quæ non procedunt à Fide, non esse veras virtutes, quales intelligebat sic differens Augustinus, qualesque nos docuerunt Christus, & Apostoli, dirigentes nos ad vitam æternam.

29 Urgent hoc idem ex Ambrosio, & Hieronymo. Ille namque super Psal. 1. ait: *Virtutes sine Fide folia sunt: videntur vivere; sed prodesse non possunt: agitantur vento, quia non habent fundamentum. Quando Gentiles habent misericordiam, habent sobrietatem; sed fructum non habent?* Iste Epist. 4. docet, *Philosophos Gentiles vitium vitio, peccatumque peccato adhibuisse in medicinam.* Vincebant autem avaritiam liberalitate, luxuriam continentia, & ignaviam fortitudine: has ergo vocat Doctor Maximus vitia, & peccata. Et lib. 2. in Epist. ad Gal. ad vers. 11. cap. 3. ait: *Faciamus, & nos aliquid simile huic, quod dicitur: iustus ex fide vivit: & dicamus: castus ex fide vivit: sapiens ex fide vivit: fortis ex fide vivit: & à cæteris virtutum partibus vicinam sententiam proferamus adversus eos, qui in Christum non credentes fortes, & sapientes, & temperantes se putant esse, vel iustos; ut sciant, nullum absque Christo vivere, sine quo omnis virtus in vitio est.* Sensit igitur Ambrosius, virtutes, quæ non procedunt à fide, non esse veras, & solidas; sed habere speciem quamdam, & quasi larvam virtutis; Hieronymus autem, omnem virtutem, quæ non est ex Fide Christi, reverà vitium esse.

30 Respondetur, Ambrosium solum voluisse, virtutes, quæ non procedunt à Fide

Fide, non esse ita solidas, ac firmas, nec prodèsse ad beatè vivendum verà beatitudine, scilicet, cœlesti. Ex quo non sequitur, omnino non esse virtutes morales laude dignas, & rationi consonas. Hieronymus verò in priori loco non dixit, Philosophos illos vicisse avaritiam liberalitate, luxuriam continentia, &c. imò, supponit contrarium, id nempe, quod in ipsis erat frequentius: vitium vitio superare, avaritiam prodigalitate, luxuriam avaritiâ, ignaviam, & alia vitia vitio inanis gloriæ. Cum quo stat, quod aliquis illorum interdum ex amore veræ virtutis moralis vitium oppositum cohiberet. In posteriori loquitur in eodem Augustini sensu exposito num. 25. nempe non de infidelibus infidelitate negativâ non colentibus Deum; sed de Infidelibus, infidelitate positivâ Christianæ Religioni oppositâ: quales erant Idolatræ falsos Deos colentes, seque, & sua opera ad illos referentes. Actiones autem ex obiecto etiam suo honestæ, si ad falsum Numen referantur, eo ipso iam non sunt virtutes, sed vitia. Sic ergo illud: *sine quo (Christo) omnis virtus in vitio est*; perindè est ac si dicat: contra quem, id est negando Christum verum Deum, & in falsos Deos actiones referendo.

31 Obijciunt quartò à ratione. Sicut Fideles cuncta bona opera referunt in Deum, volentes scilicet Deo placere, saltem habitualiter; sic infideles cuncta ex obiecto honesta referunt in sua falsa Numina. Undè, sicut bona Fidelium opera in Deum relata, ab hac relatione in Deum habent specialem rationem honestatis; sic in infidelibus in falsos Deos relata deturpantur ab ista relatione. Quinimò & à non relatione in verum Deum: qui, sicut est principium, debet esse finis omnis boni. Sed qui fide Dei caret, eo ipso non refert in Deum actiones suas: ergo eo ipso cunctas facit malas. Confirmatur ex Augustino cap. 3. de Nuptijs: ubi, postquam statuisse, pudicitiam coniugalem esse donum Dei; sibi obijcit, aliquos impios, id est, infideles, illam habuisse; ex quo inferri videtur, illam non esse donum Dei per Christum; sed opus solius arbitrij: eo quia virtutes, quæ sunt dona Dei per Christum, pendent à Fide, in qua fundantur: ac proinde pudicitiam coniugalem in infi-

delibus non fuisse veram virtutem. Huic autem obiectioni respondet, pudicitiam in illis non fuisse veram virtutem, quia illam non referebant in Deum. En Augustinum: *Absit ergo, pudicum veraciter dici, qui non propter Deum verum fidem coniugalem servat uxori.* Ergo, quia pudicitia, & quævis alia virtus, deficit à ratione veræ virtutis, eo ipso quod positivè non referatur in Deum. Et lib. 4. cap. 3. contra Iulian. Pelagianum docet, impios, id est apud ipsum, Infideles, non habere veram iustitiam, sicque nec alias virtutes veras eius comites: *Quia, cum non ad suum referantur Authorem dona Dei, hoc ipso malè ijs mentes efficiuntur iniusti.* Et paulo post, cum dixisset, virtutes discerni à vitijs ex fine, subdit: *Cum itaque facit homo aliquid, ubi peccare non videtur, si non propter hoc facit, propter quod facere debet, nempe propter Deum, peccare convincitur.* Sensit ergo, eo ipso quod careant hac relatione in Deum, quæ sine fide non stat, nullas esse veras virtutes. Huc faciunt etiam à fortiore multa, quæ opposuimus, & solvimus sect. præc.

32 Respondetur, fatendo, opera ex obiecto honesta fieri inhonesta, quando, vel formaliter, vel virtualiter referuntur ab operante in falsos Deos honorandos, placandos, & ad ipsis placendum. Possunt tamen etiam Idolatræ aliqua facere ex obiecto bona sine relatione, & recordatione suorum Deorum, intenti dumtaxat ad honestatem obiectivam: tunc autem honesta erunt. Negatur deinde ex præfata non relatione in verum Deum deturpari opera ex obiecto honesta: si enim facimus opus bonum, ut per ipsum Deum placeamus, iam in hoc ipso ante relationem istam supponimus, opus esse bonum. Addo, quod, quamvis requireretur ista relatio, non hinc convincitur requiri fidem: quia posset opus referri in verum Deum discursu naturali cognitum. De necessitate huius relationis operum in Deum redibit nobis sermo

disp. 24. sect. 1.

33 Ad confirmationem dico, Augustinum in priori loco loqui contra Pelagianos, dicentes, independentem à Fide, & ab omni cognitione supernaturali, & ab omni gratia per Christum fieri ab homine opera virtutis meritoria vitæ æternæ; multosque infideles absque gratia per Christum servasse pudicitiam, quæ

August.

Infra disp. 24.

August.

Infra disp. 7.

Infra disp. 12.

Ambr.

Hi cron.

August.

ex se posset esse conducens ad salutem. Itaque, cum ait, non esse veraciter pudicum eum, qui non propter Deum verum legem servat uxori, non loquitur de quocumque infideli; sed de idolatris, de quibus loquebatur Iulianus: nec de ijs loquitur secundum quod absolute possunt; sed secundum quod ordinariè faciunt, operantes, ut placeant suis Dijs. Vnquisque enim communiter operatur ex intentione consentanea suæ Religioni veræ, aut falsæ. In posteriori loco, similiter intelligendus est contra Iulianum Pelagianum de ijs, qui malè, hoc est in cultum falsorum Numinum, aut in alios finistros fines utuntur donis veri Dei. In ultimis autem verbis clarè loquitur, suppositâ obligatione ordinandi opera in aliquos fines bonos, & interdum aliqua propter Deum: tunc autem fatemur, peccari eo ipso quod sic non ordinentur, & referantur ab operante: non quia opus ipsum sit peccatum; sed quia tunc omisio talis ordinationis peccaminosa est.

34 Insuper aliquis. Sicut Fideles solent uno actu generaliter cuncta facienda referre in verum Deum, sic infideles possunt in falsos: ergo saltem infidelis, qui sic faceret, nihil iam posset agere, quod peccatum non esset; cum iam esset relatum in falsos Deos. Negatur consequentia. Tum quia posset retractare eiusmodi relationem. Tum quia, seclusâ etiâ positivâ retractatione, eiusmodi relatio generalis operum in Deum, sive verum, sive falsum, sicut & in alios fines, non afficit singula opera, nisi in singula quoquo modo influat taliter, ut ex vi talis ordinationis, seu relationis opus fiat, vel saltem, aut alacrius, aut intensius fiat, aut cum alio singulari modulo. Potest autem evenire, quod, quamvis homo heri opera deinceps facienda retulerit in Deum, subveniat hodie pauperi ex honestate subventionis, nec intentus ad hesternam relationem in Deum, sive verum, sive falsum; nec de illa cogitans; nec magis ex illa operans, quam si nunquam extitisset. Sic autem eiusmodi præteritæ intentiones generales nec depravant opera subsequuta, si in Deos falsos fuerint; nec honestant, si in verum.

35 Idcirco spirituales Directores animarum studentium perfectioni, maxime commendant, ut sapius in die ingememus ordinationem illam operum in

Deum super omnia dilectum, ne sensim opera subsequuta fiant sine speciali hac honestate, & perfectione; non tamen quia sine ista relatione, bona utcumque, & virtuosa non sint, si ex obiecto alioquin honesta sunt. Præter Magnum Suarez cit. videri denuò super hæc potest Eminentiss. de Aguirre tom. 3. disp. 103. latè, doctè, ac piè de ijs differens. Ex quibus addemus circa hoc aliqua disp. 24.

Suar. Aguir. Infra disp. 24.

SECTIO III.

An, & ad quam conversionem peccatoris necessaria sint auxilia Gratia actualis.

36 **D**VPLEX est conversio. Una, qua Infidelis convertitur ad Fidem. Alia, qua fidelis peccator convertitur ad iustitiam. Ad illam esse necessaria gratiæ excitantis auxilia, indubitatum omnibus est. Ad istam verò dubitasse videtur Vega lib. 6. in Trid. cap. 7. volens, gratiam illustrationis, & inspirationis auxiliaris in peccatore iam fidelis non esse simpliciter necessariam, ut convertatur: quia in eo, inquit, sufficit ad hoc gratia adiuvans: intelligit autem nomine gratiæ adiuvantis concursum Dei actualem, vel influxum alicuius principij fortè habitualis emortui. Pro quo citat quoque Ripalda Alexandrum, faventibus alijs apud Curielem.

Vega

Ripald. Alex. Curiel.

37 Probari posset primò ex August. cap. 34. de Spir. & Lit. dicente: *Visorum suasionibus agit Deus, ut velimus, & credamus, sive extrinsecus per Evangelicas exhortationes, sive intrinsecus, ubi nemo habet in potestate quid ei veniat in mentem.* Videtur ergo sensisse, sufficere interdum prædicationem externam sine ulteriori auxilio interno excitante. Quod, cum pro infidelibus dici nequeat, pro fidelibus saltem intelligendum venit. Respondetur tamen, Augustinum solum voluisse, propositionem obiecti amandi, vel fugiendi, fieri aliquando merè internè, Spiritu Sancto excitante species, nullâ data occasione ex occursum rerum externarum; & aliquando, datâ hac occasione: quin tamen propterea neget, ad externam istam occasionem debere accedere illustrationem internam. Imò hoc docet expressè multis in Locis, quæ dedimus disp. 2. sect. 1. & 2. Quocirca Arausicanum can. 7. ait: *Si quis, aliquem per natu-*

August.

Supra disp. 2.

Araus.

natura vigorem salutaris prædicationi consentire posse confirmat absque illuminatione, & inspiratione spiritus Sancti, heretico fallitur spiritu.

38 Secundò. Quia si semper esset necessaria prævia illustratio, & inspiratio ad conversionem, non semper esset in hominis potestate conversio: nam eiusmodi gratiæ, nec semper dantur a Deo, nec est ad hominis libitum eas dari; cum fiant in nobis sine nobis. Sicque peccator contumax in aliquo vitæ tempore, præsertim post ultimam illustrationem sibi oblatam, maneret sine auxilio sufficienti, ut convertatur. Respondetur, semper esse in potestate peccatoris viatoris conversionem, quamvis ad hanc requiratur illustratio illa prævia: semper inquam, moraliter, & opportunè loquendo: non videlicet in singulis vitæ instantibus: neque enim semper homo vigilat à somno, nec semper adhuc vigilans actu cogitat de suo malo statu, nec de obligatione, & medijs procurandæ salutis: tempore autem somni, aut prædictæ incogitantia, non urget in actu secundo actualis obligatio conversionis, ut tam de Fidelis, quam de infideli dici necesse est ab omnibus, & ab ipso Vega; sive requiratur, sive non requiratur supernaturalis gratiæ illustratio ad conversionem: ad quam præquiri saltem naturalem aliquam cogitantiam, certum omnibus est. Sed semper, id est, frequenter in occasionibus opportunis, & urgente præsertim actuali obligatione conversionis: tunc, inquam, paratissimus adest Deus, stans ad ostium, & pulsans ad usque viæ finem illustrationibus auxiliaribus, quibus consentiens peccator possit converti. Sic Deus cumulatisimè satisfacit providentiæ suæ, & imbecillitati nostræ. Nec est durum, quod post ultimam illustrationem non detur alia; sicut nec quod post ultimam occasionem, & cogitationem naturalem non detur alia: providet enim benignissimè Pater misericordiarum, ut nulla sit ultima usque ad ultimum vitæ, & advertentiæ. Hinc addit cum alijs Ripalda, legem esse Dei nunquam sese offerre viatori bonam cogitationem malitiæ peccati, bonitatis Dei, obligationis procurandæ salutis, & similium, quin addit supernaturalis gratiæ illustratio. Sed hæc ulterius examinabuntur infra: interim videri potest è Recentibus

Ripald.

Infra, disp. 7. sect. 3.

Cardin. de Aguirre disp. 125. sect. 2. & 3. 39 Tertio. Quia peccator fidelis per ipsam fidem sufficienter excitari, moverique potest ad actus spei, penitentia, & dilectionis: ergo non eget ad conversionem aliâ speciali gratiâ auxiliari actuali excitante. Antecedens eruitur ex Trid. sess. 6. cap. 6. ibi: *Disponuntur autem ad ipsam iustitiam, dum excitati Divina gratiâ, & adiuti, fidem ex auditu concipientes, liberè moventur in Deum.* Et ratio est: quia per fidem cognoscuntur ea, quibus peccator moveri solet ad penitentiam. Respondetur, peccatorem non excitari per fidem habitualement: habitus enim est qualitas emortua, potius excitanda, quam excitans ad actum vitæ. Per fidem verò actualem excitatur quidem ad multos actus salutare sublequutos: & hoc est quod docet ibi Tridentinum. Cum autem actus fidei sit ex pia affectione supernaturali voluntatis, liberè volentis credere, necesse est, quod ad actum piæ affectionis liberæ præcedant illustrationes primò excitantes. Id quod ipsum Concilium satis indicat, dicens, disponi peccatores, dum excitati, & adiuti credunt, & deinceps liberè moventur in Deum per conversionem subsequutam ad actum credendi: quem utique antecessit excitatio, & adiutorium gratiæ actualis.

Aguirre

Trident.

40 Conclusio sit omninò tenenda cum communi Theologorum: auxilium gratiæ actualis excitantis, & adiuvantis esse actu necessarium ad conversionem peccatoris, etiam fidelis: & quamvis aliquando habuerit tempore antecedenti eiusmodi auxilia. Illustrant conclusionem eruditè Granad. disp. 2. de Grat. sect. 5. & Ripald. disp. 16. sect. 1. ex multis Patrum testimonijs. Sufficiat nobis Trident. sess. 6. cap. 3. definiens, neminem sine præveniente Spiritu Sancti inspiratione, atque adiutorio, posse credere, sperare, diligere, & penitere, sicut oportet ad iustificationem. Nomine autem inspirationis abs dubio venit actuale gratiæ excitantis auxilium.

Granad. Ripald.

41 Respondet Vega, sermonem hic esse de conversione impiorum, qui sunt infideles. Contra tamen: quia sermo generalis est de omnibus impijs. Quidquod cap. 14. sermone punctim incidente de fidelibus, ait Concilium: *Qui verò ab acceptâ iustificationis gratiâ per peccat-*

Trident.

tum exciderunt, rursus iustificari poterunt, cum, excitante Deo, per Pœnitentiæ Sacramentum merito Christi, amissam gratiam recuperare procuraverint. Accedit ratio, quâ *sect. seq.* dabimus pro necessitate auxiliij actualis ad quoslibet actus salutare hominis, etiam iusti: quæ valet à fortiori pro peccatore Fidei. Huc facit damnatio Innocentiana Propositionis 57. in Decret. ann. 1679. quæ sic erat: *Probabile est, sufficere attritionem naturalem; modò honestam: scilicet ad iustificationem Fidei per Sacramentum Pœnitentiæ. Certum ergo reliquit Pontifex, debere esse supernaturalem, ac proinde ex gratia habitam.*

Innoc.
XI.

SECTIO III.

An ad actus salutare hominis iusti? An specialitèr ad singulos? An prætereà ad externam operis executionem?

42 **C**IRCA primum, ultra Vegam, negare videntur Molina, Bellarm. Valentia, Zumel, & alij apud Ripald. *sect. 3.* Quia, ut actus elicitus influxu habituum supernaturalium sit supernaturalis, sufficit concursus sui habitus infusi: ergo non requiritur concursus, & motio auxiliij gratiæ actualis: non enim alio titulo requiritur gratiæ concursus, nisi ut actus evadat supernaturalis, & salutaris. Antecedens probatur: nam eo præcisè, quòd actus superet vires naturæ, & indigeat ad sui effectiorem adiutorio principij supernaturalis, est supernaturalis.

Vega.
Molin.
Bellarm.
Valent.
Zumel.

43 Circa secundum, præter Authores nuper allegatos, negant Suarez. *lib. 3. de Auxil. cap. 4.* & Montoya *disput. 41. de Provident. sect. 2.* asserentes, sufficere ad multos actus subordinatos unicum auxiliium excitans ad primum. Itaque, si actus v. g. imperat actum religionis; & hic actum misericordiæ, sufficiet pro tribus unum auxiliium excitans ad actum charitatis, undè alij ordinatim proficiscuntur. Dissentit Ripalda *sect. 8.*

Ripald.
Bellarm.
Ruard.
Granad.

44 Circa tertium negant Bellarminus, & Ruardus. Affirmant Montoya, & Granadus, ad externam etiam operis executionem requiri speciale auxiliium ultra illud, quod exhibetur ad actum internum. Quia contingit, opus externum esse efficaciter affectivè volitum; & vel

re ipsa non fieri; vel fieri sine aliqua circumstantia volita: ut ergo sic ipsa fiat, requiritur specialis gratia. Et quidem SS. Patres, adhuc post voluntatem operis, requirere videntur auxiliium gratiæ ad operis perfectionem, ut legere est in eorum testimonijs apud Montoyam.

Montoy.

45 Prima conclusio circa primum. Auxilia gratiæ actualis sunt etiam necessaria homini iusto ad exercèdos actus salutare meritorios. Sic S. Thom. Suarez, Lefius, & fusè Montoya *disp. 41. de Provid. à sect. 5.* & Ripald. *sect. 5.* ex uberrimâ eruditione Conciliorum, & Patrum, univèrsim commendantium actualis gratiæ necessitatè ad actus salutare, nullo quoad hoc interiecto discrimine iustorum ab iniustis; sicut nec ex *sect. præced.* fidelium ab infidelibus. Et ratio est: quia omnis actus salutaris, etiam factus ex influxu habituum supernaturalium, præsupponit excitationem aliquam, sive illustrationem, qua formaliter anima illuminetur: habitus enim, cum emortui sint, nec formaliter excitant, nec illuminant, nec movent: ea autem illustratio, & proportionata excitatio ad actum supernaturalem bonum est auxiliium gratiæ actualis: hoc igitur necessarium est ad actus salutare hominis etiam iusti, & habitibus virtutum instructi.

S. Thom.
Suarez.
Lefius.
Montoy.
Ripald.

46 Ad rationem oppositam *num. 42.* constabit *sect. 6. & seq.* ubi penitabitur, quanta sit ea auxiliiorum necessitas. Nunc, concessio antecedente, fateor ad consequentiam, non requiri eiusmodi concursus, & motionè auxiliij gratiæ actualis ad hoc præcisè, ut actus evadat supernaturalis, quod ibi probatur: requiritur tamen saltem ex lege Dei, ut actus ille supernaturalis fiat connaturaliter. Quod intelligo de auxiliio gratiæ Theologicæ quoad entitatem supernaturalis: nam aliqua excitatio quodammodo gratuita saltem entitativè naturalis, necessaria est ad quemlibet actum bonum voluntatis, eâ saltem necessitate, qua requiritur ad quemlibet actum voluntatis præilluminationem intellectus.

47 Secunda conclusio. Non sunt necessaria singula gratiæ actualis auxilia ad singulos actus salutare. Probatur ratione positâ ex Suarez. & Montoy. *num. 43.* & confirmatur: quia non est, cur unica illustratio non valeat illuminare, & unica inspiratio benè afficere voluntatem erga varia

varia bona: potest igitur unica prodesse, & sufficere ad multos consensus salutare circa varia obiecta. Sic Beatus unica Dei visione satis, superque movetur, & excitatur ad amorem Dei, & ad alios actus virtutum, quin ad singulos egeat novâ gratiâ excitante, ut de Christo diximus cum Suarez. *disp. 14. de Incarnat. num. 1.* non indignis aliâ gratiâ actuali excitante, & adjuvante præter visionem Dei, & continuum Dei amorem.

Suar.
Tom. de
Incarn.
disp. 14.

48 Tertia conclusio. Ad executionem operis externi actualiter voliti, nobis possibilis, nostroque arbitrio subiecti, necessarium non est speciale aliud auxiliium gratiæ vltra illud, quod adest ad volitionem internam salutarem. Nisi fortè quis velit, speciale auxiliium vocare hanc ipsam volitionem iuxta id quod diximus *disp. 2. sect. 5.* actus etiam nostros deliberatos fortiori rationem auxiliij respectu subsequenti. Dixi: *nobis possibilis*: certum enim est, quòd, si ad executionem operis voliti deest nobis potestas executrix, egeamus novo iuvamine, ut fiamus potentes exequi. Dixi: *actualitèr voliti*: quia, si nunc decerno, dare post annum elemosynam, & interim evanescit ea mea volitio, certum est, quòd ad exequendam post annum salutariter elemosynam, egeo novâ gratiâ; quia egeo novâ volitione salutari.

Supra.
disp. 2.

49 Ratio conclusionis est. Quia ad exequendum opus nobis possibile, nihil amplius requiritur, præter volitionem feriam, & efficacem illius: nam sic volente arbitrio opus externum executioni mandare, eo ipso erit executio, nisi prætereat actualis volitio interna, aut desit potestas executiva externa: ergo, suppositâ istâ potestate, & perseverante efficaci volitione, eo ipso mandabitur opus executioni: alioquin arguitur, eam volitionem non esse feriam, & affectivè efficacem: volitionem enim esse affectivè efficacem est esse necessariò inductivam rei volitæ, constitutæ in potestate expeditæ volentis. Plura Ripalda *sect. 10.*

Ripald.

50 Nec nobis obsunt Sancti PP. nobis obiecti *ad finem num. 44.* Rectè enim intelliguntur ita, ut ultra volitionem internam salutarem requiratur peculiare auxiliium Dei ad executionem operis externi, quando, aut volitio illa interna non erat efficax, aut opus externum est supra potestatem, viresque volentis,

aut quando illa prima volitio non durat ad tempus usque executionis externæ, aut quando non fuerunt volitæ simul cum substantia operis omnes circumstantiæ requisitæ ad eius perfectionem: tunc enim requireretur novum auxiliium ad volitionem internam salutarem novarum circumstantiarum. Omnes autem hos casus salvar nostra conclusio, atque adeo, & autoritates etiam SS. Patrum, accumulatas à Montoya.

51 Hinc etiam ad rationem ibidem oppositam, negandum est, non fieri re ipsa opus externum ferio, & efficaciter affectivè volitum, quando est nobis possibile, & constitutum in arbitrio sic volentis illud, eiusque circumstantias. Quod si aliquando non fit, aut imperfecitè fit, est propter aliquam ex rationibus assignatis supra in casibus à nobis exceptis: pro quibus iam ultrò fatemur necessitatem ulterioris auxiliij.

SECTIO V.

An ea necessitas sit auxiliiorum gratia illustrantis; an afficientis, seu inspirantis; an utriusque.

52 **E**SSE saltem auxiliiorum gratiæ illustrantis, pertinentis ad intellectum per sanctas cogitationes, probare videntur rationes, & autoritates, quibus hætenus usi sumus. In quo tamen posset adhuc subdubitari: quæ, & qualis sit sancta illustratio, seu cogitatio necessaria ad actum salutarem. Amaturos enim salutariter bonitatem Dei solet præcogitare de ipsa Dei bonitate, & de amore talis bonitatis per duas distinctas cogitationes, ambas sanctas, ambas supernaturales, ambas ab Spiritu Sancto immisissas. Dubium est, utra illarum necessaria sit ad eliciendum actum salutarem amoris Dei.

53 Standum videtur pro illa priore, ut potius supponunt, quam probant communiter Authores. Nam, positâ priore illâ cogitatione de bonitate Dei, posterior alia de amore, nec requiritur ad proponendum obiectum, cum obiectum talis amoris non sit amor, sed bonitas Dei satis proposita per priorem: nec requiritur ad applicandam, seu movendam voluntatem ad amandum: præcedente namque illustratione, seu cogitatione

R

tione

tione sancta de bonitate Dei, voluntas est satis instructa ex parte intellectus, ut se liberè determinet ad amorem bonitatis cognita. Necessaria ergo non est, quavis frequens sit, alia posterior cogitatio de amore.

54 Dicit aliquis, amorem illum salutarem Dei debere in praxi fieri iuxta dictamen prudentiae: ergo supponere debet dictamen prudentiae, & quidem supernaturale, approbans reflexè ipsum amorem: eiusmodi autem dictamen est auxilium sanctae cogitationis distinctae à cogitatione obiecti amandi. Sed respondetur, negando consequentiam: quia, ut amor ille sit iuxta dictamen prudentiae, sufficit, taliter fieri ex consideratione directae sui obiecti, & circumstantiarum, ut, si prudentia reflexè super illum animadvertat, debeat illum approbare: ad id autem non opus est dictamine reflexo prudentiae actu existente dum actus amoris fit. Sic dicitur arguens, formare syllogismos iuxta regulas Dialecticae: quamvis saepe dum syllogizat non habeat dictamen actu regulans: quia format syllogismos regulis conformes: hoc est, quos approbare debeat Dialectica, si per suas regulas illos examinet.

55 Difficultas iam est: an, posito auxilio gratiae sanctae cogitationis, seu illustrationis ex parte intellectus, necessarium praeterea sit auxilium aliud sanctae inspirationis, seu affectionis ex parte voluntatis, ad liberè exercendum actum salutarem. Nomine gratiae actualis sanctae inspirationis, & affectionis intelligimus pios motus subitos, & affectiones indeliberatas voluntatis.

56 Atque in primis, sicut nuper dicebamus de sancta cogitatione, dico nunc de affectione, ad actum salutarem non requiri reflexam de ipso actu salutari, sed directam circa obiectum bonum talis actus. Cum enim nihil sit volitum quin praecognitum, nequit voluntas habere reflexam illam affectionem circa actum salutarem eliciendum, quin praecedat cogitatio reflexa de actu: non ergo necessaria est affectio illa reflexa, si verum est quod diximus, cogitationem istam reflexam non esse necessariam. Praeterea eiusmodi affectio nec est necessaria titulo principij actus salutaris; cum absque illa detur sufficiens virtus activa: nec titulo applicationis voluntatis ad illum

eliciendum; cum satis applicetur, moveaturque voluntas ad illum per illustrationem, & affectionem simplicem directè versantes circa bonitatem obiecti: nullo igitur ex capite requiritur affectio illa reflexa circa actum. Et quidem auctoritates Sanctorum, adduci solitae pro necessitate sanctarum affectionum, non de reflexa circa actum, sed de directa circa obiectum procedunt. Non propterea negamus, has etiam reflexas peritiles esse posse, ut avidius, se voluntas determinat ad actum salutarem.

57 Lis ergo praesens est de necessitate sanctae affectionis directae indeliberatae circa obiectum salutarem amandum, ultra illustrationem auxiliarem, tenentem se ex parte intellectus. In qua P. Granad. tract. 5. de Grat. disp. 2. sect. 5. §. 4. docet, esse quoque necessariam in homine carente habitibus supernaturalibus virtutum; non in alijs.

58 Displicet aliquibus ista distinctio, sic nudè prolata: ob rationem iam à nobis attacham. Nam habitus, cum sint quid emortuum, & subjiciantur determinationi voluntatis, non habent de suo formaliter munus excitandi, & afficiendi: auxilia autem gratiae actualis necessaria dicuntur, ut praeviant, excitando, vocando, alliciendo, & benè afficiendo animam quasi sopitam, & saepe aversam, ad opera salutis: ergo adesse, vel non adesse habitus virtutum nihil facit ad necessitatem gratiae actualis sanctarum affectionum. Dicitur: sic nudè prolata: propter id, quod notat Suar. lib. 3. cap. 8. num. 31. quod in homine iusto, prompto iam, & facili ad actus salutares virtutum, dici posset, non esse tam necessariam gratiam actualem sanctae affectionis, ac in peccatore, qui propter desuetudinem benè operandi, & vigorem vitiorum, difficilius applicatur ad bonum. Quoniam affectiones illae pia indeliberatae, sunt, ut emolliant, inclinent, trahantque dulciter voluntatem ad amorem salutarem boni propositi: id autem non est ita necessarium in homine iam benè morato, sicut in impio, & ab operibus virtutis alieno.

59 P. Ripalda disp. 106. sect. 6. citans Albeldam, Montoyam, & Fulliensem, generalius docet, tam iusto, quam impio necessariam esse, praeter illustrationem, gratiam actualem sanctae affectionis, sive inspi-

Gran.

Suar.

Ripal.
Albel.
Montoy.
Fullien.

inspirationis ad actum salutarem. Probat ex Concilijs, & Patribus: qui, loquentes de necessitate gratiae actualis, hanc significant nominibus illustrationis, & inspirationis: eas ex aequo requirentes ad actus salutares: inspiratio autem est affectio sancta voluntatis: ergo, quia haec est aequè necessaria, ac illustratio, pertinet ad intellectum. Responderi solet, nomine inspirationis venire etiam interdum ipsam illustrationem, ut discere est in Trident. sess. 6. can. 5. ait enim: tangente Deo cor hominis per illuminationem, &c. & subdit: neque ipse omnino nihil agit, ipsam inspirationem recipiens. Unde, ex eo quod Patres requirunt inspirationem, non requirunt auxilium distinctum ab illustratione, quales sunt affectiones illae sanctae. Contra est tamen, quod saepe PP. & CC. auxilia, quae requirunt, vocant suavitatem, delectationem, dulcedinem, piam dilectionem, & affectionem, ut legere est apud Suar. cap. 7. Montoy. disp. 30. & Rip. cit. quae voces non sic aptantur solis illustrationibus; sed affectionibus voluntatis: ergo ex ore, & mente Sanctorum PP. necessaria est, ultra gratiam illustrationis, alia gratia, quae sit motus, sine affectus indeliberatus à Deo immisus in corda nobis sine nobis, tenens se ex parte voluntatis antecedenter ad actum salutarem deliberatum.

60 Probat alij à paritate actuum Fidei, ad quos praerequiritur pia affectio voluntatis: ergo similiter ad actus voluntatis salutares. Hoc tamen est confundere minus aptè cum inspirationibus, de quibus loquimur, seu cum affectionibus indeliberatis liberam voluntatem credendi, quae est pia affectio deliberatissima, requisita, ut homo meritorie credat, & sine qua actus fidei, qui actus intellectus est, propria carens libertate, non dicitur meritorius. Unde nulla est consequentia ad actus salutares voluntatis, quorum est propria libertas requisita ad meritum.

61 Probat aptius Ripalda ab alia paritate ex naturalibus. Nam ad quemlibet actum nostrum liberum naturalem amoris praerequiritur affectio indeliberata naturalis circa idem obiectum: ergo ad supernaturalem supernaturalem. Nam ordo gratiae solet emulari ordinem naturae, ut fatemur in illustrationibus praerequisitis ad actus supernatura-

les voluntatis, ad modum quo naturalis praecognitio ad naturales. Sicut ergo in naturalibus, proposita per naturalem praecognitionem obiecti bonitate, insurgit subito voluntati affectio simplex indeliberata naturalis erga obiectum bonum ante amorem deliberatum naturalem eiusdem obiecti; similiter & affectio simplex indeliberata supernaturalis ante amorem salutarem deliberatum supernaturalem, proposita per illustrationem supernaturalem bonitate obiecti

62 Primum antecedens probari solet. Primum ex natura libertatis: ut enim voluntas amet liberè bonum, necesse est, quod ipsi placeat: unde rogatus amans, cur amet, dicit, quia placet: quod non sic accidit non operantibus liberè: ergo ante amorem liberum boni propositi, praerequiritur affectio quaedam indeliberata, quae sibi complacet voluntas in bonitate, quam postea liberè amplectitur, quia placuit. Secundò à paritatibus appetitus, & intellectus. Nam, proposito bono per sensationem exte. nam, necessariò, excitatur in appetitu sensitivo affectio naturalis materialis circa bonum sensibile: sic ergo & affectio spiritualis in voluntate, quando per intellectum proponitur bonum spiritualiter. Insuper ad iudicia intellectus necessariò praecedunt apprehensiones simplices, qui sunt actus minus perfecti circa obiectum iudicandum: ergo similiter ad amorem deliberatum voluntatis, affectio minus perfecta, quae sit motus simplex indeliberatus eiusdem voluntatis circa obiectum postea liberè amplectendum.

63 His tamen probationibus non acquiescunt alij. Ad primam dicunt, Deum liberè amare bonum creatum, quia vult, & quia sibi placet; quin tamen inde valeat argui, praecedere in Deo ad amorem liberum eiusmodi motus, sive affectiones indeliberatas: sunt enim motus ex se imperfecti Deo indigni. Nec in nobis id probat modus ille noster respondendi, quia placet: nam, ut benè notat Quiros tom. 1. disp. 62. sect. 3. per id solum significatur, aut approbatio intellectus, aut libertas voluntatis sic volentis, cum posset nolle; nequiquam verò volitio, seu affectio alia praecedens in voluntate. Saltem enim divinitus posset voluntas liberè amare, nullà praecedente affectione indeliberata: quis hoc neget? Tunc au-

tem verissimè quoque diceretur amare, *quia vult, & quia placet*: hic ergo modus dicendi non indicat præviā affectionem. Ad secundam, nec rem convincunt illæ paritates. Ad quarum priorem negatur consequentia, ob disparē rationem: quia nempe voluntas, cuius operatio sequitur propositionem spiritualem boni, est potentia libera, talis natura, ut proposita indifferenter bonitate, alijque positis requisitis, possit pro libito velle, vel nolle: appetitus verò sensitivus non fertur liberè, sed per motus indeliberatos, & ex se necessarios: undè est, quòd iuxta ipsius naturam non nisi indeliberatæ affectiones materiales resultent in illo ex propositione sui boni: nisi fortè à libertate voluntatis preveniantur. Nec magis urget posterior paritas iudiciorum intellectus: quamvis enim verum sit in nobis antecedens regulariter loquendo; non est tamen, cur nequeat exponi veritas intellectui ita perspicua, ut sine prævijs apprehensionibus iudicet. Sic autem servatā paritate, iam concederetur consequentia.

64 Quapropter aliter probat Ripalda suum illud antecedens. Quia connaturalis modus operandi est, incipiendo à minus perfectis, & progrediendo ad perfectiora: ut patet in intellectu, qui prius subobscurè percipit, & deinde clarè concipit veritates. Id ergo imitatur voluntas: sicque, proposito sibi bono, prius necesse est, quòd motu minus perfecto feratur in illud, nempe affectu subdito, ac indeliberato, antequam illud deliberatè prosequatur, aut respuat. Id quòd tam circa mala, quam circa bona monstrat experientia: vix enim nobis proponuntur, cum ante exercitiam libertatis primò ferimur in illa, aut avertimur motu aliquo simplici libertatis experite. Quòd facit disertè S. Thom. 1. 2. *quest. 9. art. 4.* docens, voluntatem movere se ipsam ad eos actus, quos agit cum consilio, ac deliberatione; ad primum verò actum non moveri à se, sed ab alio principio extrinseco: & concludit: *undè necesse est ponere, quòd in primum motum voluntas prodeat ex instinctu alienius exterioris moventis.* Hæc quidem probatio momenti est; à cuius doctrina oportet non discedere. Cæterum tantummodò probare videtur, sic fieri regulariter, & prout in plurimum.

S. Thom.

65 Conclusio ex ijs bipartita sit. Auxilium sanctæ affectionis, seu inspirationis supernaturalis, pertinens ad voluntatem, regulariter, & prout in plurimum, est absolutè necessarium, præter illustrationem, ad actus salutes: non tamen ita simpliciter necessarium, sicut auxilium sanctæ illustrationis supernaturalis pertinens ad intellectum. Conclusio procedit etiam pro homine iam iusto: nam quoad hoc non admittimus discrimen positum *num. 57.* & reiectum *num. 58.*

66 Priorem partem conclusionis tradit latè Doctor Eximius *cap. 7.* & videtur à nemine posse negari. Primò propter auctoritates memoratas *num. 59.* quæ, cum sæpius loquantur expressè de auxilio sanctæ affectionis, tenente se ex parte voluntatis, aliquam edocent illius necessitatem ad actus salutes: ergo eam saltem, quam dicit prior nostræ conclusionis pars. Secundo propter rationem instauratam *num. 64.* quam dignè expendit Suar. eam indigentiam incipiendi à motibus illis subitis minus perfectis tribuens imbecillitati naturæ minus præparatæ ad magis perfectæ: præsertim postquam per originale non solum ignorantiam contraximus; sed infirmitatem etiam operandi secundum rationem, præventam deinceps ab appetitu, ut ex Aug. docuit S. Thom. 1. 2. *quest. 109. art. 2.* Undè, & intellectus indiget excitatione propter ignorantiam; & voluntas erectione sanctarum affectionum propter imbecillitatem, & tarditatem ad bonum liberè amplectendum. Tertio: quia voluntatem inter, & intellectum latet naturalis sympathia, illi similis, quæ est inter sensum, & appetitum. Undè, sicut, percipiente sensu obiectum delectabile, vel doloriferum, subito tangitur appetitus motu aliquo, aut prosecutionis, aut fugæ; sic, illustrato intellectu aliqua sancta cogitatione obiecti honesti, vel turpis, subito pulsatur voluntas pio aliquo motu, aut prosecutionis, aut fugæ: & quidem indeliberato: nam ut plurimum prima rei cognitio est in nobis imperfecta, nec taliter proponit obiectum, ut illicò fiat voluntas plenè domina suæ operationis: ideoque primus ille motus evadit ut plurimum indeliberatus. Congruum autem est, quòd quando obiecti propositio fuit illustratio supernaturalis, motus ille voluntatis indeliberatè sub-

Suar.

Aug.
S. Thom.

subsequens, sit etiam supernaturalis, ut opus est ad rationem auxilij gratiæ actualis, iuxta dicta *num. 61.*

67 Posteriorē conclusionis partem tradunt etiam Suar. ubi supra, & *lib. 3. de Auxil. cap. 4.* Vasq. 1. 2. *disp. 185.* & Herize in doctissimis Manuscriptis. Primò à paritate, quæ placuit ipsis Adversarijs. Nam in naturalibus ad actum naturalem deliberatum voluntatis non est tam necessaria affectio prævia naturalis indeliberata, ac est præcognitio naturalis; cum absque præcognitione, nec in Deo dari queat nilus actus voluntatis; quia nihil volitum, quis præcognitum; benè tamen sine prævia affectione indeliberatā: similiter ergo discurrere liceat in supernaturalibus. Secundo à ratione indidem ductā. Quia dependentia voluntatis in operando non tanta est à prævijs illis moribus, five affectionibus suis, quanta est à prævia cognitione intellectus: nam sine ista nullum actum suum elicit; benè verò sine illis; cum aliquem actum, saltem indeliberatum, operetur, quem alter actus suus non precedat, ne abeat in infinitum: mirum igitur haud est, quòd in supernaturalibus dicamus, non esse tam necessariā ad actus voluntatis salutes affectionem præviā, tenentem se ex parte ipsius voluntatis, ac est illustratio supernaturalis, tenens se ex parte intellectus. Tertio: quia, quamvis ob imperfectionem primæ cognitionis, ut ratiocinabamur *num. præc.* aut ob aliam ex causis, quæ retardare solent voluntatem ab actu deliberato, necesse sit regulariter, incipi ab indeliberato minus perfecto; evenire tamen potest, quòd prima cognitio valdè penetret obiectum, illudque plenè proponat voluntati rectè dispositæ; cur autem hinc non poterit voluntas ita præparatè liberè agere, ut primus actus circa obiectum sic propositum sit deliberatus, quin incipiat ab indeliberato? Sic autem evenire quandoque posset in ordine gratiæ; quòd nempe prima illustratio intellectus clarissima sit, & valdè vivida; & voluntas bene morata instructa sit habitibus virtuosis, aut aliter completissima in actu primò ad actum liberum salutare: cur autem non poterit, non expectatā prævia affectione indeliberatā, primum suum actum elicere liberum, & salutarem? Sicque evenisse in Sanctissi-

Suar.
Vasq.
Heriz.

mā Virgine viatrice indicat Suárez. *Suar.*

68 Obstat nobis quoad hanc partem doctus Ripalda ubi supra, nixus testimonijs Conciliorum, & Patrum apud ipsum videndis, & a nobis insinuat *num. 59.* Respondetur tamen, negorium ibi Patribus fuisse contra Pelagium, inficiantem absolutè necessitatem gratiæ: contra quem statuunt absolutè eam necessitatem ad actus salutes; quam & nos absolutè fatemur de gratia; five illustrante, five inspirante: quamvis de hac speciali, & strictius ob rationes dictas petitas ex naturis rerum. Quando verò speciatim requirunt gratiam inspirantem sanctarum affectionum, sat est, quòd intelligantur iuxta regularem nostrum modum operandi in natura lapsa, tande intelligente, & ut plurimum retracta à bono per resistentiam appetitus, & passionum rebellantium contra rationem; ideoque indigente, præter illustrationem intellectus, novo incitamento sanctarum affectionum voluntatis, quibus desuper emolliatur cor, & alliciatur ad bonum. Et, quamvis quandoque loquantur indifferenter de necessitate utriusque illius gratiæ, intelligendi consequenter veniunt cum distributione accomodā iuxta subiectam materiam, observato suo inter illas discrimine, iuxta secundam partem nostræ conclusionis.

69 Superest dubium: an auxilium gratiæ sanctæ affectionis æstimandum sit novum, ac diversum moraliter beneficium, à gratiā precedentis illustrationis. Ratio dubitandi est. Quia, præsuppositā illustratione supernaturali; connaturaliter subsequitur sancta affectio indeliberata etiam supernaturalis, ut supra ratiocinabamur: ergo moraliter æstimantur, & reputantur ut unum in ratione beneficij: quemadmodum dicebamus alibi, gratiam internam æstimandam fore unum beneficium cum propositione externā obiectorum, si ex hac connaturaliter sequeretur. Sic nonnulli apud Ripal. *disp. 103. sect. 6.* Nihilotamen minus ipse indicat oppositum ex Concilijs, & Patribus, quos allegat. Quia, quamvis gratiæ præillustrationis debeatur connaturaliter subsequens aliqua affectio subita indeliberata; non verò tanta, ac talis, quanta credere est erogari à Deo munificentissimè effundente dona suarum gratiarum: saltem ergo quoad

Suar.

Ripal.

Ripal.]

quoad eiusmodi excessum, præillustrationi indebitum, æstimanda est nova gratia, non solum physicè, verumetiam moraliter in ratione beneficij, gratia subsequens affectionis. Et sic putandum est prout de facto: quidquid sit de possibili, si Deus ad mensuram dumtaxat debiti connaturalis physici illustrationum præcedentium erogaret subsequentes inspirationes affectivas. In quo ad summum casu valeret discursus rationis dubitandi.

SECTIO VI.

Quanta sit ea auxiliorum gratia actualis illustrantis, & inspirantis necessitas ad actus salutes.

70 **T**ANTA quidem est, ut regulariter de lege Dei ordinariâ nullus valeat fieri à nobis actus salutaris, id est supernaturalis, aut meritorius, absque auxilio gratiæ actualis saltem illustrantis. Non tamen est tanta, ut nec de potentia Dei absoluta fieri sine illa non possit ex natura rei in alia Dei lege ab homine habitibus supernaturalibus instructo, aut aliter extrinsecus elevato per specialem Omnipotentia assistentiam, iuxta dicta *disp. præc. sect. 10. & 11.*

71 Primam conclusionis partem inter Theologos communem, & indubitam, probant ad minus auctoritates Conciliorum, & Patrum, sæpè in superioribus allegata de necessitate gratiæ auxiliantis adversus Pelagium. Quod si contra hoc dixit Sotus, posse hominem diligere Deum supernaturaliter, sicque iustificari ex cognitione dumtaxat naturali bonitatis Dei, coactus fuit id retractare, ut legitur apud Oviedum *corr. 8. de Crat. punct. 4.* Dixi in hac parte conclusionis: gratiæ actualis, saltem illustrantis: ut indicarem, non esse omnino parem necessitatem gratiæ sanctæ affectionis, ac est gratiæ sanctæ illustrationis, iuxta doctrinam sectionis præced. à num. 67.

72 Secundam partem, quæ inter Scholasticos controversatur, tenent omnes ij, qui opinantur, fieri posse actus naturales ex motione aliorum naturalium, v.g. actum voluntatis supernaturalem ex præcognitione naturali obiecti, & actum voluntatis supernaturalem ex imperio naturali alterius actus voluntatis impe-

rantis. Ripalda *disp. 14. 49. & 106.* Montoya *disp. 44. de Prov.* Coninc *disp. 14. de Fide, dub. 8.* Lumbier *g. 10. de Fide, art. 6.* citans Arriagam, & Card. de Lugo. Tannerus, & Gasp. Hurt. citans manuscripta Patris Vasq. apud Ovied. cit. qui non omnino dissentit, ut colligitur ex num. 58. quamvis in præcedentibus dissentire videatur. Idque probabile censuit Suarez *lib. 3. de Aux. cap. 4. num. 12.* & supponere videtur *rom. 2. de Crat. lib. 3. cap. 10. num. 15.* Adversantur communiter alij. Alvarez, Albelda, Petrus Hurt. & P. Petrus de Oxea *disp. 11. de Fide, sect. 5.*

73 Ratio nobis est. Quia homo iam instructus habitu, v.g. charitatis supernaturali, (nam si alioquin omni etiam alio principio supernaturali careat, certum est, indigere omnino gratiæ actualis auxilio ad actum salutarem) habens cognitionem naturalem bonitatis Dei, & piam affectionem etiam naturalem erga Deum, esset iam per hæc proximè potens elicere amorem Dei liberum supernaturalem: ergo fieri posset saltem de absolutâ ab homine iusto actus salutaris absque prævio auxilio illustrationis, & inspirationis entitativè supernaturali: atque adeo istorum necessitas non est summa, ac metaphysica ex natura rei ad actum liberum supernaturalem. Antecedens, quod devolvitur difficultas, probatur. Quia si non esset, maximè ob defectum, aut virtutis effectivæ, aut illuminationis, excitationis, vel propositionis sufficientis, ut virtus effectiva eliciat actum supernaturalem: sed neutro ex capite: ergo, &c.

74 Quoad primum caput probatur minor. Supponimus enim in homine habitum supernaturalem charitatis, qui cum voluntate per ipsum elevatâ, & præparatione Omnipotentia, est sufficiens virtus effectiva amoris supernaturalis: præmaximè iuxta multos ex Adv. sarijs, negantibus, auxilia actualia illustrationum, & inspirationum esse causas physicè effectivas actuum salutarium: & quavis nos id affirmemus, dum illæ adiunt, non sequitur, quod, si deessent, non esset quoque sufficiens virtus effectiva in habitu elevante, & voluntate elevatâ: quemadmodum, quamvis unus ignis, si præsens adest, coëfficiat cum alio tertium ignem, non inde fit, uno absente, si alius adsit, non esse quoque virtutem ad

Ripal.
Montoye
Coninc.
Tann.
Hurt.
Vasq.
Ovied.
Suar.
Lumb.
Lug.
Arria.
Alvar.
Albel.
Hurt.
Oxea.

Suprà,
disp. 5.

ad tertium ignem. Accedit, quod, quamvis virtus habituum, & voluntatis non esset per se sufficiens, non est cur pars illa virtutis coëflectivæ illustrationum, & inspirationum supernaturalium, non posset suppleri, casu quo illæ deessent, per virtutem Omnipotentia specialius applicatâ, iuxta doctrinam quam expendimus *disp. præc. sect. 10. & 11.* sicut suppletur defectus virtutis habituum in peccatore, aut in infideli, exercente sine habitibus multos actus supernaturales, quibus se disponit. Non est igitur cur ob defectum virtutis effectivæ physicæ nequeat omnino fieri ab homine iusto actus salutaris absque auxilio gratiæ actualis illustrantis, & inspirantis entitativè supernaturalis, inspectis præcisè naturis rerum.

75 Quoad secundum verò caput, probatur eadè minor. Supponitur enim etiam in eiusmodi homine cognitio proponens bonitatem Dei, & affectio pia erga Deum: quod sufficit, ne voluntas feratur cæco modo, & ut benè præaffecta sit in Deum. Quid igitur deest, ut liberè amet Deum ijs viribus, quas præsentis habet; ac proinde actu amoris supernaturali viribus habitibus supernaturalis, quem supponimus habere? Respondent, deesse præilluminationem entitativè supernaturalem; quia naturalis est improporcionata ad amorem supernaturalem: ideòque esse quasi non esset ad excitandum habitum supernaturalem.

76 Contra tamen primò. Quia, dum sermo est de potestate Dei absolutâ, non sic attenditur rerum proportio: materia enim indisposita improporcionata est ad recipiendam formam; & tamen de absolutâ Dei potentia potest forma ignis recipi in materia sine prævio calore. Ex quo non desunt, qui dicant, & forsàn verè, posse divinitus elici actum voluntatis sine prævia cognitione. Hoc verò nunc non volumus, quamvis posset nobis prodesse: solum inferimus, quod improporcionatio præilluminationis naturalis ad amorem supernaturalem non obest, quominus valeat hic de potentia Dei absoluta elici à voluntate, & habitu supernaturali ex præilluminatione entitativè naturali. Sicque ista non est quasi non esset; quia, si non esset, nullatenus illuminaret. Nec nata est ad excitandum habitum, sive naturalem, sive supernatura-

lem; sed ad excitandam voluntatem, quæ excitata ad agendum, agit, si vult, viribus, quas præsentis habet, sive naturales, sive supernaturales.

77 Contra secundò. Nam ea improporcionatio non obstat supernaturalitati actus: ut enim actus sit supernaturalis, sufficit, quod unum exigat comprincipium supernaturale: cum id sufficiat, ut superet naturam, & ut in tota natura non sint vires sufficientes ad ipsum: ergo titulo supernaturalitatis non exigit omnino præilluminationem entitativè supernaturalem, dum adest iam unum comprincipium supernaturale, scilicet habitus; aut, si mavis, tota Dei Omnipotentia specialiter applicata ad elevandam naturam. Quo igitur titulo? Certè, voluntas naturalis est, & de suo improporcionata ad agendum supernaturaliter: & tamen elevata intrinsecè per habitum, aut extrinsecè per Omnipotentiam specialius assistentem, agit supernaturaliter: sic ergo, quamvis præilluminatione illa naturalis improporcionata de suo sit ad amorem supernaturalem, elevata similiter per habitum, aut per Omnipotentiam deservire poterit ad eliciendum amorem supernaturalem.

78 Respondent, disparitatem esse, quod voluntas est principium efficiens amorem; illa verò præilluminatione, aut non est principium efficiens, sed formale; aut est efficiens, simulque in genere causæ formalis movens ad actum: atque adeò movens per se ipsum, & insupplebiliter ab ullâ elevatione extrinsecâ. Virgo tamen. Voluntas naturalis est principium efficiens, simulque recipiens amorem: & id, quod dicitur, causare per se ipsum, æquè dicitur de causâ materiali, seu receptivâ, ac de formali, contrapositè ad efficientem. Atqui comprincipium supernaturale elevans voluntatem ad efficiendum amorem, elevat eo ipso ad recipiendum in genere causæ materialis: ergo & illuminationem etiam naturalem ad causandum in illo quoque genere causæ formalis, aut quasi formalis, utcumque id dicatur. Et ratio est. Quia habitus elevans voluntatem, ut efficiat, eatenus dicitur elevare simul, ut recipiat, quatenus non posset recipere amorem, nisi amor posset effici; nequit autem effici, nisi cum comprincipio elevante: similiter autem stat elevatio illu-

mina-

Suprà,
disp. 5.

Sotus.

Ovied.

minationis naturalis: quæ scilicet eatenus est impotens de suo movere ad amorem supernaturalem, quatenus amor non est effectibilis viribus naturæ: stante verò iam in voluntate habitu supernaturali; iam adfunt voluntati vires effectivæ amoris supernaturalis: sicque elevat illuminationem naturalem, ut moveat, & alliciat, non minus quam voluntatem naturalem, ut eliciat, & recipiat actum supernaturalem.

79 Dices, voluntatem elevari ad recipiendum, quia elevatur ad agendum; illuminatio autem illa solum deberet elevari ad causandum formaliter amorem: hoc autem, cum sit in genere puro causæ formalis, per se solum deberet præstare illuminationem: & quod in hoc genere potest: sicut nulla elevatio facere potest, ut albedo denigret; quia hoc est de genere causæ formalis. Oportet iam detegere vulgarem æquivocationem, quæ laborat ista responsio. Cum dicimus, illuminationem causare in genere causæ formalis, nemo prudens intelligat, esse causam formalem amoris, quem utique non intrinsicè informat, nec constituit; sed, cum sit causa formalis concreti cognoscentis, informando animam, causare amorem effectivè, sive effectivè physicè, ut tenuimus *disp. præ. sect. 2.* sive effectivè tantum moraliter, & directivè, ut alij volunt: quod, ut ex terminis claret, non est, esse formam amoris; sed formam animæ in ordine ad eliciendum amorem: aliter enim se habet cognitio ad reddendum intellectum cognoscentem, scilicet formaliter per se; & aliter ad reddendam voluntatem amantem, scilicet causaliter, inducendo amorem, qui est forma amandi. Hinc evanescit doctrina responsionis, & instauratur argumentatio nostra. Non enim contendimus, illuminationem naturalem elevari per habitum ad id quod formaliter præstat, scilicet ad illuminandum intellectum: hoc namque per se intrinsicè præstat in genere causæ formalis: in quo tenet paritas albedinis per se dealbatis, nec per ullam elevationem potentis formaliter denigrare; sed dicimus elevari ad id quod, illuminans formaliter intellectum, causat ulterius in alio genere in voluntate, scilicet amorem: ad quem in voluntate sic causandum non est cur nequeat

elevari per comprincipium supernaturale, quo elevatur voluntas ad eundem amorem efficiendum, & recipiendum. Sicque non obstat, imò iuvat paritas albedinis: sic enim & albedo ipsa posset divinitus denigrare, seu calefacere, scilicet effectivè, si Omnipotentia illam elevaret ad efficiendam obedientialiter, ut aiunt multi ex adversarijs, albedinem, vel calorem in subiecto.

80 Contra tertio, & exponitur ratio à priori totius doctrinæ ex doctissimo *Coninc, num. 109.* Cognitio eatenus est prærequisita ad amorem, quatenus voluntas ferri nequit in bonum, nisi perceptibiliter sibi propositum: atqui sive proponatur æquè clarè cognitione naturali, sive supernaturali; æquè percipitur, movetque voluntatem: ergo, si alioquin voluntas habet vires supernaturales per habitum ad actum supernaturalem, æquè movebitur ad eliciendum actum supernaturalem, ac moveretur ad naturalem, si solum haberet vires naturales. Maior est nota. Minor patet: alioquin ex diversa perceptione obiecti possemus discernere ab experientia, adesse nobis cognitionem naturalem, aut potius supernaturalem, sicut discernimus claram, aut obscuram; apprehensivam, aut indicativam: quod plusquam falsum est. Consequentia verò probatur: quia, proposita bonitate, iam voluntas potest exercere præsentem, quas habet vires, erga illam: ac proinde supernaturales in actum supernaturalem, dum illas habet per habitum. Sic, posita cognitione ut quatuor de bono, voluntas habens habitum adquisitum amat facilè; si non habet, amat difficulter; si habet intensum, amat intensè; & remissè, si remissum: & si haberet infinitè intensum, posset infinitè intensè, non obstant improportione cognitionis finitæ cum amore infinito: cur ergo, habens habitum supernaturalem, non poterit amare supernaturaliter, non obstante improportione cognitionis naturalis cum amore supernaturali? Profecto cognitio illa nequit non proponere voluntati bonitatem Dei: id enim habet de suo: voluntas verò, coram iam habens bonitatem, posset exercere vires, quas habet subordinatas suæ determinationi, ut sunt habitus: nec tam est attendenda proportio cognitionis secundum se cum amore, vel habitu, quam cum

Coninc;

voluntate naturali, cui repræsentat; quia voluntati repræsentat; non habitui, nec amori.

81 Ratio alia sumitur à paritate sensus. Nam cognitio materialis sensus interni inferioris ordinis excitat, allicit, & movet animam ad cognitiones spirituales ordinis valde superioris, quin requiratur ad id sensatio supernaturalis, quando subsequenda est cognitio spiritualis supernaturalis: ergo cognitio naturalis intellectus, quamvis inferioris ordinis, poterit excitare, allicere, & movere eandem animam, alioquin instructam habitibus supernaturalibus, ad amorem supernaturalem ordinis etiam superioris. Negant consequentiam: & dant aliqui disparitatem: quia sensus non habet alias cognitiones, nisi materiales: at intellectus potest habere supernaturales. Contra tamen: quia quod possint, aut non possint haberi alia, non auget, nec minuit proportionem, aut improportionem inter illas, quæ habentur: alioquin, negatà omnino à Deo intellectui omni elevatione ad cogitationes supernaturales, sicque factis impossibilibus pro eo statu inelevationis intellectui, dicendum nobiscum esset ab ijs Authoribus, suffecturas naturales. Idcirco aliam tentat disparitatem. P. Oxea *nu. 67.* quia nempe actus materialis, & spiritualis, quamvis non inter se, proportionantur tamen cum eadem anima, in cuius virtute continentur; idèque ille movere potest ad istum: at cogitatio naturalis, & amor supernaturalis, nec inter se proportionantur, nec cum anima, utpotè non continente in sua virtute amorem supernaturalem. Frustra tamen. Tum quia, quamvis amor supernaturalis non contineatur in virtute solius animæ, continetur in virtute animæ, & habitibus supernaturalibus, casu quo habitus adest instruens, & elevans animam: & pro isto casu disputamus. Tum quia multos effectus contineri sub virtute unius principij, non facit illos proportionatos, ut unus moveat ad aliud: alioquin indè potius argueretur contra respondentes, cogitationem naturalem movere posse ad amorem supernaturalem, cum sub virtute Omnipotentis contineantur: imò & contra omnes, cogitationem naturalem boni posse movere ad amorem naturalem mali; cum sub naturali eiusdem animæ virtute conti-

Oxea.

neantur. Aliundè igitur petenda esset disparitatis ratio, si dabilis est ad rem.

82 Postrema ratio nostra sumitur ab alia paritate imperij naturalis, quam sic instituo. Anima, habens habitum supernaturalem charitatis, vel alterius virtutis, idque cognoscens cognitione naturali probabili, vel saltem apprehensivâ, posset etiam simili cognitione naturali cognoscere bonitatem actus supernaturalis talis virtutis, & volitione naturali efficaciter imperante velle, elicere, sibiq; imperare talem actum supernaturalem. Atqui eiusmodi imperium naturale moveret ad eliciendum talem actum supernaturalem virtutis imperatum: ergo posset actus supernaturalis fieri ex motione præviâ actus naturalis: ac proinde actus salutaris ex motione, & excitatione cogitationis entitativè naturalis à voluntate iam instructâ habitu supernaturali virtutis. Bonitatem consequentia vident, & verentur sapientes Adversarij. Veritatem autem præmissarum illustrat egregiè Ripald. *disp. 14.* citans pro se Magistros Suarez, & Vasq. Salas, Herize cum alijs, quibus adhæsit postea Lumbier *q. 10. de Fide, art. 6.* adversus alios, ut Fasolus, Raynau. Lorca, Albelda, P. Hurt. *disp. 46. de Fide,* quos sequitur P. Oxea cit.

83 Et primò quidem circa maiorem, certum esse debet, animam posse cognoscere saltem opinativè, vel apprehensivè actum supernaturalem: qui certè cum apprehendatur bonus, est ab illa amabilis, & desiderabilis: & quidem amore, seu desiderio naturali: cum apud Adversarios ex cognitione naturali non nisi ad naturales actus moveatur voluntas. Quòd autem eiusmodi desiderium possit esse efficax, probatur. Non enim obest eius efficacis supernaturalitas bonitatis actus voliti: nam boni supernaturalis datur sæpè desiderium efficax naturale, ut est in Sacerdote actu suæ voluntatis interdum peccaminoso, ac proinde naturali, volente efficaciter consecrare, vel absolvere. Neque item obest impossibilitas talis boni: tum quia iam supponimus in animâ illa vires habitibus supernaturalibus, tum etiam, quia ad bonum supra vires desiderantis dari potest affectus efficax, quantum est ex se, ut datur in peccatore volente nunquam peccasse, & in paupere efficaciter volente largiri eleemosynas, quas non potest. Non est igitur, cur ani-

Ripald.
Suar.
Vasq.
Salas.
Heriz.
Lumb.
Fajol.
Rayn.
Lorc.
Albeld.
Hurt.
Oxea.

Supr à,
disp. 5.

ma illa nequeat in eo casu efficaciter velle, sibi que naturali affectu imperare. efficientiam in quantum potest prædicti actus virtutis supernaturalis. Hæc erat maior nostri syllogismi.

84 Probat autem minor. Quia voluntatem moveri ex illo affectu naturali imperante ad actum charitatis, nihil est aliud, quam, illo affectu posito, non posse cohibere actum charitatis. Sed sic est, quod non potest: si enim posset, posset cum illo affectu coniungere nolitionem efficacem actus charitatis, quod ex terminis implicat: ergo, &c Probat hæc implicancia: nam affectus ille est volitio quantum est ex se efficax actus charitatis: cum volitione autem efficaci actus nequit coniungi seria, & efficax eiusdem nolitio.

85 Responderi solet dupliciter. Primo, cum desiderio illo naturali, dari simul aliud supernaturale: ex quo, & non ex illo naturali, movetur voluntas ad elicendum actum supernaturalem charitatis. Secundo, desiderium illud naturale posse esse efficax quoad affectum, seu in actu primo, hoc est, serium, & quantum est ex se efficax; nisi aliquid obstat executioni rei desideratae, seu imperatae; non tamen quoad effectum, & in actu secundo: nam quominus evadat efficax quoad effectum, & in actu secundo, obstat impropertio imperij naturalis. Sic viri fervidi desiderant Martyrium, serio quidem, & quantum est ex se efficaciter quoad affectum; non vero efficaciter quoad effectum in actu secundo; quia id non obtinent ob defectum Tyranni. Prior responsio locum non habet; cum argumentum procedat, casu quo non adesset alius actus imperans, nisi ille naturalis: qui casus innegabiliter possibilis est, de potestate saltem absolutâ Dei. Addendum, quod ex præcognitionibus illis naturalibus, quas supponimus, non posset haberi naturaliter nisi imperium naturale. Circa posteriorem, repeto, non venire nobis in mentem, desiderium, seu imperium eiusmodi entitativè naturale esse se solo, aut per solas naturæ vires potens. exequi actum imperatum supernaturalem: hoc enim est quod Medina 1. 2. q. 3. ar. 8. merito censuit improbabile: cum naturæ vires sufficientes minimè sint ad desiderandum, simulque re ipsa ponendum in actu secundo quidquam supernaturale. Contentio est de voluntate, habente tale desi-

derium naturale, simulque per habitum supernaturalem supernaturales vires ad actum supernaturalem sic desideratum, seu imperatum.

86 Quibus sic iterum statutis, arguo contra responsionem. Quamvis dabile sit desiderium efficax quoad affectum, & in actu primo, quin sit efficax quoad effectum, & in actu secundo, in homine, qui præter non habet in manu sua executionem, ut bene probat exemplum illud Martyrij; non vero sic in homine cuius potestati subijcitur executio: unde de homine potente statim restituere, & non restituente, quamvis dicat se efficaciter id velle, non credimus, sicut credimus de homine non potente. Atqui in casu nostri argumenti voluntas iam habet per habitum vires supernaturales ad actum charitatis: non ergo vellet illum elicere efficaciter quoad affectum, si efficaciter non vellet, & re ipsa illum non eliceret in actu secundo quoad effectum. Dicere autem, quod non habet vires sufficientes, quia non habet cognitionem proportionatam, & imperium supernaturale, est ipsa quæstio, & habet contra se omnia, quæ contra responsiones ibi datas dicta sunt à num. 76.

87 Confirmatur. Naturaliter potest voluntas, affectu omnino efficaci desiderare, amare Deum quantum potest: ergo habens iam per habitum potestatem supernaturalem ad actum supernaturalem amoris Dei, poterit affectu omnino efficaci, ac proinde efficaciter etiam quoad effectum, amare Deum supernaturaliter; sicque ex illo desiderio, seu imperio naturali mota elicere actum charitatis supernaturalem. Illud enim desiderium, seu imperium, ut in simili dicebamus, num.

80. universaliter afficit voluntatem iuxta præsentem quas habet vires, illamque movet ad illas exercendas: quin obstat possit impropertio talis imperij naturalis cum habitu, vel cum actu supernaturali, sicut nec obstat impropertio voluntatis naturalis, posita utriusque elevatione per habitum: desiderium enim illud naturale voluntati naturali imperat, non habitui, nec actui supernaturalibus.

88 Vigentur hæc mirificè à paritatibus affectuum quandoque pravorum, atque adeo naturalium, quibus Sacerdos sacrilegus applicans intentionem, & linguam ad proferenda verba consecrationis,

nis, & absolutionis, movet potestatem supernaturalem consecrandi, & absolvendi, quas habet intentioni suæ subordinatas; sicque validè absolvit, & consecrat: ut minus mirum videatur, quod de potentia Dei absoluta posset sic subordinari habitus supernaturalis ad agendum actum supernaturalem ex determinatione voluntatis motæ imperio naturali non malo: quidquid sit pro de facto ex præcedenti Dei lege, ut bene distinguit Lumbier cit. urgens fortiter, ac utiliter pro se dictas paritates. Nec se satis expedit P. Oxea dicens sect. 3. num. 34. pro disparitate, consecrationem illam, & absolutionem non fieri ad exigentiam imperij, seu intentionis malæ Sacerdotis; sed promissionis supernaturalis Christi: qui sic ad regimen magis conveniens Ecclesiæ voluit de facto promissione suâ generali, alligare consecrationem, & absolutionem supernaturales intentioni Sacerdotis, sive bonæ, sive malæ: non vero sic promissit concursum suum, & habituum supernaturalem ad actus supernaturales cuicumque imperio, seu desiderio illorum; sed dumtaxat supernaturalium. Hoc enim valere posset pro de facto, ut rectè distinguit Lumbier; non vero pro de possibili, ut processit præsens quæstio. Itaque non est quid obstat, quominus, sicut promissit, & concessit Deus de facto Sacerdotibus potestates supernaturales consecrandi, & absolvendi, quasi habituales, determinandas ad supernaturaliter operandum ab intentione Sacerdotis, sive bonâ, & supernaturali; sive malâ, & naturali; non sic potuerit similiter infundere habitus supernaturales virtutum movendos, & determinandos ad operandum actus supernaturales ab imperio sive naturali, sive supernaturali. Aut detur in hoc solida disparitas. Quid in hoc dicendum pro de facto, resolvemus sect. 8.

SECTIO VII.

Obiectiones graves: præsertim contra motionem actus naturalis ad supernaturalem.

89 **O**BIJECTUR primò Authoritas maximi faciendæ Conciliorum, & Patrum, absolutè commendantium gratiæ necessitatem contra Pelagiū. Nomine autem gratiæ intellexerunt abs-

dubio gratiam actualem sanctarum illustrationum, & inspirationum, ut sæpè observavimus, præsertim *disput. 2. sect. 1.* Qui ergo negamus contra P. Vasquez, cogitationes, & inspirationes entitativè naturales esse auxilia gratiæ actualis assertam ab Augustino, & alijs Patribus, debemus illos loquentes de necessitate gratiæ actualis intelligere de necessitate gratiæ sanctarum cogitationum, & inspirationum entitativè supernaturalium: & consequenter dicere, ita esse necessarias ad actum salutarem, ut sine illis entitativè supernaturalibus fieri nequeat actus salutaris. Si ergo nunc dicimus, posse fieri actum salutarem sine præviâ illustratione, & inspiratione entitativè supernaturali; aut incidimus in sententiam P. Vasquez opinantis cogitationes entitativè naturales esse gratiam actualem Theologicam; aut in hæresim Pelagij, necessariam esse gratiam actualem Theologicam ad actus salutes, ideòque reiecti, & damnati à Concilijs, & Sanctis Patribus. Unde iuxta nostras doctrinas, quas tenuimus contra Vasquez, dicere debemus, nullatenus fieri posse actum supernaturalem salutarem ex motione sanctarum cogitationum, & affectionum entitativè naturalium, sine prævijs excitationibus entitativè supernaturalibus.

90 P. Montoya, fidelissimus, si quis alter, ac diligentissimus scrutator Conciliorum, & Patrum, num. 28. & sapientissimus Ripalda *disp. 49. num. 19.* uberem afferunt doctrinam pro solutione gravissimæ huius obiectionis. Ex quibus respondetur in primis, conclusionem nostram longissimè abesse ab erroribus Pelagij, & factam tectam salvare auctoritatem SS. Patrum contra ipsum. Tria docebat Pelagius in hoc puncto. Primum, de facto iuxta præsentem Dei legem fieri actus salutes, id est meritorios, absque auxilio gratiæ actualis Theologicæ, ac proinde hanc non esse ad illos absolutè necessariam, quamvis posset esse utilis. Secundum, id esse verum generaliter, etiam pro impijs, nondum habentibus principia habituum supernaturalium, nec aliam equivalentem elevationem. Tertium, naturæ ipsi non elevatæ supra ordinem creationis, applicatâ Dei Omnipotentia pro concursu generali, inesse de suo vires sufficientes ad actus salutes. Totum id nos constantissimè negamus.

mus cum Augustino, & alijs Patribus. Primum; quia nullum actum salutarem dicimus fieri de facto absque auxilio entitativè supernaturali gratiæ actualis Theologica; nec iuxta præsentem Dei legem fieri posse: sicque dicimus, ut fiat, necessariam esse absolute eiusmodi gratiam illustrationum, & inspirationum entitativè supernaturalium: cum quo stat quod dicimus, de absolutâ potentiâ, iuxta aliâ Dei legem posse id fieri sine illis. Secundum; quia id non dicimus nisi de homine iam prælevato supra naturam per principia supernaturalia habituum infusorum. Tertium; quia non dicimus id posse fieri, adhuc de absolutâ potentiâ, solis viribus naturæ, & per concursum solum generalem; sed, accedente principio supernaturali elevante naturam supra ordinem creationis, habitu scilicet entitativè supernaturali, aut Omnipotentia specialius applicatâ ad supernaturaliter, & specialissimè concurrendum. Procul igitur amandamus Pelagianismum, inherentes doctrinis SS. Patrum.

91 Respondemus itaque ad objectionem, concedendo totum primum antecedens. Confitemur enim absolute, & planissimè actualis gratiæ necessitatem ad actus salutes assertam à SS. Patribus: & illam quidem consistentem in illustrationibus, & inspirationibus entitativè supernaturalibus; non autem, sicut opinatur P. Vasquez, in entitativè naturalibus; ut infert rectè prima consequentia. Cuius ultima verba distinguenda sunt. Debemus confidenter dicere, illas entitativè supernaturales esse ita necessarias ad actum salutarem, ut sine illis fieri nequeat de potentia absoluta iuxta possibilem aliam Dei legem, & providentiâ, nego: hoc enim non erat è re SS. Patrum: iuxta præsentem Dei legem, & absolute pro nunc loquendo, concedo: quod sufficientissimum est, ut SS. Patres sic absolute commendarent necessitatè talis gratiæ contra Pelagium, pro de facto, & in præsentem Dei lege è contra loquutum, & inficiatum gratiæ necessitatem. Sic dicimus omnes absolute ex ore SS. Patrum, non posse remitti peccatum sine infusione gratiæ; cum tamen satis communiter teneamus multi, quòd de potentia absolutâ iuxta aliam Dei legem, & providentiâ posset remitti per condonationem purè extrinsecam. Sic absolute dicimus, Baptismum esse neces-

sarium necessitate medijs ad salutem; cum tamè iuxta alias Dei leges, posset sine illo obtineri salus. Sicque dixit absolutissimè Paulus Hebr. 11. *impossibile*, sine fide placere Deo: quod exponitur, sive de habitu, sive de actu fidei strictæ, & obscuræ; cum tamen de potentiâ Dei absolutâ, posset aliquis iuxta aliam Dei legem, iustificari habens loco fidei notitiam clarâ scientiæ infusæ supernaturalis. Quis hoc dubitet, aut non acquiescat doctrinis adeò t. itis pro modo loquendi nostræ responsionis? Vndè patet ad secundam consequentiam, nec cogi nos venire in doctrinam, quam repulimus, P. Vasquez; & multò minùs in errores Pelagianos; solumque debere à nobis dici, non posse fieri actum salutarem absque gratiâ actuali sanctarum illustrationum, & inspirationum entitativè supernaturalium iuxta potentiam ordinariam, & præsentem Dei legem; quidquid sit de absolutâ iuxta aliam in casu nostræ conclusionis, præsupponentis alioquin ad actum salutarem principium supernaturale propter insufficientiam naturæ.

92 Obijcitur secundò. Nullus actus naturalis conducere potest ad iustificationem, aut ad salutem, saltem positivè: sed, si illuminatio, vel affectio pia naturalis excitare, aut movere posset ad actum supernaturalem fidei, spei, contritionis, aut charitatis, positivè conduceret ad salutem: ergo non potest. Maior videtur expressa in *Arausic. 2. Can. 6. ibi: Si quis, sine gratia credentibus, volentibus, &c. misericordiam Dei conferri, non autem divinitus, ut credamus, velimus, vel hac omnia agere valeamus, per inspirationem, & infusionem Sancti Spiritus in nobis fieri consistetur, resistit Apostolo, &c.* Et mox *Can. 7. ibi: Si quis per naturæ vigorem bonum aliquod ad salutem pertinens internè cogitare, eligere, sive Evangelicæ prædicationi consensire posse affirmat, heretico fallitur spiritu.* Moguntinum autem tom. 4. cap. 5. ait: *Homines non adiuti gratiâ Dei, ea, quæ sunt Spiritus, & ad salutem conferunt, non cognoscere; nequè appetere queunt*: quibus similia leguntur idemdem in SS. Patribus. Vndè facile colligitur, nihil conducens ad salutem posse fieri sine gratia: sed illustrationes, & inspirationes naturales haberi queunt sine gratia: non ergo conducunt ad salutem; ac proindè ex illis nequeunt fieri actus salutes: ad quos proindè necessa-

Hebr. 11.

Ripald.

Araus.

Mogunt.

riæ

riæ erunt entitativè supernaturales.

93 Respondetur ex verâ & solidâ intelligentia SS. Patrum apud Ripaldam *disp. 14. num. 27.* distinguendam esse maiorem: nullus actus naturalis potest conducere ad salutem moraliter per modum meriti præmij supernaturalis, concedo; physicè, subdistinguo: seorsim à viribus supernaturalibus illum elevantibus, concedo; simul cum illis, nego. Et in hoc dumtaxat sensu concedi potest minor, similiter distincta: in quo, & non aliter, processit nostra conclusio. Non enim dicimus, cogitationem, sive affectionem naturales mereri posse salutem, aut iustificationem, aut quidquam aliud præmij supernaturalis; sed physicè excitare, alligere, & movere posse ad eliciendos actus supernaturales salutes id merentes: & hoc quidem non nisi, præsentibus aliquin viribus supernaturalibus elevantibus effectivis eorum actuum salutarium, sine quibus frustraneæ, & omninò inutiles, & quasi surdo loquentes forent naturales illæ excitationes quoad actus supernaturales.

94 Porro sic distincta, & limitata eiusmodi conducentia, seu utilitas physica naturalium ad supernaturalia, innegabilis videtur. Sic enim & potentiæ naturales intellectus, & voluntatis utiles sunt, & conducentes ad actus salutes; imò & prorsus necessariæ. Nec obstant huic sensui planissimo Authoritates nobis obiectæ, aut aliæ similes. Non quidem prima: vult enim, misericordiam Dei, hoc est, iustificationem, vel animæ salutem non conferri, ut præmium, credentibus, volentibus, aut desiderantibus sine adiutorio gratiæ, quasi per eos actus sine gratiâ factos fiat homo meritorie dignus, eâ misericordiâ, & salute: quod & nos ultrò confitemur. Ait deindè, eos actus credendi, volendi, & desiderandi meritorios salutis fieri in nobis per inspirationem, & infusionem Spiritus Sancti: quod etiam fatemur pro de facto, & nec de possibili posse fieri absque adiutorio supernaturali: id autem totum saluum relinquit assertio nostra, loquens iuxta aliam Dei legem, & de possibili, & suppositâ elevatione supernaturali per habitus infusos, aut, si mavis, per Omnipotentiam specialius applicatam. Non item secunda, neque tertia. Si enim quidquam probarent contra nos, probarent

contra ipsos obijcientes, nullam nobis inesse posse cognitionem naturalem, nec volitionem ullam rei supernaturalis. Intentum ergo Conciliorum ibi est, hominem absque gratiâ per solas naturæ vires nihil posse cognoscere, & velle salutariter, & meritorie: nam, ut diximus, sine adiutorio gratiæ, nihil prodesse ad consequendam salutem morus illi naturales, sicut neque intellectus, & voluntas; quæ tamen potentiæ cum adiutorio gratiæ multum profunt. Præterquamquòd intelligi possunt dictæ duæ authoritates de lege ordinariâ, præsentique Dei. Sicque veniunt etiam intelligendi Prosper, & Augustinus, dum aiunt, haberi non posse naturæ viribus desiderium auxiliorum supernaturalium: & Concil. Arausicanum, iterum dicens, non posse naturæ viribus eligi quidquam conducens ad salutem.

95 Obijcitur tertio, sequi quòd, si minus moraliter, tribui posset saltem physicè prædictis cogitationibus, & affectionibus naturalibus initium salutis. Probatur: nam voluntas credendi supernaturaliter, & illustratio illam præcedens, possent esse entitativè naturales, & re ipsa movere ad actum fidei supernaturalem: sicquè initium fidei, quod est initium salutis, esset à voluntate illâ naturali credendi, & à præviâ cogitatione etiam naturali: ijs igitur motibus naturalibus tribui posset initium salutis; si minus moraliter meritorie, saltem physicè. Hoc autem est absurdum: non enim aliter tribuitur nunc initium salutis gratiæ actuali supernaturali consistenti in illustrationibus, & inspirationibus indeliberatis, ac proindè non meritorijs: ergo tribui posset eiusmodi motibus per vires naturæ factis initium salutis, eo modo, scilicet physicè, quo nunc tribuitur illustrationibus, & inspirationibus supernaturalibus: quòd nimis absonat à locutionibus Conciliorum, & Patrum.

96 Respondetur in primis, Sanctorum locutiones manifestas esse contra Semipelagianos, qui & pro de facto, præsentique lege loquebantur; & motibus bonis naturalibus tribuebant initium salutis per modum meriti, ut eruditè comprobatur Suarez cit. supra, *disp. 2. num. 13. & 14.* à quibus perquam longè distamus. Deindè in forma distinguimus sequelam: posset iuxta aliam Dei legem physicè, & per se, negamus; iuxta præsentem,

Prosp. August.

Araus.

Suar. Suprà disp. 2. sect. 1.

tem, & adhuc iuxta aliam, non per se, sed per accidens ratione alterius adiutorij supernaturalis, concedimus. In probatione sequela addimus pro antecedente, quod in illa Dei lege possent ea cogitatio, & voluntas credendi naturales movere ad actum fidei supernaturalem, stante in adiutorium habitu fidei supernaturali, & non aliter: sicque initium fidei non esset ab illis secluso adiutorio supernaturali ad supernaturaliter credendum; sed cum adiutorio habitus presentissimi. Unde distinguimus primum consequens: ijs motibus naturalibus posset saltem physicè tribui initium salutis, per se, negamus; per accidens ratione adiutorij supernaturalis, sine quo nihil valeret ad supernaturaliter credendum, concedimus. Negamus autem, hoc sic dictum esse absurdum: sic enim apud omnes voluntati etiam, & intellectui naturalissimis tribui quodammodo potest physicè salutis initium; non per se, cum insufficientes ex se sint ad operandum supernaturaliter; sed per accidens, quatenus potentia naturales divinitus elevatae adiutorio supernaturali ultra earum exigentiam, & connaturalitatem, efficiunt actus salutares, eorumque auxilia actualia, utpotè vitalia. Non autem sic, sed multo aliter tribuitur gratis actualibus indeliberatis initium salutis; scilicet, physicè per se; quatenus ex se importantibus, aut connaturaliter exigentibus sufficientiam supernaturalem, elevantem naturam ad operandum supernaturaliter. Itaque falsa est absolutissimè, ac omnino neganda ultima consequentia. Sic fermè Ripald. num. 31.

Ripald.
Oxea.

97 Nec obstat, quod urget P. Oxea num. 64. ens supernaturale esse supra omnem effectum, excitationem, & exigentiam entis naturalis: quomodo autem sic esset, si excitare, & cooperari ad actum supernaturalem possent cogitationes, & affectiones praviæ naturales? Quomodo, si ex imperio naturali, illum efficaciter volente, ac proinde illum connexissimè exigente, fieri id posset? Respondetur enim, dato antecedente, dicendo, id sic esse optimè posse, dummodo cogitationum illarum, & affectionum naturalium, sicut & potentiarum naturalium insufficientia eleventur, & adiuventur, indebitè quidem & inexigenter, virtute aliâ supernaturali: non quidem ad

excitandum in actu primo, hoc enim ex se præstant informando animam, cui connaturales sunt: animæ enim representat cogitatio, non habitus; animam afficit affectio, non habitus; sed ad excitandum effectivè in actu secundo ipsam animam efficiendo cum ipsa, & cum comprincipio elevatè supernaturali actum supernaturalem. Similiter dico de imperio naturali, quod scilicet non imperat actu imperato, nec habitus supernaturali, sed voluntati naturali; nec per se coniungitur essentialiter, nec connaturaliter cum habitu, nec cum actu supernaturali; sed indebitè, & inexigenter supponit in casu nostro habitum, & ratione habitus supernaturalis elevantis, ponit, & efficit actum supernaturalem sic imperatum. Quid, precor, exinde contra rationem supernaturalitatis? Sic certè præmissa naturalis cum supernaturali infert conclusionem supernaturalem: & sensationes materiales excitarent modulo suo cogitationes, & affectiones supernaturales in anima, alioquin taliter divinitus præventâ habitibus infusis, ut nullos actus intellectus, aut voluntatis efficere posset, nisi supernaturales.

98 Obijcitur quartò. Sensatio materialis phantasiæ, ob improportionem cum operatione spiritali voluntatis, nequit adhuc divinitus excitare, & movere ad actum voluntatis spiritalis, quia interveniat præcognitio spiritalis intellectus: ergo neque cogitatio, seu affectio naturalis ad actum salutarem supernaturalem, sine excitatione supernaturali, ob improportionem naturalium cum supernaturalibus, magis inter se distantibus, quam materialia, & spiritalia. Hæc obiectio si quid probat, nimis probat: similiter enim probaretur contra omnes, nec potentias naturales per ullam elevationem posse agere actus supernaturales. Præterea antecedens non est ita certum, ut in eo non dubitet Ripald. disp. 49. num. 22. dicens se in eo nondum invenisse repugnantiam: quam nec ipse, ut verum fatear, invenio. Respondetur tamen, eo permisso, negari posse consequentiam. Nam, dato quod maior sit distantia entitativa naturalium à supernaturalibus, sicut & abs dubio maior finitè ab infinito; at quoad improportionem intentionalem minus improportionata sunt naturalia, & supernaturalia, imò

etiam

etiam finitum, & infinitum, quam materiale, & spirituale: actus enim materialis, & spiritalis semper spectant ad diversas potentias; non verò sic actus naturalis, & supernaturalis: actus materialis nullatenus fertur in obiectum spiritalis; bene verò naturalis in super naturale, & finita in infinitum, ut nemini est dubium. Unde, quamvis excitatio naturalis, sicut & potentia naturalis secundum se sit improportionata actu supernaturali ad quem excitat; est proportionata potentia, quam excitat; & in consortio habitus supernaturalis elevantis proportionatur actu supernaturali, sicut potentia naturalis per elevationem, ad illum agendum, & recipiendum, ut diximus in nostris probationibus.

99 Obijcitur quartò. Præcognitio causat in genere causæ formalis, & per se ipsam: ergo effectum, quem communicata subiecto capaci per se ipsam non causat, per nullam virtutem elevantem causare potest: sicut nec albedo denigrare. Huic obiectio iam occurrimus *sect. præc. num. 79.* detectâ opportunè æquivocatione vulgari in illis verbis: *In genere causæ formalis.* Respondetur ergo cum distinctione ibi adhibita: *In genere causæ formalis,* respectivè ad potentiam, quam informat, & illuminat, concedo: respectivè ad actum, ad quem ulterius efficiendum illuminat, nego: hunc enim non causat in genere causæ formalis, sed efficientis: sive moraliter tantum, id est, non nisi alliciendo, & suadendo, ut volunt multi; sive præterea physicè efficiendo, ut nos defendimus. Concessa autem consequentia de effectu, quem formaliter causat; nego de effectu, quem informando animam ulterius efficit, sive moraliter, sive etiam physicè cum ipsa anima, & cum adiutorio supernaturali utraque elevante. Nota, quod modus iste causandi moraliter non est ille per modum meriti, quem dicebamus *num. 93.* sed alius longè diversus per modum suasionis, allicientia, seu directionis intentionalis.

100 Obijcitur sextò, sequi, quod cognitio entitativè naturalis Divinæ promissionis movere posset ad actum supernaturalem Spei: quod esse absurdum, patet: quia, cum Spes sit essentialiter firma, nequit nisi cognitione non essentialiter certâ Divinæ promissionis: qualis certè non est cognitio naturalis. Respondetur

ex Ripaldâ *num. 20.* sequelam non esse absurdam, loquendo de potentia absoluta iuxta alias Dei leges. Quamvis enim verum sit, quod subiungitur in antecedente probationis, Spem Divinam, ac Theologicam esse essentialiter firmam; negatur consequentia: non enim est omnino necesse, quod suam essentialem firmitatem sumat à certitudine essentiali, sed à veritate præcognitionis cui partim innititur, & ab habitu supernaturali Spei, non potentis prodire in suum actum Spei, nisi suppositâ veritate dictæ præcognitionis, & re ipsâ postâ promissione Dei.

101 Obijcitur tandem specialiter adversus doctrinam, qua usi sumus à *num. 82.* actus naturalis imperantis efficiens actus supernaturalem. Sequeretur enim primo, actum supernaturalem sic imperatum non fore supra exigentiam talis imperij naturalis. Secundo, quod posset etiam actus vitiosus imperare actum supernaturalem; per ea præsertim, quæ diximus *num. 88.* Tertio, quod actus naturalis posset esse meritorius salutis: quia posset deliberatè etiam imperare fidem supernaturalem: hæc autem est meritoria: non per se formaliter, cum sit actus intellectus; sed ratione actus liberi voluntatis volentis credere: qui in eo casu solum esset naturalis. Respondetur, primam sequelam iam esse à nobis præoccupatam *num. 97.* Secundam non reputari absurdam à Ripald. *disp. 10.* à Cardin. Delugo *disp. 10. de Fide, sect. 5.* & latius *disp. 15. de Pœnit. sect. 9.* nec ab Arriaga *disp. 17. de Fide, nu. 40.* & esse à nobis alibi disputandam. Duo nunc dicam: unum, à me non admissum iri, actum supernaturalem vitari ab actu naturali vitioso, quamvis imperetur ab illo: de quo *disp. 24. sect. 4.* aliud, si in imperio actus supernaturalem à naturali vitioso non adsit specialis implicentia, neque esse, cur id negetur de vitioso; si adsit, neque esse, cur id negetur de non vitioso, cui non obstat specialis illa implicentia vitiositatis. Tertiam autem absolutè nego. Quamvis enim in eo casu, & in ea lege actus naturalis voluntatis deliberatus imperaret fidem supernaturalem, esset quidem honestus, laudabilis, dignusque præmio naturali; non verò theologicè meritorius præmij supernaturalis: nec sic credens, sine pia affectione, seu voluntate liberâ supernaturali credendi, mereretur

Ripald.

Lugo.
Ripald.
Arriaga.

Infrà,
disp. 24.

tur

tur salutem, ob defectum scilicet piæ affectionis liberæ supernaturalis, à qua Fides denominatur meritoria, cum solis actibus formaliter honestis voluntatis competere per se possit ratio meriti, ut dicemus *disp. 24. sect. 10.* Possent tamen à lumine Fidei sic credentis derivari deinceps alij actus liberi voluntatis supernaturales meritorij: & in hoc sensu, scilicet causali, posset quodammodo Fides etiam illa dici meritoria.

Infrà, disp. 22.

SECTIO VIII.

Quid in ijs dicendum, loquendo connaturaliter ex natura, & statu rerum.

Coninc. Tanner. Hurtad.

102. **P**ATRES Coninc, Tannerus, & Gasp. Hurt. citati pro nostra conclusione *sect. 6. num. 72.* existimare videntur, necessitatem illustrationum, & inspirationum entitativè supernaturalium ad quemlibet actum salutarem hominis præsertim iusti, & instructi iam adiutorio supernaturali habituum infusorum; non solum non esse quoad potentiam quoque Dei absolutam iuxta alias Dei leges, in quo convenimus; sed neque ex natura rei: quatenus scilicet, inspectis naturis rerum posset connaturaliter ad illum statum elici ab homine actus supernaturalis liber ex præcogitationibus, & inspirationibus entitativè naturalibus: nisi præsens obitaret providentia Dei, disponentis præcedere semper gratias suas auxiliatrices actuales supernaturales, tam inspirantes, quam illustrantes, ad actus nostros salutes, ut liberalius se nobiscum gerat, & magis resplendeat de suo in salute nostra per merita Iesu Christi, prout ex Scripturis significant Concilia, & Patres.

103. Itaque necessitatem gratiæ actualis auxiliantis intrinsecè ad omnes actus salutes reducat ij Authores ad necessitatem dumtaxat ex præsentia Dei lege: & sic satis se facere putant authoritatibus Conciliorum, & Patrum, eiusmodi gratiæ necessitatem commendantium: cum quo stat, ex natura rei posse, iuxta alias Dei leges fieri ab homine iam iusto actus salutes absque auxilijs sanctorum illustrationum, & inspirationum entitativè supernaturalium per habitus infusos virtutum. Cui doctrinæ favere videntur multa, quæ in probationibus

nostræ sententiæ interiecimus *sect. 6.*

104. Placet tamen communior sententia, iuxta quam Ripalda, & Oviedus citati, & impenitus Card. Delugo *disp. 10. de Fide, sect. 3.* dicunt, non solum ab extrinsecà Dei lege, sed ab intrinsecis rerum naturis, connaturaliter loquendo, necessarias esse prædictas gratias actuales, in præsentia etiam habituum supernaturalium, ad quemlibet actum salutarem; quamvis de potentia Dei absoluta fieri posset sine illis iuxta doctrinam *sect. 6.* Hæc sententia, quæ propterea mihi magis placet, purius, & aliquantò sincerius salvat locutiones Conciliorum, & Patrum de necessitate gratiæ. Non est tamen ita facilè, dare plenam illius rationem: pro qua rememorandum est quod observavimus *disp. 5. num. 152.* circa varios modos, quibus una res dicitur connaturalis, aut magis connaturalis penes varios respectus: connaturalitas enim conceptus respectivus est.

Ripald. Ovied. Lugo.

105. Hinc ratio mihi est. Quia, casus, quo adessent homini iusto pia cogitatio, & affectio entitativè naturalis sine supernaturalibus erga actum salutarem, non est casus connaturalis: sed solum in isto casu dabilis est actus salutaris sine auxilijs illustrationis, & inspirationis entitativè supernaturalium: ergo nunquam connaturaliter, & iuxta, sed præter naturas rerum. Probatior maior: quia status ille hominis iusti supernaturalis est, & ordinis Divini: hic autem rerum ordo postulat connaturaliter, ut ad actus supernaturales liberos voluntatis præcedant, & moveant, atque excitent cognitiones, & affectiones supernaturales; sive simul cum alijs naturalibus, ut vult Ripalda; sive solæ loco naturalium, ut est mihi verosimilius: ergo casus, quo adessent homini iusto pia cogitatio, & affectio naturalis sine supernaturalibus erga actum salutarem, non est casus connaturalis.


Suprà, disp. 5. sect. 12.

106. Probatior, & explicatur assumptum. Ordo namque supernaturalis, utpotè Divinus, elevat creaturam rationalem, & solam rationalem, ad Divinitatis consortium, ut explicuimus studiosè *tom. 1. disp. 18. à sect. 8.* creatura autem rationalis, ut talis, à differentia purè sensibilibus sic ineliminabilibus, dicitur potentias spirituales intellectus, & voluntatis sibi coherentes; undè arguitur coherentia quo-

Tom. 1. disp. 18.

quoque actuum earum potentiarum in eo ordine elevationis. Hæc autem coherentia, con naturalis connexio, seu congruitas est, quod, sicut ex natura rei ad actum supernaturalem intellectus consequitur affectus aliquis supernaturalis in voluntate, ut explicuimus *sect. 5. num. 61.* pariter ad actum supernaturalem voluntatis præcedere debeat cognitio aliqua supernaturalis in intellectu ex natura rei. Id quod etiam inadet connexio habituum infusorum supernaturalium, te-

nentium se ex parte intellectus, & voluntatis. 107. Atque hinc sumi potest disparitas, cur actus potentiarum materialium præcedentes, & comitantes operationes spirituales supernaturales intellectus, & voluntatis, non debeant esse supernaturales. Quia scilicet non spectant ad naturam, ut rationalem; ac proinde nec ut elevabilem ad supernaturaliter, ac divinè operandum.



DISPUTATIO VII.

DE NECESSITATE GRATIÆ ACTUALIS ad rectè cogitandum, & agendum in naturalibus.

ADMIRVM ad cognoscendas veritates rerum naturalium, & ad opera bona virtutum moralium circa objecta præsertim naturalia. Quocirca præ manibus habenda est ex *disp. 1. sect. 3.* multiplex acceptio Gratiae, præsertim Theologicae de ordine specialiter Divino; & Philosophicae de ordine creationis: de quibus ibi *num. 32. & 33.*

Suprà, disp. 1.

SECTIO I.

An, & quatenus Gratia necessaria sit ad verè cognoscendas veritates naturales.

1. **N**ATURALIS, inquam, & rerum naturalium. Nam ad cognitionem supernaturalem quarumcumque, sive naturalium, sive supernaturalium, certum est, non sufficere vires natura. De cognitione autem naturali supernaturalium egimus *tom. 1. disp. 18. sect. 12.* Aliæ dicuntur veritates speculativæ quoad mores, quamvis interdum quoad objecta suarum scientiarum practicae sint: quæ scilicet non pertinent proximè, ac directè ad benè operandum moraliter: v.g. cognoscere, ignem esse calefactivum, duo & tria esse quinque, syllogismum in Barbara esse taliter efformandum, simileq; notitiæ scientiarum naturalium. Aliæ dicuntur veritates moraliter practicae: quæ nempe dirigunt ad benè moraliter operandum: v.g. cognos-

Tom. 1. disp. 18.

cere, parentes esse honorandos, Deum colendum, periuriam vitandum, & alia huiusmodi.

3. Sunt qui dixerint apud Suar. *lib. 1. cap. 1.* hominem in statu naturæ lapsæ nullam prorsus assequi posse veritatem purè ab errore sine auxilio gratiæ. Ex illo Pauli: *Quid habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris?* Nec ergo de aliqua cognitione vera, quam habeat gloriari potest homo, quasi illam non habeat ex gratia Dei. Et alibi: *Non sumus sufficientes cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis; sed sufficientia nostra ex Deo est.* Et ex Psalm. 43. *Dominus scit cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt:* Ergo quia de nostro non habemus nisi falsas. Et ex Proverb. 8. *Meum est consilium, mea est prudentia:* attribuit ergo sibi Deus, quasi ex gratia sua, prudentiam, ad quam spectat omnis honesta cogitatio: quia nobis de nostro impossibilis est. Undè Arauscanum *2. Can. 22.* ait: *Nemo habet de suo nisi mendacium, & peccatum: si quis autem homo habet*

Suar.

1. Cor. 4.

2. Cor. 3.

Psal. 43.

Prov. 8.

Arausc.

habet veritatem, atque iustitiam, ab illo fonte est, quem debemus sitire in hac eremo, ne deficiamus in via. Accedit Milevitanum *Can. 4.* ubi super Apostoli verba: *scientia inflat; gioslat, ad scientiam infantem dari etiam nobis gratiam Christi: ea autem scientia, naturalis est.* Ratio in super illis duplex erat. Prima: quia per Originale contraximus ignorantiae vulnus, ut ex August. & Thom. loquuntur Theologi: Quamvis ergo in statibus naturae integre, seu etiam pure, possemus aliquas veritates naturales assequi sine gratia; nullam tamen possumus in statu naturae corruptae post lapsum. Secunda: quia, si possemus aliquam, possemus omnes naturales: cum omnes sint obiecta proportionata intellectui naturali. Quod autem non possimus omnes, satis docet experientia: cum doctissimi hominum circa naturalia multos patiantur errores.

4 Alij distinguunt inter gratiam Dei utcumque, & gratiam Dei per Christum: aiuntque, veritates naturales cognosci posse in natura lapsa sine gratia Dei per Christum; nullam vero sine gratia Dei. Quia, quamvis multae verae notitiae naturalium subministrantur nobis per occursum rerum naturalium; quia tamen Deus pro libito suo, citra debitum, sic disposuit occursum rerum, ut reipsa evenirent illae notitiae, dici debent evenire ex gratia Dei. Est autem haec gratia praeter donum creationis: quia, salva nostrae naturae creatione, posset Creator naturales causas tam necessarias, quam liberas taliter disponere, ut tales nobis notitiae non evenirent. Non est tamen gratia per Christum: quia, cum Christus non venerit ut Philosophi essemus, sed ut salvi essemus, solum illae notitiae naturales, quae congrue conducunt ad actus salutares, dantur nobis ex meritis Christi. Haec doctrina tribui solet P. Vasquez 1. 2. dist. 118. cap. 2. Nec satis ab illa discedere videtur. P. Oviedus tract. 6. contr. 2. punct. 1. nisi loquatur sibi ipse incohaerenter num. 6. & 8.

5 Oppositum tenet cum Exim. Doctore cit. communis sententia. Probari solet ex August. lib. 1. ad Simplic. q. 2. ad fin. dicente: *Non enim habeo quod inuocar in eligendis hominibus ad gratiam salutarem, si ad examen huius electionis aliqua cogitatione praemittor, nisi vel maius ingenium, vel minora peccata, vel utrumque:*

addamus etiam utiles, & honestas doctrinas. Et mox subdit, nihil istorum movisse Deum, ut eligeret hominem. Cum ergo bonis, quae haberi possunt sine gratia salutari, adnumeret scientias naturales, sentit, has haberi posse sine gratia.

6 Clarius, & securius S. Thom. 1. 2. q. 109. art. 1. ex quo instituitur ista ratio. Intellectus humanus secundum se, atque adeo in omni statu, est, & a cunctis vocatur lumen naturale: cuius est, assentiri vero, & dissentiri falso. Si autem ex ijs, quae sensibus percipiuntur, non posset suis viribus cum generali concursu Autho- ris naturae assentiri nisi erroribus, ac falsitatibus, non esset naturale lumen, sed tenebrae: sicque homo rationalis, suis viribus cum generali sibi debito Dei concursu relictus, esset infra brutum. Animantes enim brutae suis viribus sensitivis cum generali concursu sibi debito faciunt operationes sibi connaturales, & convenientes, cognoscendo citra deceptionem obiecta sensuum, prout opus est, ut appetant sibi conveniens, & refugiant disconveniens; homo vero non posset facere intellectiones, nisi falsas, & erroneas, sibi disconvenientes, rationique dissentaneas.

7 Dices: hoc fore absurdum in natura rationali integrâ, vel purâ; non tamen pro statu naturae lapsae, ac corruptae: in quo per peccatum natura rationalis obbruit iuxta illud: *Comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Contra tamen: quia id non esset, fieri hominem lapsum absque gratia speciali Dei, similem, sed deteriore iumentis: nullum enim brutum ita stolidum est, ut nihil sibi conveniens sine errore dignoscat per sensus: canis fugit lapidem imminens, & querit panem, quem videt: felis frigesceus accedit ad ignem; non tamen ita propè, ut comburatur: bos cognoscit possessorem suum; & asinus praesepe domini sui: & ijs similia, ac maiora in illis videmus, in quibus certe non errant. Deterior igitur esset homo rationalis, si sibi relictus post lapsum nihil posset intelligere, nisi errando. Hoc autem non dicant verba Psalmi; sed significant, hominem per peccatum mansisse similem brutis: non quidem in eo quod nihil possent intelligere sine errore; sed in eo quod, sicut bruta prona sunt ad bona sensibilia citra rationem;

S. Thom.

Psal. 45.

sic

fic & homines, praecipua ratione per appetitum: unde emanant plurima peccata, prevalente ut plurimum ea propensione contra rationem, quantumvis multa vera naturali lumine cognoscentem.

8 Et quidem alias in statu naturae lapsae irreparatae, nec peccare posset homo. Ad hoc enim deberet esse liber, & non necessitatus; nisi labamur in haesim Janenitarum, non requirentium ad peccandum libertatem a necessitate, & dicamus, fatuos etiam, & amentes in cunctis peccare. Non autem esset homo liber, nisi pro indifferentia iudicij haberet aliquam cogitationem de eo quod id est malum: quae quidem cogitatio vera esset. Hinc urgentur ad homines adversarij: aiunt enim, hominem tentatum nullatenus posse evitare peccatum sine speciali gratia Dei. Atqui iuxta ipsos in eo statu non haberet nisi cognitiones falsas, quae nequeant esse specialis gratia Dei: ergo non haberet cognitionem representantem id esse malum, quae quidem vera est. Quomodo ergo peccaret?

9 Praeterea. Poena culpae Originalis constituentis statum naturae lapsae, fuit, quod lapsi, nisi per Christum repararentur, manerent sub Diaboli potestate, a qua nos redemit Christus, quatenus eripuit nos de potestate tenebrarum. Ea autem Diaboli potestas, ut explicuimus disp. 17. de Incarnat. sect. 7. in eo staret, quod, nisi repararemur per Christum, permisisset Deus amplam Diabolo facultatem tentandi, datis homini auxilijs pure sufficientibus ad resistendum: quo innumera committeremus peccata. Hoc autem implicans foret, si citra specialem Dei gratiam nullam possemus habere cognitionem veram. Si enim non cognosceremus, furari, mentiri, peierare, occidere, & parentes inhonorare, esse malum, imò in omnibus errantes, cogitaremus esse bonum; et faciendo non peccaremus: ergo per haec non conijceret nos Diabolus suis tentationibus in peccata; sicque subterfugeremus eius potestatem, & tyrannidem per ipsam suam tyrannicam potestatem; & poenam a Deo nobis inflatam, per ipsam poenam: quod est in terminis implicatorium.

10 Tandem a priori. Sunt enim aliqua veritates, in quibus ex apprehensione terminorum intellectus sibi relictus

falli nequiverit: qualia sunt prima principia; sive metaphylica, ut: *Totum est maius partibus: Quodlibet est, vel non est: Qui currit movetur: Qui loquitur vivit;* sive ethica, ut: *Quod tibi non ris, alteri ne feceris: Gratuito benefactori gravulandum: Superiori parendum: Parentibus obtemperandum.* Bene, inquis, si termini apprehendantur: at in eo statu, nec id valeret natura. Sed certe, quis tantam sibi persuadeat absurditatem, ut in eo statu rationalis natura non valeret sine speciali gratia apprehendere panem, ut panem, sed ut lapidem; & lapidem e contra non nisi ut panem? Non nisi aquam ut ignem; & ignem ut aquam? Et quod sitim, famemque sentiens, non cognosceret se sitire, & esurire? Profecto nec in statu naturae damnatae absurdiora excogitari possunt in hominibus apud Tartara.

11 Per haec constat, non solum veritates aliquas speculativas; sed aliquas etiam morales, & practicas, cognosci posse, imò & debere ab hominibus in statu naturae lapsae absque speciali gratia cum generali, ac debito Dei Creatoris concursu. Et quidem non solum absque gratia per Christum, quod, ut alibi monuimus, accidentale quid est gratiae Dei; verumetiam absque gratia Dei indebita creationi. Vtrumque enim hoc probant rationes nostrae pro communi sententia.

12 Ad fundamenta iacta num. 3. respondetur, primum Pauli locum e re non esse. Non enim erat Paulo sermo de bonis naturalibus, sive pertinentibus, sive non pertinentibus ad beneficium creationis, ut sunt pulchritudo, vires, valetudo, ingenium, scientiae, divitiae, honores, &c. sed de discernentibus fidelem ab infideli; iustum, a peccatore; praedestinatum, a reprobo: quae quidem proprijsimè gratia sunt. De ijs autem ait, quod, cum gratis ultra debitum torius naturae sint a Deo, non possumus nos gloriari, quasi de nostro sint, ut naturae debita.

13 Secundus Pauli locus, ut patet ex eius contextura, non intelligitur de quacumque cogitatione; sed de conducente ad vitam aeternam. De hac autem ait, quod ex nobis non sumus sufficientes ad illam, quia non sunt in natura sufficientes vires ad cogitationem, quae profit ad operationem salutarem: quae

T 2

quae

Milevit. 1. Cor. 8.

August. D. Tho.

Vasq.

Ovied.

Suarez.

August.

Janfen.

Colos. 1.

De Inc. disp. 17.

quidem cogitatio ipsissima Dei gratia auxiliatrix est, ad quam elevatur à Deo natura supra se.

14 Locus Psalmi non ponit cogitationes hominum vanas pro falsis, ut supponunt arguentes; sed pro inutilibus, & opere vacuis, & ad inaniter agendum sapius detorta, quamvis interdum veræ sint. Adde, quod, quamvis ponerentur, *vana*, pro *falsis*, posset intelligi, prout in plurimum. Ex loco Proverb. solum fit, plurimos actus prudentiæ, & plurimas cogitationes honestas, quæ sufficiant, ut quis dicatur absolute vir prudens, non haberi ab homine nisi ex gratia Dei; una vero, vel altera ad id non sufficeret.

15 Araucanum explicuimus *disp. 3. num. 59.* Unde dici potest, quod intellectus humanus non habet *de suo* cogitationes veras, sed falsas: *de suo*, inquam, id est, quod sibi, & non potius Deo, ut naturæ etiam auctori tribuendum sit: Deus enim auctor falsitatis, sicut nec mendaciorum, nec aliorum peccatorum esse nequit, qui prima veritas est. Aliam intelligentiam præfert, & ex August. & Anselmo comprobatur Cardin. de Aguirre *tom. 3. disp. 117. sect. 2.* scilicet, hominem lapsum non habere, nisi mendacium, & peccatum *de suo*: hoc est, secundum demeritum suum, attentâ videlicet indignitate contractâ per peccatum: quo nempe meruit iustissimè ita puniri, ut omni bono, & vero careret: sicut nec maneret super terram quicumque peccat, si iuxta demeritum suum voluisset Deus illum illicò detrudere in infernum.

16 Nec locus Milevitani venit ad rem. Loquitur enim Concilium de intelligentia mandatorum Dei: & quidem salutari, & supernaturali ex Scripturis: quam rectè ait non haberi sine gratia per Christum. Vocat autem illam scientiam infantem, si non iungitur cum operibus virtuosis, præsertim charitatis, & humilitatis, quatenus esse solet occasio superbiendi. Sic autem occasionaliter remotè ipsæ virtutes, & miracula dici possunt infantia, si desit humilitas.

17 Ad primam rationem ibidem subiunctam, concessò antecedente, negatur consequentia. Illud enim ignorantia vulnus in natura lapsa est vulnus, & infirmitas respectivè ad statum naturæ integræ, & ad statum innocentia, à quo per Originale cecidimus, & in quo mul-

to plures veritates sciremus; non verò respectivè ad statum naturæ puræ, in quo scilicet multa ignoraremus, aliqua sciremus, iuxta maiorem, aut minorem ingeniorum præstantiam, & applicationem: & quidem naturaliter. Et hoc dicimus de statu naturæ lapsæ. Dices: peccatum intulit corporibus infirmitates, & mortem. Quid ergo mirum, quod intulerit infirmitates, & mortem mentibus, scilicet omnimodam ignorantiam veri? Similiter tamen respondetur, eas intulisse respectivè ad statum, à quo cecidit homo peccans, utpotè alieno à morte, & infirmitatibus ex Dei privilegio; non verò respectivè ad statum puræ naturæ, utpotè etiam obnoxio infirmitatibus, & morti.

18 Ad secundam, negatur sequela. Non enim dicimus, intellectum suis viribus cum concursu generali Dei relicto, posse cognoscere aliquas veritates, ex eo præcisè, quia utcumque illi proportionatæ sunt; sed quia præter proportionem, fieri potest, quod in unâ, vel alterâ veritate cognoscendâ, nulla occurrat notabilis difficultas. At in pluribus occurrunt plurimæ, ut monstrat experientia: ad quas superandas necessaria est aliquis gratia, ut inferius dicemus. Sic in cumulo lapidum singuli, termini, aut deni lapides sunt proportionati, ut levantur viribus hominis; imparibus tamen ad omnes simul, & collectim.

19 Ad fundamentum alterius sententiæ, positum *num. 4.* fatemur, Divinæ providentiæ fuisse, sic disponi causas naturales, ut tales, aut tales notitias veras habeamus circa naturalia. Ceterum aliqua dispositio, in qua homo rationis compos aliquas habeat huiusmodi notitias veras, taliter pertinere videtur ad beneficium, & ordinem creationis, ut non nisi ex industria, & contra munus recti, prudentisque provisoris, omninò negari valeant à Creatore. Non enim abique specie cuiusdam violentiæ contra quod naturæ rationali debetur, taliter semper disponi possent occursum rerum, etiam in natura lapsa, ut nunquam cognosceret homo quidquam veri. Sic enim genus humanum nec per breve tempus posset naturaliter conservari. Quandoquidem esuriens deglutiret terram, sitiens hauriret venena, algens fugeret ignem, & exueret vestes: & per alia

id

id genus semper exerraret contra propriam conservationem: quod nec de brutis animantibus dicere est.

20 Non negamus, eiusmodi notitias veras, esse beneficia Dei, ad modum quo est creatio ipsa: & potentiæ, ac sensus, sunt Dei beneficia; sed dicimus includi moraliter in ipso beneficio creationis, ipsique deberi connaturaliter; ac proinde non esse extra ordinem creationis, & conservationis, nec esse ex speciali gratia Dei ad id necessariâ; sed potius ex debito, suppositâ creatione, ut diximus iam in simili *disp. 3. sect. 2.* Unde, sumptâ gratiâ laxissimè pro quolibet beneficio, seu bono dato homini à Deo potente absolute, si vellent, illud negare, dicendum esset, non solum quamlibet cognitionem veram, sed etiam sensationem quamlibet, imò & sensus ipsos, ac potentias, non inesse homini, nisi ex gratia Dei. Non autem controvertuntur præsentibus difficultates iuxta laxissimam hanc gratiæ usurpationem, ut per se est clarum.

21 Nec item propter superius dicta negamus, ad cognoscendas omnes, aut plurimas veritates naturales, imò & ad aliquas in particulari difficillimæ indaginis, requiri in homine lapsò specialem gratiam Dei: *non quidem Theologicam entitativè supernaturalem*; sed *Philosophicam*, ut ita dicam, sumptâ scilicet gratiâ pro beneficio entitativè naturali, & intra ambitum totius ordinis creationis naturarum rationalium; indebito tamen naturæ hic & nunc, huicque occursum causarum; ideòque miraculoso, & quoad modum supernaturali. Sic habet intelligentiam dictum illud Eccii. 8. *Intellexi, quod non potest homo invenire rationem eorū, quæ sub Sole fiunt.* Et ratio est: quia veritates naturales sunt ferè innumeræ, & multæ arduissimæ: quò facit illud Hippocratis de una tantum Scientia: *Ars longa, vita brevis, occasio præceps, experimentum fallax, iudicium difficile.* Nequit igitur homo, veritates omnes, nec ferè omnes naturales collectim assequi ex ordinario modo, quo gubernatur natura lapsa: & idem dicerem de natura pura. Id quod satis nos docet experientia: cum videamus, sapientissimos Philosophorum, post diuturnum studium, improbumque laborem, multa ignorasse, & in multis sefellisse, etiâ circa naturalia. Nec obest

naturalis noster appetitus cuncta sciendi: prodest enim, ut aliqua saltem assequamur, quâvis in multis maneat inexplētus; sicut in multis appetitus cuncta possidendi. Nec obest proportio intellectus naturalis cum omni scibili naturali, propter ea, quæ diximus *num. 18.* Valet etiam hæc nostra ratio, & experientia pro aliquibus veritatibus arduis, ac difficillimis etiam sigillatim; v. g. pro compositione continui: pro quadratura circuli: pro possibilitate infiniti, & similibus.

22 Dixi: *gratiâ*, non quidem *Theologicâ entitativè supernaturalem.* Hæc enim, de qua præsertim in præcedentibus disputationibus loquuti sumus, quæque in strictiori sensu gratia actualis est; & dicitur, ad nullam veritatem naturalem, nec ad omnes simul ab homine cognoscendas necessaria est. Quia, cum entitativè supernaturalis sit ex latè dictis *disp. 3.* ad solos actus entitativè supernaturales requiritur à SS. Patribus contra Pelagium. Nec est, aut cognitio vera, aut donum aliud naturale, cui non sufficere possint causæ, & comprincipia entitativè naturalia cum Dei concursu illis proportionato; quamvis hæc ipsa possint adhiberi à Deo in circumstantijs præter debitum, & ordinem naturalem; ideòque fieret id extraordinariè, & quodammodo supernaturaliter, seu miraculose. Non ergo necessaria ad id esset gratia Theologica; sed sufficeret Philosophica, hic, & nunc beneficè, ac indebitè collata ab Authore naturæ rationalis, ad multa naturalia cognoscenda, quæ aliter ignorarentur.

23 Duæ supersunt difficultates. Prima: in quo stare possit gratia ista Philosophica, quam requirimus ad plures veritates naturales cognoscendas? Secunda: an hæc quoque dicenda sit gratia per Christum?

24 Respondetur ad primam, stare id posse multipliciter. Primò, infundente Deo homini per accidens habitus scientiarum, earumque actus veros entitativè naturales circa naturalia. Secundò, removendo ex providentiâ speciali, & extraordinariâ impedimenta, quæ obfata solent multis cognitionibus veris. Tertio, subministrando præter rerum ordinem species impressas obiectorum, quæ ne longo quidem studio acquiri solent.

Quar-

Suprà,
disp. 3.
sect. 4.

Aguir.

Suprà,
disp. 3.Suprà,
disp. 3.

Eccii. 8.

Hippocr.

Quartò, perficiendo specialiter temperiem cerebri, & organa sensuum, retardantium, & aggravantium animam.

25 Ad secundam respondent multi negativè. Quia, inquiunt, ex Augustino *Epist. 105.* gratia per Christum illa est, ad quam nobis promerendam: Christus mortuus est: non autem mortuus est, ut *Rethores essemus, vel Mathematici, vel Philosophi; sed, ut iusti essemus, & secundum virtutem viveremus:* ergo, quantumvis in ijs facultatibus proficiat homo ex speciali Dei beneficio, non est tribuendum gratiæ per Christum, nisi quando, & quatenus scientiæ naturales ordinantur ad bonum spirituale salutis æternæ propriæ, vel aliænæ. Sic Vasquez, & Turrianus. Ad quorum tamen argumentum respondet aptè Suarez *lib. 1. cap. 1.* oppositum tenens, Christum multa morte suâ meruisse, propter quæ sola non mortuus esset: meruit quidem apud omnes sibi Nomen super omne nomen, & gloriam corporis, propter quæ non mortuus esset; si non esset homines redempturus. Itaque inter illa, quæ meruit, & dicuntur fieri per Christum, alia sunt ex motivo primario, quo dempto non mortuus esset; & hoc ait Augustinus: *Sed ut iusti essemus, &c.* alia ex secundo, quo dempto, adhuc mortuus esset: & hoc ait: *Non ut Rethores, &c.* moriens tamen, pro utroque applicuit mortem, & alia merita. Iuxta hæc distingui, & explicari potest maior, & dictum Augustini; & negari consequentia.

26 Pendet hoc à varijs sententijs circa decretum, & motiva Incarnationis, & mortis Christi. Censui cum Suar. & ex Scripturis, ac SS. Patribus firmavi *disp. 6. de Incarnat. sect. 3.* primum Dei decretum fuisse de Christo, & reliqua omnia, tam naturalia, quam supernaturalia, decrevisse Deum intuitu meritorum Christi. Sicque censeo consequenter contra Vasq. prædictas etiam gratias entitativè naturales dari ex meritis Christi, dicique posse dari per Christum: cum discrimine tamen adhibito *num. præc.* ad verba Augustini. Hinc infer, distinctionem gratiæ propter Christum, & non propter Christum, quam *num. 4.* retulimus ex Vasquez, parim è re præsentem esse pro de facto; & valere posse pro de possibili iuxta alios modos decernendi Deo possibiles.

SECTIO II.

An, & quatenus Gratia necessaria sit ad opera bona moralia naturalia.

27 **N**VLLVM prorsus opus moraliter bonum, virtuosum, ac honestum posse ab homine actu fieri sine speciali auxilio Divinæ gratiæ, defendunt cum Vasquez graves Theologi. Non quia putent ad actum bonum naturalem prærequiri gratiam entitativè supernaturalem; sed quia prærequiritur aliqua bona cogitatio congrua, & putant cogitationes congruas etiam entitativè naturales esse auxilia gratiæ, & quidem gratiæ Theologicæ. Fundamenta posuimus, & eruimus *disp. 3. d. sect. 4.* Quò remitto Lectores pro præsentem puncto, arctissimè connexo cum doctrinis ibi traditis, latèque discussis.

28 Oppositum tenet, & meritò, cum Suarez communior sententia: scilicet, aliqua bona opera naturalia, saltem faciliora, fieri posse ab homine naturæ viribus cum concursu Dei generali, etiam in naturâ lapsâ, sine speciali auxilio gratiæ. Pro quo novitèr multam eruditionem congerit Eminētissimus de Aguirre *disp. 117. & 118.* Etque expressâ doctrina S. Thom. *1. 2. quest. 109. art. 3.* Dixerat enim, hominem lapsum non posse per sua naturalia operari *totum bonum;* & subdit, posse saltem *aliquid.* Idque firmat exemplo infirmi, qui, non valens ad omnia, quæ poterat sanus, valet ad aliqua, præsertim faciliora.

29 Probatum autem primò. Quia per lapsum non fuit extinctum in homine liberum arbitrium, ut vidimus *disp. 1. sect. 2.* ergo non est cur non maneat in natura, etiam lapsâ, potestas ad opus aliquod bonum naturale, saltem facile: quale foret in Filio, amare Parentes; & in alijs, gratum esse insigni benefactori; velle manducare cibos sibi gratos pro conservanda vita. Profectò, si naturæ lapsa manet libertas, aut hæc potest, aut nihil potest. Confirmatur: nam Authorem naturæ decet, sapienter, & ingenue gubernare creaturas suas rationales: ergo pertinet ad illum, ut talem, sic se erga illas gerere concurrendo, reique contemperando, ut aliquando saltem ab aliquibus aliquid boni fiat: res autem, datâ

datâ operâ, taliter disponere, ut nullus unquam fieret ab illis actus inhonestus, videretur potius perturbare, quam gubernare; infidari potius, quam dirigere; & invadere potius, quam providere creaturis suis: quod & dedecet Authorem, & non, nisi reclamante naturâ rationali, fieri posset. Ergo quòd aliqui actus honesti quandoque fiant à naturâ libera, etiam lapsâ, est iuxta ipsius debitum, quin ad id esset necessaria gratia specialis Dei, exclusâ moraliter à beneficio creationis. Simili discursu huc applicando usi sumus *sect. præc.* pro aliquibus cogitationibus veris facilibus.

30 Secundò ex Trident. *sess. 6. Can. 1.* statuente: *Si quis dixerit, hominem suis operibus, quæ, vel per humana naturæ vires, vel per legis doctrinam fiunt, absque Divina per Christum gratiâ, posse iustificari, anathema sit.* Vbi supponi videtur à Concilio, quòd fieri posset naturæ viribus absque gratia, aliquod bonum opus, non conducens ad iustificationem. Similiter August. *lib. 3. Hipognosticon,* ait, inesse *liberum arbitrium, habens quidem iudicium rationis: non per quod sit idoneum, quæ ad Deum pertinent sine Deo, aut inchoare, aut certè peragere; sed tantum in operibus vitæ præsentis, tam bonis, quam malis: bonis dico, quæ de bono naturæ oriuntur.*

Consonat S. Prosper cap. 2. contra Collat. sic: *Si enim neque ad ista terrena ordinanda rationalis anima vigeret ingenium, non vitata esset, sed extincta natura.* Quid clarius? Habet igitur arbitrium naturales vires, etiam in natura lapsâ absque specialis gratiæ auxilio, ad ordinanda, cognoscendo scilicet verè, ac benè volendo, quæ spectant ad vitam præsentem iuxta rectum rationis, & virtutis moralis dictamen, ut ipsemet Prosper explicat *epigr. 81.* dummodò per hæc non dicatur se meritorè disponere ad salutem, & iustificationem: quod semper cavendum est contra Pelagianos, & Semipelagianos.

31 Tertio ex Araus. *Can. 6.* & Trident. *Can. 3.* ibi: *Si quis dixerit, sine præveniente Spiritus S. inspiratione, atque eius adiutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut penitere posse, sicut oportet, ut ei iustificationis gratia conferatur, anathema sit.* Quem modum loquendi tenent alij Patres. Quippè, dum gratiam prædicant necessariam ad bona opera, addere solent, aut

meritoria, aut salutaria, aut conducentia ad salutem, aut, *prohinc oportet ad salutem, pietatem, iustificationem, vitam æternam;* aut alio simili modo limitant gratiæ necessitatem ad bona opera salutaria, supernaturalia, & meritoria: supponentes utique, necessariam non esse ad quodlibet opus bonum, etiam naturale.

32 Quartò ex Bullis Apostolicis B. Pij V. & Gregor. XIII. ubi damnantur Baij propositiones, quas inter leguntur istæ duæ: *Cum Pelagio sapit qui boni aliquid naturalis, hoc est, quod ex natura solis viribus ortum ducit, agnoscit. Non nisi Pelagiano errore admitti potest usus aliquis liberi arbitrij bonus, sive non malus: & gratia Christi iniuriam facit qui ita sentit, & docet.* Cum igitur has propositiones daret Ecclesia, sentiendum est, posse naturam liberi nostri arbitrij abique speciali gratiâ, aliquid boni moralis operari. Negant Adversarij consequentiam; quia, inquiunt, illæ propositiones non damnantur, nisi ratione censuræ Pelagianismi, quam iactant in nostram sententiam: undè non sequitur, sententiam nostram esse veram; sed non esse dignam censurâ. Hanc responsionem iam com-
pressimus *disp. 3. sect. 6.* Habemus saltem ex illa, nostram sententiam non esse sic censurabilem, ut denuò contendunt novi Pseudo Augustiniani, Hæresis Iansenianæ, seu Calvinianæ subdoli promotores: quos insequitur viriliter Eminētissimus de Aguirre citat. videndus per otium ibi post Eximium *lib. 1.* ubi conclusionem nostram eximie illustrat, & argumenta contraria dissolvit. Præcipua tetigimus *disp. 3. sect. 4. & 5.* & ex ibi dictis, ac ex dicendis in sequentibus alia poterunt facile dissolvi.

33 Hæ nostræ probationes à fortiori convincunt, ad quodlibet opus bonum morale naturale non esse necessariam gratiam Theologicam iuxta nostrâ sententiam, qui sentimus, gratiam Theologicam esse donum entitativè supernaturale: cum hoc minimè requiratur ad opus naturale. Non autem id solum contendimus; verumetiam, nec ad id esse necessariam gratiam Philosophicam specialem, & extraordinariam, sumptam videlicet pro dono entitativè naturali, & de intra ordinem creationis, indebito tamen hic & nunc ordini præsentem creationis, Ratio enim, quam posuimus

Pius V.
Gregor.
XIII.
Baius.

Suprà;
disp. 3.

Aguir.
Suarez.

ex S.Thom. num. 28. sine hac etiam gratia probat fieri posse a nobis etiam lapsis aliquod opus bonum facile, & conaturalissimum; sicut & haberi aliquas cogitationes veras, obvias, ac pertaciles, ut in simili etiam diximus sect. prae. S.Thom. ex eodem S.Thoma.

SECTIO III.

Nostra mens circa singulare super ijs prolatum Ioannis Martinez de Ripalda.

Ripald. 34 QVI tom. 2. disp. 114. sect. 13. sentit nobiscum, loquendo ex natura rei: quod nempe non est supra vires naturae etiam lapsae aliquid boni moralis agere; sicut neque assequi aliquid veri. Addit tamen, ex praesenti Dei lege, ac providentia supernaturali erga naturam reparatam, nullum opus bonum naturale posse a nobis fieri sine auxilio gratiae actualis Theologicae entitativae supernaturali. Et per hanc distinctionem respondet ad argumenta P. Vasquez, aliorumque nobis adversantium, dicens, probare quidem necessitatem gratiae Theologicae, de qua Augustinus contra Pelagianos, ad omne opus bonum morale, ex lege Dei, & ex praesenti providentia; non tamen ex natura rei, iuxta aliam providentiam naturalem Deo possibilem.

35 Porro, eam esse pro de facto Dei providentiam, & legem, probat uberi eruditione tom. 1. disp. 20. ex eo quod Deus elevans ad finem supernaturalem naturam per Christum reparatam, nullum voluerit contingere bonum conatum in natura, ad quem non praeventa fuerit ab ipso per supernaturale gratiae auxilium: ut vel conatus omnis bonus evadat supernaturalis, & conducens ad finem supernaturalem vitae aeternae; vel saltem, si evadit naturalis, nunquam evadat sine alio actu supernaturali circa idem obiectum illum comitante. Undeclare infertur, supposita eiusmodi lege, nullum unquam fieri actum bonum, non interveniente auxilio supernaturali, effectivo actus supernaturalis, aut unice facti, aut facti simul cum naturali. Et hoc modo ait, auxilium gratiae esse necessarium ad quodlibet opus bonum, iuxta praesentem Dei legem.

Supra, disp. 3. sect. 4.

36 Memini iam huius doctrinae disp. 3.

num. 41. ubi leviter insinuavi quod in rei veritate sentio. Placet in primis quod docet Ripalda de praedicta Dei lege, Deo liberalissimo, & Reparatore nostro superabundantissimo valde digna, praesertim pro statu legis Gratiae. Eam Dei legem, ex Scripturis, & SS. Patribus ubertim firmatam a sapientissimo Ripalda, satis agnosco. Minus deinde placet quod dicitur de duobus actibus, uno naturali, alio supernaturali; sepe sese circa idem obiectum comitantibus. Ad hoc enim nec sufficiens agnosco fundamentum Autoritatis, nec rationis. Ad quid tunc actus naturalis; cum potentia, praeventa comprincipio supernaturali elevante, exerceat se satis, ac melius unice per actum supernaturalem circa illud obiectum? Potius ergo dicendum videtur, si alioquin praedicta doctrina placitura sit, tunc non fieri actum naturalem, sed loco actus naturalis, qui fieret, si non praeventa esset a Deo per gratiam Christi potentia vitalis, fieri unice actum supernaturalem; cum ex praedicta Dei per Christum lege, quandocumque reparatus homo bene operatur, adfit praesto comprincipium supernaturale elevans potentiam naturalem ad supernaturaliter operandum, ut in simili retulimus, ob eandem rationem, & legem, de sanctis cogitationibus, piisque affectionibus indeliberatis disp. 3. num. 42. Id quod non obscure significasse videtur Augustinus, duobus praesertim in locis recitatis disp. 6. num. 26. dum enim dixit: Fieri non potest, ut steriliter boni simus: id videtur voluisse, quod quoties bene operamur non steriliter, & infructuose, sed utiliter, & salutariter operamur, scilicet ex gratia per Christum, cuiusque bene operanti semper praesente iuxta Dei legem.

Supra, disp. 3. sect. 4. & disp. 6. sect. 2. August.

37 Dices, nimium, durumve videri, quod potentiae nostrae rationales naturales nullum unquam eliciant actum bonum naturalem, quem innate appetunt, & exigunt: hoc enim esset, nunquam se honeste exercere conaturaliter; sed perpetuo quasi violententer, contra quod ratiocinabamur sect. 1. & 2. Respondetur tamen, nec nimium, nec durum id videri debere. Non nimium, si eiusmodi legem erga nos consideremus latalam a Deo, qui dives est in misericordia, propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos, & cum essemus mortui peccatis,

Ephes. 2.

convivificavit nos in Christo: ut ostenderet abundantes divitias gratiae suae. Non durum, si naturam nostram rationalem etiam lapsam consideremus ordinatam a Deo per Christum Reparatorem ad finem supernaturalem, ea saltem voluntate, qua vult omnes homines salvos fieri: Quae Dei ordinatione supposita, congruum est largitati Divinae prae rogare semper auxilia suae gratiae creaturis suis honeste operaturis, ut non solum honeste, sed etiam supernaturaliter operentur, pro ut oportet ad salutem. Sicque intelligitur facile axioma celebre Theologicum, alioquin explicatu difficile: Facienti quod est in se, Deus non denegat gratiam, ut videbimus disp. 12. sect. 12. Quandoquidem cuicumque homini honeste operanti praerogavit iam Deus liberaliter, ac misericorditer subsidia gratiae, ut salutariter operetur. Pro quo videantur, precor, Scripturae, Concilia, & SS. Patres, apud Ripaldam citat. praesertim illud Sapientiae 6. Praecipit eos, qui se concupiscunt: illudque Araus. 2. Can. 9. Quoties bona agimus, Deus in nobis, atque nobiscum, ut operemur, operatur: scilicet, per gratias praevinentes.

1. Tim. 2.

Infrà disp. 12.

Sap. 6. Araus.

Tom. de Christo, disp. 2.

Tom. de Deo, disput. 18. sect. 10.

38 Neque hoc est, potentias nostras rationales intellectus, & voluntatis exercere se violententer contra quod innate appetunt, & exigunt. In primis enim, si terminos rite calleamus, operari supernaturaliter non est operari violententer: quia non est operari contra, sed supra naturam creatam rationalem: alioquin & videns Deum beatifice esset eo ipso in statu violento, quod nefas est; & humanitas Christi non habens propriam, sed Divinam, & supernaturalissimam Personalitatem, pateretur in eo violentiam, quod esse plusquam falsum vidimus disp. 2. de Incarnat. sect. 6. ubi solvimus quae contra hoc obijci possunt. Deinde non bene confunditur innatus appetitus cum exigentia potentiarum naturalium. Supernaturalia namque possunt innate appeti, quamvis non exigi a naturalibus, ut apte discrevimus, & exposuimus disp. 18. de Deo, a num. 104. Hoc tamen discrimine transmissio, dico, satis exerceri naturaliter intellectum multis cognitionibus non veris, & forte aliquibus veris minime pijs, & omnino inutilibus ad honeste operandum; & voluntatem multis affectibus turpibus, aut moraliter

non bonis: quin necesse sit, habere cogitationes pijs, & actus moraliter bonos naturales, quando per supernaturales melius exercentur: ideoque non otiantur.

39 Dices, sequi saltem, eas potentias naturales nunquam pie, & honeste exerceri naturaliter. Respondetur, vocem illam naturaliter, sonare dupliciter: scilicet, aut, naturaliter; contrapositè ad violententer; aut, naturaliter; contrapositè ad supernaturaliter: quae quidem diversissima sunt: dicimus enim, lapidem non ferri fursum naturaliter, id est non nisi violententer, quin propterea feratur supernaturaliter, cum a projiciente naturali feratur: & dicimus humanitatem Christi non subsistere naturaliter, id est non nisi supernaturaliter; quin propterea subsistat violententer; cum id non sit contra, sed supra illam. Itaque in priori sensu sequela vera non est; in posteriori, non est absurda: & per adhibitam distinctionem, & explicationem, neganda in primo sensu, & concedenda libenter in secundo. Faciunt ad rem praesentem quae de Scientijs, & Virtutibus Christi scriptimus disp. 13. & 14. de Incarnat. sect. 9. Nec id putes applicari posse actibus potentiarum sensitivarum. Haec enim potentiae non spectant ad naturam, ut rationale, & ut ordinatam ad supernaturalem beatitudinem: neque eius actus possunt esse supernaturales, ut colligitur ex a me dictis disp. 18. de Deo, sect. 8. & 9.

Tom. de Christo, disp. 13. & 14. sect. 9.

Tom. de Deo, disput. 18.

Supra disput. 2. sect. 2.

40 Dices rursus, difficilem videri praeparationem illam tam generalem comprincipij supernaturalis ad quodcumque opus bonum nostrum, piamque cogitationem. Respondetur tamen, id esse mihi captu perfacile. Nam ad primam cogitationem excitatam indeliberatam, ne procedatur in infinitum, fit a Deo ea praeparatio per specialem applicationem Omnipotentiae ultra debitum naturae, ut dictum est disp. 2. num. 17. Deo autem tam facilis est specialis, ac generalis applicatio. Deinceps autem iam illa cogitatio supernaturalis est comprincipium elevans ad sanctam affectionem supernaturalem; & utraque ad actum deliberatum subsequutum supernaturalem: & saepe adfunt etiam habitus supernaturales virtutum, qui sunt comprincipia supernaturalia ad actus.

41 Obiecerunt aliter mihi docti Magistri Collegij nostri Barcinonen. quod ait

Trid.

ait Trident. sess. 6. Can. 1. *Si quis dixerit, hominem suis operibus, quæ vel per humanam naturam vires, vel per legis doctrinam, sunt absque Divinâ per Christum gratiâ, posse iustificari, anathema sit.* Vbi supponi videtur, fieri actus aliquos bonos naturales: ergo adversatur Concilio qui dicat, nullum de facto iuxta præsentem Dei legem fieri actum bonum naturalem. Confirmabant ex Bullis Pontificijs, damnantibus has duas Baij. propositiones: *Cum Pelagio sapit, qui boni aliquid naturalis, hoc est, quod ex natura solis viribus ortum ducit, agnoscit. Non nisi Pelagiano errore admitti potest usus aliquis liberi arbitrij bonus, sive non malus: & gratia Christi iniuriam facit, qui ita sentit, & docet.* Ex quarum damnatione inferitur, non solum de possibili, verum etiam de facto, fieri aliquos actus naturales honestos: præsertim si Baij. propositiones damnatæ sint, non solum ratione censuræ; sed etiam ratione doctrinæ: ut sentit ipse Ripalda

Ripalda.

tom. 3. disp. 1. sect. 4. contra Vasq.
42 In primis quoad hoc ultimum P. Vasquez non sic sentit generaliter: quippè aliquas, & fortè has duas, quæ nobis obijciuntur, censet, solum damnari ratione censuræ; 1. 2. disp. 190. cap. 18. ubi refert, sic etiam censuisse Card. Tolletum à se Romæ consultum: de quo etiâ Suarez *Prolog. 6. cap. 2.* De aliquibus probavi suo in loco damnatas fuisse non solum ratione censuræ; sed etiam ratione doctrinæ. Ex quibus non fit argumentum ad omnes, nec ad istas duas. Sed quidquid de hoc sit.

Tolet.
Suar.

43 Respondetur ad objectionem, mentem Tridentini claram ibi fuisse contra Pelagianos, qui docebant fieri à nobis actus naturales bonos sine gratia per Christum; & sic factos conducere ad iustificationem. Ab hoc abest longissimè hæc sententia. Quippè nullum actum bonum admittit sine gratia per Christum: in quo convenit cum P. Vasquez: cum eo tamè discriminis, quod Vasquez admittit actus bonos entitativè naturales; & hæc sententia dicit, esse supernaturales. Ab hoc autem discrimine præscindit Canon Concilij: sicut ab eo quod actus naturales boni non fiant nisi ex gratia per Christum, ut opinatur Vasquez; aut fiant sine gratia per Christum, ut volunt communius alij. Nec Concilium supponit ibi, tanquam doctrinam suam, fieri actus

naturales bonos; sed tanquam partem doctrinæ Pelagianorum, quam tamen penes id non reprobatur: sicut nec supponit, tanquam doctrinam suam, eos actus fieri absque Gratia per Christum, quod esset damnare celeberrimam opinionem P. Vasquez. Itaque, quidquid sit de ijs doctrinis seorsim probabilibus, damnatur Pelagianos, coniunctim asserentes, fieri sine gratia per Christum actus naturales bonos, & conducentes ad salutem. Sic ergo, sincerissimè, salvo toto Canone, negatur objectionis illatio. Quodsi ex illo modo loquendi Concilij inferretur adversus hanc sententiam, ut doctrina Concilij, fieri actus naturales bonos; ex eodem tenore, ut videre est, inferretur contra Vazquium, & doctissimos Affectas, eos fieri absque gratia per Christum: quod nequaquam patiemur.

44 Ad confirmationem, detestandæ sunt duæ illæ propositiones Baijanæ, & amplectendæ earum damnatio. Prior damnatur ratione censuræ: & quamvis damnatio procederet ratione doctrinæ generalis, minimè feriret sententiam istam. Non enim generaliter negat omne bonum opus naturale, quod ex naturæ solis viribus ortum ducit, cum illud agnoscat possibile ex natura rei, etiam pro statu naturæ lapsæ: pro quo volunt Baijani, & Ianseniani, debilitatas, ac extinctas fuisse vires liberi arbitrij usque ad eum, ut sine gratia peccemus ex necessitate, & cum gratia, operemur benè ex necessitate. Solum dicit, ex lege Dei per Christum, præveniri vires arbitrij potentes agere benè, ut non solum agant benè; verum etiam supernaturaliter. Posterior damnatur etiam ratione doctrinæ perniciosissimæ. Dicebant enim ibi Baijani, quod etiamnum dicunt Ianseniani, nullum admitti posse usum liberi arbitrij bonum, in nobis scilicet lapsis, quantumvis per Christum reparatis: quia dum benè agimus, non utimur gratiâ, hunc enim usum vocat iniuriam gratiæ Christi; sed gratia, inquit, semper vitrix, utitur liberè arbitrio, illud necessitans ad benè, aut ad non malè agendum, solum relinquens libertatem, quam aiunt, à coactione. Quem sensum satis aperiunt in propositione immediatè subsequenti, quæ est 66. & in alijs. Nihil omnino huius doctrinæ sapit ista sententia, ut ex terminis innotescit.

Durum

SECTIO III.

FIT SATIS ALIIS ARGUMENTIS.

47 **P**ATRI Petro de Oxea in doctissimis Manuscriptis, quæ paraverat ad præsum, de Necessitate Gratia, nimium visum est tribui Divinæ largitati à P. Ripalda, adstruente, ad omne omnino bonum opus morale, quod fit, præveniri naturam, per Christum reparatam, auxilijs gratiæ actualis entitativè supernaturalibus. Quia, inquit, *disp. 3. sect. 6.* Deus, sicut non annexit gratiam suam, meritis, impetrationibus, aut dispositionibus nostris naturalibus, ita nec naturæ nostræ conatibus non procedentibus ab illuminatione supernaturali: nec voluit, haberi à nobis certam regulam dignoscendi, quâdo adfuit nobis auxilia gratiæ, aut quando fiant à nobis opera salutaria vitæ æternæ: alioquin scire possemus certò, quando habemus actum charitatis, aut contritionis supernaturalis: ac proinde, quando sumus in statu gratiæ, contra doctrinam Tridentini.

48 Respondemus tamen, nos ne utiquam annectere ex lege Dei auxilia gratiæ conatibus naturæ non procedentibus ab illuminatione supernaturali. Quod dicimus est, ex lege Dei satis indicatâ in Scripturis, & SS. Patribus, ita præveniri antecederet naturam auxilijs gratiæ per Christum, ut quotiescumque honestè operatur, supernaturaliter operetur: nunquam sola, sed semper viribus gratiæ prævenientis, *stantis ad ostiũ,* & pullantis, *illuminantis* omnem hominem, & *præoccupantis* conatus liberos eorum, qui benè operantur iuxta sacras locutiones, *Apo. 3. Ioan. 1. & Sapient. 6.* Et hoc quidem non nisi, quia Deus sic misericordissimè voluit, & Christus Reparator superabundantissimè meruit ex *nimã* charitate, qua dilexit nos, ut loquitur Apostolus: in quo nihil video absurdum. Sicut neque in eo, quod hoc modo, & cum hac generalitate id nobis statuat, quasi regula: ad instar illius: *Faciendi quod est in se, Deus non denegat gratiam:* & sicut quod unicuique obligato ad Confessionem adest auxiliium gratiæ ad dolorem supernaturalem, aut ad illud procurandum. Nam ista, similesque re-

Apo. 3.
Sap. 6.
Ioan. 1.

Ephes. 2.

V 2

gula

45 Durum denique videtur iisdem Magistris, negare Gentilibus actus virtutum honestos naturales, cum oppositum constet ex varijs Historijs, & ex communissimo sensu. Si autem dicatur, eos actus fuisse supernaturales, cum de naturalitate, vel supernaturalitate fidem non faciant Historia; haud minus durum ipsis videtur, admittere in eis eiusmodi actus supernaturales, sine positivo fundamento. Sed certè videtur durius, ethnicis ordinatis etiam ad finem supernaturalem, & à tanto Redemptore reparatis, qui venit illuminans omnem hominem, ut vitam habeat, & abundantius habeat, & stat ad ostium, & pulsat, &c. non adesse eius gratiam prævenientem, quoties benè agunt. Nec id dicitur sine positivo fundamento in Scripturis genuinè à Sacris Interpretibus expositis; in SS. Patribus clarè id significantibus; & in Theologicis rationibus à congruenti: quæ omnia videre licet impensissimè apud Ripaldam *tom. 1. disp. 20. & tom. 2. disp. 111. & tom. 3. disp. 23.* Nec video, quæ soleant esse alia argumenta positiva in quæstionibus de facto.

Ripalda.

46 De Istis iam hoc docuerunt P. Coninc, & alij à me citati, *disp. 13. & 14. de Incarnat.* operari nempe supernaturaliter quancumque operantur benè. Et me quidem maximè in id inclinatur, quod pro occasionibus, in quibus necessarius homini est actus supernaturalis ad aliquem effectum, nullus Concionator, ut Confessarius sollicitus esse solet, quod fiat actus supernaturalis: curare solemus de obiecto, de motivo, de intentione, de efficacia, & de alijs circumstantijs; non sic de supernaturalitate: quia videlicet hanc aliundè supponimus. Non est autem undè hanc supponere ita fidenter debeamus, prout opus est ad licitè absolvendum, & baptizandum adultum, nisi ex veritate istâ, legeque generali, quod, si benè operamur, supernaturaliter, & salutariter operamur. Sin minus, dicatur mihi, undè concipiamus iudicium prudens de sufficienti dispositione poenitentis ad impendendam ipsi licitè absolutionem; aut de nostrâ ad recipiendam?

Coninc.

Tom. de
Christ.
disp. 13.
& 14.

(* *)

gulae generales multa relinquunt nobis incerta pro casibus particularibus: in quibus videlicet, nec certè scimus, an hic & nunc omninò benè operemur, an verò ex aliqua circumstantiola malà inficiatur opus nostrum. Ad illud speciatim de actu charitatis, vel contritionis dicemus opportunè *disp. seq.* undè hoc etià *Infrà disp. 8.* lucem, & uberiorem solutionem accipiet.

Ioan. 3. 49 Arguit deindè ex verbis Christi, *Ioan. 3. Spiritus ubi vult spirat, & vocem eius audis: sed nescis, undè veniat, aut quò vadat.* Per quæ significari videtur, nulla generali lege statutum esse, ubi, & quando adsint nobis inspirationes gratiæ supernaturalis, nec id à nobis posse dignoscì: & quò tendant cogitationes nostræ piæ; an in finem supernaturalem, an in naturalem: & consequenter an sint supernaturales, necnè. Id autem dignoscere possemus, si verum esset, quòd omnes illæ sunt supernaturales; aut quòd, ut ait Ripalda, semper comitatur quamcumque nostram cogitationem piam naturalem. Respondemus tamen, varios esse Sacros Expositores circa sensum litteralem prædicti loci. Alijs, *Spiritus*, ibi sonat Spiritum Sanctum; alijs, ventum materialem, cuius exemplo utitur ibi Christus; alijs animam, adductam etiam in exemplum, ut legere est apud Maldonatum, & Cornelium.

Maldon. Cornel.

50 Quidquid de hoc dissidio sit, siue litteraliter id intelligatur de Spiritu Sancto per gratias suarum inspirationum; siue mysticè ad has transferatur; dico, verissimum esse, quòd Spiritus Sanctus ubi vult spirat: quia nulla illuminatio, nulla auxiliariis inspiratio accidit, nisi authore, ac volente Spiritu Sancto: & lex generalis est à nemine ignorata, quòd dat has gratias ubi, & quando vult. Quòd autem opinentur aliqui, eas adesse quoties piè, sanctèque cogitamus, & operamur, non fundat certam regulam; sed opinionem insinuatam in Scripturis superius allegatis. Nec taliter dicunt, annexi eiusmodi gratias ex Dei lege ad eas occasionem, & occursum, ex quibus aliqui insurgerent nobis cogitationes bonæ naturales, ut propterea negetur, immiti etiam sæpè illuminationes, & inspirationes ab Spiritu Sancto præter eiusmodi occasiones, & occursum: in multis scilicet casibus, in quibus nec natu-

rales cogitationes obventuræ essent: ut verissimum maneat iuxta Theologiam istam, quòd *Spiritus ubi vult spirat*. Reliquum: *nescis undè veniat, aut quò vadat*; facillimum est dictu, & intellectu. *Nescis*, videlicet, *undè veniat* illuminatio, & inspiratio, quam sentis: quia ignoramus, qua ex causâ Deus illam immiserit hic & nunc: an ex pura liberalitate: an ex impetratione alicuius pro nobis orantis in Cælo, aut in terra: an ex decreto suo speciali prædestinativo efficaciter electivo ad gloriam; an ex generali tantum voluntate, quæ vult omnes homines salvos fieri. *Nescis* similiter, *quò vadat*: quia ignoramus, præter actum ipsum salutarem nostrum, quos alios tam erga nos, quàm erga proximos intendat inspirans Deus, cuius *iudicia abyssus multa, & investigabiles viæ*: an ea inspiratio, ut exponit Estius in Bibl. Max. perductura sit nos in vitam æternam, subsequuto dono perseverantiæ; an ultimo tandem sine frustranda. Per hæc, & alia similia, nobis occultissima satis constat, stare rectissimè cum hac Theologia verissimum illud: *Sed nescis undè veniat, aut quò vadat.*

Psal. 35. Hom. 11. Estius.

51 Arguit præterea ex *Plalm. 17. Cum Sancto Sanctus eris, & cum viro innocente innocens eris; & cum perverso perverseris.* Quo significatur, Deum liberaliorem se exhibere auxiliorum gratiæ suæ cum alijs, quàm cum alijs. Hoc autem non flaret, si cunctis æquè præstò adessent auxilia gratiæ, quotiescumque benè operantur. Confirmat ex alijs verbis *Apoc. 3.* ad Episcopum Laodicenum: *Scio opera tua, quia neque frigidus es, neque calidus; utinam frigidus esses, aut calidus: sed quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo: quia dicis, quòd dives sum, & locupletatus, & nullius egeo, & nescis, quia tu es miser, &c.* Ubi Alcazar: *Tertiò assero, tepidum tunc aptissimè dici à Christo evomi, cum induratur in peccato, & quodammodo projicitur extra curam divine providentiæ. Huius autem comminationis particula est, privari ijs auxilijs, quæ non conceduntur omnibus Iustis, sed ijs solum, quos Deus maiori favore prosequitur.* Ex quibus inferri videtur, Deum sic se gerere quandoque cum tepidis, & perversis ingratis, ut subtrahat auxilia gratiæ: taliter nimirum, ut quamvis ipsi sibi persuadeant, aliquid boni operari, operentur quidem naturaliter, & non salutariter: sæpèque attriti, imò

Psal. 17.

Apoc. 3.

Alcaz.

& contriti accedant ad Sacramenta sine fœctu, quia rati se habere attritionem, seu contritionem supernaturalem, non habuerunt nisi naturalem, quamvis bonam, & honestam. Undè fit, fieri ab hominibus reparatis multos actus bonos, & honestos, qui nec sunt supernaturales, nec fiunt simul cum supernaturalibus, contra totam prædictam doctrinam.

52 Respondetur tamen, has ex ijs Scripturæ locis illationes esse valdè voluntarias. Uterque enim suòs alioquin habet sensus congruentissimos non tangentes prædictam doctrinam. Primus: quia rectè stat, Deum se liberalem exhibere erga alios præ alijs, cum eo quòd omnibus paratam habeat suam gratiam quoties honestè operantur: quatenus scilicet aliquibus, melius utentibus prioribus gratijs, uberiore, & intensiores deinceps parat, quàm essent cogitationes naturales, quæ corresponderent occurribus naturalibus rerum: & extra eiusmodi etiam naturales occursum, infundit extraordinarias illustrationes congruas, quas alijs denegat, alios relinquens cum præcisè sufficientibus. Secundus: quia per id etiam satis intelligitur ea evomitio tepidorum non quia quoties honestè operantur, non habeant gratiam, ut salutariter operentur; sed quia denegat Deus illis ut plurimum in pœnam suæ tepiditatis gratias congruas, quibus honestè operarentur, quamvis habeant sufficientes, ut honestè & salutariter operentur.

53 Illud, quod subditur de attritione, & contritione, non solum me non movet; quin potius mihi, ut verum fatear, incredibile prorsus fit. Quippè non ita sentio de Divina bonitate, ut homo per Christum reparatus habeat re ipsa actum bonum, & honestum attritionis, vel contritionis, quin habeat supernaturalem, & salutarem; atque adeò, quin præcedat ex lege Dei per Christum gratia Spiritus Sancti auxilians, ut actus illi saltem in eiusmodi casibus evadant supernaturales: quamvis pro nunc demus, quod discutiendum veniet *disp. seq.* ex natura rei minimè repugnare actum perfectæ contritionis, & charitatis naturalem. Facilius mihi multò creditu est, homines plerumque falli in eo quòd existiment, se habere actum bonum, & honestum præsertim efficacem attritionis,

Infrà disp. 8.

vel contritionis, cum re ipsa non habeant, in quo multos timoratos videmus sollicitos; quàm in eo quòd existiment, se habere supernaturalem, & salutarem, cum re ipsa habeant naturalem bonum, & honestum; de quo vix ullum sollicitum inveni: nec certe Confessariū, qui de hoc caret ad impendendam licite absolutionem, futuram certò nullam, non præsupposito dolore supernaturali, ut extra dubium reliquit Innocent. XI. per prohibitionem propositionis 57. in Decreto anni 1679. & illicitam, non præsupposito iudicio prudenti de existentia talis actus dispositivi re ipsa supernaturalis, ut expendimus ad finem *num. 46.*

Innocent. XI.

54 Arguit insuper ex verbis Ecclesiastæ 11. *Mane semina semen tuum, & respere ne cesset manus tua: quia nescis, quid magis oriatur, hoc, aut illud: & si utrumque simul, melius erit.* Vbi commendatur nobis repetitio frequēs bonorum operum: ut, si fortè hoc opus bonum non evadat supernaturale, & conducens ad vitam æternam, aliud evadat: quæ cura nobis non esset, si verum est, quòd omne opus bonum, est supernaturale, & conducens. Et quidem per metaphoram feminis, cuius multa grana spargit agricola, ut, si fortè ex uno non oriatur fructus, oriatur ex alijs. Si autem ex omnibus operibus bonis, utpotè supernaturalibus, habetur fructus conducentia ad vitam æternam, non est cur ita solliciti esse mus multiplicandi bona opera, ut si ex uno non oriatur fructus, oriatur ex alio.

Eccle. 11.

55 Respondemus: admittè eam applicationem ad omnia bona opera, adhuc exindè nihil concludi. Non enim nobis commendatur frequentia bonorum operum, ut, si unum non evadat supernaturale, evadat aliud: de quo certè nõ essent solliciti; sed ut, si unum non evadat undequaque bonum, ut solet accidere multis falsò existimantibus se benè operari, aliud evadat sine circumstantiâ ullâ, illud apud Deum deturpante: id autem benè stat cum eo quòd nullum sit undequaque bonum, quod non sit supernaturale. Nec obstat metaphora feminis: nam, quamvis omne opus undequaque moraliter bonum sit supernaturale, & conducens; unum potest esse magis conducens, & duo simul multò magis: & nescimus, per quæ, & per quot opera bona

bona adepturi sumus re ipsa perseverantiam finalem, & fructu vitam aeternam. Hoc certe est quod nos debet habere anxios, & sollicitos bene semper operandi, & multiplicandi opera bona, quantumvis omnia supernaturalia, & conducentia; cum alia sint alijs conducentiora; & multacitate plusquam pauca, ad pertingendum securius scopum salutis aeternae.

56 Per haec tuta manet undique praedicta doctrina de supernaturalitate ex lege Dei omnis actus nostri unde quaque moraliter boni: & consequenter de necessitate gratiae auxiliatricis ad illud in natura reparata per Christum. Iuxta quam doctrinam dicendum venit ad Titulum *sect. 2.* gratiam Theologicam non esse necessariam ad quodlibet opus bonum naturale, si verum est, quod aliquando tale fiat in statu naturae reparatae, sicut fieret in statu naturae purae. Quoniam vero, iuxta praesentem Dei legem, & providentiam, taliter praevientem per merita tanti Redemptoris homines recte operaturos, ut nunquam bene operentur, nec valeant operari de facto, quin supernaturaliter operentur, fieri nequit actus bonus pure naturalis; sit quaestio pro de facto, quasi de subiecto non supponente. Id quod praec oculis habendum est ad sequentes difficultates: quamvis eas disputemus utilius in terminis communioris sententiae, agnoscentis pro statu naturae reparatae opera unde quaque moraliter bona, & honesta pure naturalia: quae pro statu naturae purae possibilia omnes agnoscere debemus.

SECTIO V.

An, & quatenus Gratia necessaria sit ad opera bona moralia difficilia.

57 **B**ONI operis difficultas obvenire potest, aut ab intrinseco sui, scilicet a propria talis actus perfectione: qualis dicitur esse actus amoris Dei propter se super omnia, de quo speciatim *disp. seq.* propositum efficax servandi perpetuo castitatem: actus offendi percutienti se maxillam; diligendi inimicos; aliaque virtutum opera eximia, & heroica. Aut ab extrinseca aliqua circumstantia, ut a diuturna duratione, quae actum ex sua specie facilem reddere solet difficilem. Aut ab urgente

Infrà, disp. 8.

tentatione, retrahente fortiter ab opere bono, sicque reddente factum difficilem actum alioquin facilem: de quo speciatim *disp. 9.*

58 Una ferè vox est SS. Patrum, & Theologorum, in statu naturae lapsae necessariam esse specialem Dei gratiam ad opera bona difficilia, eximia, & heroica, naturalia; quamvis non ita ad facilia. Et hoc quidem cum aliquo discrimine ab statu naturae purae. Quia, inquit, homo lapsus in ordine ad bene operandum comparatur infimo. Quemadmodum ergo infirmus, quamvis aliqua facere valeat opera physica vitae, non valet facere perfectiora, ardua, & heroica, ob virium scilicet debilitatem, nisi convalescat; similiter nec homo lapsus opera bona moralia difficilia, quantumvis entitativè naturalia, nisi roboretur, & sanetur eius debilitas per gratiam Dei.

59 Huic locutioni, quam innumeris SS. Patrum testimonijs exornatam passim invenies, oportet morem gerere, ne in puncto dogmatico, vel penes orthologiam, a Theologiae Ducibus exeret Theologia nostra. Quocirca.

60 Dicendum est primò: absolute loquendo pro statu naturae lapsae, necessariam esse specialem Dei gratiam actualem ad opus bonum valde difficile, eximium, & heroicum. Hoc quoque modo verè, sincerèque salvantur locutiones SS. Patrum. Sive videlicet id salvetur ex eo quod omnis cogitatio honesta congrua omnino praerequisita, ut fiat honestè bonum opus, & a fortiori difficile, est vera gratia actualis Theologica extra ordinem creationis, ut voluit Vasquez: sive ex eo quod specialiter ratione debilitatis ex morbo peccati contracte ad bonum praesertim difficile, requirat natura lapsa speciale Dei Authoris sui adiutorium indebitum hic & nunc, ac proinde philosophicè gratuitum, quamvis non omnino extra omnem ordinem creationis, ut volunt alij: sive ex eo quod ex praesenti lege, & providentia Dei, sic & non aliter applicantis Omnipotentiam ad concurrere in statu naturae lapsae per Christum reparatae, nullus fiat actus undecumque bonus, & honestus, & a fortiori difficilis, quin fiat etiam supernaturalis, ut vult Ripalda. Quocumque enim ex ijs modis, sufficienter salvatur, nullum opus honestum virtutis eximium, & heroicum,

Infrà, disp. 9.

Vasq.

ac difficile, exerceri actu posse, nisi ex speciali auxilio gratiae: quae constans est SS. Patrum locutio.

61 Porro ex ijs modis hanc innegabilem veritatem defendendi, postremus conformior est doctrinae, quam adstruximus *sect. 3.* Iuxta quem, posita ea Dei lege sic praevieniendi subsidijs suae gratiae motus omnes moraliter honestos, & a fortiori heroicos, ac eximios naturae per Christum reparatae, ut non evadant nisi supernaturales, & salutares; sit, quod ex hac lege Dei ad quemcumque illorum necessaria est gratia actualis, non solum necessitate morali, quin etiam physica, imò & metaphysica: quatenus scilicet prorsus est impossibile, fieri actum entitativè supernaturalem, ac proinde salutarem solius naturae vi ribus absque virtute aliqua indebita divinitus elevante naturam ad supernaturaliter operandum.

62 Tria videntur ob stare posse. Primum, quod haec doctrina praesentis legis Dei, ut posuimus, aequè procedit de actibus bonis facilibus, ac de difficilibus: quo non fit satis communi locutioni, ad difficiles praefacilibus requirenti subsidium gratiae propter insufficientiam naturae. Secundum, quod hoc aequè procedit de natura pura, atque de lapsa; cum neutra sufficiens sit ad quidquam operandum entitativè supernaturale, & utraque requirat ad id comprincipium elevans. At in praesenti quaestione non sine magno discrimine inter illas loqui solent Patres, & Doctores. Tertium, quod semper restat indecisa quaestio pro necessitate ex natura rei praecisim ab extrinseca Dei lege: an scilicet ex natura rei sit necessaria gratia elevans, & adjuvans naturam ad exercendos actus eximios, ac difficiles virtutum, casu etiam quo non adefset ea Dei lex, nullum patiens exerceri actum unde quaque bonum, quin sit supernaturalis, & salutaris in statu naturae per Christum reparatae. In hoc autem videtur stare praecipua difficultas, de qua SS. Patres, & Theologi: qui de eiusmodi lege Dei non meminere.

63 Ad primum tamen respondetur, fatendo, eam doctrinam de praesenti Dei lege procedere quoque de actibus facilibus: unde a fortiori praevalet de difficilibus. Stare tamen semper discrimen

inter difficiles, & faciles, inspectis naturis rerum: non quidem per legem praesentem Dei, sed praecisim ab illa: non de gratia Theologica, sed de Philosophica, ut dicemus in responsione ad tertium. Et per hoc discrimen salvanda est auctoritas communis locutionis de insufficientia naturae, & de necessitate gratiae ad difficiles praefacilibus.

64 Ad secundum dico, non aequè procedere de natura pura, atque de lapsa. Quamvis enim neutra per se sit sufficiens, & utrique sit necessarium auxiliium gratiae ad quemcumque actum supernaturalem exercendum; at pro natura lapsa per Christum reparata stat ea Dei lex, satis fundata in Scripturis, & Patribus; non ita pro natura pura: cuius utique status purus re ipsa nunquam fuit, nec erit: ideòque non nisi incidenter, & arguitivè venit in quaestionem quando agitur de statu naturae lapsae reparatae, in quo versamur. Unde est, quod communis, & absoluta locutio necessariam dicit esse gratiam per Christum ad opera moraliter bona pro statu naturae lapsae reparatae. Haec autem sententia Ripalda dicit, id intelligi ex praesenti Dei lege lata pro statu isto reparationis: quod non ita dicitur de natura pura, pro cuius statu non est talis lex. Ergo discrimen satis notabile inter eos naturae status, suum etiam locum habens in sententia Ripaldae. Aliud etiam discrimen sedulo notandum statuum naturae purae, & lapsae explicabitur *num. 70.*

65 Ad tertium fateor, per supradicta manere indecisam quaestionem, loquendo ex natura rei, & praecisim a praesenti lege, & consequenter pro statu naturae purae. Nunc autem eam decidemus; negando tamen quod ad calcem dicitur, praecipuum scopum SS. Patrum non fuisse in ijs commendare necessitatem gratiae pro statu naturae lapsae reparatae, in quo versamur, praefactu naturae purae, in quo nunquam fuimus, nec erimus.

66 Quocirca, loquendo ex natura rerum, dicimus quatuor. Primum, ad opera bona moralia naturalia difficilia exercenda necessariam esse specialem Dei gratiam actualem. Secundum, non esse necessariam gratiam Theologicam entitativè supernaturalem. Tertium, necessariam esse morali saltem necessitate, gratiam Philosophicam; id est, speciale bene-

beneficium Dei de ordine naturæ, indubitum tamen hic, & nunc occursum harum causarum naturalium, in quarum circumstantiis Deus illud gratis elargitur, & non ex debito, prout explicuimus *disp. 1. num. 32.* Quartum, speciali quadam ratione eiusmodi Dei beneficium requiri pro statu naturæ lapsæ, potius quam puræ. His quatuor propositionibus videtur contineri doctrina communior, & veritati conformior in hoc puncto.

67 Prima propositio nititur præclaris SS. Patrum testimoniis, videndis apud Authores: ex quibus ad difficilia maior aliqua supponitur ut plurimum necessitas Divini adiutorij specialis, quam ad facilia. Et ratio est: quia, quamvis, quod nullum facile opus bonum fieret à natura rationali in libertate constitutâ, videatur incredibile, nisi ex industria taliter disponderet occursum causarum naturalium Author naturæ, ut nulla unquam eveniret bona cogitatio congrua, quod Deum dedeceret, ut expendimus *disp. 3. sect. 2.* attamen, quod nullum fieret opus bonum arduum, & difficile, non est ita incredibile, sine eiusmodi Authoris industria: quinimò è contra videtur requiri specialis industria Authoris naturæ, ut pro operibus bonis difficilibus, & arduis, à quorum exercitio retrahit ipsa rei difficultas, adsint etiam cogitationes congruæ. Ergo, quamvis non ad facilia, saltem ad difficilia, & ardua bona opera naturalia, necessaria foret aliquis gratia Dei Authoris. Nec dicas, esse quoque aliqua opera mala extraordinaria valde ardua, & difficilia, ut suicidium: ergo ad hæc, perpetranda dici similiter deberet requiri similem Dei gratiam: quod nefas est. Negatur enim consequentia: quia ad hæc, cum fiunt, inclinatur vehementer ipsius naturæ passionibus connaturalissimæ, quæ à bono solent avertere.

68 Secunda propositio patet: quia ad actum naturalem non est cur sufficere non possent principia naturalia: ergo ad opus naturale bonum, quantumvis difficile ex natura rei, non est necessaria gratia entitativè supernaturalis: quæ sola iuxta doctrinam nostram est gratia Theologica. Quod si P. Viquez, & alij requirunt ad id gratiam Theologicâ, idè est, quia putant, nomine gratiæ Theologicæ venire quoque cogitationes con-

gruas entitativè naturales. Undè conveniunt nobiscum in eo quod non sit necessaria gratia entitativè supernaturalis ex natura rerum ad opera bona naturalia, quantumvis difficilia.

69 Tertia propositio sequitur ex primâ, & ex eius probatione. Opera namque bona valde difficilia, eximia, & heroica, aut ratione suæ excellentiæ, aut continuationis, aut arduitatis, talia sunt, ut communiter non fiant cum ordinariis naturæ subsidijs, aut saltem vix unquam: saltem igitur moraliter, ut re ipsa fiant, necessarium est speciale Divinæ providentiæ naturalis beneficium; non tamen extra omnem omnino ordinem, & ambitum creationis, quamvis hic & nunc huic occursum causarum indubitum, & respectivè gratuitum: quale esset, aut cogitatio pia naturalis intensior, ac vivacior, à Deo Authore naturæ immissa; aut tunc immissa, quando rerum occursum illam non exigeret, vel non ita intensam exigeret. Hæc autem essent gratiæ actuales Philosophicæ, à munificentissimo Authore naturæ interdum liberaliter, & ultra debitum erogatae creaturis rationalibus, quamvis de intra ordinem, & ambitum naturæ: idè quæ nec essent auxilia gratiæ Theologicæ, nec positivè conducentes, prout oportet, ad salutem. Dixi: *regulariter, & moraliter*: quia non est omnino impossibile quod aliquando rarus aliquis occursum causarum naturalium exigeret excitari mentem, & affici voluntatem intensissimè, ac vivacissimè, ita ut fieret quandoque opus aliquod naturale eximium, ac difficile sine speciali gratia actuali adhuc Philosophicâ nuper explicatâ: quamvis nunquam, quin reluceret munificentia, ac liberalitas Authoris Opt. Max. in dispositione sibi liberâ eiusmodi occursum causarum naturalium.

70 Quarta propositio importat perutilem explicationem discriminis valde notandi inter naturam puram, & lapsam. Quod nempe pura, quamvis conveniat cum lapsâ in eo quod neutri debeat ulla gratia; ultra id habet lapsa præ purâ positivum demeritum, & specialem indignitatem positivam omnis gratiæ: cuius scilicet denegatione, sicut & sui anihilatione puniri iustissimè posset à Deo, nisi se gerere vellet cum illa misericorditer, sicut de facto se gessit

miseritissimè, providendo ipsi Reparatorum. Undè est, quod, quamvis ad opera bona difficilia utrique sit ex natura rei necessaria aliqua Dei gratia; hæc tamen gratia, sive hoc quaecumque speciale Authoris summi beneficium, habet plus gratiæ, ac beneficii respectu naturæ lapsæ id positivè demerentis, quam haberet respectu naturæ puræ non merentis. Quod haberi præ oculis oportet ad penetrandas multas locutiones SS. Patrum. Hinc est etiam, quod per accidens ratione habituum vitiosorum, nec non & humanæ conversationis, in multis similiter ut plurimum vitiatisimæ, fiat aditus difficilis pijs cogitationibus, istæque sint invalidiores in concursu vitiorum naturæ lapsæ, quibus careret natura pura, ad opera bona difficilia, & heroica. Et idè est, quod lapsa præ purâ dici possit indigentior ex natura rei aliquibus subsidijs gratiæ ad opera bona naturalia difficilia. Sic etiam expediuntur multæ SS. Patrum locutiones, si benè perpendantur.

71 Superest respondere ad rationem positam *num. 58.* quatenus data doctrinæ adversari videtur. Quocirca verum est, & SS. Patribus familiare, hominem lapsum in ordine ad benè operandum infirmo comparari. Non quia omnino amisserit liberum arbitrium ad benè operandum, ut errant Hæretici, & novi Pseudoaugustiniani: nec quia per lapsum factus fuerit intrinsicè debilior ad bonum naturale, quam esset in statu naturæ puræ, ut

volunt aliqui boni Theologi à nobis reiecti, *disp. 1. sect. 2.* nam, quamvis potuisset homo sic puniri à Deo propter peccatum, sicut & illicò detrudi ad Tartara, sicut Diabolus; non sic de facto se gessit Deus: nec quia post peccatum est impotens ad opera bona difficilia sine auxilio gratiæ: nam quamvis hoc verum sit; at est etiam id verum contra Pelagium quoad facilia salutaria; & est quoque verum pro statu naturæ puræ; cum certum nobis esse debeat, nullum opus salutare, prout oportet ad vitam æternam, sive difficile, sive facile, fieri posse viribus naturæ, sive puræ, sive lapsæ, absque auxilio gratiæ actualis. Sed quia status naturæ lapsæ, tentationibus, & passionibus obnoxior, abundat ut plurimum habitibus vitiosis, quibus natura ita propendet in sensibilia, ut per accidens, ratione scilicet eorum habituum, fiat infirmior ad opera virtutum, & præsertim ad difficilia; atque adè, indigentior subsidijs gratiæ, quibus eius infirmitas, sic malè affecta, roboretur ad benè operandum, præsertim eximiè, & heroicè. Ea verò subsidia de facto ex præsentis Dei lege sunt auxilia gratiæ Theologicæ entitativè supernaturalis. Quia, si verum est quod superius adstruximus, in statu naturæ lapsæ, per Christum reparatæ, pro quo statu loquuti sunt præcipuè SS. Patres, nunquam benè operamur, quin salutariter operemur: ac proindè, quin præventi simus gratiâ per Christum, entitativè supernaturali.

DISPUTATIO VIII.

DE NECESSITATE GRATIÆ ACTUALIS ad perfectam dilectionem Dei super omnia.

IN OMINE perfectæ dilectionis Dei super omnia venit actus amoris Dei ex motivo charitatis, id est, propter Dei bonitatem, serius, & efficax, saltem quoad affectum; & non per modum simplicis velleitatis: ita videlicet ex modo suo amandi afficiens voluntatem erga Deum Summum in se bonum, ut eo ipso præferat illum appreciativè cuicumque bono creato. Hanc prælationem appreciativam variè varij explicant, ut videre est apud Ant. Perez *tom. 2. tract. 4. disp. 7. cap. 5.* cuius

Suprà
*disp. 1.
sect. 3.*

Suprà
disp. 3.

Suprà
disp. 1.

fanè mentem, ut meam ingenuè fatear tarditatem, percipere vix potui. Communior aliorum sensus sic id explicat satis aptè, quòd nempe talitèr diligat Deum amicitabilitèr propter se, ut Deum sic amatum efficacitèr anreponat omni, & cuicumque alteri bono, reiquè; quatenus Dei amicitiam offenderet. Vndè est, quòd cum eiusmodi affectu stare nequeat voluntas gravitèr peccandi. Latè Vasquez *disp. 194. cap. 3.*

Vasq.

SECTIO I.

An, & quatenus Gratia necessaria sit ad operandum actum dilectionis charitatis perfecta Dei super omnia.

2 **H**ÆC Dei dilectio super omnia numeratur meritò inter difficiles, eximios, & heroicis actus morales bonos virtutum. Undè certum est primò ex dictis *disp. præc. sect. 5.* tam in natura pura, quàm in lapsa, necessariam esse ad eiusmodi actum dilectionis exercendum specialem aliquam Dei gratiam: eo saltem sensu, & modo, quo diximus in genere, necessariam esse ad actus alios bonos naturales difficiles, & eximios: cum inter hos, actus perfectæ charitatis præstantissimus sit. Certum est secundò, ad illum exercendum salutaritèr, & prout oportet ad vitam æternam, quòd est idè ac dicere, ad illum entitativè supernaturalitèr exercendum, ut de facto sit semper in statu naturæ reparatæ, necessariam simpliciter esse gratiam auxiliantè Theologicam: quia convenimus contra Pelagium in eo quòd nullus actus salutaris fieri à nobis valeat sine auxilio gratiæ Theologiæ per solas vires naturæ. Certum est tertio, supposita nostra doctrina ex *disp. 3.* quòd auxilia gratiæ Theologiæ sunt entitativè supernaturalia, prædictum actum salutarem dilectionis Dei fieri non posse sine auxilio gratiæ entitativè supernaturali: quòd ex eo etiã patet, quia eo ipso quòd ille actus, sicut & quilibet alius, sit salutaris, est entitativè supernaturalis: cum autem ad actum supernaturalem non sufficiant vires naturæ, necessaria est ad illum exercendum virtus elevans auxiliij gratiæ supernaturalis. Certum est quartò, iuxta sententiam expositam *disp. præc. sect. 3.* in statu naturæ lapsæ, prout de facto reparatæ per Christum, ex lege saltem Dei, fieri nõ posse actum dictæ dilectionis Dei sine auxilio gratiæ Theologiæ: id enim dicitur de quolibet actu honesto; cum nul-

Supra
disp. 7.Supra
disp. 3.Supra
disp. 7.

lus fiat undequaque honestus, quin fiat sepe naturalis: id quòd à fortiori procedit de actu divinæ dilectionis.

3 Pro quo, ijs suppositis, specialis difficultas est: an etiam ex natura rei; aut, si mavis, in statu etiam naturæ puræ, fieri possit eiusmodi actus divinæ dilectionis absque auxilio entitativè supernaturali gratiæ Theologiæ, sicut diximus de alijs operibus virtutum moralium, etiam difficultibus.

4 Affirmat sententia communior: quam doctè, ac eruditè defendunt, ac promovent Eminent. de Aguirre *tom. 3. disp. 120.* & latissimè P. Ripalda *tom. 3. contra Baium disp. 8.* apud quos citantur innumer. Advertentes tamen contra Pelagium, eiusmodi dilectionem Dei naturalem, factam, seu factibilem sine auxilio gratiæ Theologiæ, non fore salutarem, nec conducentè, nec prout oportet, ad meritum vitæ æternæ. Sicquè putant expedire se à multis locutionibus Sanctorum; requirentium gratiam per Christum ad sic diligendum Deum: non utique ad diligendum utcumque; sed ad diligendum, subintelligendo semper, salutaritèr, & prout oportet.

Aguir.
Ripal.

5 Pauciores alij; sed prægrandes Theologi id omninò negant. Cardinalis Bellarminus *tom. 4. lib. 6. de Grat. & liber. arb. cap. 7.* P. Vasq. *1. 2. disp. 149.* non solum ea generali ratione, qua asseruit; nullum actum bonum posse à nobis fieri sine gratia; sed alia specialiori pro actu dilectionis Dei propter se, quam adducit *disp. 195. cap. 2.* citans pro se Scotum, & Domin. Sotum. Doctor Eximius *tom. & lib. 1. de Grat. cap. 33.* citans S. Thomam, Bonav. Marfil. Caet. & alios: & colligitur ex doctrinis mirabilis Anton. Perez *tom. 2. tract. 4. cap. 8. & 9.* Pro hac etiam sententia adducit Aguir. *disp. 99. sect. 1.* Illustrissimos Araujum, & Godoy, & Reverendissimum Ioannem à S. Thom. *disput. 120. sect. 1.* Carmelitanos Salmantinos; loquutos tamen de impotentia consequenti exercendi talem actum di-

Bellar.
Vasq.

Scot.

Sot.

Suar.

S. Thom.

Bonav.

Marfil.

Caetam.

Arauj.

Godoy.

Ioan. à

S. Thom.

Salmant.

Perez.

dilectionis sine gratia Theologica.

6 Post longam hæsitacionem in hoc puncto, propendo in posteriorem istam sententiam: quam securam, & sanam appellat absolute Suar. *num. 1.* Quoniam verò in eius sensu, & probationibus variat multum eius Assertores, operæpretium duco propter utilitatem doctrinæ, varias aliquorum probationes examinare, antequam tutiorem nostram proponamus.

Suar.

7 Probant aliqui primò. Dilectio Dei efficax amicitabilis propter se appetitivè super omnia involvit propositum ferium, & efficax non peccandi, ac proinde implendi totam legem, saltem in materia gravi: sed huiusmodi propositum efficax, in præsentis saltem statu naturæ lapsæ, nequit haberi sine auxilio gratiæ Theologiæ: ergo nec eiusmodi dilectio Dei. Maior constat ex *num. 1.* Minor probatur: nam implere totam legem, evitando omne peccatum lethale, fieri nequit absque auxilio gratiæ Theologiæ: cum multa præsentis legis præcepta iubeant actus supernaturales, & meritorios, ut præceptum ritè pœnitendi, & alia huiusmodi: ergo sine auxilio gratiæ Theologiæ nequit haberi efficax eorundem operum propositum. Hæc probatio in primis nimia est. Nam eodem modo probaret de quolibet actu involvente propositum observandi legem, & non graviter peccandi: quòd haberi potest citra motivum charitatis perfectæ. Quinimò, & neminem cum ordinarijs gratiæ auxilijs sine speciali privilegio, quale habuit B. Virgo, posse habere propositum evitandi omnia venialia; cum omnia re ipsa evitari citra tale privilegium, impossibile sit.

8 Respondetur deinde, concedendo maiorem: sic tamen accomodè intellectã, quòd tale propositum efficax sit implendi totam legem, quandoquæ eius obligatio urgeat, prout opus est, ut eius inadimpletio sit peccatum: quòd si deinceps in occasione legis hic & nunc urgentis, re ipsa non adimpletur; non arguitur, non fuisse de eius adimpletione propositum efficax quoad effectum, quo scilicet perseverante non omitteretur re ipsa adimpletio legis urgentis; sed arguitur, eiusmodi propositum non perseverasse pro eo tempore subsequuto: ut quotidie evenit in peccatoribus, ex vera contritione supernaturali similiter propo-

nentibus efficacitèr affectivè, in futurum non peccare; & postea tamen in occasione reinincidentibus. Sic explicatã, & concessã maiori, negabitur faciliè minor ab Adversarijs de proposito verè efficaci quoad affectum. Ad probationem minoris, concessio antecedente, negabitur consequentia: nam, ut habeatur propositum verè efficax affectivè, quale diximus involvi in dilectione Dei super omnia, neutiquam prærequiruntur eadem vires, quæ necessaria sunt ad re ipsa, & effectivè implenda opera sic affectivè proposita: sufficit enim, quòd vires adsint ad proponendum tunc, & postea ad opus suo tempore præstandum: quòd si fortè opportuno tempore non adsint, non inferretur, defuisse antea propositum affectivè efficax; sed defuisse postea vires ad opere ponendum, quòd ferio volumus. Quemadmodum, si fortè postea, quamvis adsint vires, opus re ipsa non ponitur, non inferretur, antea non fuisse propositum, sed defecisse postea; quòd tamen, si durasset, opus tunc re ipsa poneretur. Patet hæc doctrina in voluntate efficaci naturali, imò & mala, qua sacrilegus Sacerdos vult consecrare, quamvis ad opus consecrationis necessaria sint vires supernaturales: quæ quidem necessaria non sunt ad sic volendum consecrare. Sic etiam absque gratiæ habituali desiderat quis salvari, quamvis, ut salvetur, necessaria sit gratia habitualis.

9 Probant alij secundò. Si lapsus homo possit diligere Deum propter se super omnia viribus naturæ absque auxilio gratiæ Theologiæ, posset eidem naturæ viribus, se à peccato contracto habituali, seu originali mundare: sed hoc dici nequit absque nota Pelagianismi; cum ad remissionem peccati necessaria sit gratia iustificans saltem in præsentis Dei lege: ergo quia nequit homo lapsus sic diligere Deum absque auxilio gratiæ Theologiæ. Maior probatur: quia, si sic diligens Deum non se mundaret à peccato mortali, coniungeret eiusmodi Dei dilectionem cum peccato mortali: metaphisicè namque necesse est, quòd positã ea Dei dilectione maneat, aut non maneat in eius consortio peccatũ; ac proinde quòd coniungatur cum peccato, si hoc manet; aut mundet à peccato, si non manet: sed implicat cum eã Dei dilectio-

ne manere peccatum : ergo per eam homo mundaretur à peccato. Hanc minorem probant : cum enim peccatum sit essentialiter aversio à Deo ultimo fine ; & dilectio Dei super omnia sit conversio ad Deum ultimum finem , si cum hac maneret simul peccatum , esset homo simul aversus , & conversus erga Deum ultimum finem : quod involvit manifestam contradictionem. Hanc probationem prosequuntur acutè PP. Carmelitani 1.2. q. 109. disp. 2. dub. 4. §. 2. & dissolvit fuse post P. Suarez cap. 33. num. 6. Cardinalis de Aguirre disp. 120. sect. 2. Mihi in eo minus placet, quòd diminuta est, & plenè non probat intentum. Non enim probat, quòd homo iam post lapsum iustificatus, aut in statu naturæ puræ constitutus, non posset naturæ viribus sine auxilio actuali gratiæ Theologicæ diligere Deum super omnia propter se. Quandoquidem tunc non obstarè aversio à Deo per peccatum, utpotè, aut iam remissum, aut nondum commissum.

10 Respondetur deinde, negando maiorem. Ad eius probationem, quotquot cum meliori Theologia sentiunt, actum charitatis non esse formam sanctificantem; nec ex natura sua, sed tantum ex lege Dei, esse dispositionem ultimam ad illam; concedent maiorem, loquendo ex natura rei. Negant tamen minorem, scilicet, id implicare. Ad huius probationem dicunt, & meritò, esse quidem contradictionem, quòd homo sit actualiter conversus ad Deum, & actualiter aversus à Deo : quia sunt affectus actualiter inter se pugnantès : undè est, quòd cum actu perfectæ dilectionis Dei stare nequeat peccatù actuale, quòd est actualis aversio à Deo, & actualis postpositio amicitia Dei ad creaturam. Quòd verò sit homo actualiter conversus ad Deum per dilectionem, & habitualiter aversus per peccatum habituale, nullam dicit contradictionem ex natura rei : nam aversio habitualis, seu peccatum habituale, nihil est aliud, quàm peccatum commissum nondum remissum : nihil autem contradictionis est ex natura rei, hominem nunc actualiter affectivè per dilectionem Dei, quantumvis supernaturalem, converti actualiter ad Deum ; & antea per peccatum actu aversum fuisse, Deumque nondum remissis; ut ex terminis videtur satis notum, & notius fiet

Infra
disp. 15.

disp. 15. sect. 2.

11 Probant alij tertio. Natura lapsa per rebellionem concupiscentiæ patitur innumeros, ac vehementes motus impellentes ad sensibilia, rationi ut plurimum contraria, quos vincere nequeunt vires naturæ sine adiutorio gratiæ : eo quòd natura lapsa post dictam rebellionem fertur naturali pòdere in se ipsam, & in ipsius commodum. Ergo non habet vires expeditas, ut còtra se ipsam agens, feratur in Deum propter se, præsertim dilectione super omnia. Alioquin non minores essent ad id vires naturæ lapsæ, & infirmæ, quàm integræ, & sanæ ; cum nec in integræ sint vires ad opus perfectius dilectione Dei propter se super omnia. Sic Godoy disp. 42. & ex illo Gonet, cum fundamento in S. Thom. 1.2. quest. 109. art. 3. quamvis loqui videantur de impotentia, quam alij vocant moralem, alij consequentem, potiùs quàm de physicâ antecedente : in quo mihi minus placet.

12 Cæterum nec ista probatio satis plena est ad intentum. Primò : quia sermo nobis est de impotentia physicâ antecedente naturæ sine auxilio gratiæ Theologicæ ad prædictam Dei dilectionem : hæc autem probatio ad summum evincit impotentiam moralem : præ rei scilicet ingenti difficultate ; non verò præ omnimoda insufficientia ad eam Dei dilectionem : id quòd generalius de alijs operibus difficilibus dictum est quoque disp. præc. Secundò : quia eiusmodi difficultas, debilitas, seu infirmitas naturæ lapsæ, invari, ac roborari satis posset ad Dei dilectionem difficillimam, dummodò non omninò impossibilem, per auxilia gratiæ Philosophicæ, ut ibi diximus pro alijs actibus difficilibus virtutum : undè non probatur necessitas gratiæ Theologicæ ex natura rei. Tertio : quia eiusmodi rebellio concupiscentiæ contra rationem etiam esset in statu naturæ puræ, ut constat ex explicatione horum statuum disp. 1. sect. 1. pro quo tamen statu nolunt hi Authores agnoscere similem impotentiam naturæ, & necessitatem gratiæ Theologicæ ad sic diligendum Deum. Quarto : quia non extenditur pro statu naturæ integræ, in quo non esset ea concupiscentiæ rebellio ; cum tamen pro isto etiam statu, sicut & pro quocumque alio, procedere debeat proposita doctrina. Quintò, & magis à prio-

Godoy.
Gonet.
S. Thom.

Supra
disp. 1.

Suar.

ri : quia, ut bene Suar. num. 7. quamvis natura lapsa propensa sit ad bonum sibi, ratione appetitus sensitivi ; per liberum tamen arbitrium, quòd per lapsum non amisit, non semper est in actu appetendi, & eligendi sibi tale bonum sensibile, quin possit quandoque, se rationi conformare : non est ergo, cur aliquando, saltem pro tempore brevissimo, non posset, nisi aliud obstarèt, aut quasi sopitis, aut repulsis inordinatis motibus concupiscentiæ, se conformare rationi in eo etiam quòd est diligere Deum propter se super omnia : cum sit hoc rationalissimum.

13 Nec ad id obstat ægritudo peccati. Tum quia ea peccati ægritudo non aufert liberum arbitrium. Tum quia & ægri naturaliter coadiuti contra morbum, faciunt interdum opera naturalia non diuturna, quamvis sibi propter ægritudinem difficiliora. Sic ergo dici posset de homine lapsò, & ægro, adiuto libero arbitrio subsidijs naturalibus, ad diligendum quandoque Deum super omnia, si aliundè non repugnaret eiussmodi dilectio naturalis. Tum quia, cum homo non sanetur ab ægritudine peccati, nisi per gratiam sanctificantem, sequeretur, nec per auxilia gratiæ actualis posse hominem lapsum operari dictam Dei dilectionem, quin prius sanetur, depulso per gratiam morbo peccati. Tum quia nec per gratiam iustificantem, tollentem peccatum, tollitur rebellio illa appetitus contra rationem. Undè ex prædicto discursu, si quid probat, probaretur nimis, quòd nec per vires gratiæ actualis posset fieri ab homine lapsò iam iustificato dilectio Dei propter se super omnia.

14 Nec curæ nobis esse debet, quòd subditur ad calcem probationis : quòd scilicet alioquin non minores essent vires ad eiusmodi Dei dilectionem in natura lapsa, quàm in integrâ, nedum in purâ. Qui enim possibilem admittunt eiusmodi dilectionem entitativè naturalem facillè id concedent de utraque, quoad vires potentiæ physicæ. Qui verò id meliùs negant, non agnoscetes possibilem eiusmodi perfectam Dei dilectionem, nisi eo ipso entitativè supernaturalem, utrique pariter negabunt naturales vires ad id sufficientes sine auxilio supernaturali gratiæ Theologicæ. Ex

quibus omnibus prædicta probatio nihil ferè momenti obtinet.

SECTIO II.

Vera Sententia vera probatio.

15 **N**ITIMVR doctrinâ sapientissimi mi Vasquez disp. 195. cap. 2. profundè aditruentis, actum dilectionis Dei super omnia propter se ex motivo perfectæ charitatis, esse eo ipso entitativè supernaturalem ; ac proindè implicare naturalem ; ideòq ; omninò non posse fieri absque auxilio gratiæ Theologicæ. Idem sentire videtur Anton. Perez supra laudatus : obiter ; sed punctum Meratius tom. 2. disp. 12. de Grat. sect. 30. num. 6. & disp. 38. de Charit. num. 6. Turrianus opu. 15. & alij, quos citat Cardin. de Aguirre disp. 120. sect. 1.

16 Undè sic arguo. Actus perfectus dilectionis Dei propter se super omnia, prout supra explicatus, est eo ipso entitativè supernaturalis : sed ad actum entitativè supernaturalem non sunt insufficientes vires in natura, sive integrâ, sive purâ, sive corruptâ ; sive humana ; sive Angelicâ ; sine auxilio Divinæ gratiæ Theologicæ : ergo neque ad actum perfectum dilectionis Dei propter se super omnia. Per actum perfectum intelligo serium, & efficacem, saltem quoad affectum, & non per modum inchoatæ velleitatis, ut iam monui num. 1. Consequentiâ est legitima. Minor constat apud eos etiam, quibuscum arguimus ; ex dictis à nobis cum ipsis disp. 18. de Attrib. sect. 10. ubi vidimus, de ratione entis supernaturalis in genere esse superare vires activas naturæ. Res vertitur in probatione maioris.

17 Probatur itaque maior. Dilectio Dei propter se super omnia est ex genere suo modus intimior & efficacior, quò creatura rationalis posset affectivè coniungi cum Deo Authore, & Creatore suo : sed modus intimior, & efficacior, quò creatura rationalis potest affectivè coniungi cum Deo, est eo ipso entitativè supernaturalis : ergo & ea Dei dilectio : ideoque implicat in terminis, eam esse, & esse naturalem ; ac proindè, quòd habeatur viribus naturæ sine auxilio gratiæ : nam esset simul naturalis, ut supponitur ; & non esset naturalis ; siquidem esset

Tom. de
Deo,
disp. 18.

esset eo ipso supernaturalis. Maior est innegabilis, dum non assignetur modus intimior, & efficacior adhærendi Deo affectivè, quàm sit affectus perfectæ charitatis: præmaximè apud quamplures, & quidem doctissimos, qui habitum, & actum charitatis perfectæ, quo Deum diligimus in via, iudicant, & meritò, eiusdem esse speciei, ac in Patria. Minor autem probatur. Modus intimior, & efficacior, quo creatura rationalis potest intellectivè coniungi cum Deo, nempè Visio Dei intuitiva, est eo ipso entitativè supernaturalis; taliter, ut apud omnes repugnet naturalis: ergo modus intimior, & efficacior, quo potest affectivè coniungi cum Deo est similiter eo ipso supernaturalis; taliter, ut repugnet naturalis. Consequentia urgeri vehementer potest à paritate: ne non à congruentiâ rationis ex affinitate harum potentiarum rationalium, intellectus scilicet, & voluntatis. Cur enim una præ alterâ valeat naturaliter pertingere ad modum suum intimiorem adhærendi Deo? Aut cur modus intimior, & efficacior adhærendi Deo unius præ alterâ debeat eo ipso esse supernaturalis, & de ordine Divino.

18 Si dicas, modum intimiorem, & efficacior, sicut & perfectior, affectivum non esse dilectionem Dei propter se super omnia in genere; sed supernaturalem in specie. Contra est: nam in promptu est dicere, pari usu terminorum, nec modum intimiorem, & efficacior, sicut & nec perfectior intellectivum, esse videre intuitivè Deum in genere; sed supernaturalem in specie. Porro supernaturalitas non immutat per se modum affectivum actuum voluntatis in linea afficiendi voluntatem; sed in linea superandi naturam volitivam; sicut nec modum cognoscitivum actuum intellectus in linea cognoscendi, sed in linea superandi naturam intellectivam. Unde est, quod, sicut cognitio apprehensiva ex eo quod sit supernaturalis, non sit iudicativa; aut affirmativa, sit negativa; aut abstractiva sit intuitiva; quia hi sunt modi speciales; de linea cognoscendi; sic similiter dilectio, quæ est Dei propter se super omnia, non est magis Dei propter se super omnia ex eo quod sit supernaturalis; quia esse dilectionem Dei propter se super omnia habet ex

modo suo afficiendi voluntatem erga Deum in linea affectiva: & est in linea affectiva perfectior modus quo creatura potest coniungi Deo suo. Cur ergo eo ipso non sit supernaturalis; sicut perfectior modus, scilicet intuitivus, quo creatura potest coniungi Deo suo in linea intellectiva, est eo ipso supernaturalis?

19 Responsio communis est, hoc procedere de dilectione Dei, ut est Author gratiæ; non, ut est Author naturæ; vel, ut alij loquuntur, Dei salvantis; non verò Dei creatantis: sicque sibi persuadent, Deum, ut Creatorem, sive ut Authorem naturæ, posse diligi viribus naturæ propter se super omnia. Non possum non mirari, viros doctos acquiescere ita facilè potuisse, quoad rem præsentem, doctrinæ huius responsionis. Minoris eam faciunt, & meritò, Cardin. Bellarminus *cap. 7. de Grat. & lib. arbitr. à versu: Dicent fortasse, Suarez lib. 1. cap. 33. & Vasq. disp. 195. cap. 2.*

20 Mihi ex eo in primis non satisfacit, quia eam præcisionem Dei Authoris naturalis, & supernaturalis, taliter concipi à multis video, quasi Deus, ut Author naturæ, sit quoad se, aut alter Deus, aut Deus minùs bonus, aut Deus minùs perfectus, aut Deus minùs propter se amabilis, aut minùs in se supernaturalis, quàm Deus, ut Author gratiæ: quod & falsissimum esse, & à sensu summorum Theologorum alienum, expendi multis in locis *tom. 1. de Attributis Dei, & signanter in terminis supernaturalitatis disp. 18. sect. 13.* Cum ergo Deus, ut Author naturæ, æquè sit bonus, & æquè sit supernaturalis in se, & quoad se spectatus, ac Deus ut Author gratiæ; nihil certè prodesse poterunt hæc diversæ considerationes ad rationem supernaturalitatis, vel non supernaturalitatis dilectionis Dei super omnia, utpotè respicientis ad Deum in se, & propter se, sive Authorem naturæ, sive Authorem gratiæ. Aliundè ergo res ista pensanda est.

21 Contra deindè. Nam, ut bene Vasquez *num. 8.* & Bellarmin. cit. in Sacris Scripturis, & Patribus loquentibus de charitate, seu de affectu amabili erga Deum, quod attinet ad supernaturalitatem, & vim talis actus coniungendi creaturam cum Deo, nusquam fit mentio prædictæ distinctionis Authoris naturalis, aut supernaturalis. In præcepto diligendi

gendi Deum super omnia, proit ex Scripturis nobis iniungitur, & intimatur, quis unquam distinxit diligere Deum ut Authorem naturæ, aut gratiæ? Quisve dubitavit, id impleri per dilectionem Dei propter se super omnia, nullâ prorsus factâ distinctione Authoris naturalis, aut supernaturalis; cum præcisim ab ijs rationibus, & sub quacumque illarum reluceat ratio summi boni? Frustranea igitur est eiusmodi distinctio quoad præsens institutum. Legi possunt locutiones Scripturarum, & Patrum copiosè apud Ant. Perez *tom. 2. tract. 4. cap. 8. & 9.* Hinc sapienter Vasquez *num. 23.* *Antequam, inquit, ad Scholas accederemus, & has diversas considerationes audiremus, ex consideratione beneficiorum Dei naturalium, & Omnipotentia ipsius, iuncta cum bonitate, quotidie exhortabantur nos Concionatores ad dilectionem, & contritionem, doloremque de peccatis propter Deum summè dilectum, ut eo iustificaremur: sicque quotidie in suis concionibus populum exhortantur, non distinguentes has duas rationes diversas amoris: rudes ergo, & qui nesciunt hæc distinguere, possunt ex hac solum rerum machina per exhortationem moveri ut apprehendant, Deum dignum esse qui diligatur propter se. Quodsi aliquis eorum hoc modo cum ardentè diligeret, & de peccatis doleret, quod crederet, ea contra Deum esse, ipsa deestatis ex complacentia ipsius Dei; quis neget, hunc veram contritionem charitate formatam habiturum, & eâ cum Deo, etiam extra Sacramentum, reconciliandum.* Igitur ea distinctio Dei Authoris naturæ, aut gratiæ, nihil facit ad supernaturalitatem dilectionis Dei propter se super omnia.

22 Contra præterea, & dat. r horum ratio fundamentalis. Quia, quamvis negari non possint in Deo illæ rationes Authoris naturæ, & gratiæ, & præcepta legis naturæ, legitque gratiæ; at dilectio Dei super omnia cum sit efficax fuga ab omni offensâ Dei propter se sic dilecti, in quocumque statu habeatur cuncta eminentè, saltem implicite, complectitur: taliter nimirum, ut cum eiusmodi affectu stare, nec possit, nec possit violatio gravis ullius præcepti, ut ex terminis patet. Sic autem in statu etiam puræ naturæ habita ea dilectio completeretur impletionem præceptorum legis gratiæ, implicite scilicet, & in confuso, sub hypothesi impositionis, & obli-

gationis eorumdem. Sicque intelligitur quod dicitur *Rom. 13. Plevitudo ergo legis est dilectio: &c. Qui diligit, legem implevit: quamcumque scilicet quoad affectum Dei legem tunc obligantem, & pro alio statu, si poneretur, obligaturam. Sit in exemplum dilectio perfectæ Dei reperta nunc in homine laico, non obligato ad præcepta Clericalia: ea tamen dilectio talis debet esse in actu exercito, ut eminentè, & implicite ad hæc quocumque præcepta extendatur pro casu quo ipsis obligaretur, utpotè incompatibilis cum affectu non adimplendi ea præcepta casu quo ipsum obligarent. Id quod egregiè notavit Magnus Vasquez *disp. 194. num. 36.* Non igitur locum habet respectu dilectionis perfectæ Dei super omnia distinctiuncula illa, Dei ut Authoris naturæ, & ut Authoris gratiæ; sicut nec præceptorum naturalium, & supernaturalium.*

23 Rursus. Qui Deum cognitum, ut Authorem naturæ, summumque bonum, offenderet, certè graviter peccaret peccato etiam, ut aiunt, Theologico. Quodsi deindè ad Deum sic cognitum converteretur per actum contritionis propter Deum sic dilectum super omnia, sine dubio iustificaretur: sive per ipsum actum formaliter ex natura sua, ut vult Vasquez; sive dispositivè ex Dei lege, ut volunt communis alij. Qui omnes conveniunt, ad id muneris, actum debere esse entitativè supernaturalem, nullo ad id memorato discrimine Dei Authoris naturæ, aut Authoris gratiæ: ergo quia diversæ istæ Dei considerationes è re minime sunt ad supernaturalitatem dilectionis Dei, ut Authoris gratiæ, præ dilectione Dei, ut Authoris naturæ, ut fuit expensum solidissimus Vasq. *cap. 3.* ne dicatur, posse hominem, in præsentem etiam lege, dici per contritionem conversum ad Deum ut finem, seu Authorem naturalem, simulque aversum à Deo, ut fine, & Authore supernaturali.

24 Contra insuper, urgendo paritatem irritam Divinæ visionis. Nam omnis intuitiva Dei visio est eo ipso supernaturalis, taliter, ut implicet visio Dei, sive ut Authoris gratiæ, sive ut Authoris naturæ, quæ naturalis sit, & non eo ipso supernaturalis: similiter ergo omnis dilectio Dei propter se super omnia est eo ipso supernaturalis, taliter, ut implicet

Rom. 13.

Vasq.

Anton. Perez. Vasq.

Bellar.

Suar. Vasq.

Tom. 1. disp. 18.

Vasq. Bellar.

eiusmodi dilectio Dei, sive ut Authoris gratiæ, sive ut Authoris naturæ, quæ naturalis sit, & non eo ipso supernaturalis. Aut cur non ita? Et redit ratio paritatis, proit num. 17. & 18. redactæ præsius ad terminos Dei etiam ut Authoris naturæ intuitivè visi: aut si inavis etiam hypostaticè uniti: donec ab aliquibus fortè sub eâ Dei Authoris naturæ, & gratiæ distinctione audiamus, possibiles esse, aut visionem intuitivam, aut unionem hypostaticam, non supernaturales, utpotè ad Deum, ut Authorem naturæ terminatas.

Vasq. Perez.

Infrà disp. 15.

Dionys.

Perez.

25 Dices, probari nimis. Pariter enim contendì posset, quòd, sicut Dei Visio, sic etiam ea dilectio, est forma beatificans, aut saltem sanctificans. Cæterum hoc posterius non videbitur nimium P. Vasquez, Antonio Perez, & alijs doctissimis, opinantibus, actum quoque prædictæ dilectionis Dei esse eo ipso formam sanctificantem. Quidquòd adhiberi quoque posset aliqua disparitas; ex eo quòd Visio Dei habet ex natura sua prædicatum essentialiter impossibile cum peccato etiam habituali; scilicet, essentialem certitudinem statûs gratiæ, ac Divini confortij; quòd ex natura sua non habet per sua intrinseca actus charitatis, ut scrutabimur disput. 15. sect. 2. Illud verò prius de forma beatificante, iuxta varias sententias de constitutivo beatitudinis essentialis discernendum est. Fortè nec Visio sola, nec Dilectio sola; sed essentialiter complexum ex utraque cum fruitione summi boni, est formalis beatitudo. Nec nobis omninò deesset quoad hoc sua quoque disparitatis ratio inter Visionem, & Dilectionem: ex eo nempe, quòd per Visionem, quæ est accessus Dei ad nos, possidemus specialissimè Deum; per Dilectionem autem Dei, quâ specialius ferimur in Deum, & tradimur Deo, possidemur potius à Deo: Divinus amor, inquit S. Dionysius de Divin. nomin. part. 1. cap. 4. amatores sui iuris esse non sinens, sed in ea, quæ amat, penitus transferens: quibus alia accumulatur eruditissimè Ant. Perez cap. 8. Beatitudo autem nostra, quæ est summa nostra felicitas, resplendet potius in possessione Dei summi boni, & ultimi finis, quàm in eo, quòd nos possideamur à Deo, & per gratiam sumus hæredes dictæ possessionis.

26 Tentavi nonnunquam, respondere ad argumentum nostrum per disparitatem, quam aliqui postea arripuerunt; ex eo petitam, quòd Visio Dei est beneficium, quòd natura recipit à Deo; dilectio verò est obsequium Deo debitissimum exhibitum à creatura; ideòque connaturalissimè. Sed non acquievi. Primò: quia ratio obsequij Deo debitissimi non minuit in actibus rationem supernaturalitatis, ut patet in obsequijs Christi, & nostris, certò supernaturalibus. Secundò: quia si actus noster dilectionis Dei fieret necessariò, & Deus poneret in libito creaturæ habere lumen gloriæ, & præciperet sui visionem, in hac potius, quàm in eo actu dilectionis Dei, reluceret ratio formalis obsequij; & tamen nõ posset esse nisi supernaturalis: ergo evanescit ratio disparitatis inde petita.

Araus.

Aguirri.

August.

27 Demum firmantur omnia supra dicta celebri testimonio Concilij Arausicanæ 2. Can. 25. ibi: Prorsus donum Dei est diligere Deum: ipse, ut diligeretur dedit, qui non dilectus diligit, &c. diffundit enim charitatem in cordibus nostris, &c. Per quæ manet abs dubio, sermonem esse de dilectione perfectæ charitatis, ac proinde Dei propter se super omnia: & absolutissimè docetur, esse prorsus donum Dei: quòd in phrasi Concilij sonat gratiam Theologicam, de qua in eo Concilio, ab Apostolica Sede per Bonifac. II. confirmato contra Semipelagianos, ut exponit eruditè Eminentiss. de Aguirre disp. 114. num. 66. Omninò ergo tenendum videtur, eiusmodi dilectionem, nulla factâ distinctione Dei, ut Authoris naturæ, aut gratiæ, esse prorsus ex gratia: ita ut solis viribus naturæ haberi non possit: haberi autem posset viribus naturæ, saltem extraordinarijs, si præ ingenti perfectione talis coniunctionis creaturæ rationalis cum Deo suo, & ultimo fine, non deberet esse eo ipso supernaturalis.

28 Huic Arausicanæ sanctioni prævit Magnus Augustinus tract. 102. in Ioan. sic scribens: Ac si iuxta superscriptas sanctarum Scripturarum sententias; vel antiquorum Patrum definitiones, hoc Deo propriante, & predicare debemus, & credere, quòd per peccatum primi hominis ita inclinatum, & attenuatum fuerit liberum arbitrium, ut nullus postea aut diligere Deum sicut oportuit, aut credere in Deum quòd bonum est possit, nisi gratia eum, & misericordia Divina

vina prævenit. Et alibi sæpè improbat sententiam dicentium dilectionem Dei ex nobis esse, sine auxilio gratiæ, nusquam memorans distinctionem illam ut Authoris, naturæ, aut gratiæ. Et Epist. 107. ait affirmatiùs: Liberum arbitrium ad diligendum Deum primi peccati granditate perdidimus. Ea verò attenuatio, aut, si inavis, perditio liberi arbitrij ad diligendum Deum, ad credendum, aut operandum ex fine charitatis, Dei scilicet dilecti propter se super omnia, non ita intelligitur, ut liberum arbitrium quoad vires naturales fuerit intrinsecè diminutum per peccatum, ut ex doctrina multorum, quos nunc impugnamus, stabilivimus disp. 1. sect. 2. sed ita, ut destitutum esset, nisi repararetur, viribus supernaturalibus gratiæ, quas habuerat, ad sic diligendū, credendum, & operandum. Undè clarissimè deducitur, subtractis his viribus gratiæ, non mansuras in libero arbitrio naturali, vires ad sic diligendum Deum: quia nempe sic diligere Deum, sive ut Authorem naturæ, sive gratiæ, est opus entitativè supernaturalis: ad quòd propterea gratia Theologica omninò necessaria est.

Suprà disp. 1.

Vasq.

29 Nec infringitur firmissimus iste discursus per notulam illam Augustini, sicut oportuit: quasi voluerit, non omninò negare in natura vires ad diligendum Deum; sed ad diligendum, sicut oportuit, hoc est, conducenier ad salutem; cum potius inde colligatur possibilis per naturæ vires Dei, ut Authoris naturæ, dilectio non conducens ad salutem, utpotè non supernaturalis. Contra est enim: primò, quòd in Canone Arausicano non adhibetur eiusmodi notula, ne fortè relinqueretur locus huic evasioni. Secundò: quia, ut expendit optimè Vasquez disp. 194. num. 15. in Augustino verba illa, sicut oportuit, non adhibentur in eo loco, ut denotetur dilectio Dei ut Authoris gratiæ, præ dilectione Dei ut Authoris naturæ: id enim prorsus alienum erat à calamo, & à mente S. Doctoris; sed ad denotandam dilectionem Dei, non quamcumque, sed Dei propter se sex motivo charitatis: quòd extendit apertissimè ad credere, & ad operari, scilicet propter Deum in se dilectum super omnia: quòd si pertingat affectus noster, iam eo ipso est, sicut oportet, iam non nisi per vires gratiæ, iam eo

ipso supernaturalis, ratione coniunctionis affectivæ adeò perfectæ creaturæ rationalis ad Creatorem suum, & ultimum finem.

SECTIO III.

Argumenta contraria.

30 PRIMVM sumitur à condemnatione propositionis Baianæ 34 in Bullis B. Pij V. & Gregor. XIII. Erat propositio: Distinctio illa duplicis amoris; naturalis videlicet, quo Deus amatur, ut Author naturæ; & grativus, quo Deus amatur, ut beatorum est; vana est, & commentitia, & ad illudendum sacris Litteris & plurimis veterum testimonijs excogitata. Damnatâ ergo iure meritò hac propositione, consistere nequit nostra doctrina.

Pius V. Gregor. XIII.

Vasq.

31 Respondet Vasquez disp. 191. ex à se dictis disp. 190. cap. 18. damnationem illius propositionis solum cadere supra gravem illam censuram, quam Baiani inurebāt Theologis utentibus eâ distinctione, seu præcisione dilectionis Dei, ut Authoris naturæ, & gratiæ: à qua damnatione longè sunt qui doctrinam, quâ adstruximus, absque censurâ contrariæ, bonâ veniâ Theologorum adversariæ, scholasticâ comitate propugnant. Sic qui substantiam absolutam in Deo negat à nemine damnatur; damnaretur verò qui sententiam absolutæ substantiæ hæreticam, erroneam, aut temerariam vocitaret.

32 Respondetur cumulatiùs, admittens, & laudatâ damnatione Pontifici, negando consequentiam. Quippè non solum approbamus Pontificiam damnationem censuræ Baianæ; verumetiam varias illas considerationes dilectionis Dei ut Authoris naturæ, & ut Authoris gratiæ; & admittimus dilectiones Dei naturales, Dei scilicet, ut nobis boni ex affectu concupiscentiæ; aut etiam, ut in se boni, affectu aliquo simplici, & inefficaci charitatis imperfectæ, & inchoatæ: ad quas dilectiones non esset simpliciter necessaria gratia Theologica, & supernaturalis, qualis ad dilectionem amabilem perfectæ charitatis, ad quam contenditur, quòd est impotens sola natura, sive pura, sive corrupta viribus liberi arbitrij sine gratia. Quòd dicimus est, eiusmodi Dei Authoris naturæ, aut gratiæ præcisionem, non esse rationem sufficientem.

cientem pro naturalitate, aut supernaturalitate dilectionis; cum erga Deum ut Authorem naturæ dabilis sit dilectio supernaturalis; & erga Deum, ut Authorem gratiæ, aliqua etiam naturalis. Dicimus insuper, Dei dilectionem, eo ipso quod pertingat ad rationem, & ad perfectionem amoris amicitiae diligentis Deum propter se efficaciter super omnia, sive sub consideratione Authoris naturæ, sive gratiæ, esse supernaturalem, ac proinde inclicibilem solis viribus naturæ sine gratia. Quod non est respicere prædictas Dei considerationes in se verissimas, & suo in casu peritiles; sed ad præsens institutum supernaturalitatis, aut naturalitatis dilectionis Dei, insufficientes illas iudicare: sicut ab omnibus iudicarentur insufficientes, & ineptæ ad constituendam intuitivam visionem naturalem Dei, ut Authoris naturæ; quamvis minimè contemnantur; imò magni fiant ad alias Theologiæ veritates. Consistit igitur optimè tota superius tradita doctrina cum damnatione Pontificiæ iustissimæ propositionis 34. Baianæ.

Aguirr.

33 Urget Cardin. de Aguirre *disput. 119. num. 70.* ex absolutâ damnatione alterius propositionis Baianæ, quæ sic erat: *Omni amor creaturæ rationalis, aut vitiosa est cupiditas, qua mundus diligitur, quæ à Ioanne prohibetur; aut laudabilis illa charitas, quæ per Spiritum Sanctum in corde diffusâ, Deus amatur.* Cui aliam simillimam ordine 7. damnavit novissimè Alexand. VIII. in Decreto relato *disp. 1. sect. 5.* Ex quibus damnationibus sequitur, hanc approbari debere: *Aliquis amor creaturæ rationalis nec est vitiosa cupiditas, nec laudabilis charitas: Subinfert: Ergo possibilis est amor Dei naturalis.* Quam subillationem probat latè ad homines contra novos Pseudo-Augustinianos. Respondetur tamen: quidquid contra istos valeat argumentatio, qui omnem actum, qui non sit amor Dei, vitiosum reputant, contra nos non valere. Admissis namque iustissimis damnationibus, & libenter concessâ primâ consequentia ex dictis *disp. 6. sect. 1. & disp. 7. sect. 2.* negamus subillationem de amore perfectæ charitatis Dei. Quia propositio damnata, non solum de amore Dei, sed generaliter de omni amore cuiuscumque obiecti, aiebat esse vitiosum, si

Alexan. VIII.

Suprà disp. 1.

Suprà disp. 6. & 7.

non est amor Dei, Nos autem id non dicimus; sed catholicè fatemur, multos dari amores Dei honestos, qui non sunt charitas; & multos amores esse virtuosos honestatum creaturarum, qui non sunt vitiosa cupiditas. Quod autem amor perfectæ charitatis non solum sit honestus, sed præ eximiâ talis affectus perfectione debeat eo ipso esse quoque supernaturalis, est omnino præter; & extra prædictas damnationes: ut est ex terminis manifestum.

34 Secundum sumitur à ratione. Homo in statu naturæ puræ, quin etiam & corruptæ, posset naturæ lumine cognoscere Deum unum, Creatorem suum, summè bonum, super omnia amabilem, & finem ultimum, ad quem habet inclinationem, & appetitum innatum, tanquam ad suum Authorem naturalem: ergo posset illum naturæ etiam viribus diligere super omnia. Consequentia probatur. Primò: quia ex eiusmodi notitia posset Deum naturaliter colere affectu veræ religionis, utpotè, ut Authorem etiam naturæ dignum summo cultu: ergo & super omnia propter se amare; utpotè, ut Authorem etiam naturæ dignum summo amore. Secundò: quia Deus, ut summum verum, & bonum naturale, sive quatenus fons omnis alterius veri, & boni, spectantis ad ordinem naturæ, pertinet ad obiectum naturale, sive proportionatum intellectus, & voluntatis creatæ: ergo posset naturaliter amari super omnia propter se. Tertio: quia homini etiam lapsò inest naturalis potestas ad actiones honestas virtutum moralium; alioquin liberum arbitrium circa bonum fuisset extinctum per peccatū, contra quod diximus *disp. 1. sect. 2.* ergo & ad dilectionem naturalem charitatis. Quarto: quia possibilis est homini lapsò per vires gratiæ dilectio supernaturalis Dei propter se super omnia, ut Authoris supernaturalis: ergo per vires naturæ, naturalis dilectio Dei propter se super omnia, ut Authoris naturalis: nequit enim elevari voluntas per gratiam ad operationes ordinis supernaturalis in ullo genere, quin naturaliter etiam valeat operari in eadem lineâ circa idem obiectum sibi connaturale. Sic, & fufius Cardin. de Aguirre *sect. 7.*

Suprà disp. 1.

Aguirr.

35 Confirmatur ex celebri testimonio Pauli ad *Roman. 2.* sic scribentis: *Cum enim*

enim gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt faciunt, eiusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex: quia ostendunt opus scriptum in cordibus suis, testimoniū reddente illis conscientia ipsorum. Ex quo licet: Gentes quæ legem non habent faciunt naturaliter quæ legis sunt: sed primum legis mandatum est: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo:* ergo perfecta Dei dilectio charitatis fit naturaliter, etiam à Gentilibus: ergo, quia Dei dilectio propter se super omnia potest esse entitativè naturalis; ac proinde dabilis ex natura rei absque viribus gratiæ, saltem potestate antecedente.

36 Respondetur, verum esse totum antecedens, & falsam consequentiam intellectam, ut è re est, de dilectione perfectâ Dei propter se super omnia. Quia multa passim cognoscimus, & appetimus innatè, aut etiam elicite, ad quæ obtinenda non habemus sufficientes vires. Certè anima separata naturalem habet inclinationem, & appetitū ad unionem cum corpore; ad quam tamen recuperandam non habet sufficientes vires. Similiter ex aliqua notitia naturali saltem opinativâ, aut, ut minimum, apprehensivâ felicitatis beatificæ Visionis, possemus illam naturaliter appetere; nō tamen habere per solas vires naturæ. Ex antecedente sequitur ad summum, cognoscendum naturaliter in pura natura unum Deum summè bonum, & summè propter se amabilem, excitari re ipsa ad aliquem amorem Dei; imò & Dei propter se; inchoatum tamen, simplicem, & inefficacem; quinetiam ad desiderium amoris amicabilem affectivè efficacis, & perfecti; non verò re ipsa ad amorè perfectum amicitiae pro illo statu ob defectum comprincipiorum ad huiusmodi Dei amorem, utpotè eo ipso supernaturalem præ eximiâ perfectione talis conjunctionis cum Deo: sicut apud omnes nec ad amorem summum, quamvis cognoscatur Deus in se, & propter se summè bonus, & amabilis; quia naturæ vires impares sunt exercendo amori summo. Hæc pro statu possibili naturæ puræ omni elevatione supernaturali destitutæ: nam pro statu naturæ corruptæ, & per Christum reparatæ, & elevatæ ad finem supernaturalem, prout de facto, iam ad sunt comprincipia elevantiæ; per quæ

fit ex lege Dei per Christum potestas antecedens ad eiusmodi amorem Dei perfectum; non tamen nisi supernaturalem.

37 Ad primam probationem consequentiæ concedimus antecedens: quantumvis in eo ipso veniat notandum, quiddam esse longè diversum, cognoscere Deum dignum summo cultu, & Deum colere summo cultu, aut intensivè, aut, si mavis, etiam extensivè. Consequentia nihilominus falsa est in terminis currentis difficultatis. Ratio disparitatis sumenda est ex maiori perfectione essentiali affectus dilectionis amicabilem Dei præ alijs affectibus virtutum moralium in ratione coniungendi affectivè creaturam rationalem cum Creatore suo: qui affectus est eo ipso supernaturalis, ut à paritate Visionis Dei ursumus *sect. præc.*

38 Ad secundam negatur consequentia. Nam ex antecedenti solum sequitur, Deum verum, & bonum, utpotè obiectum proportionatum intellectus, & voluntatis creatæ, posse à voluntate naturaliter amari, sicut & ab intellectu cognosci; non verò, posse naturaliter amari hoc modo, scilicet super omnia propter se; sicut nec posse naturaliter cognosci hoc modo, scilicet intuitivè in se; sicut nec posse, adhuc divinitus, à creatura cognosci, aut amari summè, & quantum in se amabilis, & cognoscibilis est à se ipso.

39 Ad tertiam, concessò antecedente, negatur consequentia: quia eiusmodi dilectio naturalis est impossibilis: cum, eo ipso quod ex genere suo sit intimior, & perfectior coniunctio affectiva creaturæ cum Deo, pertingat ad supernaturalitatem: sicut Visio Dei, eo ipso quod ex genere suo sit perfectior, & intimior coniunctio intellectualis, ut perspeximus *sect. præc.*

40 Ad quartam, negatur similiter consequentia. Quæ, si teneret, eodem modo sequeretur, posse hominem naturaliter videre intuitivè Deum, ut Authorem naturæ, ex eo quod supernaturaliter potest illum intuitivè videre, ut Authorem gratiæ. Ratio consequentiæ falsa est, voluntariè, & sine probatione gratis assumpta: si voces illæ, *in eadem lineâ,* sonent, ut è re esset, pro eodem modo operandi. Certè elevatur supernaturaliter intellectus ad cognoscendum Deum modo intuitivo, quin tamen hoc modo possit quidquam Dei naturaliter cog-

X 2

nos-

noscere. Sufficere debet arguenti, quod aliquo modo, aut, si mavis, in aliqua linea, sit attingibile obiectum verum, aut bonum, scilicet Deus naturaliter ab intellectu, ad hoc ut elevari possit divinitus voluntas ad alium modum sublimiorem amandi Deum eo ipso supernaturaliter, scilicet propter se super omnia; sicut intellectus ad sublimiorem modum cognoscendi Deum eo ipso supernaturaliter, scilicet in se intuitivè.

41 Ad confirmationem num. 39. oportet præ oculis habere scopum Pauli, & legere sedulo Sacros Interpretes: quorum varias expositiones exhibet litteratissimus Cornelius, omnino videndus ibi: à quibus exerrat oppidò discursus obijcientium nobis hunc locum. Scopus erat Pauli, hortari Iudæos observatores Legis Moyfi, ne superbirent supra Gentes extra illam sitas in lege tantum naturali, quasi hæ, utpotè peccatrices, præ illis, per legem Moyfi iustificatis, egerent gratiâ Christi Reparatoris, & Fide Legis Evangelicæ. Iudæis itaque obijcit Apostolus, etiam Gentes extra legem Moyfi fecisse iuxta Legem naturæ multa opera bona, quæ in Lege Moyfi præscribuntur, ut persuadeat, utrosque iudicandos secundum opera; alios, iuxta; alios, citra Legem Moyfi: & tam intra, quam extra Legem Moyfi, fuisse iustos, ac peccatores; & utrosque indiguiffe tunc gratiâ Christi, & indigere iam Fide Legis Evangelicæ; tam Iudæos scilicet, quam Gentes: hæc enim Christi lex illuxit, ut ibidem Apostolus, *Iudæo pri-*

Cornel.

Zuingl. Origen. Pelag.

Milevit.

42 Hinc fit liquidò, quòd in prædictis verbis Pauli vox illa, *naturaliter*, in qua suam vim ponit obiectio, non significat idem, ac per vires solius naturæ sine gratia Dei: hæc enim fuit interpretatio Zuinglij, ex Origene, qui semina iecit Pelagianismi, ut inde inferret Pelagius, illa opera Gentium, *naturaliter*, id est, sine gratia facta, potuisse esse salutaria: quæ propterea expositio damnata est à Milevitano *Can. 5.* Non ergo contraponit ibi Paulus vocem, *naturaliter*, supernaturalitati illorum operum bonorum; sed statum legis naturalis pro Gentibus, statum Legis scriptæ pro Iudæis, agnoscens in utroque statu opera bona salutaria, ac proinde supernaturalia, auxilio gratiæ facta à multis; alijs qui-

dem sub Lege Moyfi; alijs extra Legem Moyfi, utpotè manentibus pro tunc in statu legis naturalis, in quo floruerunt præcipuè Job, Iethro, Melchisedechus, Naaman, & alij; & in illo statu facientibus opera multa bona, quæ Lex Moyfi Iudæis præscribebat: ut explicant illa verba: *Ea quæ legis sunt faciunt, eiusmodi legem non habentes*: Ductu scilicet legis naturalis, iuxta id quod subsequitur: *Ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus scriptum in cordibus suis, &c.* In hunc planum, & sanum sensum in sui substantia conspirant Interpretes Sacri, quamvis quoad aliqua accidentalia discordent. August. Christof. Fulgent. Anselm. Prosper. Theod. Lyra, Cyprianus, Theophylactus, S. Thom. Salmeron, ipseque Cornelius, eos, & alios citans.

August. Christof. Fulgent. Ansel. Prosp. Theod. Lyra. Cypria. Theoph. Theod. S. Thom. Salmer. Cornel.

43 Ex ijs in forma ad rationem subductam ex verbis Pauli, distinguenda est maior; faciunt quæ legis sunt *naturaliter*, contrapositè ad Legem scriptam, hoc est, non sub statu Legis Moyfi; sed sub statu legis naturæ, concedo; hic enim est sensus Apostoli: *naturaliter*, contrapositè ad *supernaturaliter*, hoc est, viribus solius naturæ absque auxilio gratiæ, nego: huic enim sinistro sensui adhærebant cum Origene Pelagius, & Zuinglius. Hinc, concessa minori, negantur duæ consequentiæ in sensu argumenti. Quia cum verbis, & cum sensu legitimo, ac genuino Pauli stat, quòd tam in statu legis naturæ, quam in statu Legis Moyfi, non fieret, nec fieri posset dilectio Dei propter se super omnia nisi supernaturaliter; atque adeò non nisi per vires gratiæ elevantis naturam ad opus ita eximium, & excellens. Addo cum eodem Cornelio, ex ijs præcisè verbis Apostoli non convinci eos, qui non sunt sub lege, facere *naturaliter*; omnia quæ legis sunt, ac proinde nec perfectam dilectionem Dei propter se super omnia; sed aliqua faciliora: quòd indicat ille modus loquendi: *ea quæ legis sunt faciunt*; id est aliqua, aut etiam multa: contrapositè nimirum ad illos, quos absolute vocat, *factores legis*, qui scilicet totam legem adimplebant, de quibus ait, *iustificabuntur*: utpotè inter omnia opera Legis habentes etiã eiusmodi dilectionem Dei supernaturalem: nam per naturalem non iustificarentur. Unde corrueret etiam subductio argumentationis nobis obiectæ, adhuc retent-

Alap.

retento in illa voce, *naturaliter*, sensu naturalitatis contrapositè ad supernaturalitatem.

SECTIO III.

Reliqua argumenta contraria.

Suarez. Alvar. Aguirr.

44 TERTIVM argumentum obicit sibi, & nobis Doctor Eximius lib. 1. cap. 36. num. 1. Alvarez lib. 6. disp. 51. dub. ult. illudque multis adfruit Cardin. de Aguirre disp. 119. sect. 3. Omnis homo, modò sit in statu naturæ lapsæ; modò esset in statu naturæ puræ, aut integræ; obligatur præcepto naturali diligendi super omnia Deum, ut Authorem suum naturalem: ergo in quolibet illorum statuum posset id naturæ viribus præstare sine elevatione per vires supernaturales: quas scilicet excludit status saltem puræ naturæ. Antecedens videtur innegabile. Consequètia probatur: alioquin obligaretur homo ad opus sibi secundum præsentem, quas haberet vires, impossibile; iuxta unam è quinque propositionibus Iansenianis damnatis ab Innocentio X. & Alexandro VII. Huic argumento tenemur respondere, non solum qui cum Vasquez negamus possibilem actum perfectæ dilectionis Dei, qui non sit eo ipso entitativè supernaturalis; verum etiam illi, qui communiùs sentiunt cum Suarez, possibilem, quidem esse entitativè naturalem; non tamen haberi posse sine auxilio gratiæ, prout retulimus sect. 1.

Innoc. X. Alexan. VII. Vasq. Suarez.

45 Detestamur in primis responsionem Recentium Pseudo-Augustinianorum, qui Iansenio adhærentes, concessio antecedente, negant avidè consequentiam: quia, inquiunt, post peccatum obligatur homo; & iterum, atque iterum peccat, non præstans ea opera, quæ non potest præstare, eo quòd ex culpa per peccatum factus sit impos, priveturque viribus ad ea reipsa præstanda. Eorum nomina, & verba refert eruditè Cardin. de Aguirre, huiusmodi doctrinas doctè perstringens: contra quas facit denuò damnatio primæ propositionis in Decreto Alexandri VIII. Eas nos insequemur opportunè disp. 12. sect. 1. post Ripaldam, Martinonum, Annatum, & Decamps, strenuos Iansenistarum debellatores.

Alexan. VIII. Infrã disp. 12. Ripald. Martin. Annat. Decãps.

46 Aliorum meminit P. Suarez num. 5. qui, cum pro statu naturæ puræ admittant possibilem dilectionem naturalem Dei propter se super omnia absque auxilio gratiæ; & non ita pro statu naturæ lapsæ debilitatæ per peccatum; dicunt nunc, pro statu naturæ lapsæ reparatæ iam adesse per Christum gratiam ad implendum dictum præceptum Divinæ dilectionis; pro statu verò naturæ puræ iam posse viribus naturæ adimpleri illud præceptum: per modicum enim tempus, quo non occurrerent graves tentationes, iam posset fieri ea Dei dilectio, quamvis non per longum; quia diù non est homo liber à gravi aliqua tentatione peccandi, sicque impediendi actum dilectionis Dei super omnia. His tamen occurrit optimè Suarez. Primò: quia falsò supponunt, ut sæpè monuimus, liberum arbitrium fuisse per lapsum intrinsecè debilitatum ad opera naturalia. Secundò: quia, quid, si à statu puræ naturæ decideret tunc homo in peccatum personale? Per istud certè non minùs inficeretur, & debilitaretur natura, quam nunc sit infecta, & debilitata per originale: quin tamen propterea fas sit dicere, manere hominem absolutum ab obligatione naturali, quam habuit ante peccatum, implendi præceptum diligendi Deum, ut Authorem naturæ: ergo, si ante peccatum habuit vires naturales ad sic diligendum Deum, etiam post peccatum: sicque redit difficultas, quomodò obligaretur? Tertio: quia illud discrimen modicitatis temporis non apparet, cur non possit pariter applicari pro statu naturæ lapsæ; cum etiam in hoc statu per modicum temporis non occurrant tentationes graves, quæ faciant difficilem observantiam præceptorum urgentium.

Suarez.

Suarez.

47 Respondemus nos ex ipso Suarez num. 7. discernendo diligenter, & utiliter quoad hoc inter statum in alia providentia possibilem, naturæ pure, aut integræ; & statum prout de facto, naturæ lapsæ per Christum reparatæ, & ordinatæ ad finem supernaturalem. Pro hoc statu in quo sumus, & de quo Scripturis, SS. Patribus, & nobis debet esse potior cura, extant præcepta nobis iniuncta satis nota; pro illo autem statu, qui nunquam fuit, nec erit; non ita; sed conijcimus quod possumus ex naturis rerum, & ex

reve-

revelatis pro presenti statu. Hoc observato discrimine, si procedat argumentum de statu naturæ lapsæ, concessio absolute antecedente, negatur consequentia, eiusque probatio. Quamvis enim in hoc statu præstari nequeat ea Dei dilectio amicitia per solas vires naturæ, præstò tamen adest elevatio auxiliij gratiæ per Christum Reparatorem, præsertim urgente præcepto, ne possit homo indiligens dicere, *per Deum abest*: sicque nunquam obligamur ad impossibile secundum præsentem, quas habemus vires. Si verò procedat de statu naturæ puræ, aut integræ, omni circumscrip̄ta elevatione ad supernaturalia, distinguatur antecedens, & concedatur de amore, seu dilectione aliqua Dei super omnia utcūque; & negetur de dilectione Dei super omnia *propter se*, & per modum amicitia; quam utique Aristoteles, iuxta Philosophiam naturalem, impossibilem iudicavit inter homines, & Deum, ut Authorem scilicet naturæ, sub qua consideratione discurrebat Philosophus; & nos non nisi ex Fide illam novimus possibilem per gratiam Christi. Negatur deinde consequentia. Nec proinde sequitur, homines in eo statu obligandos ad impossibile: non enim obligarentur ad amorem amicitia; erga Deum, seu quod idem est ad absolutam, ac perfectam dilectionem Dei propter se super omnia; sicut neque ad faciendâ opera meritoria vitæ æternæ; neque post peccatum in eo statu commissum, ad se iustificandum; hæc enim essent illis tunc impossibilia; sed obligaretur ad diligendū Deum in quantum possunt, & ex illâ qualiquam dilectione ad non offendendum Deum, & ad aliquam penitentiam, si offenderent: possent autem Deū multipliciter diligere; infra gradum tamen dilectionis amicitia; Dei propter se super omnia: hoc enim esset eo ipso quiddam entitativè supernaturale, & superexcedens statum puræ naturæ.

48 Quartum. Non minus est arduum, ac difficile homini, taliter diligere aliquam creaturam super omnia propter se, ut propter illam sic amatam exponat omnia sua, divitias, honorem, & vitam, propter proximum, propter Patrem, propter Regem, aut propter Patriam, quam sit sic diligere Deum Creatorem: sed illud fieri potest ex dilectione natu-

rali, ductu, & viribus naturæ sine auxilio gratiæ Theologica; ut constat ex multis historijs: ergo & istud, quod rationalius est: ac proinde diligere naturaliter Deum propter se super omnia sine auxilio gratiæ Theologica.

49 Cardin. Bellarminus *cap. 8.* negat maiorem. Facilius, inquit, est diligere se ipsum, aut aliam creaturam super omnia, quam Deum. Tum quia sensibilia melius cognoscuntur: iuxta illud 1. Ioan. 4. *Qui non diligit fratrem, quem videt, Deum, quem non videt, quomodo potest diligere?* Tum quia natura corrupta semper inclinatur ad se, & ad sua. Porro qui pro suis hæresibus, aut pro Patria moriuntur, se ipsos querunt, id est, gloriam propriam, cuius præcipue Romani inter Ethnicos, & Hæretici inter infideles avidissimi semper fuerunt: & affert Augustin. *cap. 16. & 17. de Patient.* similia respondentem sic: *Qui hæc dicunt, non intelligunt, quemque iniquorum tanto esse ad quacumque mala toleranda duriores, quanto in eo est cupiditas mundi; & quemque iustorum tanto esse ad quacumque mala perferenda fortiores, quanto in eo maior est charitas Dei. Sed cupiditas mundi initium habet ex arbitrio voluntatis, progressum ex incunditate voluptatis, firmamentum ex vinculo consuetudinis; charitas autem Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.* Faciunt hæc ad ea, quæ innuimus *disp. 7. num. 67.* & videri potest Vasquez *disp. 193. cap. 5. num. 43.*

50 Respondemus aliter ex P. Vasquez *ibi num. 42.* quod argumentum istud rectè procederet, si conclusio nostra niteretur præcisè in operis difficultate, suppositâ possibilitate utriusque dilectionis naturalis; alicuius scilicet creaturæ propter se super omnia; & Dei propter se super omnia. Non tamen dicimus, hanc haberi non posse naturæ viribus absque gratia, ob præcisam eius difficultatem; sed ob alias rationes visas *sect. 3.* Quia nempe eiusmodi Dei dilectio est eo ipso supernaturalis, *diffusa* scilicet, ut verbis utar Augustini ex Apost. Roman. 5. *in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.* Profectò difficultas implendi totam legem, & resistendi omni gravi tentationi æqualis est, & æquè superanda quoad affectum ab efficacia propositi inclusi in attritione conceptâ ex amore concupiscentiæ erga Deum,

Bellar.

1. Ioan.

4.

August.

Suprà

disp. 7.

sect. 5.

Vasq.

Rom. 5.

Deum; ac ab efficacia propositi inclusi in contritione conceptâ ex amore amicitia; & charitatis erga Deum, ut nemini debet esse dubium: certam tamen est, hoc posterius esse debere multò perfectius, & præstantius. Ab hac ergo præstantiâ, & maiori perfectione sumimus rationem, cur hoc eo ipso debeat esse opus supernaturale, ad quod non sint vires in natura, potiusquam à maiori difficultate aliunde petita.

51 Hinc ad argumentum in forma, concessâ maiori de difficultate, & arduitate extrinsecâ præcisim ab impossibilitate, de qua est quæstio; permittimus etiam minorem, & negamus consequentiam. Quia ratio insufficientiæ naturæ ad dilectionem Dei propter se, super omnia, non sumitur ab eiusmodi præcisè difficultate; sed ab intrinsecâ potius impotentia antecedente omnium virium naturalium ad actum ita perfectum, qui eo ipso pertingat ad gradum supernaturalitatis; sicut ad actum visionis intuitivæ Dei, ut in superioribus prosequuti sumus.

52 Dixi: *permittimus minorem.* Quia posset in illa distingui, quando illa opera honestè fiunt, & quando inhonestè, & turpiter, ut ex inani gloria, aut ex peiori alio fine. Sapè namque homines ex turpissimis finibus ardua, & difficillima aggrediuntur; tunc autem nõ id ex gratia, sed potius contra gratiam operantur ex vehementi passione naturali: ut clariùs fiat quod diximus, operis perfectionem, & necessitatem gratiæ ad illud, aliunde quam difficultate petendam esse. Addiderim, diligere aliquam creaturam super omnia, esse eo ipso dilectionem turpem: quia esset amare ipsam appetitativè supra omne non ipsam, ac proinde & supra Deum; Deum verò diligere super omnia rationabilissimum est, & perfectissimum: quia Deus summum bonum omni non ipsi præferri debet.

53 Quintum. Ratio naturalis dicitur, Deum esse propter se super omnia diligendum: posset ergo voluntas, etiam in puris naturalibus constituta, diligere Deum propter se super omnia: nam posset conformare actum voluntatis suæ iudicio rationis: alioquin, aut talem actum suum suspenderet; aut malum, scilicet oppositum, necessariò operaretur; essetque homo necessariò malus: utpote

discedens non liberè à iudicio rationis Respondetur, distinguendo antecedens: id dicitur pro omni statu practicè, & absolute, nego: pro aliquo practicè, & absolute; & pro alijs speculativè, & conditionatè, concedo antecedens; & nego consequentiam. Nam pro statu puræ naturæ repugnat talis dilectio; eo enim ipso extraheretur homo à puris naturalibus, & elevaretur ad supernaturalia per affectivam illam coniunctionem perfectam cum Deo. Sic nunc lex Baptismi in re obligat omnes; iuxta iudicium rationis dicitur, oportere omnes baptizari: cum discrimine tamen, quòd obligat practicè absolute eos, qui possunt baptizari; & conditionatè eos, qui nõ possunt pro casu scilicet, quo possint. Obligatio namque est quoad possumus; & non amplius. Itaque in eo statu obligaretur homo absolute iuxta iudicium illud rationis, ad diligendum Deum quoad posset; non ad sic diligendum propter se pro eo statu, quia in eo statu non posset: nec posset aliter iudicare recta ratio: Nec propterea talem actum suspendens, malum operaretur; sed necessariò careret eo bono sibi impossibili: quod non esset, hominem esse necessariò malum, cum per id nõ fieret moraliter malus; sed minus bonus: & necessariò non taliter bonus, sicut nec videns Deum, nec hypostaticè unitus: nec esset discedere à iudicio rationis; quia recta ratio nequit dicitur, sicut nec lex præcipere impossibilia sub obligatione faciendâ.

54 Sextum specialius contra probationem conclusionis à nobis instructam *sect. 2.* Si namque non posset fieri actus perfectæ dilectionis Dei propter se super omnia, quin esset eo ipso supernaturalis, sequeretur contra doctrinam Tridentini *sess. 6. cap. 9.* hominem absque speciali revelatione Dei posse certò scire, se esse iustificatum, & in gratia: ergo. Sequela probatur: quia per experientiam omninò certam sui affectus, potest certò scire, se diligere Deum propter se super omnia: sed, si vera est nostra doctrina, eo ipso diligit supernaturaliter; ac proinde actu, qui aut est forma iustificans, aut saltem dispositio ultima ad formam iustificantem; ita ut certum cuiquam debeat esse, quòd, posito actu supernaturali charitatis, vel contritionis, ponitur in statu gratiæ, aut ex natura rei, aut

Trident.

falsè

saltem ex presenti lege Dei: ergo eo ipso certo sciret; absque speciali revelatione, se esse iustificatum, & in gratia.

Ripald.

55 Benè vidit P. Ripalda tom. i. disp. 20. sect. 21. nobis in presenti quaestione adversarius, se potius hoc argumento ferri, cum dicat, in presenti Dei lege fieri quidem actum dilectionis Dei propter se super omnia naturalem, indivisè tamen semper à supernaturali, illud comitante. Ex cuius doctrina respondetur ad argumentum, negando sequelam. Ad probationem sequelæ, difficilis mihi semper visa est veritas maioris, intellectæ, uti par est, de dilectione satis efficaci Dei propter se super omnia. Quamvis enim diligens Deum faciliè experiatur, se aequaliter diligere Deum; cum tamen Dei dilectio ex multis capitibus vix à nobis discernibilibus deficere possit à puritate, efficacitate, & perfectione requisitâ ad eam speciem dilectionis perfectæ, qua de loquimur; difficillimum est diligenti, experiri, ac certò dignoscere citra formidinem, an ea sua Dei dilectio omni ex capite pertingat ad perfectionis gradum, sive naturalem, sive supernaturalem, requisitum, ut sit, diciq; absolute possit vera, & perfecta Dei dilectio satis efficax super omnia propter se: res est enim obnoxia multis defectibus, aut saltem prudentibus de his: à quibus, si se expediat humana mens, ut formet iudicium verè probabile, satis erit negotij. Sic autem, si negetur maior, admittenda minori, negabitur consequentia.

56 Sed age, concedamus maiorem. At minor, quæ iuxta nostram opinionem vera est, iuxta communiorum est falsa; apud neutram certa; & apud utramque ad summum benè probabilis: sicque, si conceditur à nobis, non conceditur assensu, seu iudicio certo, ac evidenti, sed probabilium dumtaxat de eius veritate. Ex præmissis autem sic incertis non fit demonstratio: atque adeò consequentia inde ducta nequit esse certa, & evidens, cui nequeat subesse falsum; sed ad summum probabilis, & opinativa multis formidandi rationibus subiecta. Porro sic iudicari ab homine, se eliciisse actum supernaturalem charitatis, seque proximè disposuisse ad iustificationem, & esse in statu gratiæ, non est contra Tridentinū: quinimò ad multa in praxi necesse est habere huiusmodi iudicium citra reve-

lationem. Ex ijs neganda venit ultima consequentia.

57 Hanc responsionem, me indice, plenam, & planam insequitur P. Oxea. Omnis probabilis assertio, vel est vera, vel falsa: ergo & hæc nostra sententia. Si ergo falsa, succumbimus. Si vera: ergo verum est, posse nos sine speciali revelatione certos esse de nostro statu in gratia: cum ex assertione nostræ sententiæ istud evidenter sequatur: ergo contra Tridentinū id negans. Vide, ait, quantum absurdum: quando aliquid probabiliter tantum censetur de Fide, tolerari fortè poterit, quòd oppositum dicatur probabile: quando verò certissimè constat, aliquid esse de Fide, nullo modo potest defendi ut probabile id, ex quo evidenter sequitur aliquid contra quod certò est de Fide. Respondetur tamen, concessio primo enthymemate, dicendo, non quidem iudicio certo, sed probabili, nostram sententiam non esse falsam, sed re ipsa veram. Negamus tamen consequentiam inde subilata. Nam ex assertione non certâ, sed probabili, qua iudicamus, verum esse, actum perfectæ charitatis, vel contritionis non haberi, nisi supernaturalem, per nullam regulam dialecticam concluditur, nos certos esse de nostro statu in gratia: aut ostendatur per quam? Quandoquidem certi non sumus de nostra contritione: nec, eâ utcumque nobis experimento notâ, certi sumus de eius supernaturalitate, quamvis probabiliter iudicemus, non posse non esse supernaturalem, si alioquin perfecta contritio est, involvens dilectionem Dei propter se super omnia. Vide, quàm simus procul ab absurdo contra doctrinam Tridentini. Certissimè quidem constat, esse de Fide ex Tridentino, nos sine speciali revelatione certos esse non posse de nostro statu in gratia: nostra verò sententia non est, nos de hoc certos esse posse; nec dicimus, esse probabile, quòd de hoc certi esse possimus, quando probabiliter opinamur verum, quòd perfecta contritio nequit esse nisi supernaturalis. Ex hac enim opinione, nec fit verum, nec probabile, quòd certi esse possimus de statu nostro in Gratia: quæ utique certitudo obstaret doctrinæ Tridentini. Hoc mihi videtur ex terminis ritè penetratis, ac dispositis manifestum.

DIS-

DISPUTATIO IX.

DE NECESSITATE GRATIÆ AD VINCENDAS tentationes, vitanda venialia, & perseverandum.

I OMINE tentationis non venit in presentiarum appetitus ipse sensitivus, qui nobis inest per modum potentiæ, pronus habitualiter ad sensibilia, etiam peccaminosa, & ad ea inclinans voluntatem; sed potius quod per modum actus secundi instigat, & inclinat ad peccandum: sive sit mala nostra cogitatio, sive Diaboli suggestio, in Phantasia circa appetitum sensitivum excitata ad pelliciendam voluptatem in malum.

SECTIO J.

An, & quatenus necessaria sint auxilia Gratia ad vincendas tentationes.

2 **S**UNT leves aliæ; aliæ graves. Tentatio levis facilè, & frequenter vincitur; gravis difficulter, raro, aut nunquam. De utraque agemus suo cum discrimine in hac Sectione, ut in sequentibus ad difficiliora transeamus.

3 Victoria tentationum est triplex. Una, consummata per actum oppositum, non modò bonum, sed salutarem etiam, & meritorium. Aliæ laudabilis, & bona, quamvis non sic consummata: quæ scilicet esset per actum oppositum, virtuosum quidem, & moraliter bonum; naturalem tamen, atque adeò non meritorium, nec positivè salutarem. Aliæ turpis, & mala, per actum scilicet oppositum; sed alioquin vitiosum, & malum: ut cum quis tentatus ex intemperantia ad luxuriosè vivendum, detinetur à luxuria ex affectu etiam pravo avaritiæ.

4 Ad postremum istum modum victoriæ, qui potius certè lapsus est, quàm victoria, & potius vinci, quàm vincere, certum est non esse necessariam gratiam Theologicam; cum sic vincere, peccatum sit. Certum similiter est, ad primum modum victoriæ, quæ consummata victoria est, per actum scilicet meritorium entitativè supernaturalem, necessariam om-

nino esse gratiam Theologicam: cum actus supernaturalis elici nequaquam possit viribus naturæ sine comprincipio elevante, & adiuvante. Quæstio ergo superest de secundo modo vincendi tentationes. In qua

5 P. Vasquez, & Afflicta disp. 189. à Vasq. cap. 8. consequenter ad id, quod dixerat, necessariam esse gratiam Theologicam ad quemlibet actum bonum naturalem; ait, nullam tentationem, nec gravem, nec levem, vinci actu posse per actum oppositum bonum, adhuc naturalem, sine auxilio gratiæ Theologicæ. Nò quòd, ut ipse scitè animadvertit cap. 4. num. 42. absque gratia non detur in homine tentato aliquod posse antecedens aliquomodò sufficiens in actu primo ad vincendam tentationem; alioquin homo tentatus non esset liber ad dissentiendum tentationi, nec peccaret succumbendo, cum sic necessariò succuberet; sed quia ad actu honestè vincendum necessaria est honesta cogitatio congrua saltem naturalis, quæ in ipsius sententia, est auxilium gratiæ Theologicæ, ut vidimus, & reiecitur disp. 3. Quod in ijs quæstionibus ob oculos tenendum est: & exinde valdè distinguendum inter dari sine gratiâ posse ad vincendam tentationem, quod posse iuxta Vasquez datur etiam in tentato, qui re ipsa vincitur; & inter dari posse ad vincendam sine gratia tentationem, quod negat Vasquez; quia est dari tentationem, &

Z

VI

victoriam sine gratia, id est, sine cogitatione congrua ad vincendum.

- 6 His sic animadversis, probat Vasquez suam opinionem multipliciter. Primo, ex Scripturis. *Psal. 17.* ait ad Deum David: *In te eripiar à tentatione: ergo, quia non nisi in Deo, id est, per eius gratiam, superamus ullam tentationem, etiam minimam. Psalm. 29.* *Avertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus: quasi tentatum conturbari, & vinci, ac proinde non vincere, idem sit, ac Deum avertere faciem suam, hoc est, subtrahere auxilium gratiæ. Et Psalm. 117.* *Impulsus eversum sum, ut caderem; & Dominus suscepit me: ubi quod in peccatum non fuerit lapsus, tribuit Deo susceptori, id est, auxiliatori. Hinc à Deo petimus: Ne nos inducas in tentationem. Et Matth. 28.* dixit Christus: *Orate, ut non intretis in tentationem.* Ex oratione autem necessitas gratiæ contra tentationes arguitur.
- 7 Probat secundò ex Cócilijs. *Araus. sic. 2. Can. 3.* sic habet: *Divini muneris est, cum & rectè cogitamus, & pedes nostros ab iniquitate tenemus: quoties enim bona agimus, Deus in nobis, atque nobiscum, ut operemur, operatur.* Cum ergo, & quoties tentati pedes ab iniquitate tenemus, ne labamur in peccatum, divini muneris, & gratiæ Dei est, ut potè necessariæ, ut tentationem vincamus. *Et Can. 14.* *Nullus miser de quacumque miseria liberatur, nisi qui Dei misericordia prævenitur.* Palestinù adegit Pelagium retractare suum errorem, confitendo, gratiam, & adiutorium Dei ad singulos actus nobis dari: ergo ad quamlibet bonam victoriam tentationis. Vndè Paulus Orosius, qui Concilio interfuit, scribit apud Vasquez: *Gratiam nobis ministrari speciatim quotidie, per tempora, per dies, per momenta, &c.* In eodem Concilio iussus fuit Pelagius, retractare propositionem hanc: *Victoriam nostram non esse ex Dei adiutorio, sed ex libero arbitrio; & fateri, quod quando contra tentationes, concupiscentiæ quæ demicamus, quamvis illic propriam habeamus voluntatem, non tamen ex illa, sed ex adiutorio Dei provenire victoriam.* Accedit Innoc. I. *epist. 25. apud Aug. 19. ad Concil. Carthaginen.* scribens: *Quotidiana præstat Deus remedia, quibus nisi freti, confisique nitamur, nullatenus vincere humanos poterimus errores: necesse est enim, ut quo auxiliante vincimus, & iterum non adiuvante,*

vincamur. Alia prætereo; partim, quia sunt ijs simillima; partim, quia tacta sunt disp. 3.

8 Probat tertio ex Patribus. Basilii *regul. 62. cap. 3.* ait: *Oportet, ad tempus ab insidiariis discedere: ubi tamen quis permixtus est in tentationem incidere, eventum, ut sufferre possit, & voluntatem Dei per orationem quarere.* Paulò aliter alij vertunt ex Græco. *Chrysostomus Homil. 24. in epist. ad Corinth. Sunt tentationes, quas sufferre non possumus. Et quamam sunt illæ omnes, ut ita dicam: possibilitas enim in divino nutu est, quem nostra allicimus voluntate.* Et mox: *Neque enim mediocres illas, quas dixi, propriâ virtute sufferemus; sed hinc quoque divino indigemus auxilio.* Et apud *Chrysost. Homil. 37. in Matth.* Author Imperfecti: *Sicut navis, fracto gubernaculo, illuc ducitur, quò tempestas voluerit; sic & homo divina gratiæ auxilio perditio per peccatum.* S. Prosper cap. 35. contra Collat. *Quisquis in tribulatione non deficit, ab illo se non dubitet adiuvare, ad quem quotidie corda universorum fidelium clamant: ne inferas nos in tentationem.* Reprehenditque dicentem, Job propriâ suâ voluntate Diaboli incurfus superasse: & addit: *Itaque confitens illius, atque victoria non vis cooperatorem Deum fuisse; sed tantummodò spectatorem: & cui persuadere poteris, per naturalem arbitrii facultatem tam magnum certamen evictum, dubitare non audeat, in liberis causis multò liberiores esse bonæ voluntatis effectus: atque ita in illius damnata sententiâ foveam cadat, quâ dicitur, idè nobis gratiam iustificationis dari, ut quod facere per liberum iubemur arbitrium, facilius possimus implere per gratiam.* Et lib. *Epigr. cap. 84.* canit de Deo: *In quo uno semper superat, qui non superatur.* Et *epist. ad Demetriadem* scribit: *In omnibus enim monitis Dei, atque mandatis una, eademque ratio est divina gratiæ, & humana obedientiæ: & mox: Quando quod iubetur ab obediēte perficitur, tunc effectus divini operis declaratur.* Sensit ergo, in quolibet præcepto necessariam esse gratiam ad obediendum contra tentationes inobediendi.

9 Probat quartò specialiter ex Augustino. Qui *22. de Civit. 23.* leves etiam inter alias enumerat tentationes, quas dicit sine gratia vinci non posse. Et *epist. 106.* ait de Pelagio: *Aliquando etiam paribus momentis potestatem voluntatis æquali lance*

lance perpendet, ut aliquantum etiam ad non peccandum valere desinat: quod si ita est, nullus locus adiutorio gratiæ reservatur. Et lib. 2. contra duas epist. Pelagian. subdit: *Nihil in Scripturis sanctis homini à Deo iuberi propter probandum liberum arbitrium, quod non inveniatur, vel dari ab eius bonitate, vel posci, propter adiutorium gratiæ demonstrandum.* Cum ergo vincere quamlibet tentationem peccandi nobis iubeatur à Deo, victoriam quamlibet nobis à Deo per gratiam donari, necesse est. Et 2. *Confess. 7.* adloquitur Deum: *Gratiæ tuæ depūto; quod peccata mea tanquam glaciem solvisti: Gratiæ tuæ depūto, & quacumque non feci mala.* Ex gratia ergo Dei necesse est esse, vincere tentationem quamlibet, quâ si vincamur, malum facimus. Et similia repetens lib. 50. *Homiliar. Hom. 23.* concludit: *Agnosce ergo gratiam eius, cui debes, quod non admisisisti.*

10 Probat quintò quadrupliciter à ratione. Primam sumit ab utilitate orationis: utiliter enim, & non inaniter, ac superflue petimus à Deo victoriam cuiuscumque tentationis: *Ne nos inducas in tentationem; sed libera nos à malo.* Secundam, à gratiarum actione: grates enim agimus Deo laudabiliter, ferè, ac verè, & non fallaciter, aut adulatoriè pro victoriâ cuiuscumque tentationis. Ergo, quia vincere, etiam leves, est beneficium gratiæ Dei. Quam consequentiam probat multiplice eruditione: à qua abstinere, quia iam id tetigimus disp. 3. sect. 2. Tertiam ex eo quòd de nullius tentationis victoriâ possumus nos gloriari: possemus autem, si absque auxilio gratiæ valeremus aliquam vincere. Quartam, ex eo quòd, cum homo tentatus sit liberi arbitrii, idè què ex se non determinatus ad unam operationem præ alia, allicibilis tamen per contrarias cogitationes ad oppositas operationes, hinc videlicet ad resistendum, indè ad succumbendum tentationi; nec habeat in sua potestate hac potius, quam illâ cogitatione primò occupari; pendet id à solo libito Dei, qui optimè novit per Scientiam Mediam, huic cogitationi, si detur, pariturum, quòd tali cogitatione re ipsa tangatur, cum quâ prævisus fuit, si daretur, restitutus tentationi: ergo, ut re ipsa vincat homo tentationem, omninò necessaria est eiusmodi cogitatio congrua, homini prorsus indebitâ iure creationis; ac

proindè reputandâ inter auxilia gratiæ Dei: ergo prorsus necessaria est gratia ad cuiuscumque victoriam tentationis. Huc veniunt, quæ in similia dicta sunt pro Vasquez disp. 3. à num. 16.

11 His tamen non obstantibus, communior Theologorum sententia cum P. Suar. ait, non esse necessariam gratiam ad vincendam quamcumque tentationem: de quo videri novius potest Card. de Aguirre disp. 110. Idque probant ipsdem ferè rationibus, quibus dicunt, naturam sine adiutorio gratiæ posse facere aliquos actus naturales bonos, quamvis non salutare: quod de natura tam lapsâ, quam purâ venit intelligendum. Diffident tamen in eo quòd alij, quamvis ad vincendam quamlibet tentationem levem dicant, non esse necessariam gratiam, dicunt tamen, esse necessariam ad vincendam gravem. Ad eum ferè modum; quo, quamvis dicant, non esse necessariam gratiam ad quodlibet opus honestum; dicunt tamè esse necessariam ad opera naturalia honesta eximia, heroica, & difficilia, ut retulimus disp. 7. sect. 5. Alij verò, quos sequitur Cardin. de Aguirre sect. 2. non ita distinctè loquuntur; sed neque ad vincendam gravem tentationem necessariam esse gratiam in statu naturæ puræ pronunciant. Alij eatenus gratiæ necessitatem ad vincendas tentationes graves iuxta Patrum loquutiones defendunt, quatenus aiunt, sine gratia impossibile fore naturæ eas vincere: impossibile quidem moraliter, quamvis non physicè. Sic Suar. lib. 1. cap. 24. *Granad. contr. 8. tract. 2. disp. 3.* *Arriaga disp. 40. Amic. disp. 26. sect. 4.* *Ovied. contr. 4. punct. 2.* & plerique satis communiter. Alij inexplicabilem iudicant hanc impotentiam moralem sine dispendio potentie physicæ requiritæ ad libertatem peccati mortalis. Sic P. Oxæa disp. 4. sect. 10. Ut alios præmittam prorsus aberrantes, qui nec physicè putant, posse vinci tentationem sine gratia; & sine potentia physicâ ad eam vincendam, volunt peccari succumbendo tentationi. Sic cum Jansenio novi Pseudogustiniiani opportunè refutandi disp. 12. sect. 5. & disp. 25. sect. 2. contra quos Iato, doctiq; calamo Card. de Aguirre à disp. 132.

Suprà disp. 3.

Suprà disp. 3. sect. 2.

Suar.

Aguir.

Imperf.

Prosp.

Suprà disp. 7.

Suar.

Granad.

Arriag.

Ovied.

Oxæa.

Jansen.

Aguir.

SECTIO II.

NOSTRUM IUDICIUM.

12 **C**ATHOLICA doctrinā ad amulsim retentā, observatque reverenter SS. Patrum loquutionibus, Theologica veritas nobis indaganda est: quod, tot inter varios sentendi, & loquendi Scholasticorum modos, haud facile videtur. Consequenter ad ea, quæ in simili adnotavimus *disp. 7.* post multa hinc, & inde perlecta, & perpensa, dicam paucis quod sentio.

Suprà disp. 3. & 7.

13. Prima conclusio. Loquendo ex natura rei, tam in statu naturæ puræ, quam lapsæ, vinci possent, & re ipsa vincerentur aliquæ tentationes leves absque auxilio gratiæ Theologicæ, imò & Philosophicæ, graves verò non sine auxilio gratiæ Philosophicæ, quamvis possent sine auxilio gratiæ Theologicæ. Sic communior Theologorum sensus cum P. Suarez *lib. 1. cap. 23.* Molina, Scoto, & S. Thom. apud Ripaldam, & Oviedum, quibus assentitur Card. de Aguirre *disp. 118. sect. 7. & disp. 23. num. 55.* Terminos explicuimus in superioribus, præsertim *disp. 7. sect. 13. & 5.* ubi *num. 70.* observavimus discrimen semper habendum ob oculos inter naturam lapsam, & puram.

Suar. Molin. Scot. S. Thom. Ripald. Ovied. Aguir.

14. Prior conclusionis pars probatur eadem ratione, qua *disp. 7. sect. 2.* probatum est, factibiles esse aliquos actus bonos faciles ex natura rei à natura etiam lapsæ, sine auxilio gratiæ etiam Philosophicæ. Tentatio namque levis non facit actus esse factu difficiles. Quodsi quæcunque, vel levissima tentatio requireret gratiam ex natura rei ad sui victoriam, vix ullus actus bonus, quantumvis facilis, posset sine gratia fieri; cum vix ullus sit, ad quem exercendum non sit vincenda aliqualis tentatio. Ideoque Sancti Patres, dum requirunt specialem gratiā ad vincendas tentationes, expresse loquuntur de gravibus: quo fati innuunt, non esse sic requisitam ad leves: ad aliquas saltem: nam de omnibus collectivè dicemus *sect. 4.* Sic præsertim Hieron. *lib. 3. contra Pelagian.* Cyrillus Alexandr. *lib. 9. in Ioan. cap. 2.* Chrysost. *Hom. 24. ad I. Corinth.* & Augustinus *cap. 2. de Pers. inst.*

Hieron. Cyrill. Chrysost. August.

15. Certè enim verisimile non est, hominem, ut morale agens, adeò debilem

esse ex parte liberi arbitrij ad bonum sibi secundum rationem conveniens, & ad evitandum malum, sibi quatenus morali agenti disconveniens, ut, si ad bonum agendum, & malum vitandum, vincenda sit una minima tentatio, seu difficultas, non haberet ex natura rei, cum donis titulo creationis sibi debitis, vigorem ad illam vincendam. Quemadmodum est prorsus inverisimile, habere vires corporeas adeò debiles, ut ferre valeris unam festucam, semper tamen refugiturus esset molestiam illam ferendi, quamvis iudicaret, sibi rationabiliter expedire. Sic enim habet se levissima tentatio ad voluntatem, sicut ad vires corporis festuca. Præterea: homo in natura pura creatur à Deo in suum finem naturalem, cuius una pars est, vitare peccata contra legem naturalem: ad hanc autem evitacionem semper est vincenda aliqualis tentatio, aut difficultas. Quodsi non deberentur homini aliquæ cogitationes congruæ ad vincendas re ipsa aliquas leves tentationes, non modò nunquam consequeretur suum finem naturalem benè rationabiliter vivendi; quin imò nihil eo esset infelicius, nihil miserius. Dicendū ergo est, aliqua subsidia congrua deberi homini ex titulo, quod per creationem accepit à Deo liberum arbitrium ordinatum ab benè rationabiliter agendum, quibus re ipsa vinceret aliquas saltem leves tentationes, & difficultatulas obistentes bono usui liberi arbitrij: atque adeò, ad aliquas re ipsa vincendas, nō esse necessariam gratiam; sed id haberi ex debito: haud aliter à Deo negabili, nisi quasi insidiando captiosè creaturæ suæ rationali, ne unquam benè uteretur libero arbitrio, quod ab ipso Deo ad finem benè agendi accepisset. Videantur in simili dicta *disp. 7. sect. 2.*

Suprà disp. 7.

16. Procedunt hæc ex natura rei, pro statu etiam naturæ lapsæ, ut non semel animadvertimus: quia, ut statui mus *disp. 1. sect. 2.* natura per lapsum non amisit quoad naturalia vires intrinsecas benè naturaliter agendi, quamvis potuisset Deus, iuxta aliam suæ providentiæ legem, eam multis bonis etiam naturalibus iuste privare, quibus de facto non privavit: potuisset enim omnes homines lapsos in pœnam creare cæcos, & claudos; quod tamen sic non voluit.

Po-

Suprà disp. 7.

17. Posterior conclusionis pars duo subcontinet. Primum subcontentum est, quod ad vincendas tentationes graves est necessaria gratia ex natura rei. Quod probatur eadē ratione, qua *disp. 7. sect. 5.* id probatum est ad exercendum actum bonum naturalem difficilem. Nam per tentationem gravem iam opus bonum fit difficile: & pro humanā fragilitate docemur, in gravi conflictu sapissimè naturam succumbere, nisi desuper teneatur. Quidquod ad vincendam gravem tentationem requiritur cogitatio bona, aut vehemens, aut diuturna: non autem ita frequenter occurrunt obiecta eiusmodi cogitationes excitantia. Dixi: ita frequenter: fortè namque pro una, vel altera vice posset ab aliquo vinci tentatio gravis ex natura rei absque speciali subsidio: quandoquidem ex ordinario etiam modo, quo res eveniunt, posset in aliquo suscitari cogitatio bona, aut vehemens, aut diuturna. Nisi dixeris, in eo concursu utriusque cogitationis cogitationem, quæ alioquin esset tentatio gravis, iam fieri levem: quod componit Ripalda *disp. 115. num. 193.* dicens, fore gravem quoad positivum intrinsecum sui; non verò quoad negativum extrinsecum, scilicet quoad defectum cogitationis bonæ debilitantis tentationem. Secundum subcontentum est, quod ad vincendam tentationem gravem nō requireretur ex natura rei gratia Theologica, scilicet entitativè supernaturalis; sed sufficeret Philosophica, ut explicuimus in simili pro actibus virtutum naturalium difficilibus ibidem *num. 67. & 68.* moxquè *num. 70.* observavimus iustum discrimen quoad hoc inter statum naturæ lapsæ, ac puræ, hic quoque observandum, & applicandum.

Ripald.

18. Obijcias. Quod præsens tentatio sit levis, & non gravis, est iam specialis Dei gratia: ergo, si ad vincendam gravem necessaria est specialis gratia, nec levis vinci poterit; ac proinde nulla, sine interventu alicuius gratiæ, qua saltem fiat, quod tentatio desinat esse gravis. Antecedens videtur traditum ab Augustino *lib. 53. Homil. 23.* ibi: *Adulter non fuisti: hoc tibi dicit Dominus Deus tuus: servabam te, ut adulterium non committeres: suassor defuit: ut suassor deesset, ego feci: locus, & tempus defuit: ut hæc deessent, ego feci: affuit suassor, non defuit locus, non*

Aguir.

defuit tempus: ut non, consentires ego terrui.

19. Respondetur, antecedens esse pro aliquando verum; non pro semper. Verum pro aliquando: nam aliquando facit Deus, deesse vehementem tentatorem, qui stando currenti ordini causarum naturalium adesset: aliquando verò obiecta naturaliter occurrentia proponunt incentiva fortia ad peccandum: Deus autem speciali providentiā facit, aut quod ea propositio parum duret, sicque fiat tentatio levis; aut immittit cogitationem retrahentem fortius à peccato, modò per se, modò per Angelum, modò per hominem. Et sic intelligendus est locus Augustini, loquentis præsertim iuxta præsentem Dei legem de naturā reparatā per Christum. Non pro semper, & ex natura rei. Nam aliquando ex debito, & ex ordine ipso rerum naturalium venit, tentationem esse levem: aut ex eo quod cogitatio invitans ad malum, sit remissa; aut ex eo quod illam debilitent cogitationes retrahentes à malo; aut ex eo quod caro pelliciens ad delectabilia debilis sit; aut ex eo quod tentator externus, homo, vel dæmon nolit multum urgere. Quæ omnia ordinario etiam rerum cursu solent evenire: ac proinde cum generali, & sine specialiori Dei providentiā accidere possent ex natura rei. Sic ergo explicato distinctim antecedente, negatur consequentia: solum vera, quando tentatio ex speciali Dei beneficio levis est, desinens esse gravis præter debitum ordinē naturæ. Hoc debitum, ut notat Oviedus *contro. 4. num. 10.* non est pensandum respectivè ad aliquam naturam in particulari; sed ad accordem multarum rerum occurrentium consonantiam, quam Author naturæ, non nisi ultra morale hoc debitum, perturbaret.

Ovied.

20. Secunda conclusio. Loquendo iuxta præsentem Dei legem pro statu naturæ lapsæ per Christum reparatæ (in què statum, ut monui *disp. 7. num. 65.* collimant loquutiones Scripturæ, & Sanctorum Patrum) necessaria prorsus est gratia, & quidem Theologica per Christum ad vincendam tentationem, sive gravem, sive levem. Hic est abs dubio modus loquendi conformior Scripturis, frequens in Sanctis Patribus, & inter summos Scholasticos magis receptus: à quo recedere, non est nobis integrum. Ratio nobis

Suprà disp. 7. sect. 5.

nobis expeditior est. Quia victoria cuiuslibet tentationis est actus bonus exercitus contra tentationem, ut ex usu vocum apud Theologos praeponimus *sect. 1.* sub initium: sed ad quemlibet actum bonum, & honestum exercendum in praesenti statu naturae lapsae reparatae, necessaria est iuxta praesentem Dei legem gratia Theologica per Christum, ut explicuimus, & comprobavimus ex Ripalda *disp. 7.* Fit ergo liquidò, ad victoriam cuiuslibet tentationis, si minus ex natura rei, saltem ex praesente Dei lege, necessariam esse gratiam Theologicam. Quod sufficit, ut absolute dicatur gratia Dei necessaria ad vincendas quascunque tentationes. Quemadmodum absolutissime dicimus, Baptismum esse simpliciter necessarium ad salutem; quamvis non ex natura rei, sed ex lege praesenti Dei, necessarius sit: & contritionem, & gratiam intrinsecè iustificantem esse necessariam ad remissionem peccatorum; quamvis iuxta aliam Dei legem posset à Deo remitti per condonationem pure extrinsecam absque infusione gratiae, & retractione peccatoris: quia loquutiones huiusmodi procedunt de facto, iuxta Dei legem, in qua versamur.

Suprà disp. 7.

SECTIO IIJ.

Argumenta contraria, posita Sect. 1. dissolvuntur.

Ripald.

21 **M**ILITANT praecipue contra primam conclusionem, & dissolvenda sunt per doctrinam secundae, ad salvandas sincerius utrinque loquutiones Sanctorum Patrum, ut observat, lateque expendit Martinez de Ripalda *disp. 114. à sect. 18.* nò satis acquiescens communibus aliorum responsionibus.

22 Ad primum ex *num. 6.* responsio communis est, loqui Davidem in Psalmis de tentationibus gravibus tunc occurrentibus: & similiter intelligi solent illa Christi verba ad Apostolos *Matt. 26.* erant enim de illa tentatione particulari gravissimà, quae tunc ipsis imminabat. Prima verò nostra conclusio loquitur dumtaxat de levibus. Ad verba orationis Dominicae, quae ad leves etiam videntur extendi, responderi solet, quòd, sive sensus sit: *Ne nos permittas tentari;*

quod sit per gratiam exter-nae protectionis; sive sit: *Ne nos permittas labi, cum tentamur,* quòd sit per gratiam adjuvantem internè; possunt à nobis orantibus ad Deum fundi pro levibus etiam tentationibus, quamvis verum sit quòd diximus, aliquas earum posse à nobis vinci beneficio naturali Dei de ordine creationis. Quippe, cum liberi simus, timere de nobis possumus, nò libertate abutentes, tentationibus etiam levissimis consentiamus, ut saepius experimur, quamvis eas sine speciali gratia cum sola gratia creationis possemus superare: ipsas enim gratias congruas de ordine creationis posset Deus denegare in poenam peccatorum. Sicque manet semper locus orationi prudentissimae, ac utilissimae, quin exinde arguatur necessitas gratiae extra ordinem creationis ad vincendam quamlibet tentationem. Quòd posset urgeri contra hoc, solum est assertum *disp. 3.*

Suprà disp. 3.

23 Quoniã verò ex eiusmodi Scripturis solennè est in Sanctis Patribus argui necessitatem gratiae, & quidè Theologicae, ad vincendas tentationes saltem graves; cum tamen & graves quoque vinci posse sine gratia Theologica dixerimus loquendo ex natura rei; aliter respondere nobis opus est Solidior ergo responsio sit, praedictos Textus loqui iuxta praesentem Dei legem pro statu naturae lapsae per Christum reparatae: pro quo statu, in quo de facto versamur, & de quo loquuntur Scripturae, & super Scripturas Sancti Patres, falsi iam sumus in secunda nostra conclusione, iuxta praesentem Dei legem necessariam prorsus esse gratiam, & quidem Theologicam per Christum ad victoriam cuiuscumque tentationis, sicut ad quodcumque bonu opus; quamvis ex natura rei necessaria non fuisset, adhuc ad vincendas graves.

24 Ad secundum ex *num. 7.* responsio communis est, in illis Concilijs rem esse contra Pelagianos, asserentes, non esse necessariam gratiam, sed vires arbitrij sufficere, ad vincendam tentationem actu, qui non utcumque bonus sit, verum etiam salutaris, meritorius, & conducens ad vitam aeternam. Contra quòd, sensus Conciliorum est, absque adiutorio gratiae Theologicae, de qua lis erat cum Pelagio, non posse vinci tentationes victoriã consummatã, fructuosã, & sa-

& saluari. Cum quo stat, quòd ad victoriam non salutare, nec meritoriam per actum nempe naturalem bonum, minime salutare, nec meritorie fructuosum ad vitam aeternam, non sit necessaria gratia Theologica.

25 Quoniam verò nimis durum videtur P. Valquez, sic restringi doctrinas Conciliorum in hoc puncto ad necessitatem gratiae pro victorijs dumtaxat meritorijs, ut liberum nobis relinquatur, attribuerè naturè ex viribus arbitrij sine gratiã Theologicã per Christum quamcumque insignem victoriam tentationum, dummodò salutaris non sit, nec meritoria praemij supernaturalis; fatius est aliter respondere, concedendo planissime, & sincerissime quòd docent citata Concilia, pro de facto iuxta praesentem Dei legem, in qua per Christum reparati versamur, & pro qua loquuntur Concilia, ut dicebamus de Scripturis: scilicet, nullas omninò tentationes posse à nobis vinci sine gratiã Theologicã. Cui absolutissimae doctrinae non adversatur, quòd ex natura rei, iuxta alias Dei leges Deo possibiles, possent aliqua tentationes vinci; & quòd reipsa vinceretur viribus arbitrij sine speciali adiutorio gratiae. Hoc enim non erat ibi negotium Conciliorum contra Pelagianos. Nec aliud sonant verba Innocent. Papae.

26 Ad tertium ex *num. 8.* responsio similiter comunis est, SS. Patres non loqui de quacumque victoria, & tolerantia tentationum etiam honestã; sed de victoria perfecta per resistantiam meritoriam, & salutare. Alia tamen responsio planior est, Sanctos loqui de victoria qualibet honestã, prout in praesenti statu, & lege: in praesenti namque lege quilibet actus honestus, est salutaris, & non nisi ex gratia Theologica per Christum, ut saepe diximus: nec potest aliter haberi. Ideòque hortamur ad eam gratiam implorandam, sine qua nimirum nihil moraliter bonum fiet, nec absolute fieri potest, quamvis ex natura rei posset iuxta alias Dei leges in alijs statibus merè possibilibus, de quibus minus curabant SS. Patres, sicut & Concilia: & per quos discurrunt Scholastici quoad possunt ex ijs, quae de praesenti statu, & lege SS. Patres disseruerunt cum fundamento in Scripturis.

27 Ad quartum ex *num. 9.* similiter

respondetur communiter: & similiter respondemus nos discursui subnixo testimonij Augustini. Per doctrinã enim secundae nostrae conclusionis, loquentis ex praesenti Dei lege pro statu naturae lapsae per Christum abundantius reparatae, stant in plano suo significato locutiones Augustini frustra nobis obiectae: & quidem sine offenculo primae nostrae conclusionis, loquuta ex natura rei iuxta possibilem aliam Dei legem, in qua nec fuimus, nec sumus, nec erimus, quaeque propterea minoris erat curae SS. Patribus.

28 Ad quintum à quadruplici ratione ex *num. 10.* responsio comunis est quae data fuit *num. 22.* ad verba precatio-nis Dominicae: quò faciunt etiam quae scripsimus *disp. 3. à num. 20.* Ubertius tamen respondetur nunc per doctrinam secundae nostrae conclusionis, utilitatem, & necessitatem orationis ad gratiam pro victoria tentationum intelligendam esse pro de facto de gratia Theologica iuxta praesentem Dei legem. Et similiter respondetur ad secundam de gratiarum actione. Ad tertiam respondetur ex P. Suarez *cap. 22. num. 3.* quòd nec de victoria naturali tetationis habitã sine auxilio gratiae Theologicae, sicut nec de ullo actu bono naturali; possemus nos gloriari, quasi non acceperimus à Deo conditore, bonorumque omnium Authore summo; cum potius esset Dei ad volentis, & principalis causantis, quam nostri, qui causae secundae sumus, & subordinatae, ab ipsius nutu essentialissime pendentes: gloriari autem de bono, hoc est, nobis liberè illud tribuere cum debita submissione, & subordinatione ad Deum, à quo bona cuncta procedunt, non esset inaniter, vanèque gloriari, sed esset gloriari in Dño iuxta Paulum, id minime nobis prohibentem, dum ait:

Suprà disp. 3. sect. 2.

Suarez.

Qui gloriatur, in Domino gloriatur: & alibi: *Nam si voluero gloriari, non ero insipiens: id est, ut glossat Lyra: Quia non faciam hoc inaniter, & sine causa.* Quem sensum ex Augustino comprobabimus *sect. 10. num. 106.* Ad quartam respondetur ex dictis *disp. 3. à num. 18.* concessio antecedente, concedendo etiam in prima consequentia, quòd, ut homo reipsa vincat tentationem, necessaria est cogitatio congrua; negando tamen, quòd omnis cogitatio congrua sit prorsus indebita homi-

2. Cor. 10. & 12. Lyra.

Suprà disp. 3. sect. 2.

homini iure creationis; cum aliqua saltem quandoque ipsi ex ipso natura ordine deberentur, nec possent ipsi à Deo, nisi datâ operâ, & quasi infidiosè agente cum libero arbitrio, denegari, ut ibi expendimus in simili. Undè negandum est etiam, eiusmodi cogitationem reputari debere inter auxilia gratiæ Theologicæ. Hinc secunda consequentia facta est absolutissimè. Quod intellige loquendo ex natura rei. Nam, loquendo ex præsentem Dei lege iuxta alias nostras responsiones, fatebimur libenter, cogitationes congruas, quæ de facto dantur, esse illustrationes entitativè supernaturales per Christum, & verè auxilia gratiæ Theologicæ: nec posse sine illis quidquam honestè à nobis fieri, nec ullam tentationem honestè vinci: sicque ad id necessariam prorsus esse gratiam Theologicam iuxta secundam nostram conclusionem.

29 Dices, Sanctos PP. dum commendant ex Scripturis necessitatem gratiæ, multa dixisse de imbecillitate, & insufficientiâ naturæ, præsertim lapsæ, ad benè operari, & ad vincendas tentationes. Nos autem, quamvis ex lege Dei asseramus, gratiam esse necessariam; dicimus tamen ex natura rei sufficientem, & potentem fore naturam etiam lapsam, ad benè operari, & ad honestè vincendas tentationes saltem aliquas: quod videtur minùs conforme menti; ac verbis SS. Patrum. Respondetur, Sanctos PP. imbecillem, ac insufficientem naturam prædicasse ad benè operari, hoc est, in eorum sensu, ad salutariter operari, & ad victoriam tentationum perfectam, & meritoriam: quod & nos dicimus: & addimus, ad quodcumque benè operari, & benè vincere in præsentem statu naturæ lapsæ reparatæ, pro quo statu illi loquebantur: quia non agnoscimus, in hoc statu, ut agnoscunt multi Theologi, benè operari, & benè vincere, quod salutare non sit: sicque prescius tenemus vestigia SS. Patrum de imbecillitate, & impotentia naturæ ad istud benè operari, & ad istud benè vincere, de quo illis fuit sermo. Sufficientia autem naturæ sine gratia, quam admittimus ad aliquale benè operari, & benè vincere, est pro statu, & lege, in quibus nec fuimus, nec sumus, & de quibus parum curabant SS. Patres: à quorum propterea sensu minime discrepamus.

SECTIO IV.

An, & quatenus auxilia gratiæ necessaria sint ad observationem totius Legis: ad vincendas omnes tentationes: & ad vitanda cuncta peccata, etiam venialia collectivè.

30 **C**UM peccatum sit transgressio Legis, & tentationes instigant ad peccata; in idem recidunt, observari totam Legem, vinci omnes tentationes, & vitari cuncta peccata: idèq; tria hæc in præsentem controversia, & quidem gravissimâ, comprehendo: quæ sparsim ab aliquibus non sine doctrinâ, aut repetitione, aut dispendio traditi solent.

31 Prima conclusio. Tota omninò nostra Lex præfens adimpleri non potest absque auxilio gratiæ Theologicæ. Hoc prædicant ex Scripturis Ecclesiæ Patres: & est omninò certum. Quia in præsentem Lege continentur varia præcepta de operibus supernaturalibus, v.g. præceptum exercendæ Fidei, Charitatis, Pœnitentiæ, & alia huiusmodi: quæ debent esse actus entitativè supernaturales: ad hoc autem certum est, non esse sufficientes vires in natura, nec in auxilijs Philosophicis entitativè naturalibus: ergo necessaria omninò sunt auxilia gratiæ Theologicæ entitativè supernaturalia. In sensu innegabili huius conclusionis veniunt intelligenda multa SS. Patrum testimonia pro insufficientia naturæ sine gratia ad observandam totam Legem.

32 Secunda conclusio. Ad observandam diù totam Legem purè naturalem, necessaria est gratia specialis philosophica, seu ordinis entitativè naturalis; & iuxta statum, ac providentiam præsentem Dei, Theologica; hæc verò non ex natura rei iuxta aliam providentiam Deo possibilem. Prima pars, quæ communis est ex S. Thoma, & Suarez, probatur: quia in lege naturali clauduntur plures actus difficiles, ac heroici, ut æquanimitas in injurijs, continentia coniugalis, magnorum laborum tolerantia; occurruntque passim tentationes graves contra exercitium virtutum naturalium: nisi fortè ex speciali quandoque Dei beneficio, ac providentiâ, quæ iam esset quodammodo specialis gratia, non occur-

S. Thom.
Suarez.

occurrant. Ad hæc autem constat ex superius dictis, necessariam esse gratiam saltem Philosophicam: ergo hæc quoque saltem necessaria est ad diuturnâ adimplerem legis naturalis sine offendiculo. Secunda pars constat ex superius dictis propter eadem fundamenta Auctoritatis, & rationis, quibus diximus, iuxta præsentem Dei Legem in statu naturæ per Christum reparatæ, necessarium nobis esse adiutorium supernaturale gratiæ auxiliantis ad quemlibet actum bonum, & ad victoriam cuiuslibet tentationis, ut potè non nisi supernaturales. Et huc pertinent locutiones multæ SS. Patrum de necessitate gratiæ, & imbecillitate naturæ ad observandam legem, sicut ad operandam bonum, & ad vincendas tentationes. Tertia pars sequitur etiam ex superius dictis. Nam tota lex purè naturalis adimpleri posset per actus entitativè naturales: non est autem cur ad hos necessaria sit gratia entitativè supernaturalis, atque adèd nec Theologica: loquendo igitur ex natura rei iuxta aliâ Dei providentiam sufficeret ad id gratia Philosophica entitativè naturalis, quæ esset speciale beneficium; quamvis non omninò extra totum ordinem naturæ, & ambitum creationis.

33 Atque hinc, cum dicitur, totam legem adimpleri diù non posse; nec diù vinci omnes tentationes; nec per longum tempus vitari cuncta venialia sine gratia; intelligendum est sine gratia Theologica, loquendo more SS. Patrum iuxta præsentem Dei legem, & statum naturæ reparatæ prout de facto: quandoquidem ad actus supernaturales est physicè impotens liberum arbitrium sine adiutorio gratiæ supernaturalis. Cum verò id dicitur, prout esset, vel esse posset ex natura rei, intelligitur de impotentia naturæ, sive physicâ, sive morali, explicandâ *sect. seq.* & de gratia, sive Theologica, sive Philosophicâ. Hæc enim Philosophica sufficeret ex providentia extraordinariâ ad preparanda auxilia irregularia congrua, entitativè tamen naturalia, ad actus, per quos ea omnia reipsa præstarentur. Et quidem non solum pro statu naturæ lapsæ; sed etiam puræ, etiam integræ, imò & iustificatæ. *Lapse*, inquam, quamvis de facto reparatæ: quia experimento docemur quodammodo minimum lapsus in lege quoque naturali,

ad quos omnes evitandos speciali Dei adiutorio indigemus. *Puræ*: quia hæc, ut sæpè diximus, quoad intrinsicam naturalia æquè debilis, & inconstans esset, ac lapsa. *Integræ*: quia, quamvis non ita subiceretur inordinatis motibus rationem prævenientibus, pateretur tamen intrinsicam inconstantiam, & varietatem arbitrij humani in operando, ut cernere fuit in Adamo, & Eva: undè, quamvis diutius posset totam legem fervare, non tamen diutissimè, sine speciali gratia, ut pendit Ovidius *contr. 7. p. 6.* Imò & *Iustificatæ*: quia gratia, qua iustificamur, nec extinguit appetitum, aut fomitem peccati, nec tollit inconstantiam intrinsicam liberi arbitrij, nec opponitur cum venialibus.

34 Cum mortalibus verò, quamvis Gratia iustificans opponatur, non tamen facit nos mortaliter impeccabiles, quia non est inamissibilis: in quo errarunt olim Ioviniani, asserentes, hominem, semel in Baptismo iustificatum, amplius non posse peccare, quos damnat Trid. *sess. 6. cap. 12. & Can. 23.* Itaque, quamvis gratia iustificans necessaria sit saltem ex lege Dei ad vitanda in statu naturæ lapsæ *cuncta mortalia* per longum tempus iuxta illud Magni Gregor. *Peccatum, quod per pœnitentiam non deletur, suo pondere in aliud trahit*; non tamen est ad id per se sufficiens, nisi iustus specialibus gratiæ actualis auxilijs fulciatur, ut perseveret. Undè hæc propositio: *Possunt diù in natura lapsa vitari omnia peccata venialia contra legem naturalem absque auxilio gratiæ speciali*; censetur à Medina contra Fidem; à Suarez temeraria, & errori proxima: de quo Ovid. *contr. 4. num. 45.* Dixi: *cuncta mortalia*: nam unum, vel alterum posset evitare natura etiam lapsa sine gratia, loquendo ex natura rei, ut patet ex dictis circa victoriam unius, vel alterius tentationis. Nec obstat Augustinus 2. *Confess. 7.* Deum alloquens: *Gratia tua depreto quacumque non feci mala.* Loquitur enim ex præsentem Dei lege naturæ per Christum reparatæ.

35 Tertia conclusio. Quomodocumque sit, omninò tenendum est, quasi Fide certum, hominem etiam iustificatum non posse per totam vitam adhuc cum ordinarijs gratiæ auxilijs vitare omnia peccata mortalia, & venialia, sine speciali privilegio: ac proindè, nec implere

Aa

posse

Ovid.

Trident.

S. Greg.

Medina.

Suarez.

Ovid.

August.

August. posse totam omnino legem, nec vincere cunctas omnino tentationes. Excipitur, post Christum, Beatissima Virgo, de qua, ut sanctissime dixit August. cap. 36. de Nat. & Grat. propter honorem Domini, nullam prorsus, cum de peccatis agit, habere volo questionem. Procedit etiam conclusio pro statu naturæ puræ; imò & integræ, ut colligitur ex nuper dictis: & pro statu naturæ iustificatæ per gratiam habitualem, & ordinarijs auxilijs gratiæ actualis supernaturaliter instructæ.

Trident. 36 Traditur sic à Tridentino sess. 6. Can. 23. Si quis hominem semel iustificatum dixerit, posse in tota vita peccata omnia, etiam venialia, vitare, nisi ex speciali Dei privilegio, quemadmodum de B. Virgine tenet Ecclesia; anathema sit. Fundatur autem in Scripturis 3. Reg. 8. Non est enim homo, qui non peccet. Iacob. 3. In multis enim offendimus omnes. 1. Ioan. 1. Si dixerimus, quia peccata non habemus, ipsi nos seducimus. Prov. 24. Septies enim cadet iustus, id est, pluries ut glossat Lyra; aut sapius, ut Tirinus, sumpto videlicet de more numero determinato pro indeterminato. Et ratio, quam ex S. Thom. expendit Card. de Aguirre disp. 123. sect. 4. fumitur ex humana fragilitate, ex inconstantia nostri liberi arbitrij, ex frequentia tentationum, ex defectu plenæ advertentiæ, & in statu naturæ lapsæ, sicut etiam puræ, ex motibus inordinatis appetitus sensitivi prævenientibus rationem, & imperium voluntatis; aut ex fomite peccati; & ex multis alijs capitibus: id confirmante quotidiano experimento in hominibus etiam iustis.

3. Reg. 8. Iacob. 3. 1. Ioan. 1. Lyra. Tirin.

37 Diximus, hominem non posse, sine speciali illo privilegio, vincere cunctas tentationes evitando omnia venialia diu per totam vitam. Quando ergo poterit sine ullo lapsu stare? Tetigit id Suar. 9. de Grat. cap. 8. Apud quem Sotus, & Vega autumant, quod per unum diem. Opponunt aliqui vulgatum illud: septies in die cadet iustus; ideòque autumant, quod per tres, vel quatuor horas. Sed falsò nituntur fundamento: nam in textibus correctis non legitur, in die, ut observant ibi Cornelius, & alij. Ideò nihil audet decernere Suarez. Nec quidem ego.

Suarez. Sotus. Vega.

Cornel.

38 Diximus: absque speciali privilegio: quemadmodum de B. Virgine tenet Ecclesia. Suboriuntur duo dubia. Primum: in

quo stet, vel stare possit eiusmodi privilegium. Secundum: an alicui Viatori, præter B. Virginem, fuerit concessum. Respondetur ad primum, stare posse pro præsentis statu, sive in collatione uberrimorum auxiliorum; sive in dono continuæ contemplationis; sive in infusione assidui amoris Dei ardentissimi super omnia exclusivi omnis affectus displicendi Deo etiam venialiter; sive in proposito semper actuali placendi Deo, etiam in minimis; sive in impeditione inadvertentiæ, quæ sunt occasio venialium ex subreptione; sive pro statu etiam puræ naturæ in assidua immisione cogitationum congruarum entitativè naturalium, quibus vincerentur omnes tentationes contra legem naturalem. Ad secundum respondetur, rem esse adhuc inexploratam: de qua Oviedus cit. Ego quidem non nisi temerè id de alio puro homine, præter B. Virginem, affirmarem.

SECTIO V.

Obiectio difficilis contra doctrinam certam, de impotentia vitandi venialia, servandi legem, & vitandi tentationes collectivè.

39 ECCE. Homo peccator, sine specialibus auxilijs diu constitutus, est potens peccare moraliter, imò & peccat, ut visum est num. 35. & iustus diu, aut per totam vitam cum ordinarijs gratiæ auxilijs, absque supra dicto speciali privilegio, est potens peccare venialiter, & reipia peccat: & multipliciter tentatus contra legem, potest vinci à tentationibus, & sæpè vincitur, succumbens nimirum alicui tentationi, sicque non adimplens totam legem. Igitur & peccator ille sic constitutus potest diu evitare cuncta venialia; & iustus sine prædicto privilegio potest vitare per totam vitam cuncta venialia; & multipliciter tentatus sine gratia potest vincere omnes tentationes; sicque totam adimplere legem viribus naturæ sine adiutorio gratiæ: quo corrumpit tota doctrina, quam ut certam tradidimus. Totum antecedens est indubitabile, & ex ipsis terminis, & ab experientia notum.

40 Consequentia verò probatur. Dum homo peccat, potest non peccare; alio-

Infrà disp. 12.

alioquin peccaret necessitatus ad peccandum, ut post alios Hæreticos errant denuo moderni Pseudo-Augustiniani, reiiciendi disp. 12. sect. 5. ergo si homin diu constitutus sine gratia sanctificante; & sine specialibus auxilijs, potest peccare, & peccat lethaliter; potest sic constitutus diu non peccare lethaliter: & si iustus diu constitutus sine speciali privilegio potest peccare, & peccat venialiter; potest sic constitutus diu, & per totam vitam non peccare venialiter, nè dicantur peccare ex necessitate peccandi: atque adeò potest sic constitutus adimplere totam legem, & superare diu cunctas tentationes, quin ad id sit necessaria gratia specialis, saltem ex natura rei, aut speciale privilegium. Quomodo ergo stat doctrina tertiæ nostræ conclusionis, & quod caput est, Tridentini?

Suarez. Vasq. Ripald. Arriag. Amic. Ovied. Montoy. Quiros. Ribad. Herrer. Esparz. Aguirr. Thyrs.

41 Varia varij meditati sunt pro responsione, quæ videri possunt apud Suar. lib. 1. cap. 24. Vasq. disp. 189. & 212. Ripal. disp. 117. Arriag. disp. 40. Amic. disp. 26. Ovied. 1. 2. tract. 7. contr. 4. Montoy. latè disp. 8. de Provid. à sect. 7. Aldret. disp. 2. de Incarnat. sect. 2. R. P. N. G. Thyrs. tom. 2. disp. 4. & 5. Quiros tom. 2. disp. 4. sect. 4. Ribadeney. disp. 14. de Volunt. Dei, cap. 3. Herrer. q. 10. de Volunt. Esparz. Tract. de Grat. Cardin. de Aguirre disp. 123. ex quibus decerpam, quæ utiliora, mihi quæ probatiora in Domino videbuntur.

42 Sunt qui dixerint, eam impotentiam hominis, etiam iusti, ad vitanda per totam vitam cuncta venialia sine speciali privilegio, esse impotentiam physicam. Hoc dictum, si capitur de impotentia consequenti, non est mirandum: sic enim & metaphysicam asserere possent, ut asserit Ribadeneyra iuxta sententiam P. Vasquez infra examinandam. Si verò capitur de impotentia physicâ antecedenti, mirandum est, sine potestate adhuc physica ad non peccandum inveniri libertatem requisitam ad peccatum. Hoc enim esset peccare cum necessitate physicâ antecedente peccandi; & non requiri ad peccatum libertatem à necessitate: iuxta propositionem damnatam contra Janenistas ab Innocentio X.

43 Est etiam qui dixerit, eam impotentiam non esse utcumque ad vitandam per totam vitam cuncta venialia, non enim id docet Tridentinum; sed ad

ea evitanda, sine speciali Dei privilegio: esse tamen tale privilegium pro libito comparabile, sicut est in libito uniuscuiusque, quod omnes cogitationes sufficientes, seu omnia auxilia sufficientia ad evitandum peccatum, sint congrua, adhibito consensu suo: in qua serie cogitationum congruarum staret simile privilegium. Unde stat in quolibet homine vera potentia vitandi cuncta venialia: non quidem ea vitandi sine speciali privilegio; id enim esset contra Concilium; sed ea vitandi cum privilegio pro libito sibi comparabili. Mihi tamen hæc responsio prorsus incredibilis est, & aliena à verbis, & à mente Concilij. Quis enim credat, speciale illud Dei privilegium potentia vitandi cuncta venialia, quod singularissimè de B. Virgine tenet Ecclesia, tale esse, ut in manu cuiuscumque hominis sit, illud habere sibi pro libito? Aliud quidem est, ut æquivocationi periculosa occurramus, esse in manu hominis facere pro libito, quod omnia auxilia sibi à Deo collata sint congrua; aliud est, esse in manu hominis, quod conferantur ipsi à Deo ea auxilia, quæ præcivit Deus futura esse pro libito congrua, si conferantur. Prius illud est verum: at in eo non stat speciale privilegium, de quo Tridentinum: & si in eo staret, eadem impotentia, quam definit Concilium ad vitanda cum ordinarijs auxilijs cuncta venialia, est ad comparandum tale privilegium: quod in re nihil esset aliud, quàm vitare cuncta venialia, sicque facere quod auxilia cuncta ad ea evitanda sint congrua, sive efficacia: & rediret quæstio de potentia, vel impotentia comparandi privilegium. Posterius autem est falsum apud omnes. Nam, ea auxilia, quæ visa sunt futura congrua, homini conferri, non est pro libito hominis, sed solius Dei. Et in hoc stat speciale Dei privilegium, B. Virgini à Deo prærogatum, de quo Concilium. Sicque tam falsum est, privilegium illud speciale, de quo ibi Concilium, esse ab unoquoque nostrum pro libito comparabile, quàm est falsum esse ab unoquoque nostrum pro libito comparabile, quod Deus conferat unicuique ea auxilia, quæ de factò novit fore congrua, & efficacia. Præ oculis ad hæc, & ad alia semper habendum est aureum Augustini pronuntiatum lib. 83. qq. 2. 78.

August. q. 78. ea duo sic distinguuntis: Si quispiam sibi tribuit, quod venit vocatus; en congruitatem, quatenus nostri libiti est; non potest sibi tribuere, quod vocatus sit: en collationem vocationis, quatenus solius est Dei.

44. Fuere quoque qui punctum hoc impotentiae observandi diu totam legem, vincendi cunctas tentationes, & evitandi cuncta venialia sine speciali privilegio, reducerint ad impotentiam, seu difficultatem vincendi tentationem gravem: dicentes nimirum, eatenus tantum ea esse diu nobis impossibilia, quatenus difficillimum est, aut impossibile, quod per diuturnum tempus tentationum levium non occurrat aliqua tentatio per se gravis, cui difficillimum est, aut impossibile resistere; ideòque ad eam superandam, & evitandum peccatum, ad quod instigat, necessarium nobis est speciale Dei adiutorium. Hinc tamen petita responsio duplici ex capite videtur insufficientis.

45. Primò: quia, sive eo tempore occurrat, sive non occurrat tentatio per se gravis, certè multiplicatio plurium non per se gravium est aequè irresistibilis, & insuperabilis: certum enim est, esse difficile, hominem centies tentatum non labi, & difficilius, bis centies; & difficillimum, millies: sicut è centum hominibus leviter tentatis difficile est, quod ab uno non excidat verbum otiosum; & difficilius, quod nec à bis centum; & difficillimum, quod à mille: quemadmodum quater mittere sagittam in eundem scopum, est difficile; & difficilius, quod centies; & difficillimum, & quodammodo impossibile, quod millies: iuxta Philosophum 2. de Caelo, cap. 11. *Rectè autem agere, aut multa, aut sepe, difficile est, veluti talos Coenses mille projicere, impossibile est; sed vel unum, vel duos, facilius.* Quamvis ergo inter tentationes leves nulla singularis per se gravis occurrat, ex sola illarum multitudine per multum tempus fieri potest difficillimum, & aequè impossibile, omnes collectivè vincere, & omnia collectivè peccata venialia tamdiu evitare. Sicque manet obiectio in sua vi, quin locum habeat praedicta responsio.

46. Secundò: quia hoc est reducere impotentiam vincendi omnes diu tentationes collectivè ad impotentiam vin-

cendi unam gravem inter illas occurrentem, ad quam vincendam dicunt dari impotentiam moralem, quamvis detur potentia physica: id quod eodem doctrinae filo dicunt de tentatione gravi ad peccandum mortaliter, hominem scilicet sine speciali gratiae auxilio moraliter non posse illam vincere, quamvis possit physicè. Sic ex Suar. lib. 1. cap. 24. discuntur multi cum Granad. contr. 8. tract. 2. disp. 3. sect. 3. num. 16. Arriaga disp. 40. de Gratia, sect. 2. subst. 2. & 6. Amic. disp. 26. sect. 4. num. 219. & Ovied. tract. 7. contr. 4. punct. 2. num. 30. quibus videtur consentire Cardin. de Aguirre disp. 110. sect. 4. num. 50. ex doctrina PP. Salmanticensium 1. 2. q. 109. disp. 2. dub. 8. §. 2. Ego tamen nunquam hoc vidi mihi satis explicatum, ut percipere valeam, hominem in statu naturae, aut purae, aut lapsae constitutum cum sufficiente potentia physica antecedente ad vincendam unam tentationem gravem peccati mortalis, habere impotentiam moralem antecedentem resistendi eidem, si nomine impotentiae moralis intelligatur, ut intelligunt ij Authores, tanta difficultas, ut moraliter sit impossibile potentiam illam physicam resistendi reduci ad actum.

47. Mihi namque perdifficile videtur, quod homo v.g. hic, & nunc graviter tentatus ad furandum, & habens potentiam physicam hic, & nunc indifferentem non furandi, habeat impotentiam moralem antecedentem ad vincendam tentationem illam furandi, cuius utique victoria esset ipsum non furari. Quod si hanc impotentiam hic, & nunc haberet, esset eo ipso antecedenter necessitatus moraliter ad hic, & nunc furandum: cum qua morali necessitate antecedente stare nequit perfecta libertas à necessitate, & indifferentia requisita ad mortaliter peccandum. Quomodo enim est perfectè indifferens ad furandum, & ad abstinendum à furto, qui est moraliter impotens non furari, & necessitatus antecedenter moraliter ad furandum? Idcirco actus semiplenè delibere, quamvis sint circa obiecta pessima, non sunt peccata mortalia, sed venialia: non aliunde, nisi quia pro eo statu non adest plena, & perfectè indifferentia; sed inclinatio ita vehemens in unam partem, ut non possit moraliter superari. Quo exemplo retunditur respon-

Suar.
Granad.
Arriag.
Amic.
Ovied.
Aguirr.
Salman.

Aguirr.

ponso, quam meditatatur Card. de Aguirre cit. ex illa namque concedendum videtur, & motus istos semiplenè liberos esse lethales in natura lapsa ratione lapsis antecedentis: quod non satis recedere videtur à prima ex propositionibus damnatis per Alexandrum VIII. in Decreto recitato disp. 1. sect. 5. Si dicant, potentiam physicam, quamvis coniunctam cum illa impotentia morali, sufficere ad mortaliter peccandum; hoc ipsum videtur incredibile, quod nempe Deus clementissimus damnet hominem aeternam poenam, quia fecit quod non facere erat ipsi moraliter impossibile.

Alexan. VIII.

48. Praeterea. Eiusmodi moralis impotentia coniuncta cum potentia physica sufficiente ad libertatem mortaliter peccandi, si quid rei specialiter est, aliquem effectum formalem praestare debet à parte rei. Quisnam autem is est? Dicunt praestare, quod homini sit moraliter impossibile vincere tentationem. At hoc est idem per idem, magis, aut aequè obscure responderi: perinde enim est in re, & quo ad modum declarandi, hominem habere impotentiam moralem vincendi, & esse ipsi moraliter impossibile vincere. Vtrumque hoc, quaerimus, quid rei est? Dicendum videtur, ut aliquid rei dicatur, eam impotentiam moralem non contingere, nisi cum aliqua imminutione potentiae, ac proinde libertatis physicae. At rogo, quousque hanc imminuit? Dices ex terminis quibus se explicant praedicti Authores, eam imminuere notabiliter; non tamen usque adeo, ut non remaneat quantum potentiae, & libertatis requiritur ad mortaliter peccandum. Hoc tamen est per vitiosum circulum redire ad primam responsionem. Si enim graviter tentatus habet, seclusa speciali gratia, potentiam physicam vincendi, & habet ad hoc ipsum impotentiam moralem; in quo stat hæc impotentia? Iterum dicis, in difficultate tanta vincendi, ut vincere sit illi moraliter impossibile: at iterum petis principium, & circulum repetis quo concluderis, donec moralem impotentiam aliter explices, quam per impossibilitatem vincendi, & per moralem necessitatem succumbendi; aut ingenuè fatearis, non dari impotentiam moralem, manente physica ad hic, & nunc mortaliter peccandum; tuncque solum dari moralem, quando

ita imminuitur physica, ut non sit sufficiens ad peccandum mortaliter, sed ad summum venialiter ex defectu plenae libertatis: quo casu tentatio gravis iam definit esse tentatio ad mortale.

49. Sensisse videtur hanc vim P. Suar. num. 34. ubi, durum iudicans, concedere, succumbentem tentationi gravi, dum habet hic & nunc eam moralem impotentiam resistendi, peccare mortaliter; excogitavit ingeniosè, omnem tentationem gravem includere aliquam temporis moram. Nam pro unico instanti eo ipso est levis tentatio, quamvis intensior, & alioquin futura simpliciter gravis, & sufficiens ad moralem impotentiam resistendi: sicque, manente ea impotentia morali ad resistendum tentationi gravi, id est, urgente per plura instantia, peccat homo mortaliter succumbens hic & nunc in hoc instanti: quia pro hoc instanti determinato tentatio non est gravis, nec homo habet impotentiam moralem vincendi, nec moralem necessitatem hic & nunc succumbendi. Sic etiam Oviedus.

50. Sed certè aequè mihi, & alijs meo doctoribus cum Arriaga videtur durum negare, prout opus est ad istud effugium, dari posse pro unico instanti, vel pro eo quocumque tempore, quod sufficit ad peccandum mortaliter, tentationem gravem, & urgentissimam. Cur enim homini luxuriosissimo, peccata carnis velut aquam ebibenti, cogitatio obiecti pulchri adeptu facilis, & ad ipsius appetitum parati, non possit esse ita vivax, & intensa, ut in primo instanti, aut in quocumque brevissimo tempore sufficientè ad peccandum mortaliter, gravissimè urgeant? Innegabile igitur videtur, nisi gratis loqui velimus, dabilem esse tentationem gravem pro unico instanti; imò ex ratione suae intensiois, & ex alijs circumstantiis multò graviores alijs, quae ex mora temporis fiunt graves, alioquin futurae leves. Quo praeciditur istud effugium, & in casu istius tentationis redit argumentum nostrum.

51. Illud saltem nobis per hæc concedit Suarez, tentationi gravi hic & nunc urgenti debere homini adeste potentiam non solum physicam, sed etiam moralem, non compatibilem cum impotentia morali resistendi, nec cum necessitate morali succumbendi, ad hoc ut homo

Suar.

Ovied.

Arriag.

Suarez. hic & nunc succumbens peccet mortaliter. Verba illius sunt *num. 24. ibi: Sine potestate morali ad deliberandum, motus voluntatis non potest esse peccatum mortale: & mox: Ad peccandum mortaliter necessaria est potentia morali vitandi peccatum.* Legantur Aldret. *disp. 2. de Incarn. & Doctifimus Montoya disp. 39. de Prædest. sect. 2. & disp. 45. sect. 3. num. 6.*

52 Obstat videntur tria. Primum, Apostoli verba 1. Corinth. 10. *Fidelis autem Deus, qui non patietur, vos tentari supra id, quod potestis.* Unde intulit Chrysostomus *Homil. 24.* esse tentationes, quibus sine auxilio speciali Dei homo resistere non potest. Et subinferri videtur, ad eas vincendas dari in homine impotentiam moralem: nam de physica id intelligi nequit, salva libertate. Secundum, Christi verba Matth. 18. *Neesse est enim, ut veniant scandala:* & Luc. 17. *Impossibile est, ut non veniant scandala:* nimirum aliqua peccata: quod de necessitate morali intelligi, neesse est, ut saltem per potestatem physicam coniunctam cum impotentia morali vincendi tentationes ad peccata, salvetur libertas ad peccandum, & non peccandum. Tertium, communis locutio, qua res nobis difficillimas, quamvis absolute physice possibiles, dicimus nobis impossibiles, nempe moraliter, ut vices mittere continuo talos in eundem numerum. Hæc tamen nobis neuntiquam obstant.

53 Non primum. Sensus enim genuinus Pauli est, Deum esse fidelem: quippe, quando permittit, aliquem graviter tentari, subministrat ipsi fidelissimè vires, quibus & physice, & moraliter possit, si vult, vincere. Ex quo non infertur, tentatum ad mortale relinquî posse à Deo cum potentia physica, & impotentia morali. Nec quidem ex verbis Apostoli argui potius potest pro una, quam pro altera. Nec id intulit Chrysostomus: cum quo fatemur, esse tentationes, quibus sine speciali Dei auxilio homo resistere non potest: hinc tamen non sequitur, esse aliquas ad mortale, quibus posset homo physice resistere, & non etiam moraliter.

54 Non secundum. Quia necessitas illa scandalorum, seu peccatorum, quantumque illa sit, non est determinata, sed vaga, in aliquo scilicet è multis hominibus: quo relinquitur potentia non

solum physica, sed etiam moralis, in unoquoque determinato, ut scandalum non veniat per ipsum: iuxta illud, quod subiunxit Christus: *Va homini illi, per quem scandalum venit:* ut prosequemur *sect. seq.* Non autem intermineret Christus suum tremendum *væ*, nisi scandalizanti cum ea libertate à necessitate, quæ sufficiat ad peccatum mortale. Addendum quod super eum locum exponit Glossa in Catena, illud, *neesse*, Christi non tam esse necessitatem absolutam scandalorum, quam respectivam ad multos fines à Deo intentos, scilicet ad exercitium patientiæ, humilitatis, & martyrij aliorum: in eo sensu quo peccata in se absolute liberrima sunt necessaria, etiam metaphysicè, ad finem Redemptionis, & Pœnitentiæ. Qui sensus firmari solidè potest ex eo, quod aiunt ibi Expositores Sacri, ut videre est apud Cornel. & Maldonat. *neesse* illud Christi intelligi ad modum, quo dixit Paulus 1. Corint. 11. *Oportet & hereses esse:* ibi autem Paulus se explicuit de necessitate respectiva ad aliquem finem: *Vt qui probati sunt manifesti fiant.* Sic autem respectivè actus quicumque liber necessarius est, ut liberum arbitriū exerceatur. Neuntiquam ergo libertati contraponitur ista necessitas.

55 Non tertium. Nos enim non utcumque negamus necessitates, & impotentias morales benè applicatas, & explicatas, ut videbitur *sect. seq.* Quod nunc dicimus est, nec explicabilem, nec applicabilem ad rem præsentem esse impotentiam moralem iunctam cum potentia physica, & libertate sufficiente ad peccatum mortale hic & nunc committendum, si succumbatur tentationi determinatæ, inducente eiusmodi moralem impotentiam resistendi, & necessitatem hic & nunc succumbendi: in quo convenimus cum P. Suarez. Nec hoc improbat, imò iuvat exemplum necessitatis, & impossibilitatis morales nobis oppositum *nu. 52.* propterea enim nullâ lege posset homo obligari sub peccato mortali ad mittendos vices talos continuo in eundem numerum. Quapropter sustineri nequit responsio, reducens impotentiam naturæ ad vincendas diu cunctas tentationes, & ad evitanda cuncta venialia, sicque servandam totam legem naturalem collectivè sine speciali auxi-

Glossa.

Maldon. Alap. 1. Cor. 11.

auxilio gratiæ, vel privilegio, ad impotentiam, ut aiunt, moralem vincendi determinatam tentationem gravem per illud tempus occurruram.

SECTIO VI.

Vera responsio.

56 **R**ESPONDET VR igitur ad obiectionem *num. 39.* verissimum esse totum antecedens: & absolute falsam consequentiam. Quia, ut absolute dicatur, esse nobis impossibilem evitacionem omnium venialium, victoriam omnium tentationum, & adimpletionem totius legis naturalis, sufficit moralis impotentia ad ea collectivè præstanda; sive ad id detur simul potentia physica, sive non: nam quod moraliter esse non potest, absolute dicitur esse non posse, tum in Iure, tum in Philosophia, tum in Sacris Litteris, tum in vulgatissimo conversationis humanæ sermone.

57 Ad probationem consequentiæ *num. 40.* conceditur etiam antecedens: negatur tamen in suis terminis consequentia. Quia, ut peccet homo quando hic & nunc peccat, sufficit, quod hic & nunc habeat potentiam ad hic & nunc non peccandum: quam iam habet homo peccans, non solum physicam, sed etiam moralem; quamvis ad diu non peccandum, & ad diu vincendas cunctas tentationes habeat impotentiam moralem. Cum enim difficilîus multò sit, evitare omnia peccata vincendo diu cunctas tentationes, quam evitare hoc unum, & vincere nunc hanc unam; ex eo quod detur impotentia morali ad evitanda diu omnia, non sequitur dari ad evitandum hic & nunc hoc unum: per hoc autem unum fit homo reus huius peccati succumbens huic tentationi, & in hoc violans legem. Sic ex eo quod, iuxta dictum Christi, neesse sit, ut veniant scandala; non sequitur neesse esse, quod per hunc hominem veniant: ideòque, *væ illi, &c.* quia nempe in eo quod ei neesse non erat, hic & nunc peccat. Hæc responsio prodesse non potest ad casum, quo admitteretur impotentia morali ad evitandum hoc determinatè peccatum, & ad vincendam hanc determinatè tentationem gravem peccati mortalis. Idcirco talem casum negavi possibilem

sect. præc. à num. 36. qui propterea obstat non potest huic nostræ responsioni.

58 Contra quam tamen aliter urgetur obiectio. Nam obligatio nostra est ad servandam totam legem, ad vincendas omnes tentationes, & ad evitanda cuncta peccata etiam collectivè; alioquin nullatenus peccarem, semel, aut iterum succumbendo: ergo, si ad ea collectivè præstanda habemus impotentiam moralem; obligamur ad id, quod est nobis moraliter impossibile; sicut si pauper obligaretur ad solvenda centum tributa leviana, quorum singula, & non omnia solvere potest: & moraliter necessitamur ad peccandum, quamvis cum potentia physica vincendi, & non peccandi. Id autem sub nullius prudentis iudicium cadere posse videtur, sicut nec obligatio ad iaciendos talos Coenæ: estque recidere in eadem argumenta, quæ fecimus *sect. præc.* contra impotentiam moralem vincendi determinatè tentationem gravem peccati mortalis. Confirmatur. Hæc impotentia morali vincendi diu cunctas tentationes est impotentia simpliciter antecedens, & inducit necessitatem similiter antecedentem aliquando succumbendi: sed impotentia antecedens inducens eiusmodi necessitatem, tantum aufert libertatis, quantum affert impotentia, & necessitatis: ergo aufert libertatem requisitam ad peccandum, & ad obligationem non peccandi. Hæc vis varias extorsit solutiones videndas apud Authores citatos.

59 Ex doctrinis P. Vasquez expediunt se multi, dicentes propterea, eam moralem impotentiam adimplendi diu totam legem, vincendi omnes tentationes, & vitandi cuncta venialia, non esse impotentiam antecedentem, sed consequentem; nec inducere moralem necessitatem aliquando succumbendi antecedentem, sed consequentem, sumptam videlicet ex eo quod nemo fit nec præciatur à Deo, qui sine speciali gratia, aut privilegio omnia illa sit reipia evitaturus; seu, quod in re idem est, habiturus ad id auxilia congrua: cum tamen per ipsum stet, & staturum sit, quod sic constitutus non evitet, & quod auxilia ordinaria, quæ de facto distribuentur, non sint congrua defectu consensûs humani. Impotentiam autem istam, sicut nec necessitatem consequentem, utpotè prohibito

Vasqz

libito voluntatis evitabilem, seu impedibilem, non officere indifferentiæ antecedenti, & libertati requisitæ ad peccatum, pervulgatum est.

60 Per hæc tamen non fieri satis præfenti difficultati, aliòrum iudicium est. Et quidem merito. Primò: quia SS. Patres, & Concilia eiusmodi impotentiam explicant per imbecillitatem naturæ ad bonum, proclivitatem ad sensibilia, inconstantiam, varietatemque humani arbitrij ex indole sua indifferentis, & varij in operando: hæc autem omnia non se habent consequenter, sed antecedenter ad operationem. Secundò: quia eiusmodi impotentiam consequentem, prout nuper explicatam, quilibet homo habet ad quamlibet determinatè tentationuculam, quam non vincit; & ad evitandum singulare peccatum, quod de facto non evitat: nam ad id non habet auxilium congruum, sed auxilium cum Divina præficientia de non victoria, & de non evitacione: cum qua suppositione stare nequit victoria tentationis, nec evitacione peccati: & tamen non dicitur homo ad id impotens, sicut dicitur ad omnia; sed absolutissimè potens, & minimè necessitatus: ergo impotentia illa moralis, qua dicitur absolutè impotens ad omnia collectivè per longum tempus, antecedens est: & quid longè diversum ab impotentia consequenti sic explicatâ. Tertiò: quia impotentia illa consequens sic explicata non moralis tantum est, quin etiam physica & metaphysica; quamvis, quia consequens, & antecedenter absolutè evitabilis à libero arbitrio, nullatenus opposita libertati, & indifferentiæ physicae, nec morali, ut absolutè nobis concedit Ribadeneira *disp. 14. de Volunt. Dei, cap. 3.* Ergo longè alia est ab impotentia morali, de qua cum SS. Patribus, & Concilijs est nobis præfens sermo.

Ribaden.

Suarez.

61 Concedendum igitur est cum P. Suar. & communiori sententiâ, iuxta genuinum SS. PP. sensum, eam impotentiam moralem esse antecedentem: sicque respondendum ad argumentum urgens *nu. 58.* per distinctionem antecedentis: *etiam collectivè*, collectione logica, & signatâ, concedo: collectione physica & exercitâ, nego. Et explio terminos: obligamur, inquam, ad omnia collectivè, *collectione logica, & signatâ*; quia nullum est assignabile peccatum veniale in illa diutur-

nitate, ad quod evitandum suo in casu determinato nõ obligamur; nulla tentatio assignabilis, ad quam vincendam suo in casu, non obligemur: non *collectione physica, & exercitâ*; quia in nullo casu assignabili obveniunt collectæ omnes tentationes illius diuturnitatis, nec imputatur collecta omnia peccata venialia illius diuturnitatis, nec est obligatio exercitè, & in actu secundo vincendi nunc omnes tentationes; cum non omnes tentationes simul occurrant; sed nunc una, postea alia; nec omnia peccata venialia nobis simul actualiter imputentur; sed nunc unum, postea aliud. Ut autem semel etiam, aut iterum succumbendo, peccemus, sufficit, si verum sit antecedens in sensu colectivo Logico, & signato. Nam, obligante lege ad nunquam succumbendum tentationi peccandi, per unum determinatè peccatum hic & nunc frangitur obligatio: sicut obligante lege ad semper amandam, in uno instanti determinato cessantes ab amore, deessemus hic & nunc obligationi.

62 Negatur tamen consequentia. Obligaremur quidem ad id, quod est nobis, non solum moraliter, quin etiam physicè, imò & metaphysicè impossibile, si obligaremur collectione physica, & exercitâ, ad præstanda illa omnia collectivè collectione physica: quia implicat ea omnia diuturno tempore succedentia colligi hic & nunc, quando determinatam tentationem vincimus, & determinatum peccatum vitamus: tam enim tentationes, quam evitaciones dicunt actionem suis essentialiter temporibus alligatas per se ipsas: quippe actiones cum rerum durationibus idemifico. At non sic certè obligamur, ut est ex se notum; sed ad præstanda ea omnia, quamvis collectivè logicè significata, non tamen evenientia physicè simul collecta in unum casum; sed cum ea vicissitudine, & successione, qua in re occurrunt: quo modo singula præfere non est nobis moraliter impossibile; nec moraliter necessarium hic & nunc succumbere, quando succumbimus. Quemadmodum obligamur; quidem simul ad omnia ieiunia per annum nullo excludo; non tamen ad ea complenda simul, id enim implicat; sed complenda exercitè cum accommodâ successione: sic enim, & non ali-

aliter fieri potest. Sic obligatio ad levanda per duos annos omnia pondera bilibria sibi occurrentia, potens est ea cuncta levare; non quidem levare simul, quia vires non sufficiunt ad simul levanda mille pondera bilibria; sed levare bilibrum, prout bilibrum occurrunt successivè: ad ea enim sic levanda vires suppetunt in homine, fortè illo ipso exercitio levandi roborata. Vndè claret aperta disparitas ad illud de centum tributis levibus: nam per solutionem aliquorum fit homo pauperior, & minuitur facultas alia levata solvendi: quod non sic contingit in victorijs tentationum singularium: cum potius unius victoria invet ad vincendam aliam. Quo patet, nequaquam recidere nos in argumenta quæ fecimus *sect. præc.*

63 Exemplum iactus mille talorum Coensium, quo se tandem fulcit obiectio, aut nimis probaret contra omnes, aut nihil probat contra Nos. Nimis probaret, quia nec unicus iactus Coensis determinatus potest prudenter præcipi, & sub obligationem peccati venire: quia non consilio, sed fortuitè id accidit: sicque nec ad victoriam unius tentationis, nec ad evitacionem unius venialis possemus obligari; quod est per se falsum apud omnes. Nihil probat: quia profert palmare discrimen: indè sumptum, quod iactus illi, nec simul, nec sigillatim eveniunt consilio, & ad libitum; sed casu, & fortuitè: undè nec ad omnes, nec ad unum determinatè eligendum est in iaciente potestas moralis imputabilitatis. At vinci tentationes, & evitari peccata non evenit nisi consilio, & ad libitum arbitrij nostri: ideòque hoc, & non illud, cadit sub præceptum prudens, & obligationem creaturæ rationalis, dicto modo potentis physicè, & moraliter in unoquoque casu determinato tentationem vincere, & peccatum evitare.

64 Dices. Quid, si in unoquoque casu determinato re ipsa peccatum evitaret, ut potest, per totam vitam? Nam ex possibili posito in actu nulla sequi debet implicancia. Sanè non fuisset verum, ac proinde neque nunc erit, quod fuerit ad id impotentia moralis antecedens: ergo tantummodò est nunc in nobis impotentia consequens, & pro nostro libito evitabilis, sumpta nimirum ex eo quod non vincimus de facto om-

nes tentationes, ut volebat responsio P. Valquez relicta *num 59.* Respondetur, quod in eo casu, quem de facto non eventurum scit Deus citra speciale privilegium, prout satis colligitur ex revelatis, nulla sequeretur implicancia; sed ad summum fallentia nostri iudicij, falso putantis, sic nunquam eventurum humanæ fragilitati: sicut neque ex eo quod fortè in aliquo casu rarissimo centies eveniret alicui continuatè talus Coensis. Quin tamen propterea cessaret esse verum, quod fuerit ad id impotentia moralis antecedens, sita in difficultate maximâ talis eventus; minimè iudicandi humanitatis ex circumstantijs humani arbitrij indifferentis, & variè se determinantis; nisi per altiorem revelationem iudicium fieret. Verum, inquam, esset etiam in illo casu, quod fuerit ad id impotentia antecedens, & difficultas maximâ, quam vinci sine speciali privilegio nunquam videmus: non enim per talem casum rarissimum evitaretur, sed superaretur ea impotentia. Vndè nego consequentiam, quod ea impotentia sit in nobis consequens, & pro nostro libito evitabilis: quia nostrum libitum pro eo eventu rarissimo non faceret quod illa impotentia non fuerit, nec sit; sed quod vinceretur per potentiam physicam in eo casu possibili; nunquam tamen absolutè futuro, nec à Deo prævisio conditionatè futuro sub hypothesi auxiliorum ordinariorum in ullo homine possibili; ut colligere licet ab experientijs, & à veritatibus à Deo revelatis, quarum aliquas tetigimus *num. 36.* Videri potest P. D. Herrera *q. 10.* curiosè adnotans casus, quibus acta superatur, quamvis non tollatur, aut evitetur impotentia moralis per potentiam physicam. Profectò, ex eo quod decem strenuissimi milites expugnant aliquando arcem ita difficilem expugnatam, ut esset nemo, qui eam non iudicaret inexpugnandam; nõ inferitur, non antecessisse eam difficultatem, & moralem inexpugnabilitatem; sed fuisse superatam in eo casu raro per potentiam physicam.

Herrera

65 Iam ad confirmationem subiunctam *nu. 58.* concessâ maiori, distinguo minorem: impotentia antecedens tantum aufert libertatis, quantum affert impotentia, & necessitatis, respectivè ad eundem terminum eodem modo acceptum.

tum, concedo: respectivè ad diversum terminum, seu diverso modo acceptum, nego minorem, & consequentiam. Nam impotentia illa moralis antecedens vincendi diu cunctas tentationes, & evitandi diu cuncta venialia, est respectivè ad omnes, & ad omnia collectim: ad hunc autem terminum sic acceptum non stat libertas moralis; stat verò ad vincendam unamquamque seorsim, & ad evitandum exercitè quodlibet veniale in casu occurrente determinato; quia respectivè ad hos terminos stat potentia moralis, & indifferentia moralis, ac proinde sine necessitate morali ad hic & nunc succumbendum, aut peccandum: quod sufficit ad libertatem peccandi. Sicut cum necessitate morali ut eveniant tot inter homines aliqua scandala, stat libertas sine necessitate in unoquoque, ad hoc ut hic & nunc non id eveniat per ipsum: idèdque *ut homini illi, per quem, &c.* ut dicebamus cum Suar. *num. 54. & 57.*

Suarez.

SECTIO VII.

Impetitur ulterius nostra responsio, & solidè sustinetur cum utilitate doctrina.

66 **I**MPETI solet molestius doctrina nostræ responsionis ab ingeniosis contradicторibus hunc in modum. Si daretur ea impotentia moralis antecedens ad vincendas diu cunctas tentationes, & ad evitanda per longam vitam cuncta venialia, sicque ad adimplendam totam legem; sequeretur, dari etiam eiusmodi impotentiam ad vincendam hic & nunc unam determinatam tentationem, & ad evitandum hoc numero peccatum sine speciali privilegio. Sed hoc, & est per se falsum, & evertit totam doctrinam nostræ responsionis: ergo responsio sustinenda non est; sed contra illam neganda prorsus ea impotentia moralis antecedens ad omnia.

67 Sequela probatur. Et, claritatis gratiâ, ponamus eam impotentiam moralem esse præcisè ad evitanda per diem decem, aut centum venialia occurrentia, vincendo decem, aut centum tentationes: aut statue tibi, prout volueris, numerum, & tempus. Vincit homo primâ, vincit secundam, vincit tertiam, & usque ad nonam: nam ad novem supponimus, non dari impotentiam moralem.

Vel igitur homo post has novem victorias, cum ordinarijs gratiæ auxilijs, & sine speciali privilegio, potest quoque physicè, & moraliter vincere decimam; vel non potest. Si potest; ergo potuit, & potest, contra suppositionem, physicè, & moraliter vincere decem, & evitare per illud tempus cuncta venialia: quippè notum ex terminis videtur, eum, qui victis novem, potest vincere decimam, potuisse, & posse eodem potentia genere vincere decem; sicut est notum, novem, & unam additam esse decem. Si non potest; ergo in prædicto casu, aut in alio similiter excogitabili impotentia illa moralis antecedens ad vincendas omnes decem tentationes, & ad evitanda omnia decem venialia, devolvi necesse est ad unam, & ad unum numero peccatum determinatum. Quomodo igitur hic & nunc peccaret homo illi, hic & nunc moraliter antecedenter impotens evitare hoc peccatum?

68 Adde, idem omnino dilemma formari posse pro qualibet determinatâ tentatione, illius numeri denarij, vel, si mavis, centenarij, victis, aut vincendis alijs præter unam, sive primam, sive mediam. Nam, victis, aut vincendis alijs novem, ad quas non datur impotentia moralis, præter istam unam determinatam, vel datur, vel non datur impotentia moralis ad istam. Si datur: ergo ad singulas determinatè datur; ac proinde non manet plena libertas ad hic & nunc peccandum. Si non datur: ergo neque ad omnes decem datur: implicat enim in terminis non dari eam impotentiam moralem ad istam, victis, aut reipsa vincendis alijs quibuslibet novem, & non dari ad decem.

69 Nec effugies hanc vim, negando suppositionem, dicens ex P. Molina, inaisignabilem esse determinatum numerum præcisum, aut tentationum levium, quæ cum ordinarijs auxilijs possunt moraliter vinci, ita ut ulterius vincit nequeat una; aut peccatorum venialium, quæ possunt sine speciali privilegio evitari, ita ut ulterius evitari nequeat unum. Hanc enim fugam insequitur egregiè Montoya hac efficaci calculatione. Certum est, hominem per ordinaria gratiæ auxilia sine speciali privilegio esse antecedenter moraliter impotentem vincere omnes tentationes occurren-

Molina.

Montoy

rentes, & evitare cuncta venialia per annos triginta: quo tempore determinatus est, Deoque benè notus, numerus tentationum, & occasionum peccandi. Sit millenarius, sit bis millenarius, sit vicies, aut centies millenarius, aut prout volueris. Hoc tamen numero statuto, sciscitor: an, si ex tali certo numero dederetur una tentatio, daretur adhuc ad reliquas vincendas impotentia moralis, necnè? Si non daretur, ergo ventum est ad casum argumenti, quo scilicet homo est potens moraliter vincere reliquas omnes, demptâ unâ; quam, si similiter potest, potest totum illum numerum, qui non est alius, nisi illæ reliquæ, & ista una: quod est contradictoriè posse moraliter id ad quod est impotentia moralis: si verò nō potest, devolvitur ad istam unam determinatam tota illa impotentia moralis. Quodsi adhuc daretur ea impotentia, deme in super aliam: & de numero remanente, sciscitor: an, unâ de illo demptâ, daretur adhuc ad reliquas vincendas impotentia moralis, necnè? Si non daretur, ventum est, ut nuper, ad casum argumenti. Si autem adhuc daretur, deme aliam: & hac demptâ, idem sciscitor de numero remanente reliquarum: & similiter urgebo, donec singulatim descendendo necesse fiat, venire ad certum numerum tentationum, ad quas vincendas detur moralis impotentia, & una demptâ, non detur ad reliquas: qui est casus arduus argumenti, per hoc effugium indeclinabilis.

Arriag.
Montoy.

Aguirr.

Cerf.

70 Compulit aliquos hæc molesta difficultas, ut, admissio casu supposito, elegerint, cum Arriaga, & partim cum Montoya, secundam partem dilemmatis argumenti positi *num. 67.* concedendo, eiusmodi moralem impotentiam devolvi ad casum determinatum vincendæ hic & nunc decimæ tentationis, victis novem, & evitandi decimum peccatum, evitatis novem. Sic etiam Card. de Aguirre *disp. 123. sect. 6. citans nu. 47.* Henricum de Cerf. impugnantur tamen fortiter. Primò: quia cum eâ impotentia morali pro casu etiam determinato non satis explicatur ab ijs Authoribus, quomodo stare queat libertas moralis adhuc pro casu determinato, prout opus est, ut homo obligetur & peccet. Secundò: quia novem victoriæ, aut novem evitationes præcedentes non faciunt difficiliorem

decimam, imò ad illam potius facilitare possunt per habitum iam acquisitum virtuosum vincendi, & evitandi. Si ergo ad decimam seorsim ab alijs non daretur impotentia moralis; non est cur ad illâ determinatè devolvatur ea impotentia ex eo quòd aliæ novem victæ præcesserint. Certè tētationes illæ, & occasiones venialiter peccandi eiusdem roboris sunt sigillatim acceptæ, ut supponimus, & non eveniunt simul sed seorsim, nec lassantur vires hominis, imò foventur per habitum vincendi, & evitandi: non est ergo, cur vires sint moraliter impotentes ad istam determinatè potius quàm fuerint ad quamlibet ex novem præcedentibus. Tertio: quia, ut addidimus *nu. 68.* ea devolutio fieret pariter in primum, aut medium casum ex illis decem, vincendis posterio ribus; ac in ultimum, victis prioribus: at certè ridiculum est, quòd in primum casum, aut secundum ullam difficultatem, aut virium lassitudinem inferre possint victoriæ, seu evitationes subsequendæ. Quarto: quia similis devolutio in unum determinatum admittenda esset in necessitate morali à Christo dicta aliquorum scandalorum, seu peccatorum inter tot hominum millia: quanam autem, aut necessitas, aut lassitudo virium excogitabilis est in homine determinato ex eo quòd scandala evitent alij, quorum potius bono exemplo iuari posset ad similiter evitandum? Absit igitur procul devolutio ista incredibilis, & absurda ad casum determinatum.

71 Respondet Eminentissimus de Aguirre *num. 42. & seqq.* fatendo, hominem lapsum per victorias illas novem præcedentes disponi quodammodo ad decimam ex parte appetitus rationalis; at, inquit, ex parte sensitivi rebellis, est proximè dispositus ad succumbendum, & peccandum in decimo casu: non quia novem victoriæ, seu evitationes præcedentes sint dispositiones ad succumbendum mox, & ad peccandum; sed quia expletâ capacitate, & exigentiâ portio nis superioris ad propitium Dei concursum, succedit exigentiâ portio nis inferioris ad concursum, & permissionem iam peccandi. Peccat autem tunc homo, quamvis constitutus in ea impotentia evitandi decimò illud peccatum; quia eiusmodi impotentia est consequens ad

Aguirr.

statum peccati; per quod liberè se coniecit in statum rebellionis appetitùs, exigentis iam hic & nunc post novem victorias concursum Dei in unum lapsum. Iungantur ijs alia quæ dixerat *num. 40.* & fufius *disp. 110. sect. 3. à num. 34.* haud satis, me iudice, sibi constans.

72 Non satisfacit. Primò: quia hæc difficultas de venialibus per totam vitam evitandis communis est ad statum naturæ sive puræ, sive lapsæ; ut hic Author agnovisse videtur *disp. 110.* at in natura pura non habet locum recursus iste ad peccatum præcedens. Secundò: quia quod illa exigentia naturæ lapsæ, sive necessitas moralis iterum per longum tempus labendi, sive impotentia moralis diù resistendi sit consequens ad exercitium liberum prioris lapsus, non facit esse consequentem ad lapsum novum; vel ergo ad istum est antecedens, vel consequens. Si consequens venit ad sententiam P. Vasquez. Si antecedens, ergo ad istum novum lapsum determinatum datur hic & nunc moralis necessitas post illas novem victorias, haud secus quam moralis impotentia antecedens ad decem victorias collectivè: cum qua impotentia morali resistendi non stat indifferentia, & libertas hic & nunc requisita ad nunc peccandum: & redit tota difficultas. Dicere autem, ex eo nunc de novo peccari, non obstante hac impotentia morali antecedente ad evitandum peccatum; quia in hanc impotentiam venit homo ex culpa sua antecedente prioris lapsus, est non satis, ut oportet, discedere à prima Iansenistarum propositione damnatâ ab Alexandro VIII. contra Pseudo-Augustinianos: quorum doctrinam operosè reiecit, & meritò, doctissimus ipse Cardinalis *disp. 132. sect. 5.* & sæpè alibi, quatenus aiunt, in nobis, post priorem lapsum, non requiri libertatem à necessitate ad merendum, & demerendum. Quid enim, precor, ad præsens constitutum hodiernæ libertatis facit prior ille lapsus? Præsertim cum ab eo iam surrexerit natura per Christum iustificata, in qua procedit quoquo difficultas præsens de impotentia vitandi cuncta venialia. Aliud enim est occasione peccati evenisse homini has miseras præsentis libertatis: aliud est cum illis stare, aut non stare sufficienter constitutam libertatem: hoc secundum, illis

stantibus, stare debet, aut non stare, sive præcesserit, sive non præcesserit peccatum, cuius occasione eveniunt, ut est ex terminis perspicuum.

73 Præterea: quid sibi vult, quod in naturâ lapsâ, expietâ post novem victorias capacitate, & exigentiâ portionis superioris ad propitium Dei concursum, succedit exigentiâ portionis inferioris ad concursum, & permissionem iam peccandi, scilicet in casu determinato decimæ tentationis? Quousque, rogo, urget exigentia ista? Si adusque inducendam necessitatem moralem hic & nunc peccandi, sumus circa exigentiam istam in iisdem pressuris. Si minus, ergo ratione istius exigentia non devolvitur necessitas illa, seu impotentia moralis ad casum determinatum decimæ tentationis. Rursus: exigentia ista concursus, & permissionis Divinæ ad peccatum hominis decimò tentati est ut minimum, exigentia talium comprincipiorum liberi arbitrij, cum quibus infallibiliter peccet. Rogo autem: an inter hæc adsint hic & nunc principia sufficientia in actu primo ad evitandum pro libito hominis peccatum; nec ne? Si secundum; ubinam remanet hic & nunc libertas requisita ad peccandum? Si verò dicatur primum, ut dici necesse est inter Catholicos, sicut ea comprincipia peccandi, quæcumque sint, nihil adimunt de potestate antecedenti, & in actu primo evitandi hic & nunc pro libito peccatum, nec ea exigentia portionis inferioris, de eo quod dentur hic & nunc, hæc comprincipia quidquam adimet eiusdem potestatis antecedentis: ergo exindè nulla venire potest impotentia antecedens vincendi decimam tentationem; sed ad summum consequens per eventum ipsum: atque adeò nec ulla necessitas antecedens hic & nunc peccandi, sed ad summum consequens, quod est ipsum succumbere tentationi, & peccare in actu secundo. Huiusmodi autem sive impotentia, sive necessitas consequens sic explicata non est moralis; sed physica, & metaphysica: quia reducitur ad repugnantiam succumbendi simul, & non succumbendi; peccandi simul & non peccandi, sublatis verborum involucris: ut contra Vasquez vidimus *sect. præ. num. 60.*

74 Respondendum igitur omninò est ad argumentum positum *num. 66.* negando

gando absolute sequelam. Ad eius probationem *num. 67.* admittam suppositionem, eligo priorè dilemmatis subiuncti partem, quod scilicet in eo casu, victis novem tentationibus, posset homo physice, & moraliter vincere decimam, & evitare tunc quoque peccatum: ob rationes claras, quibus monstratum est *num. 70.* non devolvi ad casum determinatum sigillatim impossibilitatem, seu necessitatem moralem, quæ erat, & est ad multitudinem casuum similium collectivè. Nego tamen consequentiam indè deductam, quod nempe, aut potuerit, aut possit moraliter vincere decem in prædicta suppositione. Nam in decima victoria determinatè non est maior difficultas, quam fuerit in unaquaque determinata ex novem præcedentibus: cum autem facile fuerit vincere unamquamque ex illis determinatè, similiter est facile, ac proindè non moraliter impossibile, vincere decimam; sive præcesserint aliæ, sive non: nam, ut supra fecimus manifestum, quod aliæ præcesserint, aut non præcesserint, non auget difficultatem istius determinatæ: quod clarius patefecimus *num. 70.* in evitacione scandalorum mortalium in tot hominum millibus. At in mille victorijs continuatis, sive, ut claritatis gratiâ supponunt arguentes, in decem, est abs dubio maior ea difficultas, quam in unaquaque, confurgens scilicet ex natura humani arbitrij pro sua differentia varij in operando, ac minimè diu constantis in agendo uniformiter bene in tanta multitudine, & diuturnitate eventuum. Undè facile datur intelligi, ex eo quod non detur impotentia moralis ad unam victoriam, sive præcesserint, sive non præcesserint novem, non sequi, non dandam ad decem: quia quidquid præcesserit, aut non præcesserit, certum est unam non esse decem, & in una non occurrere illam multitudinem obnoxiam varietati, quæ occurrit in decem, aut in mille: nec vincere unam tentationem post victas novem, esse vincere decem; sed est vicisse novem, ad quod non datur moralis impotentia, & nunc vincere unam ad quod, cum æquè facile sit, non datur nunc moralis impotentia. Sic ferè Suarez.

75 Obstare videtur postremum illud, quod subditur adversus istam partem dilemmatis; eum nempe, qui, victis

novem tentationibus, potest adhuc vincere decimam, potuisse, & posse eodem genere potentia vincere decem; sicut est notum, novem, & unam additam esse decem. Sed reverà non obstat. Verum quidem, & notum est, novem, & unam esse decem, & vicisse novem, & vincere unam fore victas esse decem. At nec minus verum, aut notum est, unam non esse decem, modò novem præcesserint; modò non: & vincere unam non esse; vincere decem, sicut non est vincere aliam; & vincendo unam non vinci decem, sicut nec est vinci aliam, sive aliæ supponantur victæ, aut vincendæ, sive non. Itaque ad respectum potentia vincendi, diversissimi termini considerandi sunt; una, sive sit decima, sive prima, sive media; ac decem: ut non sit mirum, respectivè ad unam victoriam, modò aliæ præcesserint, modò subsequantur, modò nunquam sint, non dari impotentiam moralem; dari tamen, respectivè ad decem, modò reip'a ponantur, modò non: quia potentia libera in actu primo independenter ab effectu in actu secundo posito, vel non posito, se tenet.

76 Insuper. Quamvis hoc sit verum de potentia; at certè impotentia moralis, non ita tenere se potest, independenter ab effectu non posito, ut intelligi possit posito effectu; sicut nec impotentia physica, aut metaphysica. Si enim effectus reip'a moraliter ponitur, quomodò stat, aut stetit ad illum ponendum impotentia moralis? Demus ergo, quod homo ille post victas novem tentationes vincat reip'a decimam, ut moraliter iuxta nos potest: ecce iam à parte rei decem victas physice, & moraliter: ergo fuit ad illas decem victorias potentia physica, & moralis: nam ad actu ad potentiam valet consequentia: ergo, si fuit ad illas, ut diximus, moralis impotentia fuerunt simul potentia, & impotentia moralis respectivè ad eundem terminum decem victoriarum: quod ex terminis est contradictorium. Confirmatur: posse hominem moraliter vincere novem tentationes, & insuper posse moraliter vincere decimam, non stat, quin possit, aut potuerit moraliter vincere decem, etiam collectivè sumptas: ergo non daretur impotentia moralis ad decem. Nequit igitur concedi, manere in homine pro eo casu, victis iam novem tentationibus, poten-

potentiam moralem ad decimam; sed est dicendum, devolvi ad casum determinatum illius decimæ impotentiam moralem, quæ erat ad decem. Exeruit difficultas acrior vires suas. At exeret quoque vicissim suas veritas, & soliditas nostræ responsionis.

77 Respondetur, negando antecedens. Nam, posito effectu de consequenti per potentiam physicam, stat adhuc impotentia moralis antecedens: ut potè. nõ abiata; sed superata per potentiam physicam: ad modum quo, factò à potestate absoluta Dei, simulque à potentia nostra naturali actu supernaturali, adhuc stat impotentia nostra naturalis illum agendi seorsim ab adiutorio supernaturali, victa tamen, & elevata à potentia absoluta Dei. Vndè quod nobis obijcitur de impotentia physica potius nobis prodest, quam obest. In eo autem, quod additur de impotentia metaphysicâ, verum dicitur; interest tamen aperta disparitas. Nam impotentia metaphysica, cum summa sit, non patitur potentiam, qua vinci possit; sicut physica naturalis per absolutam; & moralis per physicam: alioquin, quid rei esset potentia physica ad terminum, ad quem datur impotentia moralis? Atque hinc claret, quomodo, quamvis effectus moraliter quandoque ponatur, stet ad illum ponendum impotentia moralis: quia, nimirum hæc superatur per physicam, vincens quandoque, non verò tollentem impotentiam moralem. Dato ergo, ut dicitur, quòd homo post victas novem, vincat decimam, concedo, iam esse victas decem physicè, & moraliter: & distinguo consequens: fuit ad decem victorias potentia physica, & moralis respectivè ad unamquamque determinatè concedo; & moralis respectivè ad decem collectim, nego: nam respectivè ad decem semper fuit, & est maxima difficultas, in qua stat impotentia moralis, quamvis superata per potentiam physicam in casu supposito. Sicque valet consequentia ab actu ad potentiam: quamvis enim nunquam fuerit potentia moralis ad decem, in unoquoque casu est potentia moralis ad unam, quia in una non occurrit difficultas; sicut nec varietas, aut multitudo, quæ semper est ad decem: & huic potentia moralis correspondet actus vincendi physicè, & moraliter in unoquoque

casu unam, & in decem casibus sigillatim occurrentibus decem: sic enim, & non aliter vincuntur, manente quidem, sed in eo casu superatâ impotentia moralis ad decem. Nego autem aliam consequentiam. Quia potentia, & impotentia moralis, quas exposuimus, non sunt respectivè ad eundem terminum eodem modo sumptum: siquidem impotentia moralis est respectivè ad multitudinem decem victoriarum, ad quam multitudinem est etiam respectivè difficultas eam impotentiam moralem inducens: potentia verò moralis est respectivè ad unamquamque determinatè, sive primam, sive decimam; modò præcesserint, modò subsequantur aliæ, modò non: quia in unaquoque non accrescit ex alijs difficultas; idèoque nec ad illam devolvitur impotentia moralis, quæ est ad decem.

78 Ad confirmationem, nego antecedens. Quemadmodum enim, aliud est, vincere decem, aliud est vincere decimam, sive iam victis, sive non victis novem; sic aliud est posse, vel potuisse moraliter vincere decem, quod negamus; quia nec ex eo quod de facto fortè vincantur non infertur potentia moralis ad eas vincendas, sed quòd superatâ in eo casu fuisset non per unam, sed per decem victorias impotentia moralis ad illas: & aliud est, posse, vel potuisse moraliter vincere decimam, sive victis, sive non victis novem: quod concedimus: quia difficultas non occurrit in unaquoque, sive aliæ vincantur, sive non; sed in multitudine omnium respectivè ad indifferentiam, & varietatem liberi arbitrij eligendo. Per hæc neganda venit ultima subillatio.

79 Urgebis. Ex necessitate morali scandalorum, si necesse moraliter est, ut è tot hominum millibus per aliquem eveniant, id est, quòd aliquis vagè peccet graviter; dato quòd nullus alius, dempto Petro, graviter peccat, non est alius modus satisfaciendi dictæ necessitati, nisi quòd Petrus determinatè graviter peccet: ergo devolvitur necessitas illa moralis peccandi graviter ad Petrum determinatè ex eo quòd alij non peccent: ergo similiter ex eo quòd novem tentationes sint victæ ab eodem homine, & evitata totidem venialia, devolvitur ad casum determinatum decimæ tentationis necessitas moralis peccandi sal-

saltem venialiter; atque adè devolvitur ad hunc casum impotentia moralis evitandi diu cuncta venialia. Confirmatur ingeniosè per hunc syllogismum: *Decem tentationes non possunt moraliter vinci; sed novem victæ sunt: ergo decima non potest moraliter vinci;* sicque devolvitur ad decimam determinatè moralis illa impotentia tunc vincendi, seu necessitas peccandi. Maior, ut supponimus, est necessitatis: minor, est positio nostri casus: Vndè necessariò sequitur consequentia: nam eodem gradu, quò necessaria est veritas præmissarum, est necessaria veritas consequentiæ legitimæ. Haud secus ac ex veritate disiunctivè certa, quod Petrus, vel Paulus loquitur: & ex eo quòd Petrus tacet; necessariò inferitur Paulum loqui: sic nimirum devolutâ necessitate vaga loquendi ad unum determinatè. Et idem est de necessitate vaga alicuius oculi ad videndum, quæ, si eruatur dexter, devolvitur ad sinistrum.

80 Hæc tamen, ni fallor, subsidium potius quam impugnationem afferunt doctrinae nostrarum responsionum, si ad lydiū veritatis lapidem examinentur. Respondemus enim, antecedens esse manifestè falsum: undè fit quoque manifesta falsitas consequentiæ. Satis enim superque fit dictæ necessitati per crebra hominum peccata, quibus, nec prædictæ eorum necessitati, nequaquam obstat potentia moralis in unoquoque homine, ad suum peccatum hic & nunc evitandum. Casu autem, quò in prædicta suppositione moraliter impossibili Petrus suum evitaret peccatum, aut dic, satisfieri illi necessitati per difficultatem nullius peccati gravis inter tot, tamque varios homines semper extantem, quamvis fortè nullus peccaret: quia id non sic eveniret ablata, sed superatâ viritim per partes illâ maxima difficultate. Aut, si minus tibi satisfaciatur huiusmodi satisfactio, dic, in ea suppositione moraliter impossibili non fieri satisfactio necessitati peccandi; sed potius illi resisti, satisfaciendo potentia opposita, quæcumque illa sit. Quid inde? Quam autem sit falsa consequentia, vel ex eo patet, quòd similiter ex necessitate quòd aliquis è plurimis cum plenâ libertate, & sine necessitate morali peccet, dato quòd nullus alius, dempto Petro, cum plenâ libertate, & sine necessitate ma-

rali peccat, non est alius modus satisfaciendi tali necessitati, nisi quòd Petrus cum plenâ libertate, & sine morali necessitate peccet: & tamen non nisi cum evidenti terminorum implicantiâ inferri posset, necessitatem illam peccandi devolvi ad Petrum peccantem sine necessitate morali peccandi. Et ratio semper est: quia eiusmodi moralis necessitas antecedens peccandi, & moralis impotentia vincendi tot tentationes, nihil est aliud, quam maxima difficultas vincendi tot tentationes, & evitandi tam diu cuncta peccata: cum autem in nullo casu determinato occurrat tota ea difficultas, ut fecimus manifestum, fit quoque manifestum, ad nullum casum determinatum devolvi eam necessitatem, sicut nec impotentiam moralem.

81 Ad confirmationem argutam potius quam firmam, dico, syllogismum illum dupliciter deficere à Dialecticâ: & quia nullus terminus minoris est in consequentiâ; & quia terminis plusquam tribus vitiosè redundat: idèoque nihil concludit. Legalitè alij syllogizant sic: *Decem tentationes, cum non possint moraliter vinci, necessariò moraliter non vincuntur: sed in dictâ suppositione, novem moraliter victæ sunt: ergo decima necessariò moraliter non vincetur:* ergo, victis novem, devolvitur ad decimam necessitas moralis succumbendi, seu impotentia moralis vincendi. Cæterum, ut maior currat, supponenda est necessitas moralis antecedens succumbendi, seu impotentia moralis decies vincendi; & de consequenti eventus physicè contingens, quòd decies non vincetur. Ex qua suppositione, vera esset maior; vera minor, & necessariò vera consequentia: non tamen de necessitate morali absolutâ oppositâ potestati morali vincendi decimam; sed de necessitate logicâ, seu metaphysicâ respectivâ: quatenus nempe, ut vera sit illa maior, metaphysicè necesse est ex illa suppositione, veram esse consequentiam: quæ necessitas consequens, seu consequentiæ non opponitur libertati, nec potestati morali antecedenti vincendi decimam: quia est necessitas evitabilis per potestatem vincendi decimam pro libito voluntatis sic tentatæ: sicut in me necessitas loquendi ex suppositione, quòd omnes loquimur. Itaque, admissò sic secundo syllogismo, nego subillationem inde

indè deductam. Nam id non est devolvi ad decimam necessitatem illam seu impotentiam moralem antecedentem inevitabilem, quamvis non insuperabilem, quæ erat ad decem, & de qua est quæstio; sed necessitatē logicam, seu metaphysicam consequentem, seu consequentiæ omninò insuperabilem, pro libito tamen evitabilem, quæ est ad unamquamque, ex suppositione consequenti quod sit: quæ necessitas reperitur in omni exercitio libero cum libertate, & cum potentia morali antecedenti sic se non exercendi: ut est omnibus in confesso, & extra quæstionem.

82 Exempliculum illud, quod subditur veritatis disiunctæ, hoc potius declarat, quam impugnat. Nam ibi nulla extat necessitas loquendi in Petro, nec in Paulo; & dummodò alteruter loquatur, fiat veritas propositionis, quamvis liberrimè loquatur: posse autem neuter loqui, falsificatā pro illorum libito propositione disiunctivā, & evitatā illius veritate. Et igitur necessitas logica respectiva ad veritatem propositionis disiunctivæ; quatenus, ut ea vera sit, necessarium est, alterutrum loqui: eaque necessitas respectiva logica, & consequentiæ devolvitur logicè ad unum non loquente altero, nullatenus tamen opposita libertati loquendi, nec potentia physicæ, & morali non loquendi, utpotè consequens, & pro libito illorum evitabilis, ut iterum dicemus num. 92.

83 Aliud exemplum ibidem subiunctum necessitatis vagæ alicuius oculi ad videndum, non videtur satis è re. In eo namque nulla occurrit libertas oculorum, cui nocere possit necessitas, seu requisitio illa, quæcumque sit. Nec quidem est necessitas absoluta existentia oculorum; sed respectiva, scilicet ad videndum. Quæ profectò non physicè devolvitur à defectu unius oculi in alium: cum, sive unus deficiat, sive alter, sive neuter, sive uterque, semper sit eodem modo verum, repugnare, visionem exerceri, deficiente utroque oculo; quod est, necessarium esse, seu requiri ad illam dextrum, vel sinistrum: & posse exerceri cum alterutro, sive cum utroque; quod est, nec esse necessarium dextrum, nec esse necessarium sinistrum; nec esse necessarium dextrum, & sinistrum; sed dextrum, aut sinistrum: quæ veritates neces-

sariæ perstant, quamvis dexter, imò & quamvis uterque deficiat, sicut & quamvis uterque sit. Nec verum est, explicatā hac necessitate conditionaliter; sic nempe, ut sit necessarius dexter, si deficiat sinister; quòd ea necessitas de conditionata transeat in absolutam: conditiones enim contingentes non mutant rerum naturas. Sic dicimus, actus conditionatos tam intellectus, quam voluntatis non fieri absolutos per purificationem suæ conditionis contingentis: quia non variant modum tendendi sibi essentialem: quamvis verum esse soleat, quòd purificatā conditione succedant alij actus absoluti.

SECTIO VIII.

Confectaria opportuna pro complemento doctrinæ, & pro superiori intelligentiâ Scripturarum, Tridentini, & SS. Patrum in subiecta materia.

84 **V**ELLEM, in re dogmatica conciliare, quoad fieri possit, placita Theologorum, ut unanimi consensu, SS. Patrum vestigijs inhærendo, doctrinam Scripturarum, & Conciliorum sincerius, & religiosius teneamus: quod in præsentī per hæc, quæ subijcio, confectaria præstare studui.

85 Confectarium primum. Ex impotentia morali antecedente vincendi cunctas tentationes, evitandi cuncta venialia, & implendi totā legem; & ex impotentia consequenti resultantē ex suppositione eventus Deo noti, quòd nemo id sine auxilio, aut privilegio speciali, præstiturus sit, quamvis possit; fieri simpliciter & absolute verum quod ait Tridentinum, neminem posse per totam vitam evitare cuncta venialia sine speciali privilegio; & quod dixerat Christus Dominus, necesse esse, ut veniant scandala. Sic enim complexè impossibile est, non solum moraliter, verumetiam metaphysicè illud prius; & necessarium est non solum moraliter, verumetiam metaphysicè istud posterius: impossibilitate scilicet, & necessitate nullatenus opposita libertati requisita ad peccandum in eo, qui nunc peccat. Huic enim libertati nec opponitur impotentia illa, aut necessitas moralis antecedens; cum sit absolute superabilis à quocumque hic & nunc

nunc peccante quoad ipsum attinet, ut vidimus; nec impotentia ista aut necessitas metaphysica consequens; cum sit absolute evitabilis pro libito cuiuscumque hic & nunc peccantis: quippè, si non peccaret, ut absolute potest, nec fuisset verum, nec Deo notum, quòd omnes essent peccaturi.

Ripald.

86 Si hoc voluit P. Ripalda, cum docuit disp. 117. sect. 2. impotentiam illam vitandi venialia, & vincendi tentationes esse partim antecedentem sumptam ab humana fragilitate, tentationum importunitate, ac frequentia, & ab humana propensione in delectabilia; partim verò consequentem, sumptam ab eventibus liberis Deo prænotis; quasi conciliare volens sententias P. Suarez, dicentis esse antecedentem; & P. Vasquez, dicentis esse consequentem; facile acquiescam. Non equidem quòd existimem, impotentiam illam moralem esse partim antecedentem, & partim consequentem; cum adequatè antecedens sit, ut vidimus sect. 6. à num. 61. sed quia ex impotentia morali adequatè antecedente, & ex impotentia consequente, quæ logica, & ut vidimus num. 60. metaphysica est, coalescit complexè impotentia absolutissima, quam prædicant Scripturæ, Concilia, & Sancti PP. vincendi cunctas tentationes, & evitandi cuncta diu venialia. Quæ duo simul non inveniuntur pro casu particulari, quo succumbitur tentationi, & perpetratur peccatum: ideòque non peccatur cum impotentia non peccandi opposita libertati peccandi, & non peccandi hic & nunc.

Ribad.

87 Sic etiam fit satis argumento, quo motus est P. Ribadeneira disp. 14. de Kolunt. cap. 3. ut diceret, haud immeritò, impotentiam vitandi diu cuncta venialia assertam à Trident. esse non modò moralem, quin etiam metaphysicam: ex eo nimirum quòd Sancti PP. pariter loqui videntur de impotentia vitandi cuncta venialia sine speciali privilegio, ac de impotentia faciendi actum salutarem sine auxilio gratiæ: hæc autem impotentia metaphysica est. At hæc impotentia antecedens etiam est; & tamen Ribadeneira illam aliam ponit consequentem. Sunt ergo capiendæ locutiones Patrum iuxta subiectam materiam. Nos impotentia evitandi venialia asserta à Tridentino, & similibus locutioni-

bus SS. Patrum, satisfacimus per impotentiam consequentem, quæ metaphysica est; & per impotentiam antecedentem, quæ moralis est, & minimè neganda in consortio consequentis: ut ex complexo utriusque stent exactius prædictæ locutiones.

88 Confectarium secundum: minus aptè opinatos esse Aldrete sect. 2. & Quirros sect. 4. Qui, quamvis admittant impotentiam moralem in uno homine ad vitanda diu cuncta venialia, & in tot hominum millibus necessitatem moralem aliquorum scandalorum, seu peccatorum gravium; aiunt tamen propter difficultates superius expensas, eiusmodi impotentiam, & necessitatem moralem vagam non dari ex parte rerum, sed ex parte intellectus nostri, inducti ab experientijs ad iudicandum, sic res eventuras iuxta præsens Dei decretum sic & non aliter concurrenti cum voluntatibus hominum, sine ullo alio fundamento moraliter necessitante ex parte rerum. Moventur: quia circa collectionem omnium hominum datur infallibilitas moralis de scandalo, seu de peccato gravi alicuius: sed non datur ex parte rerum ulla necessitas moralis de peccato gravi alicuius: ergo quia eiusmodi necessitates, seu impossibilitates se tenent ex parte intellectus iudicantis, & non ex parte rerum. Maior est in confesso ex dicto Christi: *necesse est ut veniant scandala*. Minor probatur. Nam peccante Petro, & non alijs, nec datur ea necessitas in Petro, devoluta ad casum determinatum, ut supra diximus: nec datur in alijs: quia non datur peccatum aliorum; & implicat necessitatem moralem dari sine suo termino: ergo nullatenus datur ex parte rerum. Nec mirum, inquit, videri debet, quòd aliquid se teneat ex parte intellectus vagè, & non ex parte rerum: cum enim dico: *Petrus, vel Paulus currit*; cursus se tenet vagè ex parte intellectus, non requirentis cursum determinatum; at ex parte rerum non est cursus, nisi determinatus.

89 E contra tamen dicendum est cum communiori sententia, quam doctè illustrat R. P. N. G. Thyrsus tom. 2. disp. 4. sect. 4. & 5. eiusmodi necessitatem, aut impossibilitatem moralem esse aliquid in rebus, & non se tenere dumtaxat ex parte mentis sic vagè iudicantis iuxta Divi-

Aldrete.
Quirros.

R. P. N.
G. Thyrs.

num Decretum ab experiētijs colligendum. Tum quia ex parte rerum est abs dubio per se loquendo, quod maior sit difficultas in vincendo ceterum, quam decem tentationes; in evitando cuncta venialia per annum, quam per mensem; in eo quod mille, quam quod quinque iusti diu vivant sine lapsu mortali; sicut in eo quod centies, quam quod ter iaciantur tali Coenses. Ad hunc autem modum coalescit ex multitudine impotentia, seu necessitas moralis independenter prorsus a nostro modo concipiendi: ergo se tenet abs dubio ex parte rerum. Tum quia indifferentia, fragilitas, & inconstantia humani arbitrii; inclinatio appetitus ad delectabilia; multitudo, & varietas occasionum; unde Sancti PP. & Theologi desumunt eiusmodi necessitatem assertam a Christo, sicut & impotentiam moralem assertam a Tridentino; ex parte rerum se tenent: exinde autem consurgit, & coalescit eiusmodi moralis necessitas, & impotentia. Non negamus intervenire Dei decretum sic res disponendi, aut permittendi; at non sine respectu ad naturas rerum, quibus sic, & non aliter se accommodat: sicut se accommodat naturæ ignis, decernendo, quod comburat stupam approximatum potius quam distantem.

90. Nec me dimovet ab hac communi sententia motivum oppositum: cui potest ex dictis responderi, negando minorem. Ad probationem fateor, in eo casu nec eam necessitatem moralem dari in Petro peccante, ad quem utique minimè devolvitur; nec dari in alijs, qui non peccant: non quia omnino dari nequeant similes necessitates sine termino, ad quem moraliter necessitant; cum, nisi accedat necessitas metaphysica consequens supra explicata, superari quandoque possent citra contradictionem a potentia physica, quam non excludunt; sed quia nec respectivè ad solum Petrum peccantem, nec seorsim respectivè ad certum numerum aliorum non peccantium occurrit difficultas, usque ad moralem impotentiam evitandi peccatum, quæ occurrit respectivè ad multitudinem coalescentem ex Petro simul, & ex alijs. Undè, concessio antecedente quoad utramque partem, negatur consequentia.

91. Ad illud quod substruitur de pro-

positione, *Petrus, vel Paulus currit*; dico, mirum mihi non esse, quod detur necessitas illa vaga cursus ex parte propositionis; & non ex parte rerum: quandoquidem nulla in rebus existit absoluta necessitas physica, nec moralis talis cursus, cum solum sit logica, seu metaphysica respectiva, nimirum ut verificetur propositio: sicut & necessitas determinati cursus Petri ad verificationem propositionis dicentis: *Petrus currit*; qui, nihil obstante tali necessitate respectivè ad verificationem, liberrimè ponitur, & posset pro libito non poni, aut falsificata, aut evitata propositione. Undè mirum est, quod hinc ineatur paritas ad rem præsentem, ut iam innuimus *nu. 82.*

Quod si paritas hinc iniri validè posset, & me nunc determinatè scribere esset necessarium, sicut hominem hic & nunc levissimè tentatum peccare: necessitate scilicet respectivè ad verificationem propositionis id enuntiatis. Quid inde?

92. Confectarium tertium: bene explicari eiusmodi necessitates, & impossibilitates morales antecedentes per circumstantias, ita regulariter persuadentes aliquod hominis peccatum, aut ita moraliter dissuadentes victoriam omnium tentationum, ut nemo prudens, nisi aliundè oppositum extraordinariè resciret, non iudicaret, aliquè e multis hominibus peccaturum; quemlibet a parte rei sine speciali privilegio diu constitutum, commissurum aliquod veniale; & neminem evitaturum diu cunctas tentationes leves. Non quod illæ morales necessitates consistant constitutivè in eiusmodi iudicijs falsificabilibus per eandem potentiam physicam, qua hic & nunc est homo liber ad vincendam tentationem, cui succumbit, & ad evitandum peccatum, quod committit; sed quia consistunt in talibus circumstantiis fragilitatis, & inconstantiæ arbitrii humani indifferentis, & in multitudine occasionum, & in propensione ad delectabilia, in quibus fundatur apud prudētes illud iudicium eadem necessitate morali verum, qua moraliter necessarium est, homines succumbere alicui tentationi, & labi in aliquod veniale: & non aliter. Quod si fortè in aliquo casu extraordinario eveniret victoria omnium tentationum, & evitatio venialium; sicut diximus, non propterea tolli illam impo-

ten-

tentiam, aut necessitatem moralem; sed superari per potentiam physicam; ita dicendum est, non propterea tolli illud humanum iudicium, sed falsificari per eandem.

93. Non sic discurrere licet de iudicio semper metaphysicè certissimo Dei omniscij: hoc enim per nullam potentiam falsificari potest; sed evitari; quatenus nempe, si fortè in aliquo raro casu res non evenirent sicut circumstantiæ videbantur suadere, & sicut homines prudentes ex illis iudicant; Deus non iudicaret, sicut homines; sed aliis præcivisset quemcumque rarum eventum, quidquid reclamarent antecedentes circumstantiæ. Quemadmodum, si Sacerdos secretò consecraret panem aliquè usualem, non propterea desinerent prudentes per incertam iudicare ex accidentibus, illum esse panem; Deus verò cui nota sunt omnia, non id iudicaret.

94. Porro eiusmodi iudicium Divinæ præscientiæ infallibilissimum, prout satis colligitur ex Scripturis, Concilijs, & SS. Patribus, est quod de facto accessisse credimus impotentijs, & necessitatibus moralibus, de quibus fuit præsens quæstio: eo autem Dei iudicio illis accedente, coalescit complexum necessitatis moralis, & metaphysicæ, ratione cuius est metaphysicè etiam certum, & necesse, quod nullus sine speciali privilegio vincet omnes tentationes, evitabit diu cuncta venialia, aut observabit totam legem, sitque id absolutissimè impossibile, prout asseritur a Concilio, revelationibus Scripturarum subnixo: impossibilitate tamen consequenti; atque adeò pro libito humani arbitrii, hic & nunc peccantis, evitabili per potestatem antecedentem; ideòque non opposita libertati vincendi, aut peccandi.

95. Confectarium quartum: validum esse votum, quod ab aliquibus perfectissimis emissum legimus, vitandi cuncta venialia: eo scilicet modo intellectum, quo omnes obligamur per legem, & nobis est antecedenter possibile, ea sigillatim evitare: cum hoc modo sit nobis id physicè, & moraliter possibile, respectivè ad unumquodque.

96. Nonnulla, quæ possent hic determinari, dabimus, Deo aspirante, *Tom. seq. de Prædest. disp. 8. sect. 7. & 8.* ubi de impossibilitate dissentendi omnibus Di-

vinis auxilijs, cum libertate pro singulis.

SECTIO IX.

An, & quatenus auxilia Gratia necessaria sint Iustis ad Perseverantiam finalem.

97. **F**INALEM, dixi: id est, ab statu gratiæ continuato usque ad mortem. Cum enim Gratia sanctificans sit amissibilis decursu vitæ per liberum arbitrium potens peccare, ut contra Jo- vinianos credimus ex Trident. *sess. 6. cap. 12.* sequitur, quod illam retinere ad mortem usque, sit Dei beneficium erga prædestinatos: qui omnes gaudent hoc perseverantiæ dono præ reprobis, quamvis decursu vitæ sæpius iustificatis. *Omnes, inquam, etiam qui parvuli iustificantur, & moriuntur. Quippè, quamvis non voluntariè perseverent, sicut nec iustificentur; ideòque negent aliqui de illis intelligi veram Perseverantiam, hanc contrahentes ad stationem, seu persistentiam voluntariam finalem in bono; eos tamen ex usitatori locutione Sanctorum Ecclesiæ Patrum, & Theologorum repellit meritò Suar. tom. 3. lib. 10. cap. 4. à num. 17. multa ibi latè & eruditè tractans de Perseverantia cap. 4. 5. 6. 7. 8. & 9.*

98. Hoc perseverantiæ donum extolunt eximè SS. Patres, præsertim Augustinus, *lib. de Bon. Persever. Ex quibus Trident. sess. 6. cap. 13. ait: De illo perseverantia munere, de quo scriptum est: Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit, quod aliunde haberi non potest, nisi ab eo, qui potens est, cum, qui stat, statuere, ut perseveranter stet. Et ibidem Can. 16. id vocat: Magnum illud usque in finem perseverantia donum: Et Can. 22. definit, iustificatum sine speciali auxilio Dei in accepta invitiva perseverare non posse.*

99. Toto, ut aiunt, ostio erravit Iansenius, hæc intelligens de hominibus in statu naturæ lapsæ: putans, in Angelis qui perseveraverunt, & in primis hominibus, si perseverassent integri, præter auxilia debita connaturaliter integritati naturæ, Gratia habituali, & virtutibus infusis, quæ dabant posse perseverare, non opus esse speciali alio dono, ut actu perseverarent. Quam falso id discriminis nitatur fundamento, & quam sit alienum a mente S. Augustini, collig-

CC 2

gitur

Trident.

Suarez.

August. Trident.

Iansen.

Supra
disp. 2.
Suarez.
Gonet.

gitur facile ex dictis disp. 2. sect. 9. & videri potest apud Suar. cap. 9. & Gonetum disp. 1. de neces. Grat. art. 8. §. 5.

100 Discernere oportet inter posse perseverare, & re ipsa perseverare. Donum, quod vocamus perseverantia, est hoc secundum; non precise illud prius. Cum enim Gratia iustificans semel habita nequeat amitti, nisi per peccatum, & omnis peccans sit potens non peccare, ac proinde habens, quantum opus est, auxilia sufficientia ad evitandum peccatum; sequitur, quod omnis iustus habeat posse perseverare, si velit: & tamen non omnis iustus habet donum perseverantia; cum multi re ipsa non finaliter perseverent: id quod ex Scripturis, Concilijs, & Patribus firmat Suar. cap. 3. & a nobis stabilitur disp. 12. contra Iansenianos, agnoscens peccatum cum necessitate peccandi, ac proinde sine potestate ad non peccandum, & sine auxilijs sufficientibus ad evitandum peccatum, quod committitur. Donum igitur perseverantia aliquid significat, & importat ultra posse perseverare.

Suar.
Infra
disp. 12.

101 Quid autem doni hoc ulterius sit, ut clarius, & solidius statuatur, discernendae sunt tres classes eorum qui finaliter perseverant. Prima adultorum, qui diu dilata morte; secunda adultorum, qui brevissimo tempore statim sequuta morte perseverant; tertia parvulorum (hoc nomine veniunt etiam amentes) qui semel iustificati, sine rationis usu in gratia decedunt.

Pelag.
Celest.

102 In tribus ijs classibus perseverantium salvanda est, contra Pelagium, & Celestium generaliter effatos, hominem iustificatum posse natura viribus ad finem usque perseverare; certa doctrina, quam esse de Fide censent aliqui apud Suar. cap. 4. nu. 4. quod nempe perseverantia finalis est speciale donum ultra beneficium iustificationis. Id quod ad Angelos, & homines, si perstitissent in statu innocentiae, extendit cap. 9.

Suar.

103 Ratio pro primis est. Quia in diuturno tempore occurrunt multa difficilia implenda, graves tentationes vincendae, actus supernaturales ex praecipuo exercendi, quae sine speciali gratia actualis auxilio post iustificationem praestari non possunt, ut vidimus suis seorsim in locis disp. 6. & 7. & ne, ea non praestando peccetur, opus est auxilio efficaci

Supra
disp. 6.

necessarium igitur est, ut ij re ipsa perseverent, auxilium speciale, quod Deus pranoverit efficax fore: & quidem multiplex decursu longae vitae usque ad finem: quod tamen nulla lege tenetur Deus taliter conferre: ergo Deum id sic conferre ad finem usque, est donum, ac beneficium speciale. Valet hoc etiam pro Angelis. Quippe in eo tempore brevis suae viae occurrerunt multi actus supernaturalissimi ex praecipuo exercendi: & gravissima tentatio, quae multos detulit: & poterat Deus diuturniorem illis viam praefigere expositam pluribus tentationibus, sicque forte non perseverassent: ut exponit Suar. cap. 9. num. 8.

Suar.

104 Pro secundis. Quia, quamvis deus, quod in illo brevissimo tempore nullum iam occurrat praecipuum implendum, nullusque actus supernaturalis post iustificationem exercendus, eo quod citissime sequatur mors; hoc ipsum, quod est, mortem statim sequi, & vitam non protrahi ad tempus, quo praescit Deus, graves occurruras tentationes, quibus homo lethaliter succumberet, est speciale donum, & beneficium Providentiae Dei benevolentissimae, diversissimum a iustificatione, quae quidem sine illo stare potuisset. Valeret hoc etiam pro hominibus in statu innocentiae. Sic de Adamo Augustin. cap. 11. de

August.

Corrept. *Ut bonum reciperet, gratiam non egebat, quia nondum perdidit: ut autem in eo statu permaneret, egebat adiutorio gratiae.* Non solum quia, ut multos actus supernaturales ex praecipuo exerceret in eo statu, indigebat auxilio excitante efficaci, ut diximus de Angelis; verumetiam, quia, quamvis in eo statu tempus viae non finiendum esset per mortem, sed aliter Dei arbitrio constituendum; taliter tamen unicuique a Deo praefigi viae terminum, ut eo pervenisset innocens, non potuit esse sine speciali Divinae gratiae dono: de quo Suar. num. 9. discutiens nu. 13. gradum certitudinis huius doctrinae. Nec obest Augustinus cap. 11. & 12. de

Suar.

Corrept. *cap. 6. & 7. de Don. Persever. scribens: Qui non infertur in tentationem, non discedit a Deo: non est hoc omnino in viribus liberi arbitrii, quales nunc sum; fuerat autem in homine antequam caderet.* Et subdit: *Post casum autem hominis, non nisi ad gratiam suam voluit Deus pertinere, ut homo accedat ad Deum, & non recedat ab eo.*

August.

Non

Supra
disp. 2.

Non enim haec dixit, aut, quia in eo statu non egerit auxilijs gratiae primus homo; aut, quia in hoc non cooperemur nos etiam per liberum arbitrium ad bene agendum, & perseverandum; sed, quia ex una parte in eo statu ante lapsum, liberum arbitrium erat expeditius a passionibus retrahentibus a bono; ex alia vero parte in isto post lapsum auxilia gratiae sunt nobis magis indebita propter indignitatem positivam peccati, ut diximus disp. 2. sect. 9.

Sap. 4.

105 Pro tertijs. Quia, cum parvulorum etiam iustificatione stare potuisset, quod adolescerent si Deus voluisset, & male utentes usu rationis peccarent, & gratiam amitterent: ergo hoc ipsum, quod est, eos morte rapi ante rationis usum, est Dei donum ex speciali benevolentia erga ipsos, iuxta illud: *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius; aut ne fides deciperet animam illius. Placita enim erat Deo anima illius: propter hac properavit illum educere de medio iniquitatum.* Nec obest, quod saepe, in ijs quoque, mortis eventus naturalissimus est, quo tamen adiuncto ad conservationem gratiae, quae generale etiam beneficium est ordinis supernaturalis, stat iam tota perseverantia finalis: ergo sine speciali beneficio gratiae ultra beneficium iustificationis parvuli. Negatur enim consequentia. Quia, quamvis mors entitative eveniat connaturalissime; at coniungi hic & nunc cum statu gratiae in parvulo, non nisi ex speciali benevolentia evenit: in quo relucet ratio specialis doni, ac beneficij: aut vice versa in Gratia iustificationis data parvulo statim morituro ex speciali providentia Dei, ut per mortem, alioquin peccati poenam, coniungatur cum gloria. Scitè Augustin. 13. de Civit.

August.

Ut mors, quam constat vitam esse contrariam, instrumentum fieret, quo transiretur ad vitam.

Suar.

106 Hinc venit resolvenda triplex quaestio, quam eximie discutit Suarez. Prima cap. 6. an donum perseverantiae sit in omnibus eiusdem, an diversae rationis. Secunda cap. 5. in quo consistat. Tertia cap. 7. qualiter dici possit dependere a libero arbitrio. Quibus totidem conclusiones nostrae respondebunt.

107 Prima conclusio. Donum perseverantiae non in omnibus est eiusdem rationis. Nam in parvulis, & amentibus

perseverantia est involuntaria, & non adjuvantur sic perseverantes per auxilia intrinseca actualia: haec enim frustra essent in ijs, qui ratione non utuntur, ad liberas operationes exercendas. At in adultis, cum voluntarie perseverent, pendet eorum perseverantia a multis actibus liberis, & ut plurimum supernaturalibus, ad quos exercendos excitantur, & adjuvantur auxilijs intrinsecis sanctarum illustrationum, & inspirationum. Unde in aliquibus stat perseverantia sine dono actuali intrinseco entitative supernaturali; sed tantum in modo, & providentia speciali, per subtractionem scilicet occasionum peccandi, aut per inadvertentiam ad praecipua, quae inculpabiliter omittit. Per haec non tollitur, quominus aliquibus detur singulariter perseverantiae donum per confirmationem in Gratia aliquid amplius involentem, ut explicat Suar. cap. 8. & alijs singulariter per antecedentem impeccabilitatem, ut dicemus disp. 25. sect. 2.

Suar.

Infra
disp. 25.

108 Secunda conclusio. Donum perseverantiae non est habitus specialis se infusus, ut fuit opinio reiecta a S. Thom. q. 109. art. 10. & a Suar. cap. 5. sed, praeter Gratiam habitualement, est speciale auxilium gratiae actualis, modò intrinsecum, modò extrinsecum, modò unum, modò multiplex continuatum usque ad mortem. Prior pars probatur: quia talis habitus, vel infunderetur cunctis univèrsim cum alijs habitibus virtutum simul cum infusione Gratiae; vel singulariter illis, qui perseveraturi sunt. Nò illud prius: sic enim infunderetur omnibus iustis; cum tamen non omnes gaudeant dono perseverantiae. Non istud posterius. Tum quia frustra, & sine fundamento confingitur talis habitus. Tum quia donum perseverantiae praeservat infallibiliter ab omni gravi lapsu; a quo tamen nullus habitus, nec ipsa gratia habitualis sine actuali auxilio infallibiliter praeservat, ut rectè profequitur Suar. nu. 3. Posterior pars conclusionis sequitur ex dictis, & solemne eget explicatione. Eam exhibet idem Suar. num. 5. illa vocans auxilijs extrinsecis, quae dat Deus homini, ut caveat peccatum mortale, non per actum voluntarium virtutis; sed praecise per quamlibet aliam evitacionem; aut disponendo, quod non occurrant suaves ad

S. Thom.
Suar.

Suar.

ad

ad malum, & obiecta incitantia; aut quod detur naturalis oblivio præcepti: quo animadverso, peccaretur; aut, quod abbreviatur mors, quâ retardatâ amitteretur Gratia: quod etiam valet pro parvulis. Et respectu istorum dici possunt auxilia extrinseca illustrationes, & inspirationes, quæ sunt auxilia intrinseca respectu adultorum, qui baptismum illis procuraverunt; & ijs similia. Vocat verò auxilia intrinseca illustrationes, & inspirationes sanctas, quibus homo congruè, & efficaciter allicitur, & adiuatur ad resistendum temptationibus, & ad implenda præcepta, & fugienda voluntariè peccata, quibus amitteretur Gratia. Stat ergo donum perseverantiæ finalis in infusione gratiæ sanctificantis cum sublequantâ, & cõtinuatâ serie eiusmodi auxiliorum, sive intrinsecorum, sive extrinsecorum, sive mixtim ex utrisque, usque ad finem viæ, cui æterna Patriæ gloria adnexa est. Hoc donum, supra auxilia sufficientia ad perseverandum omnibus iustis communia, addit, quod prænovit Deus, ex media re ipsâ datura non solum posse, sed etiam, actu perseverare.

109 Tertia conclusio. Quamvis in parvulis donum perseverantiæ sit omninò independens à libero ipsorum arbitrio; non tamen in adultis, medijs ipsorum actibus bonis voluntariè perseverantibus. Sic Magnus Suar. cap. 7. Ex quo quatuor distinguimus in dono perseverantiæ completè sumpto. Primum est substantia, seu entitas auxiliorum, quatenus à nobis physicè fiunt; cum sint actus nobis vitales illustrationum, & inspirationum. Secundum est, illorum collatio, quatenus aliquò morali modo possit à nobis pendere. Tertium est, illorum activitas in actum liberum hominis, utpotè liberè, & non necessariò perseverantis. Quartum est, illorum congruitas, quod scilicet dentur cum certitudine obtinendâ per ea media voluntariè perseverantiæ exercitè & in actu secundo: qui actus secundus est ipse consensus noster liber, & finale nostrum velle perseverare.

110 Quoad primum, certum est, esse independentem à libero perseverantis arbitrio. Quia, quamvis à nostro intellectu, vel voluntate physicè fiat, fit tamen in nobis sine nobis liberè operantibus, ut de singulis auxilijs intrinsecis inde-

liberatis explicuimus disp. 2. sect. 1. Quò ad secundum certum etiam est, donum perseverantiæ non pendere secundum idem sui, morali, id est, meritorio modo à libero arbitrio: bene verò secundum diversa. Volo dicere: quod hoc numero auxilium illius seriei non pendet meritorie à consensu, quem inducit, & cuius est principium: quia principium nostri meriti non cadit sub meritum, cuius est principium: potest tam morali modo meritorio pendere à libero arbitrio per præcedentes consensus factos ex alijs auxilijs anterioribus illius seriei auxiliorum, quâ dicit donum perseverantiæ. Quoad tertium, idem est dicendum, quod dictum est ad primum, & secundum: quia acti vitas illa in actu primo cuiuscumque auxiliij est ipsa illius entitas.

111 Manet difficultas quoad quartum. In quo dicimus, intelligi non posse prædictum donum sine cooperatione liberâ sic perseverantiæ: ac proinde, donum perseverantiæ completè sumptum non haberi omninò independentem a libero arbitrio hominis sic perseverantis. Cum enim dicat actualem influxum in actum nostrum liberum, qui influxus est ipsa actio nostra libera, involvit ipsam actionem, seu cooperationem nostram liberam essentialiter pendente ab auxilio gratiæ, & à libero hominis arbitrio: ergo, quoad hoc, nequit dici eiusmodi donum, adequatè, & completè sumptum, omninò independens à libero perseverantis arbitrio. Punctum Magnus August. cap. 21. de Ecclesiasticis Dogmatibus: *Ut non labamur in adepto salutis manere, solitudinis est nostræ, & Divini pariter adiutorij.* Consonatque S. Prosper lib. 2. de Voc. Gen. cap. 26.

SECTIO X.

Obiectiones adversus hoc postremum.

112 **R**EFRAGANTIVR tamen Illustrissimus Alvarez disp. 105. de Auxil. & acriter, ac intemptivè Gonetus disp. 1. de Necef. Grat. art. 8. §. 3. Primò: quia *Ad maiorem Dei etiam renatis, & Sanctis, semper est impiorandum, ut ad finem bonum pervenire, & in bono possint opere perdurare.* Verba sunt Arauscani 2. Can. 10. quæ libenter admittimus. Ex quibus infert Gonetus: ergo præter gratiam

Suprà disp. 1.

August.

S. Thom.

tiam habitualement, & auxilia communia, necessarium est ad perseverantiæ auxiliium, quod à Sanctis quotidie petitur: *Adveniat Regnum tuum*: quod esse magnum, & specialissimum, & à communibus gratiæ auxilijs valdè diversum, patet ex verbis Tridentini relatis à nobis num. 98. Attegit Augustini verba de Bon. Persever. cap. 2. ibi: *Adveniat Regnum tuum: cur perseverantiæ ista poscitur à Deo, si non datur à Deo? nonne ista irrisoria petitiō est?* Et similia S. Thomæ 3. contra Gen. cap. 155. conclusantis sic: *Ut immobiliter perseveret in bono, variabile scilicet hominis arbitrium, indiget auxilio Divino.* Id quod. 2. 2. q. 137. art. 4. sic exposuit: *Perseverantiæ dupliciter dicitur: uno modo pro ipso habitu perseverantiæ, secundum quod est virtus: & hoc modo indiget dono habitualis gratiæ: alio modo, pro actu perseverantiæ durante usque ad mortem: & secundum hoc indiget non solum Gratia habituali, sed etiam gratuito Dei auxilio: quia, cum liberum arbitrium de se sit vertibile, & hoc ei non tollatur per habitualement gratiam, non subest potestati liberi arbitrij etiam reparati, ut se immobiliter in bono statuatur.*

113 Concedimus deinde Goneto consequentiam, & fatemur, donum perseverantiæ dicere aliquid specialissimū, præter auxilia communia perseverantibus, & non perseverantibus: his enim dantur aliqua interdum efficacia ad evitanda multa mortalia; & aliqua quidem inefficacia; illis verò cuncta efficacia, ita ut post ultimam iustificationem nullum mortale committant: & hanc seriem auxiliorum efficacium, seu congruorum involvit beneficium specialissimum, & magnū illud perseverantiæ donum commendatissimum à Tridentino, & Arauscano. Augustinum reverenter audimus, & sequimur, docentem ibi, & sæpè alibi cõtra Semipelagianos, ex Dei gratia esse nostrum non solum posse, sed etiam actu velle: atque adeo posse perseverare, & actu perseverare à Deo dari, & à Deo peti debere: quia utrumque hoc habetur ex auxilio, & beneficio Dei, ut rectè S. Thom. Cum discrimine tamen, quod posse, habetur formaliter, & constitutivè per auxilium constituens cum potentiâ naturali liberi arbitrij virtutem absolutè potentem salutariter operari; at actu velle, & perseverare, habetur per auxiliium efficiens, quatenus auxiliium id

operatur in consortio liberi arbitrij, per illud elevati ad talem operationem. Quod autem ait, donum actu perseverandi non subesse potestate liberi arbitrij de se vertibilis, non est, quia tale donum actualis perseverantiæ sit omninò independens à cooperatione liberi arbitrij Divino auxilio adiuti, contra quod docuit Augustinus nuper pro nobis adductus; sed quia non subest potestati arbitrij nostri, quod Deus det continuatam illam seriem auxiliorum, quæ præcivit congrua ad evitandum omne lethale usque ad mortem. Quod autem ait, immobiliter, ad huius Divinæ præcipientiæ securitatem, & infallibilitatem, ex qua conferuntur ea auxilia, referendum est; non verò ad vim istorum, necessitativam arbitrij nostri: hoc enim esset Iansenianum in subsidium Calvinismi.

114 Hanc responsionem, non quidem Semipelagianorum, qui, teste Augustino, actu velle, & actu perseverare non tribuebant gratia, & soli tribuebant arbitrio; sed nostram, qui & posse, & velle gratiæ tribuimus, in consortio tamen liberi arbitrij, utrumque id habentis per gratiam; redarguunt Adversarij multipliciter; sed frustra.

115 Primò: quia, si donum perseverantiæ subijceretur libero arbitrio, & ab eo quantum ad efficaciam, & usum dependeret, qui perseverat se discerneret à non perseverante per aliquid sibi proprium; nimirum per bonum usum liberi arbitrij: contra illud Pauli: *Quis enim te discernit?* Possetque inflari, & gloriari de suâ perseverantiâ, contra illud eiusdem: *Quid habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non accepisti?* Secundò: quia sic Deus daret nobis posse perseverare; at ipsum perseverare, quod magis est, esset à libero arbitrio. Tertio: quia frustra oraremus Deum: *adveniat Regnum tuum*, pro perseverantiâ; cum hæc à nostro penderet arbitrio, scribente Augustino *Epist. 107. Non oramus Deum, sed orare fingimus, si nos ipsos, non illum, credimus facere quod oramus.* Quarto: quia prædestinatio nõ esset certa, sed fallibilis, cum innitatur dono perseverantiæ: quod non esset infallibile, & certum, si penderet à nostro libero arbitrio vertibili, & volubili. Vndè Trident. ubi supra: *Non nisi ab eo, qui potens est, enim qui stat statuere, ut perseveranter*

ser.

Suar. cap. 7.

August.

Prosper.

Alvar.

Gonetus

Araus.

1. Cor. 4.

August.

August.

bet, haberi posse testatur. Et Augustinus cap. 8. de Correp. Quia preparatur voluntas à Domino: neutro mentionem ad id faciente de Præscientia Dei; sed uno, de Omnipotentia; altero, de Præparatione mediocum: ergo, quia securitas perseverantia non sumenda est à præscientia. Hæc Gonetus.

Iob. 9.

116 Respondemus tamen, quod nos diximus, & dicimus, non esse, donum perseverantia subijci libero nostro arbitrio, cum potius voluntati, & omnipotentia Dei, sub quo curvantur qui portant orbem, cuncta subijciantur, ut causa prima, supremæ, & principalissimæ omnis boni creati, & specialius boni supernaturalis: præsertim cum nec detur, nec dabilis videatur à Deo; iustus, quem per varia media congrua non possit facere perseverare liberrimè: ut de impossibilitate hominis imprædestinabilis dico suo in loco. Nec dependentia vocabulum usurpandum: hic est pinguis Minervâ in sensu strictiori pro influxu, quo arbitrium nostrum causat totum donum perseverantia: cum series illa donorum, quæ præviè sunt à Deo in nobis sine nobis ante consensum nostrum liberum, dependere non possint à nostro libero arbitrio dependentia propria causalitatis physica, nec moralis; sed dumtaxat puræ requisitionis: quomodò ad multa, quæ nobis prædonat Deus, requiritur apud omnes nostrum liberum arbitrium: cum nullo modo excitare, movere, aut præmovere efficaciter possit hominem præ lapidè ad liberè operandum, sine usu liberi arbitrii subsequuto. Undè è tota serie donorum adæquantium beneficium perseverantia finalis, solus consensus hominis perseverantis, pendet, ut fateri necesse est, strictâ causalitate physica, & morali à libero hominis arbitrio, & non nisi per anteriora Divina gratia dona elevato, & adiuto. His sic explicatis pro rectâ intelligentia terminorum, respondemus distinctim ad quatuor redargutiones.

Suprà disp. 5. sect. 8.

117 Ad primam: quod, præter discretionem æternam, quæ solius est Dei, volentis ea dare continuo auxilia, quæ præcivit congrua fore; ex varijs discernendi modis, quos iam explicuimus disp. 5. num. 101. negari à nemine potest, temporaliter, & executivè discernere se perseverantem à non perseverante per-

actum futurum perseverandi: non quidem à libero suo arbitrio solo profectum; sed principalius ab auxilio gratia, iuxta illud: Gratia Dei mecum. Quod nec absurdum est, nec adversatur verbis Apostoli respicientis, ibi ad discretionem æternam, quæ solius est Dei, quamvis non sine aliquo respectu ad actum hominis volentis perseverare. Nec est dare ansam sic perseveranti, ut inflatur, & inaniter gloriatur, quasi totum à Deo non acceperit: cum omnia illa sint à Deo: alia à Deo solo; alia à Deo principalius, quam à libero arbitrio, non nisi elevato per gratiam, & actum ipsum suum sic à Deo dante acceptum operante: ideoque non nisi iniquè potente ex eo gloriari, quasi non acceperit. Quæ verò ratione liceat aliter gloriari, exposuimus ab ipso Paulo edocti sect. 3. num. 28. Audiamus nunc Augustinum Epist. 116. Hoc utique totum ideo, non ut homo non gloriatur; sed, ut qui gloriatur, in Domino gloriatur: quia opera ex gratia, non ex operibus gratia. Pulchrè Bernardus in idipsum de verb. Apost. Non ait Apostolus: si autem accepisti, quid gloriaris? Sed, quid gloriaris, quasi non acceperis? Ut non prohibeat, sed doceat, gloriari.

1. Cor. 15

Suprà disp. 6. sect. 18. August.

Bernard.

118 Ad secundam, luce clarius esse vidimus, Deum non dare solum posse; verumetiam dare, & velle perseverare: ipsum autem velle, & perseverare fateamur quidem esse à libero arbitrio, cum certè actus liber sit; non tamen à solo libero arbitrio; sed à libero arbitrio elevato, & adiuto per gratiam. Quid inde aut quid nobis in hoc cum Semipelagianis?

119 Ad tertiam, negamus, frustra nos orare Deum pro perseverantia: cum penes Deum esse fateamur, facere quod oramus. Quamvis enim à nostro sit etiã arbitrio actus, quo perseveramus adiuti gratia auxilio; at penes Deum est dare auxilium, quo adjuvemur, & tale pro suo Divino libito dare, ac præparare, quo certò prænovit nos actu perseveraturos. Nec obest, quod illa ipsa Dei præscientia sit in Deo dependenter ab arbitrio perseverantis. Nam conferri à Deo auxilium, quod prænovit congruum, duo importat: scilicet, collationem auxilij, & præscientiam congruitatis. Collatio auxilij inde pendens est à libero nostro arbitrio: præscientia congruitatis, pendet

det quidem requisitivè à nostro arbitrio; at non nisi adiuto per auxilium gratia; præcipuas partes agentis in illum ipsum actum liberi arbitrii: sicque semper manet ratio doni penes Deum; & penes nos locus orationi. Adde, solius esse Dei, ac proinde à Deo petendum, quocumque actu nostro facto, finire terminum vitæ; quæ ulterius protractâ, occurrerent tentationes, quibus succumberemus, ipso; ut potest, permittente; & omnia præsciente.

August.

Alvar. Suarez.

120 Ad quartam negamus sequelam: Nam perseverantia in gratia, sicut & prædestinatio ad gloriam; quamvis fiat per auxilia secundum se indifferentia, dictoque modo pendeat à libero arbitrio vertibili, & volubili, procedit tamen certissimè, securissimè, & infallibilissimè, ratione Divina præscientia; comprehendentis, quam se ipsi partem vertet, & volvet liberum arbitrii sub quacumque auxiliorum hypothesi; quam hypothese ponere; vel non ponere est in manu Dei misericordis; non in libero arbitrio hominis volentis; & currentis. Quod autem ibi Tridentinum id tribuat Dei Potentia, & Augustinus Præparationi mediocum, non est excludere, sed supponere Dei Præscientiam: nisi sui immemor Augustinus oblitus credatur definitionis suæ celeberrimæ; iuxta quâ Prædestinatio est: Præscientia, & Præparatio beneficiorum Dei; quibus certissimè liberantur quicumque liberantur: ut à tanto Doctore discamus, eam ipsam certitudinem, & infallibilitatem derivari à Divina Præscientia.

121 Arguit aliter Alvarèz apud Suarez. Primò: quia ex Trident. perseverantia donum non potest esse nisi à Deo; ergo non pendet à libero hominis arbitrio: sic enim aliundè, quam à solo Deo haberetur. Secundò: nam aliud est perseverare; aliud, donum perseverantia: habent enim se; ut actus primus, & secundus: ergo; quamvis perseverare, quod est actus secundus, pendeat à libero arbitrio; non tamen donum perseverantia, quod est actus primus: quia quod prius est non pendet ab eo quod est posterius. Tertio: quia, si hoc donum penderet à libero hominis arbitrio; ea Dei gratia non regeret humanam voluntatem; sed regeretur, quasi pedisequa. Nec esset excellentius donum perseverantia,

quod nunc datur prædestinatis, illo, quod Adamo in statu innocentia datum est, contra August. cap. 11. de Correp. Quarto: quia ex eodem August. de Don. Persever. cap. 2. & 6. donum perseverantia amitti nequit cõtumaci hominis voluntate: amitti autem posset, si penderet à libero hominis arbitrio, ut erat Malsiliensium vox: Quidquid donatur prædestinatis posse ab eis propria voluntate, vel amitti, vel retineri: apud Hilarium in Epist. ad Augustinum id repellentem; & dicentem lib. de Correp. donum perseverantia dare homini liberam, fortissimam, & invictissimam voluntatem standi in Gratia: idque probantem ex verbis Christi, Luc. 22. Ego rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua: ibi: An audebis dicere, etiam rogante Christo, ne deficeret fides Petri; de secluram fuisse, si Petrus eam deficere voluisset: id est, si eam usque in finem perseverare noluisset? Et similia repetit cap. 12. Respondetur tamen expedire.

August.

Hilar.

August.

Luc. 22

122 Ad primam; sensum Concilij esse; quod donum perseverantia ita est Dei; ut non nisi ex eius gratia, & misericordia haberi possit: Id quod de multis, quæ præcedunt ad actum secundam nostrum perseverandi, dubitari nequit; quorum utique præparatio, & collatio non pendet ab hominis arbitrio: imò & de ipso quoque actu nostro perseverandi, cuius causa principalis est gratia Dei, verissimum est: à quo tamen excludi nequit dependentia à libero arbitrio nostro cooperatè. Sic se mox explicat idem Trident. cap. 13. ibi: De illo, scilicet dono perseverantia; nemo sibi certi aliquid absolutâ certitudine pollicetur; tametsi in Dei auxilio firmissimam spem collocare, & repone omnes debeant: Deus enim, nisi ipsi illius gratia defuerint; sicut cepit opus bonum, ita perficiet operans velle, & perficere. Vbi per illa verba: nisi ipsi, &c. non obscure supponit quam diximus requisitivam dependentiam à nostro velle. Dicat aliquis, evenire posse, quod homo ultimo tentatus ad mortale, illud evitet per nolitionem consentiendi aliundè venialiter malam: tunc ergo actus ille ultimus perseverandi non esset ex gratia. Respondetur tamen, quod, quamvis actus ille non sit ex gratia intrinsecâ; nihilo tamen minus, hominem iam iustum constituit tunc in tali libertate, sub qua præcitur non peccaturus mortaliter, & statim mor-

Trident.

ri, est gratia extrinseca pertinet ad ferriem, & negotium doni perseverantia.

123 Ad secundum fatemur, illa duo, sic bene distincta ab arguente, habere se instar actus primi, & secundi: non respectivè ad totum donum perseverantia, cum hoc involvat etiam actum ipsum secundum perseverandi; sed respectivè ad beneficia præcedentia, quorum effectus est actus secundus perseverandi. Cum quo stat rectè, quod non solum actu perseverare, sed etiam donum perseverantia adequatè sumptum, utpotè involvens ipsum actu perseverare, pendat à libero arbitrio. Neque hoc est, prius pendere à posteriori: nam actu perseverare non est posterius ad totum donum perseverantia: sed est quid inclusum in dono perseverantia pendens ab alijs beneficijs illius seriei se prioribus, inclusis etiam in dono perseverantia adequatè sumpto. Quid in hoc est contradictionis?

124 Ad tertium, negatur prima sequela. Quamvis enim perseverantia donum pendeat modo dicto à libero arbitrio, consensus tamen finalis salutaris liberi arbitrij, non præcedit, sed subsequitur ad auxilia gratia, quibus liberum arbitrium elevatur, adiuvatur, & allicitur ad consensum: quod est regi & duci liberum arbitrium ad consensum. Undè igitur infertur, quod gratia sit pedisequa liberi arbitrij? Cum præsertim per dependentiam requisitionis supradictam liberum arbitrium non mereatur eiusmodi auxilia, nec moraliter disponatur ad illa; sed pro libito Dei dentur, aut non dentur. Negatur etiam secunda sequela: in qua & falsò supponitur, Adamo datum donum perseverantia in statu innocentia; cum non habuerit auxilia, sub quibus prænoverit Deus quod re ipsa perseveraret; & frustra contenditur, non esse maius donum, ac beneficium quod datur nunc prædestinatis perseverantibus, quam quod datum fuit Adamo pro statu innocentia, in quo non perseveravit. Nam Adamo non datum

est ad id auxilium, quod Deus præscivit fore congruum, si daretur; bene verò prædestinatis perseverantibus: quod magni interest ad rationem doni, ac beneficij.

125 Ad quartum dicimus, dupliciter intelligi posse, quod donum perseverantia amitti nequit: primò de illo dono consummato per mortem; quatenus post mortem est iam omninò inamissibile: & in hoc sensu loquitur interdum Augustinus. Secundò de inamissibilitate in statu viæ: & hoc modo verum etiam est, quod amitti non potest: quia illud amittere dicit illud extitisse, & postea deperdit: quod impossibile est. Cum hoc tamen stat, quod pendeat requisitivè à libero hominis arbitrio: quatenus nunquam extitisset, si voluntas non consentura esset auxilijs, aut non restituta tentationibus circa actum liberum perseverandi.

126 Quod autem ait Augustinus, eiusmodi donum dare *forissimam, & invictissimam* voluntatem, eò tendit, ut securitatem Divinae præscientia stabiliat: ideò addit, *liberrimam*: ut simul doceat, eam certitudinem nihil officere libertati. Reliqua Augustini verba minùs habent difficultatis. Non enim ait, neminem dicturum, fidem Petri post eam Christi orationem potuisse deficere; sed defecuram. Illa conditionalis, quod deficeret; si Petrus eam deficere voluisset; nihil ponit in esse, ut bene notat Suarez. nu. 47. cum illa itaque stat, Petrum certissimè non id voliturum, non obstante illa hypothetica veritate. Quemadmodum enim prædestinatus infallibiliter perseverabit; ita infallibiliter non volet committere culpam perseverantia contrariam: & quamvis utrumque id facturus sit liberè, atque adeò cum vera potestate contrarium faciendi; nihilominus infallibiliter id faciet propter regimen Divinum ex certa præscientia, & congruitate procedens: ut in Disputationibus de Prædestinatione nobis est fusiùs elucidandum.

DISPUTATIO X.

DE DIVISIONIBVS, ET MVNERIBVS Gratie Actualis.

DIVISIONES verò Gratiarum sunt; idem autem Spiritus, eloquitur Paulus 1. Corinth. 12. gradum faciens ad enumerandas Gratias gratis datas. Nos iisdem verbis ad divisiones multas Gratia auxiliantis Theologicæ ab eodem uno Spiritu Sancto diffusas in cordibus nostris, gradum faciemus. Earum explicationes multæ, & variæ quoque sunt, interdum vocibus dumtaxat discrepantes, & in re nequaquam oppositæ. Celebriores adducemus ex Sanctis Patribus: quos nec sibi nec nobis contrarios existimabo, si iam uno, iam alio nomine, & modo eandem gratiam significasse comperimus. Quinimò hinc discemus, nostris datis explicationibus in communiori sensu, non propterea omnes aliorum, & sæpè eorundem diversas explicationes reiiciendas esse.

SECTIO I.

Divisio Gratia in Excitantem, & Adiuvantem.

LEGITVR ista divisio apud Scholasticos cum S. Thom. hic q. III. & colligitur ex Concilijs. *Vt qui, verba sunt Tridentini sess. 6. cap. 5. peccata à Deo averti erant, per eius excitantem, atque adiuvantem gratiam ad convertendum se, disponantur.* Similiter loquuntur passim Sancti Patres, pro quibus S. Bernardus *lib. de Grat. & liber. arbitr.* sic habet: *Conatus nostri, & cassi sunt, si non adiuventur; & nulli, si non excitentur.*

3 Explicatur autem ritè Gratia excitans per donum supernaturale internum, quo à Deo gratis immisso, formaliter, & præviè movemur vitaliter, & vocamur ad consensum salutares. Ideòque hoc auxiliorum munus significari solet nomine vocationis, & pulsationis. Dicitur, *supernaturales* quia sermo est de Gratia Theologica. *Internum* quia, quamvis externa ministeria vocum v.g. amicorum, concionatorum, & similibus, bene quoque dicantur vocare, & excitare, in ijs tamen Disputationibus sermo nobis præcipuus est de Gratia interna, incrementum potius salutis dante, iuxta illud

Apostoli: *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat; sed qui incrementum dat Deus.* Dicitur, *gratis*: quia, quamvis aliqua gratia excitantes dentur ex meritis præcedentibus, & aliqua dici possint etiam actus deliberati respectivè ad alios subsequentes; radicantur tamen in primo auxilio excitante, omne meritum nostrum antevertente. *Formaliter*: ut excludantur à ratione gratia excitantis species, habitus & similes formæ nobis non vitales, à quibus efficienter quidem provenire potest excitatio nostra; quin tamen per illas formaliter excitemur, sicut nec vivimus; sed per illustrationes, & inspirationes, quibus formaliter reddimur illuminati, & piè affecti ad salutari-ter agendum. Dicitur, *præviè*: ut excludatur à ratione gratia excitantis propriè sumptæ respectu liberi consensûs, concursus Dei simultaneus, identificatus cum concursu nostro in ipsum consensum, iuxta dicta *disp. 2. sect. 6.* Quò sensu Gratia hæc excitans indeliberata dicatur esse *in nobis sine nobis*, diximus ibidem *sect. 1.*

4 Explicatur Gratia adjuvans per donum internum supernaturale iuvans voluntatem ad consensum salutarem, ad quem fuerat vocata, & excitata. Dicitur, *internum*: quia, quamvis per gratiam adiu-

Ad 2 adiu-

Suarez. adiuuatem intelligi quoque possit auxili-
um extrinsecum, scilicet Omnipotentia
specialius applicata, ut vult Suarez
lib.3.de Auxil. at loquimur hic potissimum
de Gratijs creatis, de quibus lis
erat SS.Patribus cum Pelagianis. Sicque
ratio gratiæ adiuuantis convenit aptius
illustrationibus, & inspirationibus: præ-
sertim in nostra sententia ipsis concedente
effectivum concursum physicum
in actus salutares, præter formalem, &
moralem. Quidam cum *Suar.cap.4.* sub-
ratione gratiæ adiuuantis comprehendendi
etiam volunt habitus infusos, quibus
satis videtur aptari explicatio nostra
gratiæ adiuuantis, & propriè convenit
roborare, & iuvare potentias nostras natu-
rales ad salutariter agendum: ideoque
August. *lib.de Correp.& Grat.* & S.Thom.
S.Thom. *opusc.2. cap.143.* illos vocant adiutoria
Dei gratuita. Alij verò malunt, rationem
gratiæ adiuuantis pressius contrahere ad
auxilia, & adiutoria actualia.

5 Vt in hoc loquendum sit, infertur,
quòd, quamvis Gratia adiuvens, si com-
prehendat etiam habitus, latius pateat,
quam excitans, quæ solum est actualis;
si tamen pressius contrahatur ad actuali-
em, æque patet: quia utraque sunt eadè
illustrationes, & inspirationes sanctæ,
quas diximus esse gratias excitantes.
Sicque Gratia excitans, & adiuvens non
differunt re; sed munere. Eadè enim illu-
stratio, seu inspiratio dicitur excitare,
quatenus animam desidem, & quasi sopi-
tam, pulsât, & instigat ad bonum illam
intrinsecè informando, & vivificando,
quasi inclamans illud Apostoli: *Surge
qui dormis, & exurge à mortuis, & illumi-
nabit te Christus:* & dicitur adiuvere, qua-
tenus voluntati, quam excitat, ministrat
vires, ut simul cum illa peragat consen-
sum salutarem. An, ut dicatur adiuvens,
necessè sit ipsa coefficientia consensus
salutaris in actu secundo, dicemus *sect.
seq.* ubi de Gratia cooperante, quæ in
idem coincidit cum adiuvente. Hæc nos
cum communiore sentiendi, & loquendi
more.

6 Alijs placuit, quòd Gratia exci-
tans dicatur Deus, quatenus nobis spe-
cialiter assistit extrinsecè; adiuvens ve-
rò Deus ipse, quatenus assistens etiam
extrinsecè nostris operationibus saluta-
ribus. Displicet multis. Non quia Deus,
ut specialiter assistens, appellari nequeat

gratia increata, ut benè Suarez contra
Vasquez; sed quia communiter Conci-
lia, Patres, & Theologi, dum loquuntur
de gratia excitante, & adiuvente, inten-
dunt ex Augustino contra Pelagium ad
dona creata gratiæ nobis inhaerentis.

7 Alijs placuit, Gratiam excitantem
esse qualitatem in anima à solo Deo
productam moventem liberum arbitri-
um, ut salutariter operetur; adiuvan-
tem verò, esse habitus infusos, qui simul
cum libero arbitrio per illam excitantur
ut cum ipso operentur. Hoc tamen
nequit non displicere respondentibus me-
rito qualitates illas emortuas, sive præ-
determinativas, sive non prædetermina-
tivas, in quibus stet ratio auxiliorum
Divinæ gratiæ: de quo differuimus *disp.
2. sect. 2.*

8 Alijs placuit, Gratiam excitantem
esse motus indeliberatos intellectus, seu
voluntatis, prævios ad liberum consen-
sum; adiuvantem verò esse ipsum no-
strum liberum consensum, quatenus in-
volvit divinum concursum tecum idem-
tificatū. Displicet alijs. Nam, dato quòd
ipse Dei concursus appellari quodam-
modo possit auxilium gratiæ per mo-
dum concursus, ut retulimus *disp. 2. sect.
6.* at certè gratia tam excitans, quam
adiuvans ex ore, & calamo SS. Patrum,
non dicitur nisi gratia auxilians per
modum principij potètijs naturalibus,
ex se insufficientibus salutariter opera-
ri.

SECTIO II.

In Operantem, & Cooperantem.

9 I STA Gratia auxiliantis divisio
colligitur ex Araus. *2. Can. 4.* &
ex Trident. *sess. 6. cap. 5.* De ea Augustinus
lib. 1. de lib. arbitr. cap. 17. per hæc dis-
tinctissima verba: *Cooperando perficit Deus
per gratiam, quod operando incipit: &
mox: Quoniam ipse, ut velimus, operatur
incipiens, qui volentibus cooperatur perfi-
ciens, utque velimus, sine nobis operatur:
cum autem volumus, ut faciamus, nobiscum
cooperatur: tamen sine illo, vel operante, ut
velimus, vel cooperante, cum volumus, ad
bona pietatis opera nihil valetus.* Intelli-
ge, *salutaria.*

10 Explicatur ergo Gratia Operans,
sicut supra, *Excitans;* & Cooperans, sicut
supra, *Adiuvens.* Undè præter hæc divi-
sio

si coincidit in re cum præcedenti cum
sola nominum diversitate. Ita cum Sua-
rez *lib. 3. de Auxil. cap. 5.* sententia com-
munior: quam ex Tridentino, Gregorio,
Anselmo, & Bernardo firmat eruditè Ri-
palda *disp. 112. sect. 2.* post Vasquez *disp.
185. cap. 6.* Dicitur autem, *operans,* &
apud nonnullos, *præoperans,* quatenus
illustrationes, & inspirationes indelibe-
ratæ, effectæ in nobis sine nobis ad illas
moraliter concurrentibus, excitant, &
alliciunt præviè ad opera salutaria. Di-
citur verò, *cooperans* (quod extendi quo-
que potest ad habitus infusos eodem iu-
re, quo diximus de nomine gratiæ adiu-
vantis) quatenus, ut ait Ambrosius, *flu-
dijs cooperatur humanis:* coefficienti nem-
pe nobiscum liberè consentientibus ip-
sum consensum nostrum salutarem. To-
tum id profundè docuit Augustinus in
verbis nuper recitatis.

11 P. Anton. Perez *tom. 2. tract. 2. disp.
4. cap. 7.* cum Bellarmino *lib. 1. de Grat.
& lib. arbitr. cap. 14.* Caietano, Soto, &
alijs, ut diversificet in re hanc divi-
sionem à præcedenti, aliam adstruit etiam
ex Augustino *cap. 16.* explicationem hæ-
rum gratiarum. Gratia, inquit, *ope-
rans* est auxilium, quo Deus coefficienti no-
biscum primum consensum liberum salu-
tarem; *cooperans* verò, auxilium, quo
nobiscum deinceps coefficienti alios con-
sensus liberos salutares. Sed certè in ver-
bis supra relatis satis indicat Augusti-
nus explicationem nostram, supponens,
gratiam, tam operantem, quam coope-
rantem dari ad omnem consensum salu-
tarem, sive primum, sive reliquos: ex
cuius mente id expressit Arauscanum *2.
Can. 9.* ibi: *Quoties bonum operamur, Deus
in nobis, ut operemur, operatur.* Nolo con-
tendere cum Ant. Perez, an alibi aliter
loquutus fuerit Augustinus. Facilius est,
fateri, diversas earundem gratiarum ex-
plicationes, non tamen oppositas, tradi-
didisse.

12 Quocirca observare oportet varia
in hoc Augustini phrasas. Interdum
ait, Deum operari, *ut velimus:* quo signi-
ficat, Deum operari in nobis sine nobis
sanctas cogitationes, & affectiones inde-
liberatas, nos per eas alliciens ut liberè,
& salutariter velimus consentire. En ti-
bi gratiam *operantem* penes hoc munus
explicatam. Interdum ait, Deum opera-
ri *ipsum velle:* quo significat, Deum per

gratiam suam, præter hoc quod est ope-
rari in nobis sine nobis prædictos mo-
tus indeliberatos, coefficienti, nobiscum
cooperando, ipsos consensus nostros
deliberatos salutares. En tibi penes aliud
suum munus gratiam *cooperantem.* Sed
notandum sedulo, quòd, quando gratia
obtinere effectum, accedente nimirum
libero consensu arbitrij, dicitur Deus
per gratiam facere, *ut velimus,* & facere
ipsum velle: quando verò, non accedente
consensu libero arbitrij, gratia non ob-
tinere effectum, sed iuxta phrasim Apo-
stoli vacua manet; non dicitur Deus fa-
cere *ipsum velle,* siquidem re ipsa consen-
sus, seu velle nostrum non fit: potest
nihilominus aliquid dici, facere, *ut
velimus:* id est facere gratiam excitan-
tem, seu operantem, ad hoc ut consen-
tiamus: non quidem omnino efficaciter,
quia re ipsa non volumus; sed suffi-
cienter, quia ut consentiamus, operatur
in nobis gratiam, quæ efficiatur suffi-
cienter ad salutariter consentiendum.
Sic lucem accipiunt variaz locutiones
Augustini, & conciliantur Suarez, &
Lorca, circa hoc dissidentes.

13 Impensius laborat P. Vasquez in
conciliandis duabus alijs locutionibus
Augustini. Una loc. cit. *Ut velimus, sine
nobis operatur Deus; cum autem volumus,
nobiscum operatur:* alia lib. 1. ad Simpli-
c. q. 2. *Præstat Deus, ut velimus, aliter quod
voluerimus: ut velimus enim, & suam esse
voluit, & nostrum: suum vocando; nostrum,
sequendo: quod autem voluerimus solus præ-
stat.* Dupliciter enim videtur sibi con-
trarius. Semel, quia in priori loco ait,
Deum sine nobis operari, *ut velimus;*
cum in posteriori dicat suum, & nostrum
esse, *ut velimus.* Iterum, quia in priori
ait, cum volumus, Deum operari nobis-
cum; cum in posteriori dicat, solum
Deum præstare, quòd voluerimus.

14 Videntur tamen conciliari hæc
posse, si dupliciter consideremus posse
Deum adiuvere nos, ut velimus. Vno
modo, operando gratiam, qua nos exci-
tat, ut velimus; alio, operando ipsum
velle nostrum. Sic ergo in priori loco
ait August. Deum operari *sine nobis, ut ve-
limus;* hoc est, operari gratiam, qua nos
excitat, ut velimus. In posteriori ait,
Deum *nobiscum operari, ut velimus;* hoc
est, ipsum velle nostrum: quod fortè vo-
luit Caiet. *art. 2.* intelligens illud prius
de

August.
Suarez.
Lorca.
Vasq.
August.

Caietan.
de

Suarez.
Vasq.

Suarez.
Trident.
Gregor.
Ansel.
Bernar.
Ripald.
Vasq.

Ambr.

Perez.
Bellarm.
Caietan.
Sotus.

Suprà
disp. 2.

Suprà
disp. 2.

Araus.
Trident.
August.

de voluntate indeliberatâ, & istud posterius de deliberata. Cum autem in priori dixit, Deum cum volumus, nobiscum operari; intellige, cum volumus voluntate deliberatâ: quando verò in posteriori ait, quod voluerimus solas præstat, ponit vocem, quod, non pro coniunctione, seu adverbialiter; sed pronominaliter pro relativo ad rem à nobis volitam: quam scilicet sæpè solus Deus præstat, quamvis rei volitionem Deus, & nos præstemus. Sic se videtur explicasse subiungens: *Solas præstat posse bene agere, & semper bene vivere: ac si dixerit, solus Deus præstat id quod voluerimus, quia solus confert facultatem bene agendi, & vitam sempiternam: & clarius lib. de Ecclesiast. Dogmat. cap. 21. ubi, cum dixisset, Deum in nobis inchoare salutem, & nos acquiescendo vocationi consentire, subdit: Ut ad piscamur autem quod acquiescendo admonitioni cupimus, divini est muneris.* Consonatque Hieron. Dialog. 3. contra Pelagium, dicens: *Iam in Domini potestate est, ut id, quod cupimus, illius ope implere possimus.* Plura Authores cit.

15 Restat dubium, quod iam circa appellationem gratiæ adiuvantis tetigimus ad finem num. 5. an gratia cooperans fortiat rem, & nomen cooperantis, etiam si liberum arbitrium excitatum reipsa non consentiat. Negant Bellarm. Molina, Vasquez, & Mascareñas apud Montoyam disp. 36. sect. 6. idque videtur supponi ab Ant. Perez num. 24. quatenus gratiam cooperatam vult esse dumtaxat efficacem. E diverso tamen affirmat latè Montoya: & probat multipliciter: sed præsertim ex Tridentino definiente, liberum arbitrium assentiri liberè gratiæ excitanti, & adiuvantì, quæ, ut vidimus, explicatur sicut cooperans. Undè fit, quòd posset dissentire gratiæ cooperanti, sicut & excitanti, quin, defectu consensûs, desineret gratia esse cooperans, & adiuvens, sicut nec definit esse excitans. At responderi posset, posse dissentire gratiæ cooperanti, sicut & efficaci; faciendo scilicet quòd gratia illa excitans non fieret adiuvens, nec cooperans; sicut, quòd gratia illa sufficiens non fieret efficax. Magna ex parte videtur super hoc contendì de nomine, ut ipse fatetur Perez num. 43. sic concilians in re horum Authorum opiniones. Certè namque, si gratia cooperans, & adiuvens usurpetur,

August.

Hieron.

Bellarm.

Molina.

Vasq.

Mascar.

Perez.

Montoy.

Perez.

prout sonat actum secundum adiuvandi, & cooperandi, non talis appellabitur, donec illi accedat actus secundus consentiendi. Si usurpetur pro actu primo, quasi dicatur adiuvativa, & cooperativa, habebit ex se dictas appellationes, quamvis non accedat actus secundus consentiendi. Cõtendit autem Montoya, debere sic usurpari iuxta phrasim Scripturæ dicentis: *Charitas patiens est:* id est, reddens hominem paratum ad patiendum.

1. Cor. 13

16 Explicant alij gratiam operantem per auxilium, quo Deus operatur consensus nostros internos salutares; cooperantem verò, per auxilium, quo peragit opera externa. Sic indicarunt Sot. Caiet. Durand. Valentia, & alij apud Ripaldam. Sed profectò minùs è re, & è mente Augustini, aliorumque Patrum.

Sotus.

Caietan.

Durand.

Valent.

17 Aliam aliorum explicationem minùs aptam refert Ant. Perez num. 18. ex Vega lib. 6. in Trident. cap. 6. qui negare non ausus, cognitionem aliquam esse gratiam operantem, dixit esse cognitionem quamdam supernaturalem, quam anima non elicit activè, sed purè passivè recipit. Hoc non indiget impugnatione.

Vega.

SECTIO III.

In Prævenientem, seu Antecedentem, Comitantem, & Subsequentem.

18 MISERICORDIA eius præveniet me, Psalm. 58. Ecce gratiam Prævenientem, seu Antecedentem. *Non ego autem, sed gratia Dei mecum,* 1. Cor. 15. Ecce Comitantem. *Misericordia tua subsequetur me,* Psalm. 22. Ecce Subsequentem. Undè Trident. sess. 6. cap. 16. ait de gratia: *Bona eorum opera semper antecedit, comitatur, & subsequitur.* Ecce trinembrem Gratia divisionem in nostris terminis. Varias explicationes habes apud Suarez, & Vasquez.

Psal. 58.

1. Cor. 15.

Psal. 22.

Trident.

Suarez.

Vasq.

S. Thom.

19 Prima explicatio ex S. Thom. q. III. art. 1. vult, gratiam prævenientem esse Gratiam habitualement, quatenus animam sanctificat: ipsamque esse subsequentem, quatenus dignificat merita, & est principium perseverantiæ. Hæc explicatio abs re videtur excludere ab ista divisione gratiam actualem: cui potissimum aptari consuevit à Theologis, & Patribus.

Secun-

Vasq.

Fulgen.

August.

August.

Fulgen.

Gregor.

Perez.

August.

Trident.

20 Secunda vult, prævenientem esse illa auxilia, quæ iustificationem antecedunt; subsequentem verò, quæ deinceps providentur iustis. Sic infert Vasquez ex S. Fulgentio de Incarnat. & Grat. cap. 11. sic scribente: *Prævenit impium, ut fiat iustus; subsequitur iustum, ut non fiat impius: prævenit elisum, ut surgat; subsequitur elevatum, ne cadat.* Favetq; Magnus August. de Nat. & Grat. cap. 32. inquit: *Prævenit, ut sanemur; subsequitur, ut sani vegetemur.*

21 Tertia vult, prævenientem esse illam, quæ movet ad consensum internum; subsequentem verò, quæ post consensum iuvat ad executionem operis externi. Sicquæ indicasse videtur August. cap. 23. Enchir. ibi: *Notentem prævenit, ut velit; volentem subsequitur, ne frustra velit.* Et Fulgent. lib. 2. ad Monimum, cap. 9. ibi: *Deus donat indigno gratiam, ut, præveniente misericordia, bonum velle incipiat; & subsequente misericordia; bonum, quod vult, facere valeat.* Consonat S. Gregor. lib. 2. Moral. cap. mihi 10. alij 5.

22 Quarta vult, gratiam subsequentem esse quamlibet illam, quæ subsequitur post consensum nostrum liberum salutarem; prævenientem verò, seu antecedentem, quamlibet illam, quæ subsequentem præcedit: Sic Ant. Perez cap. 8. num. 37. Nititur verbis Augustini cap. 32. Enchir. dicentis: *Præcedit bona voluntas hominis multa Dei dona; sed non omnia: quæ autem non præcedit ipsa, in eis est & ipsa: nam utrumque legitur in sacris egijs: & misericordia eius præveniet me; & misericordia eius subsequetur me.* Ecce, inquit, in posteriori elogio comprehenduntur dona cuncta, quæ nostram bonam voluntatem subsequuntur; in priori autem reliqua, ad quæ nostra bona voluntas non præcedit; atque eadè, & ipsa nostra bona voluntas. Undè improbat explicationem illorum, qui solâ auxilia indeliberatâ vocant gratiam prævenientem.

Trident. Obijcit sibi Trident. sess. 6. cap. 5. ponens exordium iustificationis in gratia præveniente, id est in vocatione, qua nullis nostris meritis, excitamur: hæc autem non est nisi antecedens consensum nostrum. Retorquet tamen; quia Concilium ibidem etiam definit; initium iustificationis esse Fidem, quæ quidem involvit voluntatem liberam credendi. Deinde respondet, Fidem vocari initium, seu primum ex actibus liberis, quibus

disponimur ad iustificationem; ex actibus verò seu donis; tam deliberatis, quam indeliberatis, primum; seu exordium vocari gratiam præveniente in quo tamen non negatur; actus etiam; seu consensus deliberatos esse quoque gratias prævenientes ad alios subsequentes.

23 Explicationes istæ, quamvis aliquatenus videantur diversæ; non sunt tamen oppositæ: & omnes omnibus probatæ esse debent; quatenus à SS. Patribus in Scholas derivatæ. Præstat tamen ex omnibus probatiorem; & universaliorem colligere cum Suarez lib. 3. de Auxil. cap. 5. Card. Bellarm. lib. 10. de Grat. & lib. arbit. cap. 2. & Montoya disp. 38. de Prov. fusiùs; & luculentius de ijs differente. Itaque sic explicò.

24 Gratia Antecedens, est eadem, ac Gratia Excitans, Operans, sive Præoperans: nisi fortè antecedens nõ dicatur, dñ aliæ non subsequentur: quod tamen minime requiritur; ut dicatur excitans, & operans. Dicitur meritò; Præveniens: quia prævenit, & allicit ad consensum salutarem. Quocirca Trident. cit. cum dixisset; exordium iustificationis sumi à præveniente gratia, subdit: *hoc est ab eius vocatione: vocatio autem est gratia excitans, ut mox declarat ipsum Concilium.* Consonat oratio Ecclesiæ ad Deum. *Actio- nes nostras aspirando præveni, & adjuvando prosequere: ubi minus præveniendi tribuitur inspirationi: quæ ut; vidimus sess. 1. gratia excitans est.*

25 Gratia Comitans est eadem, ac Adiuvens, & Cooperans. Dicitur, Comitans: quatenus in consortio liberi arbitrii coëfficit cum ipso consensum salutarem: Pulchrè Bernard. lib. de Grat. & lib. arb. *Ipsa liberum excitat arbitrium, cum seminatur cogitatum; sanat; cum immutat affectum; roborat, cum perducit ad actum: sic autem ista cum libero arbitrio operatur, ut in primo; scilicet in seminandâ cogitatione, præveniat; & in ceteris comiteatur: ad hoc utique præveniens, ut sibi, deinceps cooperetur.* Expresit conceptissimè totam nostram doctrinam.

26 Gratia Subsequens est quæ sequitur ad liberum consensum. Quod trifariam intelligo: sive de illa, quæ datur ad continuandum consensum, & perseverandum in ipso; hæc enim iam subsequitur ad consensum primò elicutum: sive de illa, quæ datur post consensum inter-

Suarez Bellarm. Montoy.

Trident.

Orat. Eccles.

Bernard.

internum ad externam operis executionem: quæ, an sit dicenda novum beneficium gratiæ, an idem eum dato ad consentum discutiimus *disp. 6. sect. 4.* five de illa, quæ post unum consentum datur ad alios. Hæc enim omnia colligantur ex testimonijs August. & Fulgent. nuper adductis, & ex alijs per otium videndis apud Montoyam citatum.

Supra
disp. 6.

Montoy.

27 Inferuntur tria. Primum, Gratiam Comitantem, & Subsequentem extendi posse ad habitus virtutum, ut de adiuvante dictum est *sect. 1.* Secundum, dables esse gratias comitantes, & subsequentes distinctas à prævenientibus; coincidere tamen etiam posse tria hæc munera in gratiam eandem: in unam scilicet illustrationem, seu inspirationem, quæ sit gratia præveniens, quatenus antecederet ad consentum excitat; comitans, quatenus cū voluntate coëfficit consentum; & subsequens, quatenus, perdurans post consentum primò elicatum, suadet ulterius ad istius continuationem, seu ad operis externi virtuosam executionem. Tertium, Gratiarum harum divisionum non semper esse re diversas; sed ut plurimum eiusdem Gratiæ diversa munera.

28 Dubitantur duo. Primum: an Gratia subsequens intra rationem, & munus subsequentis, sit etiam comitans, & adiuvans. Secundum: an ratio gratiæ antecedentis, seu præcedentis, aptetur etiam cooperanti, & adiuvanti sub suo munere. Levissima sunt hæc.

Orat. Eccl.
106.

29 Respondetur ad primam affirmativè. Quia, quamvis gratia subsequens, ut præcisè talis, subsequatur consentum, sub hoc tamen ipso suo munere comitatur, imò & antecedit continuationem consentus; & iuvat, ac cooperatur ad executionem operis externi. In hunc sensum pro itinerantibus orat Deum Ecclesia, ut viam illorum præcedente gratia dirigat, & subsequente comitetur. Quo ad spiritualia accommodato, significatur, gratiam subsequentem ad internam voluntatem esse simul adiuvantem ad continuationem, & executionem.

Navar.
Alvar.

30 Ad secundum respondent etiam affirmativè, Navarretus in *Introduct. de Auxil.* & Alvarez *disp. 82.* supponendo, prædeterminationes physicas: quarum manus sit, non solum concurrere ad

consensum; sed etiam præviè agere prædeterminando liberum arbitrium, ut agat. Hæc tamen suppositione reiecta, respondetur per aliam viam iuxta duplicem intelligentiam gratiæ cooperantis, & adiuvantis; observatam *sect. 2. num. 15.* Si nomine gratiæ Cooperantis, & Adiuvantis, veniat etiam gratia cooperativa, & adiuvativa, ut vult Montoya, hunc conceptum non obstat rationi gratiæ prævenientis: quia totum id intelligitur antecederet ad consentum voluntatis. Si verò dumtaxat veniat gratia in actu secundo cooperans, hunc conceptum; utpotè non antecederet ad consentum voluntatis; quem involvit, obstat rationi gratiæ prævenientis.

Montoy.

SECTIO III.

In Efficacem, & SuffICIENTEM. Vbi de Adiuutorio Quo; & Sine quo non.

31 **V**T ab hoc postremo incipiam; huius divisionis gratiæ meminit viciè impius Calvinus; eiusque sedulus Fautor Iansenius Iprensis, certius, & septuagies: quibuscum; post Bezam, Petrumque Martyrem; loquuntur recentes Pseudo-Augustiniani, uti iacet in Theisibus Lovaniensibus anni 1683. prout retulimus *disp. 2. sect. 7.* Quippe gratiæ adiutorium, sive auxilium, Quo, dicunt esse illud, quo semper gratia necessariò obtinet arbitrij consentum, liberum quidem à coactione, sed non liberum à necessitate. Ideoque vocatur ab ipsis, *Gratia Vitræ, & invictissima*: talemque aiunt esse omnem gratiam auxiliatricem in statu naturæ lapsæ: gratiam enim in hoc statu purè sufficientem, respuunt, & monstrum appellant. Adiutorium, sive auxilium, *Sine quo non*, dicunt esse illud, sine quo consensus fieri non potest; cum illo tamen potest fieri, & potest non fieri ad libitum liberi arbitrij: talemque aiunt fuisse; & futuram fuisse in statu naturæ integræ, à quo Adamus lapsus est. Hanc divisionem, sic ex Calviniano explicatam, ait Iansenius, esse basis doctrinæ Augustinianæ; sed dixisset satius, Calvinianæ, & Iansenianæ.

Calvin.
Iansen.
Beza.
Petr. M.

Iansen.

32 Abutuntur in id, ut tritoris habent, verbis, quibus in aliud intentus utitur August. *cap. 12. de Correp.* sub ipsis vocibus adiutorij, Quo, & Sine quo non.

August.

Qui-

Supra
disp. 2.

Quibus tamen fideliter relatis, probum; ac verè Augustinianum sensum dedimus *disp. 2. sect. 7.* prorsus alienum à cavillis Calvinii, & Pseudo-Augustinianorum. Vide ibi dicta circa discrimen, quod isti ponunt inter auxilia naturæ integræ, & lapsæ: & prout ad præsens attinet, discite, ineptam prorsus esse divisionem gratiæ ab istis explicatam in auxilium Quo, & auxilium, *Sine quo non.*

Pighius

Malder.

Petar.

Decam.

Ripald.

Aguirr.
Reques.

R. P. N.
G. Thyrs.

Innocen.
X.

Innocen.
X.

Infrà
disp. 12.

Cotens.

Aguirr.

33 Eam in terminis reiecerunt Pighius *lib. 5. de lib. arbit.* propterea opprobrijs oneratus à Calvinistis, Malderus Episc. Antuerpien. *1. 2. de Divis. Gratia, dub. 11.* Petavius *lib. singulari de Adiuutorio, Sine quo non; & Adiuutorio, Quo.* Iterumque *lib. 1. de lib. arbit. cap. 5.* Dechamps *de Hæres. Iansen. lib. 3. disp. 3. cap. 25.* Ripald. *tom. 3. lib. 2. disp. 24.* & alios eruditè citans *sect. 2.* Cardin. de Aguirre *disp. 132.* quibus accessit Requesennius in *Additionibus ad Selectas in 1. 2. dist. 3. sect. 1.* adversus vindicias Augustinianas Henrici de Noris, & R. P. N. G. Thyrsi *tom. 4. disp. 5.*

34 Nobis contra prædictam explicationem auxilij Quo sufficere debet coëfio propositionis tertiæ Iansenianæ per Innocent. X. in Bulla super hoc expedita ann. 1653. eos damnantem, qui dixerint, quòd *ad merendum, & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas à necessitate; sed sufficit libertas à coactione.* Undè prædicta explicatio auxilij, Quo, pro natura lapsæ, & Gratiæ taliter victricis, & invictissimæ, ut adimat libero arbitrio libertatem à necessitate, damnanda est tanquam ad merendum per actus salutates ineptissima, & repugnantissima. Contra explicationem verò auxilij, *sine quo non*, est, quòd taliter contrahatur ad statum naturæ integræ, ut exterminetur ab statu naturæ lapsæ: in qua, inquit, non datur auxilium, quod non sit efficax; nec gratia, quæ non sit victrix, contra damnationem propositionis secundæ Iansenianæ ab Innocent. X. sub ijs terminis: *Interiori gratia in statu naturæ lapsæ nunquàm resistitur:* hoc enim est negare auxilium gratiæ purè sufficientem, de quo agemus *disp. 12.* Aliam explicationem auxilij Quo, & Sine quo non, conatur sibi accommodare Cotens *tom. 5. dissert. 1. cap. 2.* Sed certè plus sibi ipsi, quam Iansenistis adversatur cum manifesta doctrinæ suæ incoherencia, ut

35 Hac igitur Gratiæ auxiliantis inutili divisione cum prædictis explicationibus procul amandata, venit à nobis explicanda celebris inter Theologos gratiæ actualis divisio in Efficacem, & SuffICIENTEM. Ne verò terminorum equivocatione laboremus; dupliciter auxiliium Sufficiens, dupliciter Efficax dici solent. Vno modo dicitur Sufficiens còtradistinctim ab insufficiente, & præcisim ab eo quòd obrineatur, aut non obtineatur reipsa consensus: utpotè in eo præcisè stans, quòd obtineri possit: quo sensu auxiliium efficax est etiam à fortiori sufficiens: quia potest consentum obtinere, siquidem reipsa obtinet. Secundo modo dicitur sufficiens còtradistinctim ab efficaci: & sic est idem, ac inefficax, & purè sufficiens: quod nempè reipsa non obtinet consentum. Uno etiam modo dicitur auxiliium efficax, id est, ex magna sua virtute, intensione, & energia potentissimum, ac vehemens, quamvis ob renitentiam voluntatis, fortè non obtineat reipsa consentum: ad modum, quo medicamentum dici solet potentissimum, & efficax, quamvis interdum non inducat reipsa sanitatem: & fervidos Concionatores dicimus efficacissimè declamasse, quamvis duri peccatores non convertantur. Quo sensu capiunt multi cum Suar. verba Pauli ad Hebr. 4. *Virus enim est sermo Dei, & efficax:* & aliqua testimonia Augustini. Secundo modo dicitur præsius apud Scholasticos auxiliium efficax illud, quod reipsa obtinet consentum: quatenus nempè, præter virtutem illam, & energiam suam, habet reipsa obtinerè consentum liberum voluntatis nostræ. Sensus Scholarum proprius est uterque secundus.

Suar. 2.
Hebr. 4.

36 Explicantur itaque iuxta hos secundos sensus Gratia Sufficiens, & Efficax, quòd efficax est illa, quæ reipsa obtinet; sufficiens verò, sive inefficax illa, quæ reipsa non obtinet consentum. Hæc est sanior, & explicatio huius divisionis, quam statuunt Concilia, prædicant Sancti PP. & universim amplectuntur Scholæ Catholice, ut videre est apud Eximium Suar. *tom. 2. posthumo de Grat. lib. 4. cap. 1.*

Suar. 2.

37 Resistantur hinc & inde tam veteres, quam noviores Hæretici, à medio veritatis per extrema turpiter exerrantes. Semipelagiani, ut refert ibi Suarez, hanc gratiæ divisionem, traditam ab Augusti-

Et

gusti-

gustino, recusarunt: negantes gratiam efficacem: non quòd negarent, lapè homines actu bene operari auxilijs gratiæ excitatos; sed quia putabant gratiam solum conferre homini, etiam actu operanti, sufficientiam, hoc est, quòd posset bene velle; non verò, quòd actu bene velit: hoc enim soli tribuebant libero arbitrio. A quibus, sicut neque à Jansenianis, non satis discessit noviter Cotenfonus, simile quid motus de auxilijs Gratia collatis Angelis, primis Parentibus in statu naturæ integræ, & B. Virginii à lapsu immuni: quatenus ait, ea auxilia, cum fuerint similia ijs, quæ de facto à nobis, & pro nobis nos asserimus, omnia dicenda esse sufficientia, & nulla efficacia: quia adhuc quando cum illis vult voluntas, non dant velle, sed posse.

August. Trahantur in hunc sensum Augustini verba lib. de Corrept. ubi, contraponens modum bene operandi in Angelis bonis viatoribus, & in Adamo ante lapsum, cum modo bene operandi nostro post lapsum; illum in illis tribuit libero arbitrio: *per liberum arbitrium boni steterunt*; istum in nobis tribuit gratiæ per Christum: quæ gratiâ, non tantum tale adiutorium perseverantiæ datur; sed tale, ut eis perseverantia ipsa donetur: non solum, ut sine isto dono perseverantes esse non possint; verumetiam, ut per hoc donum non nisi perseverantes sint. Verba sunt Augustini; quæ tamen detorquet Cotenfonus ad gratiam semper victricem, semperque per se efficacem pro prædestinatis in statu naturæ lapsæ, ideoque dantem & posse, & velle; alioquin non daturam velle, adhuc quando volumus, si ab intrinseco sui solum esset sufficiens. Quid circa hoc dixerit Paulus Bennius, citans pro se aliquos Doctores Catholicos, lege apud Suarez. cit. eos explicantem, ut oportet.

Cotenf. Quæ tamen detorquet Cotenfonus ad gratiam semper victricem, semperque per se efficacem pro prædestinatis in statu naturæ lapsæ, ideoque dantem & posse, & velle; alioquin non daturam velle, adhuc quando volumus, si ab intrinseco sui solum esset sufficiens. Quid circa hoc dixerit Paulus Bennius, citans pro se aliquos Doctores Catholicos, lege apud Suarez. cit. eos explicantem, ut oportet.

Bennius dixerit Paulus Bennius, citans pro se aliquos Doctores Catholicos, lege apud Suarez. cit. eos explicantem, ut oportet.

Suarez. 38 Exerratio tamen ista corrigenda est ex Scripturæ locis: in quibus, nullâ factâ mentione dicti discriminis, gratiæ Dei attribuitur non solum, quòd possimus, seu quòd sufficientes simus; quin etiam, quòd actu bene velimus, & faciamus. Ephes. 2. *Gratia estis salvati per Fidem: & hoc non ex vobis: donum enim Dei est.* Philipp. 2. *Deus enim est qui operatur in nobis, scilicet per Gratiam, & velle, & perficere pro bona voluntate.* Ubi præcisim à suprascripto discrimine, atque adeò, quamvis gratiæ ab intrinseco sui tan-

tummodò sufficienti consentiat bona voluntas liberi arbitrij sic adiuti, tribuitur eiusmodi gratiæ adiutorio, sic efficaciam adepti, non solum posse, verumetiam velle, & perficere. In ijs, inquam, & similibus locis significatur satis Dei gratia efficax, quæ re ipsâ obtinet consensum bonum, & quâ, ut loquitur Augustinus, *facit Deus, ut faciamus*; & non solum, ut facere possimus; & ut ex illo ait Araus. 2. cap. 9. *Quoties bona agimus, Deus in nobis, ut operemur, operatur*; ut multis prosequitur Suarez cit. Explicatio igitur gratiæ verè efficacis, & dantis posse, & velle, quando re ipsâ volumus, sive in statu naturæ integræ, sive lapsæ, seorsim prorsus est ab eo quòd efficacia se teneat, aut non se teneat omninò ab intrinseco gratiæ: quod est alterius indaginis inter Authores Catholicos.

39 Nec obstat Augustinus nobis obiectus à Pseudo-Augustinianis, & à Cotenfono, & iam à nobis otiosus explicatus disp. 2. sect. 9. Nam in eo loci, sicut etiam in alijs similibus, non contraponit statum naturæ Angelicæ, & humanæ integræ, & statum humanæ lapsæ, in eo quòd in isto, & non in illo, tam posse, quam velle, attribuendum sit gratiæ Dei; atque adeò neque in eo quòd in isto & non in illo, gratia dantem & posse, & velle debeat esse ab intrinseco sui semper victrix, & efficax. Hoc enim & advertatur Augustino multis in locis luculenter expensis per Card. de Aguirre sect. 3. & ipsius Cotenfoni doctrinis advertatur, ut monstrat sect. 9. Quod autem dicit Augustinus de Angelis, *per liberum arbitrium boni steterunt*; non ideo dicit, quia neget, nos etiam per liberum arbitrium stare; cum de nobis disertissime dixerit etiam lib. 3. de Spir. & Litt. exponens Catholicam de Gratia, & libero arbitrio sententiam: *Consentire autem vocationi Dei, vel ab ea dissentire, propria voluntatis est.* Nec quod dicit de hominibus lapsis, *ut eis perseverantia ipsa donetur*, hoc est, ipsum velle, ac stare; ideo dicit, quia neget, Angelis etiam viatoribus, & homini in statu naturæ integræ, dum stetit, fuisse ex Deo per gratiam non solum posse, sed & ipsum etiam velle, & ipsum stare; cum totum hoc extendat ad Angelos etiam super Psalm. 30. & 70. & sæpè alibi.

August.

Araus.

Suarez.

Suprà disp. 2.

Aguirre.

August.

Sed

40 Sed ideo hæc duo sic dixisse Augustinum, tenendum est, nè falso fuatogue studio Augustinizandi à vera solidaque Augustini, & Ecclesiæ doctrina discedamus; quia, quamvis revera tam in Angelis, & hominibus integris, quam in nobis post lapsum, nec solius arbitrij, nec solius gratiæ sit perseverare, velle, seu stare; cum tam in illis, quam in nobis ipsum etiam velle sit ex gratia, consentiente libero arbitrio adiuto per gratiam ad posse, & ad velle; at in illis resplendebat secundum se maior, & expeditior indifferentia arbitrij: nam illi, ut verbis utar August. cap. 11. de Corrept. *in bonis erant*: hoc est immunes à motibus concupiscentiæ rebellis, & à tenebris ignorantia contractis per lapsum: in istis verò post lapsum indifferentia arbitrij dire concutitur, & propendet in malum: *quia in malis sunt*: quia scilicet à motibus appetitûs, prævenientibus, & interturbantibus rationem, inclinatur ad delectabilia, etiam turpia. Hæc verò inclinatio, & propensio compensatur in lapsis per gratiam Reparatricem, quæ sub hoc munere in Angelis, & in Adamo ante lapsum non resplenduit. Que hic desiderari possunt dedimus disp. 2. à sect. 7. Hæc satis, ut sincerè intelligamus, qua mente Magnus Augustinus, in dicto loco loquens de Angelis, & primo homine ante lapsum, tribueret eorum bene velle, & agere libero arbitrio; & in hominibus post lapsum adiutorio gratiæ. Non videlicet, quòd utrobique ipsum bene velle, non sit ex gratia, & ex libero arbitrio; sed ut in illo felicissimo statu

August.

Suprà disp. 2.


commendaret præstantiam liberi arbitrij à passionibus immunis, quamvis ad posse & ad velle, salutariter adiuti per gratiam, & in statu misero naturæ lapsæ, præstantiam gratiæ reparatricis, adjuvantis potentius, & uberius naturam lapsam adversus effrenas passionis, & motus inordinatos appetitûs, prævenientis rationem, quibus subiaccemus; neutriquam tamen necessitatem imponentes libero arbitrio. Relege dicta disp. 2. à sect. 7.

41 E diverso Calviniani, & novius Iansenistæ aliter recusant eam nostram Gratia divisionem, asserentes, in statu saltem naturæ lapsæ omnem gratiam auxiliantem esse intrinsece efficacem, semperque victricem; imò & necessitantem; & negantes gratiam inefficacem, & ex se tantum sufficientem: hanc enim monstrum appellat Iansenius Ypren. lib. 3. de Grat. Christi, cap. 3. fusè, doctèque reiectus à Decamps lib. 3. disp. 8. post Eminentiss. Bellarm. tom. 4. lib. 1. de Gratia, & lib. arbit. cap. 11. Sed de hoc nos iterum disp. 12. Sufficiat prò nunc contra exerrationem istam damnatio Innocentiana propositionis secundæ Iansenianæ: *Interiori gratia in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur.* Quo manet stabilita gratiæ divisio in efficacem, & sufficientem, eiusque nostra explicatio. Gratia namque, cui re ipsa resistitur, est sufficiens, & inefficax; cum non obtineat consensum liberi arbitrij: gratia verò, cui non resistitur per dissentiam, cum re ipsa obtineat consensum, est gratia efficax, & verè victrix.

Suprà disp. 2. Calvin. Iansen.

Decamp. Bellarm.

Infrà disp. 12. Innocen.



DISPUTATIO XI.

DE EFFICACIA AUXILIORUM DIVINÆ GRATIÆ.



VIC Titulo, expectatissimam præferenti huius Materiæ Controversiam, satisfaciens silentio sermone præstantius, & observatio iusta, ac religiosa Decretorum Apostolicæ Sedis, sub gravibus poenis, post ventilatam in conspectu Pontificis controversiam de efficacia auxiliorum, interdicens, evulgari Traditiones de hoc puncto. Quapropter P. Ripalda tom. 2. P. Oviedus in 1. 2.

Ripalda. Ovied.

Ec 2

Mon.

Gonet. Montoya *tom. de Providentia*, Gonet. *tom. de Gratia*: & ibidem Esparza cum; Esparz. & nos eorum obedientiam imitati abstinemus, à Disputatione de Efficacitate Montoy. auxiliorum: quæ fuit materia Romanæ concertationis inter Scholæ Leonar. Catholicas: & sine qua, ut exponunt Paulus Leonardus *part. 3. sect. 12.* & P. Ripal. da. *tom. 3. disp. 24. sect. 2.* multorum Scriptorum exemplo, præter nuper citatos, luculenter id comprobantiū, non stat absolutè Tractatio Theologica de Auxilijs, in supradictis Decretis iustas ob causas prohibita, donec Sanctæ Sedi, cui omnia subijcimus, aliter videatur expedire. Legendus pro cunctis Eximius Suarez *tom. Posth. de vera intelligentia auxiliij efficacis.* De cuius, sicut nec de secundi Tomi, etiam Posthumi de Gratia, editionibus, Suarez. non est, cur aut demiretur, aut conqueratur Gonetus in anteloquio ad Lectorem: cum in gratiam tanti Doctoris, eximiè de re Theologica benemeriti id permitti, fuerit opportunum: in ea præsertim tempestate, qua contra insurgentes Iansenistarum doctrinas, vera de Divinæ Gratia auxilijs Dogmata concutientes, usui singulariter esse possent in Ecclesiæ Sanctæ Dei subsidium, & obsequium.

DISPUTATIO XII.

DE SUFFICIENTIA AUXILIORVM Divinæ Gratia.

Suprà I
disp. 10.
sect. 4.



EXPLICATIONEM Gratia sufficientis dedimus *disp. 10. num. 34. & 37.* de qua nunc seorsim agendum est: tam pro statu naturæ puræ, quàm integræ, quàm lapsæ, ac reparatæ: quia diversitas horum statuum non interest ad doctrinam sufficientiæ gratia; cum auxilia non sint diversæ rationis essentialis pro statu reparationis, ac pro statu integritatis, ut contra Iansenianos ostendimus *disp. 2. à sect. 7.*

Suprà
disp. 2.

SECTIO I.

An in statu naturæ lapsæ detur verum auxilium Gratia purè sufficiens, & inefficax.

RECENTIUM Pseudo-Augustinianorum vox est, quod omnis gratia auxilians, quæ datur lapsis per Christum, est Gratia victrix, gratia intrinsecè efficax, gratia, cui nunquam resistitur, adiutorium, Quo semper operamur: addunt, & quo necessariò operamur. Dicunt enim, cum eiusmodi gratia auxilio non manere voluntatem liberam, seu immunem à necessitate: operatur enim sine potestate ad oppositum; quamvis maneat libera, seu immunis à coactione, quia non violentè, sed vo-

luntariè, ac libenter operatur. Hincque monstrum, immane, ac commentitium existimant, & obloquuntur pro statu naturæ lapsæ, auxilium gratia purè sufficiens, & inefficax. Authores habent Iansenium *Ypren. lib. 3. de Grat. Christi, cap. 2.* & alibi sæpè, apud Card. de Aguirre *disp. 132.* Michaelcm Baium apud Ripaldam *tom. 3. disp. 23.* Calvinum, Lutherum, & affectas Hæterodoxos apud utrumque ibi, & apud Decamps *lib. 3. disp. 3.*

3 Catholica doctrina est, dari in statu etiam naturæ lapsæ, & per Christum reparatæ, vera gratia auxilians inefficacia, & purè, verèque sufficientia. Conclusio est ita certa, ut Cabrera apud Malderum *Episcopum Antuerpien. l. 2. quest. 111. art. 3. dub. 5.* oppositum censuerit erroneum. Alias censuras refert Thyrs. *to. 1. disp. 17. sect.*

Iansen.
Baius.
Calvin.
Luther.
Aguirre.
Ripalda.
Decam.
Cabrera.
Malder.
R. P. N.
G. Thyrs.
sect.

sect. 18. §. 2. Nunc iam est de Fide, & oppositum censetur hæreticum, ut legere est apud Decamps *lib. 2. disput. 8. præsertim cap. 9. 10. 11. 12. & deinceps.* Sicque constat ex Bulla Innocentiana contra Iansenium, in qua damnatur, ut hæretica, hæc propositio: *Interiori gratia in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur.* Est ergo de Fide, in statu etiam naturæ lapsæ dari interiora gratia auxilians, quibus resistitur. Hæc ergo sunt auxilia gratia inefficacia, quæ scilicet reipsa non obtinent consensum liberi arbitrij, ad quem dantur. Id quod Spiritu Sancto plenus exprobravit Iudeis Stephanus Prothomartyr, *Act. 7. Vos semper Spiritui Sancto resistitis:* id est, Gratia Spiritus Sancti. Cum autem gratia efficaci nunquam resistatur, sequitur liquidò, dari in statu etiam naturæ lapsæ auxilia gratia minimè efficacia: ac proindè inefficacia, & purè sufficientia.

4 Hæc autem esse verè sufficientia, quod pervicaciter negant Hæretici, certum est nobis ex eadem Bulla, damnante ut temerariam, impiam, blasphemam, & hæreticam, hanc quoque propositionem: *Aliqua Dei præcepta hominibus iustis, volentibus, & conantibus, secundum præsentem quas habent vires, sunt impossibilia: deest quoque illis gratia, quæ possibilia fiunt.* Prævit Concil. Trident. *sess. 6. cap. 11.*

11. gravissimè docens: *Nemo temerariè illa, & à Patribus sub anathemate prohibita voce uti debet: Dei præcepta homini iustificato ad observandum esse impossibilia.* Et *Can. 18. Si quis dixerit, Dei præcepta, homini etiam iustificato, & sub gratia constituto esse ad observandum impossibilia; anathema sit.* Similiter definierat Araul. *Can. 25.* Et pro multis Sanctis Patribus do contra Pseudo-Augustinianos Augustinum *Serm. 191. de Temp.* cuius hæc sunt severissima verba: *Execramur blasphemiam eorum, qui dicunt, impossibile aliquid homini à Deo esse præceptum, & mandata Dei non à singulis, sed ab omnibus in communi posse servari.* Et similia scribit *lib. 2. de peccat. mer. cap. 6. & cap. 26. de Nat. & Gratia, & Serm. 61. de Temp. & sæpè alibi.*

Idem Basilii: idem Hieron. idem Clemens. 2. Idque, quod caput est, depromitur ex *Sacris Paginis. Deuter. 30. Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est; neque procul positum.* *Prov. 4. Viam Prov. 4. sapientiæ monstrabo tibi: ducam te per semi-*

tas equitatis: currens non habebis offendiculum. Undè est illud Christi, *Matth. 11. Injugum meum suave est.* Et *Luc. 19. Regnum Dei intra vos est.* Et *1. Ioan. 5. Mandata illius gravia non sunt.* Et *1. Corinth. 10. Fidelis Deus, qui non patietur, vos tentari supra id quod potestis.* Quomodo enim iugum suave? Quomodo non gravia mandata? Quomodo non tentati supra quod possumus; si quæ nobis præcipiuntur essent nobis impossibilia?

5 Nunc sic. Si prædicta auxilia inefficacia, quibus peccando resistimus, & dissentimus, non essent verè sufficientia ad consentiendum, sicque ad agendum id quod præcipitur, & ad non peccandum; opera præcepta essent homini peccanti impossibilia, hoc est, de re nobis impossibili, ad quam scilicet præstantdam non haberet qui peccat sufficientes vires, nec esset in eius potestate & libito, illas habere. Patet: quia non haberet ad eiusmodi consensum auxilium efficacax, seu, ut ij loquuntur, auxilium, quo gratia victricis; siquidem reipsa non consentit; imò peccaminosè dissentit: & præter hoc genus auxiliorum efficacium gratia victricis non datur lapsis, ut aiunt, in præsentem statu aliud genus auxiliorum inefficacium gratia, quæ sint vires sufficientes ad præstandum actum supernaturalem cadentem sæpè sub præcepto: nec esset in hominis sic obligati volentis, & currentis, manu, sed solius Dei miserentis, illud auxilium, quo, efficacax gratia victricis adesse. Ergo caderet sub præcepto, hic & nunc obligante, opus sibi impossibile, & ad quod nec habet vires, nec naturæ, nec gratia sufficientes; nec esset in eius manu pro libito, eas habere: sicque præceptum esset sibi impossibile secundum præsentem quas habet vires; & deesset ei gratia, quæ sibi possibile id fiat. Hæc autem liquidissima consequentia, est propositio damnata de Hæresi per Innocentium. Necessè igitur est, præter auxilia efficacax gratia admitti etiam inefficacia pro statu etiam naturæ lapsæ, quæ sint purè, verèque sufficientia.

6 Cedunt Baiani, & Ianseniani ex dogmatibus Calvinii, anathematizatis iam in Trident. huic argumento: concedentes nobis, indè concludi, Deum in natura lapsa iubere impossibilia; id tamen multipliciter defendentes, & explicantes.

Decam.
Innocen.
X.
Astor. 7
Innocen.
X.
Trident.
Araul.
August.
Basilii.
Hieron.
Clemens.
Ripalda.
Deuter.
30.
Prov. 4.

Matth. 11.
Luc. 19.
1. Ioan. 5.
1. Cor. 10.
Ref-

Baius.

7 Respondebat in primis Baius, pro statu solum naturæ integræ intelligi debere, quod Deus non iubet impossibilia; non verò pro statu naturæ lapsæ. Hoc tamen effugium iam præcluserat damnatio propositio-nis Baianarum, & Iansenianarum: in sensu scilicet ab *ijs Authoribus invento*, ut definiunt in suis Bullis Confirmatorijs Urbanus VIII. contra Baium, & Alexander VII. contra Iansenium: sensus autem ab illis intentus est ex ipsorum ore pro statu naturæ lapsæ. Et certè Scripturæ, Sanctorumque Patrum loca ad nos lapsos, & pro statu nostro præsentis loquuntur apertissimè. Ad-dendum, quod condemnatio primæ propositionis Iansenistarum per Alexandrum VIII. loquitur in terminis *naturæ lapsæ*.

Urban.

VIII.

Alexan.

VII.

Alexan.

VIII.

8 Respondent alij secundò, Deum iubere impossibilia nobis per vires nostras; possibilia tamen per vires gratiæ suæ, quas dare potest. Cæterum, aut istæ vires gratiæ adsunt nobis præsertim, dum obligamur ad opus, aut saltem adest nobis potestas pro libito nostro illas habendi; aut nec præsertim adsunt, nec adest nobis ea potestas, sed penes solum Deum independentem à libito nostro. Primum, & secundum recusant Baiani, & Ianseniani pro statu naturæ lapsæ; & admittunt tertium. Vndè homini sic constituto sine eiusmodi viribus gratiæ, & sine potestate eas sibi acquirendi pro libito suo, decernente Deo per decretum pro humano libito inevitabile, illas non dare; nec per vires suas, quas habet, nec per vires gratiæ, quas non habet est possibile opus, ad quod obligatur; ac proinde præceptum esset de re sibi impossibili: contra Regul. 6. iuris in 6. ex Bonif. VIII. *Nemo potest ad impossibile obligari*. Quod autem Deus possit, si vult, dare vires gratiæ, quid ad id refert, si non dat? Certè, quod possit Deus dare homini alas, quæ si darentur volare posset; aut, quod possit, catenatum solvere, qui solutus posset ambulare, non facit homini potestatem volandi, aut ambulandi, dum caret alis, pro libito suo inacquirilibus; & dum ligatur catenis pro libito suo insolubilibus; sed pro libito alterius, nolentis solvere: potestatem, inquam, volandi, & ambulandi, qua posset hic & nunc iuberi, & obligari ad volandum, & ambulandum.

Bonifac.

VIII.

Quod ita ex terminis clarum est, ut ad terminos clariores venire non possit. Et, nè longius ab ipsa quæstione divertamur, dicant Ianseniani: an in statu naturæ lapsæ posset Deus præcipere homini actum supernaturalem, ad quem nollit dare vires gratiæ, quamvis posset homo illum facere, si darentur? An in statu naturæ lapsæ posset nobis præcipere resuscitare mortuum, & alia patrare miracula nobis impossibilia; possibilia tamen, si daret ad id pro libito suo vires, quas dare non vult?

9 Respondent alij tertio: non posse Deum obligare hominem ad impossibile, quando impossibilitas non provenit à libito hominis; bene verò, quando provenit à libito hominis, ut provenit in natura lapsa in vindictam peccati originalis. Hæc responsio, & damnata est noviter per Decretum Alexand. VIII. ann. 1690. contra propositionem ibi primam: & prodesse nequit multis, qui pro statu etiam naturæ integræ dicunt, contradictorium esse, ac proinde impossibile, poni adimpletionem præcepti, & poni sine adiutorio, quo: quod tamen non habet qui re ipsa non adimplet, nec ad libitum suum est illud habere: & tamen obligatur: alioquin non peccaret. Hic, inquam, in casu primi sui peccati, cum non præcesserit culpa, in cuius vindictam sit ea impossibilitas; quomodo non obligatur ad sibi impossibile, impossibilitate non proveniente ex eius culpa, sive arbitrio? Deinde adversus alios sic arguo. Quod ea impossibilitas proveniat ex culpa præcedente, facit quidem quod inadimpletionem subsequuntæ præcepti de rebus iam impossibilibus revocentur in culpam præcedentem; non tamen facit quod committatur nova culpa tempore subsequenti, quo iam fuerat contracta ea impossibilitas: ut vel exinde patet, quod hoc tempore subsequenti post pristinam illam culpam, potest homo esse iam contritus, & iustificatus per gratiam, per quam pellitur culpa præcedens, & cum qua est incompatibilis nova culpa lethalis. Certè qui visu caret, aut Breviario, nec hodie potest pro libito habere, iuberi non potest recitare, nec peccat hodie non recitando, sive casu inculpabili utroque careat, sive culpabiliter heri eruerit sibi oculos, aut Breviarium combuserit: de qua

Alexan.

VIII.

qua culpa potest esse verè contritus hodie quando non recitat: non autem posset esse hodie verè contritus, si non recitare hodie propter impossibilitatem ex culpa præterita, esset novum peccatum hodiernum: quod luce clarius est: nec probamento indiget, sed lumine dumtaxat naturæ.

SECTIO II.

Operosior alia responsio discutitur, & refellitur.

10 **R**ESPONDENT alij quartò, distinguentes duplicem impossibilitatem, seu impotentiam: unam ex defectu requisiti insupplebilis à conatu nostræ voluntatis, quantumvis magno, qualis est defectus Breviarij in supradicto casu: in quo propterea impræceptibilis est recitatio: aliam supplebilem, utpotè ex defectu ipsius voluntatis, seu volitionis, quæ si adhiberet omnem conatum necessarium quem potest, impleveret facile præceptum. Hanc autem impossibilitatem dicunt componi rectissimè posse cum obligatione, & præcepto: posset enim implere, qui vellet: quodsi non vult, ideoque non potest, quis eum excuset? Et talem voluntatem esse in natura lapsa impotentiam ex defectu gratiæ vetricis: quæ gratia, inquam, est actus ipse charitatis infusæ: atque adeò posse est ipsum velle, & non posse est ipsum nolle: nam ubi adest ille actus, adest potestas, cum qua potest homo implere præceptum, & implet; & ubi actus deest, deest potestas, adestque necessaria impotentia, cum qua nequit impleri præceptum. Sicque in transgressoribus impotentia implendi mandata, proveniens lapsis ex defectu gratiæ sufficientis, talis est, ut loco impotentiam daretur potestas, si vellent. Velint ergo, & poterunt, & implebunt: quodsi nolint, ideoque non possunt; sibi imputent.

11 Qui legat hæc, aut audiat apud Baianos, & Iansenistas, eorum calliditatibus non assuetus, nihil ab ipsis doceri Catholicorum sententiam dissonam arbitrabitur. Ea tamen, si ad ipsorum mentem introspectantur, ad speciem potius, quam ad veritatem dici, & aliud verbis, aliud rebus intendi, facile comperientur: & contradictorijs sese implicantes,

interdum Hæreticis, interdum Catholicis; aut certè, re Hæreticis, verbo Catholicis adherescere velle. In primis enim, si hæc, ut sonant, de impotentia tantum consequente in Scholis Catholicis trita, & familiari vera sunt, nec in antecedentem ab ipsis invertuntur; quid, precor, paginas implent Augustini testimonij, ut contra Scholas Catholicas evincant, præcepta non solum obduratis, & excæcatis; sed interdum etiam Iustis esse impletu impossibilia? Dent saltem nobis, Augustinum de impotentia tantum consequenti loquentem: ut saltem nihil ipsis supersit, vel apparenter, in Augustino contra nos.

12 Illud, quod sibi assumunt, Gratiam vetricem, esse actum ipsum charitatis infusæ, est reducere ad actum perfectæ dilectionis Dei adiutoria cuncta gratiæ auxiliantis in statu naturæ lapsæ: quod est contra doctrinam Conciliorum, & SS. Patrum, alijs etiam, præter charitatis dilectionem, illustrationibus, & inspirationibus sanctis tributium passim rationem, & munus gratiæ auxiliantis, ut vidimus *disput. 2. sect. 1. & 5.* Quidquod, vel actus ille dilectionis est homini lapsi liber, vel necessarius. Si necessarius, quomodo in illum refundi potest libertas arbitrij requisita ad moralem imputationem? Si liber, salutaris, ac meritorius; ergo, cum ad nullum actum salutarem sufficiant naturæ vires ex Concilij, & SS. Patribus præsertim Augustino contra Pelagium sine viribus gratiæ; ad illum actum eliciendum præcedere quoque debet auxilium gratiæ actualis, de qua lis erat Augustino cum Pelagio. Recurrendum ergo prorsus est ad alia auxilia gratiæ actualis distincta ab actu charitatis infusæ. Et certè ante infusionem charitatis homo lapsus credit, timet, & sperat salutariter: ac proinde per auxilium gratiæ distinctum ab actu charitatis infusæ.

13 Deinde, cum primum peccat homo lapsus, vel habet ante transgressionem istam in sua potestate antecedente illud velle, quod dicunt esse gratiam lapsorum propriam, & ad implendum præceptum actus salutaris necessariam; vel non habet. Si non habet, ergo deest homini potestas antecedens ad habendum illud velle: sicque impotentia ad illud, atque adeò ad impletionem, erit

Suprà
disput. 2.

ante-

antecedens independenter ab actu volendi, aut nolendi, & à libito hominis; cum ante omnem volendi, aut nolendi actum præcedat in homine; ac proinde non proveniens ex volitione, nec ex nolitione, nec identificata cum ipso nolle, aut velle. Si habet; non certè ex solis naturæ viribus; cum ad opus salutare non sit integra potestas in sola natura, nè cum Pelagianis Augustino infensissimis abeant in Pseudo-Augustiniani: ergo ex viribus gratiæ auxiliantis, ex Augustino, & Concilijs necessariæ ad omne velle salutare. En igitur gratiam antecedentem auxiliantem, & in homine lapsa transgrediente præceptum verè sufficientem ad illud velle salutare efficax implere præceptum, quod tunc non adimplet, nec vult: at non gratiam victricem, & efficacem; cum præcesserit, quin tale velle sequutum fuerit: ergo purè sufficientem. Necessè ergo est, admittere in natura lapsa gratias auxiliantes verè, purèque sufficientes, nè præcipiantur lapsis impossibilia impossibilitate, seu impotentia, non solum consequente; quin etiam certissimè antecedente.

14 Præterea. Quæcumque sit gratia sufficiens saltem prima naturæ lapsæ, sive sit volitio, sive cogitatio, sive alia motio; eius donatio debet esse penes Deum in nobis sine nobis liberè operantibus: hoc est non valentibus pro libito nostro eam habere, aut non habere, iuxta commendatissimum Augustini effatum: *Si quispiam sibi tribuit quod venit vocatus; non potest sibi tribuere quod vocatus sit.* Undè, sicut sine merito nostro præcedente denegatur à Deo, quin hominis culpa, sed præcedens Dei voluntas fuerit, quod negetur. Ergo impotentia ex tali gratiæ denegatione est in nobis à solo Deo. Atqui impotentia nõ ex nobis proveniens, sed à solo Deo, est iuxta responsionem excusans ab obligatione præcepti, illudquè reddit irritum, ac inanè, utpotè de re aliundè, quàm à nobis, impossibilis: cum non homo sibi, sed Deus homini eam potestatem, sive gratiam sufficientem denegaverit: ergo impossibilitas, seu impotentia, quæ in re ponunt Lapsis ad divina præcepta implenda, excusaret transgressores ab obligatione præceptorum, & consequenter à peccato, nõ secus ac impossibilitas recitandi cæcum,

August.

aut carentem Breviario. Rursus. Impotentia inevitabilis ad libitum hominis reddit homini impossibilem adimplentionem impossibilitate antecedente, & excusat à peccato inadimplentionem: impotentia autem ex defectu gratiæ sufficientis est inevitabilis ad libitum hominis: quippè non habet in sua potestate eam donari, aut denegari, saltem ad primum actum meritorium.

15 Hinc cape, si potes, rhenas Pseudo-Augustinianorum. Dicunt in re, impossibilitatem adimplentionis antecedentem, & necessitatem antecedentè transgressionis pro libito hominis inevitabiles, stare cum libertate requisitâ ad peccandum: & dant rationem, quia sufficit ad peccandum sicut ad merendum libertas à coactione. Abyssus abyssum invocat, & error errorem: damnatum etiam hæreseos à Pontificibus contra tertiam Ypren. Jansenij propositionem sic prolata, & fulguritam: *Ad merendum, & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas à necessitate; sed sufficit libertas à coactione:* contra quam agemus disp. 25. sect. 2. Quando verò

Infrâ disp. 25.

16 Hinc aliter auxiliorum gratiæ purè sufficientem dogma comprobatur. Illis enim negatis, ut negantur à Baianis, & Iansenianis, eo ipso doctrinæ suo, quo sequitur Deum præcipere impossibilia transgressoribus, utpotè carentibus auxilio sufficienti ad adimplentionem; sequitur etiam, quod, si transgrediendo, ut volunt Ianseniani, peccant, necessariò peccant & demerentur, utpotè carentes auxilio sufficienti ad non peccandum; atque adeò sine libertate à necessitate: quod est hæresis damnata contra tertiam propositionem Iansenianam relatam *num. præc.* à nobis refutandam *diçtâ disp. 25.* Prorsus ergo necessarium

Infrâ disp. 25.

rium est, nè transgressoribus præcipiantur impossibilia, & nè sine libertate à necessitate peccent, parari illis à Deo ad actus supernaturales præceptos auxilia sufficientia gratiæ: quæ, cum effectum adimplentionis non obtineant, efficacia non sunt; ac proinde purè sufficientia.

17 Longum esset Scripturæ, Conciliorum, & Sanctorum Patrum in id sententias congerere legendas copiosè apud Ripaldam disp. 23. à sect. 5. & à Decamps disp. 8. Vnus loquatur Augustinus, quem suum esse ingeminant in Pseudo-Augustiniani. Lib. 83. quæst. q. 68. sic habet: *Ad illam canam, nec omnes, qui vocati sunt, venire voluerunt; nec illi, qui venerunt, venire possent, nisi vocati. Itaque, neque illi debent sibi tribuere qui venerunt, qui a vocati venerunt; nec illi, qui noluerunt venire, debent alteri tribuere, sed tantum sibi: quoniam, ut venirent vocati, erat in eorum liberà potestate. Vocatio ergo ante meritum, voluntatem operatur: qui autem vocatus non venit, sicut non habuit meritum præmij, ut vocaretur; sic inchoat meritum supplicij, cum vocatus venire neglexerit.* Et Tract. 53. in Ioan. *Ne quisquam neget voluntatis arbitrium, & audeat excusare peccatum, audiamus Dominum, & præcipientem, & opitulantem: iubenem quid facere debeamus, & adiutantem, ut adimplere possimus.* Hoc autem gratiæ iuvamen, etiam in reis transgressoribus, vocat lib. 3. de lib. arbit. cap. 16. *sufficientissimam facultatem:* & quidem in illis purè sufficientem, utpotè non efficacem. Iure proinde meritò Gregor. XIII. & Urban. VIII. inter 79. Baij propositiones hanc damnant ordine 54. *Definitiva hæc sententia, Deum homini nihil impossibile præcepisse, falso tribuitur Augustino, cum Pelagij sit.* Verè ergo tribuenda est Augustino.

Ripalda. Decaps.

August.

Gregor. XIII. Urban. VIII. Baius.

SECTIO III.

Defenditur Catholica veritas ab argumentis Baianorum, & Iansenistarum.

18 ARGVUNT primò. Gratia auxilij purè sufficientis, cui resistat homo lapsus, est gratia possibilitatis, admissa à Pelagianis, impugnatissimè ab Augustino lib. de Grat. Christi: ergo censenda non est gratia auxilians Theologica, quam adstruit Augustinus contra Pelagium: ac proinde omnis gratia medi-

cinis per Christum in natura lapsa est victrix, & efficacis, utpotè dans non solum posse, sed etiam velle. In antecedente probando laborat improbè Iansenius lib. 2. de Grat. Christi, præsertim cap. 9. attestans verba Pelagij apud August. cap. 4. sic loquentis: *Quod possumus omne bonum jacere, dicere, cogitare, illius est, qui hoc posse donavit: quòd verò bene vel agimus, vel loquimur, vel cogitamus, nostrum est; quia hæc omnia vertere in malum possumus.* Admissit ergo eiusmodi gratiam sufficientem Pelagius. Cui tamen Augustinus: *Desinat,* inquit, *ista dicere: non solum enim Deus posse nostrum donavit, atque adiuvat; sed etiam velle, & operari operatur in nobis.* Et mox: *Istam Dei gratiam (donantem nimirum etiam velle) in Divinis eloquijs manifestam, etiam Pelagius manifestè jaceatur.* Non ergo illam gratiam possibilitatis, seu sufficientem negavit: quæ propterea neganda est contra Pelagium ex Augustino. Simile argumentum nobis obijcitur ex Semipelagianis.

Iansen.

Pelag.

August.

19 Respondetur negando antecedens. Nam gratia possibilitatis admissa à Pelagianis ad quoslibet actus salutare, & à Semipelagianis ad initium Fidei, perquam longè distat à Gratia purè sufficiente, quam cum Augustino tuemur. Primò: quia illi eam ponebant in viribus naturalibus arbitrij indistinctam à beneficio creationis gratuita: & in hoc sensu abusivo, ac minimè Theologico illam vocabant gratiam; nos verò gratiam purè sufficientem, cui tamen possumus resistere, & sæpè resistimus, ponimus in adiutorio supernaturali illustrationis, & inspirationis Divinæ indebito naturæ liberi arbitrij iam creati. Secundò: quia Pelagius, qui priùs solum admittebat necessariam gratiam externam legis, & doctrinæ, postea admissit internam; at non, ut simpliciter necessariam, sed ut utilem: nos verò cum Augustino huius necessitatem asserimus ad actus singulos salutare. Tertio: quia Pelagianus neque quando per eam adiuti contentimus, volumus, & agimus, tribuebant ei agere, & velle; sed solum posse, aut facilius posse; agere verò, & velle, soli tribuebant arbitrio: nos autem & posse, & velle, & agere gratiæ tribuimus. Vide discrimina palmaria ex ipsis disputationibus Augustinum inter & Pelagium fideliter collecta. Et ipsi saltè Augustino

Et

crede

crede in lib. de Grat. Christi, sic de suis cum Pelagio disidijs concludenti: Si concesserit nobis Pelagius, non solam possibilitatem in homine, etiamsi nec velit, nec agat bene (ecce gratiam purè sufficientem, non obtinentem consensum, & opus)

August. sed ipsam quoque voluntatem, & actionem, id est, ut bene velimus, & bene agamus, quæ non sunt in homine, nisi quando vult, & bene agit: si, ut dixi, concesserit etiam ipsam voluntatem, & actionem divinitus adjuvari, & sic adjuvari, ut sine illo adiutorio nihil bene velimus, & agamus: eamque esse gratiam Dei per Iesum Christum D. N. in qua nos suâ, non nostrâ iustitiâ iustos facit, ut ea sit vera nostra iustitia, quæ ab ipso est; nihil de adiutorio gratiæ, quantum arbitror, inter nos controversiâ relinquatur. Quid ad hanc expressionem sincerissimam Augustini dicant Pseudo-Augustiniani?

20 Illud, quod ad calcem argumenti insinuatum est de Semipelagianis, perit hæc Iansenistarum propositionem: Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium Fidei: & in hoc erant heretici, quod vellent, eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere, vel obtemperare. Quam, in sensu ab Authore intento, ut postmodum ad compescendas multorum tergiversationes, & cavillationes, declaratum est ab Alexand. VII.

Alexan. VII. Innocen. X. falsam, & hereticam damnavit Innoc. X. falsam nimirum, quoad priorem partem spectantem ad quæstionem facti; Hereticam verò, quoad posteriorem, spectantem ad quæstionem iuris, verèque dogmaticam, coincidentem cum secunda propositione heretica eiusdem Iansenij, additâ iniquâ censurâ doctrinæ Catholicæ. Nec opus est aliâ responsione, quidquid Noviores renitantur: ut ingeminare liceat Augustinianum illud, Serm. 2. de verb. Apost. A Sede Apostolicâ Rescripta venerunt: causa finita est: utinam aliquando finiatur error.

August. 21 Arguunt secundò ex locis Augustini, quibus pro natura lapsa solum videtur agnoscere auxilium gratiæ victricis, sive adiutorium, quo, id est intrinsecè efficax; à differentia naturæ integræ, pro qua agnovit adiutorium, quo, id est efficax; & adiutorium, sine quo non, id est sufficiens, & inefficax: respuenda ergo sunt in statu naturæ lapsæ auxilia purè sufficientiâ gratiæ non victricis.

Dant autem rationem: quia nequit computari inter dona gratiæ id quod melius esset homini lapsò non habuisse, quam habuisse: atqui tale est auxilium purè sufficiens, cui resistit homo, & resistendo peccat: ergo immeritò computatur inter auxilia gratiæ. Vndè Sinnichius insipienter protulit in Thesibus Lovaniensibus ann. 1649. Gratia sufficiens statui nostro non tam utilis, quam pernicioza est: ut proinde meritò possimus petere: à gratia sufficiente, libera nos Domine.

Sinnich.

22 Vt ab hoc ultimo incipiam, blasphemia ista meritò iam damnata est per Decretum Alexan. VIII. ann. 1690. inter tres supra triginta propositiones huiusmodi Novatorum simul ibi damnatas ordine sexta. Deinde ad argumentum, antecedens est plusquam falsum. Præcipua Augustini loca, quibus in reprobum sensum abutuntur Pseudoaugustiniani, discussimus disp. 2. à sect. 7. undè corrumpit strues errorum Iansenij, & sequacium. Ad rationem, quam subdunt respondebitur sect. 6. Nunc ipsi sibi respondeant in auxilijs gratiæ sufficientibus à se admisis pro statu naturæ integræ: erantne meritò computanda inter auxilia gratiæ? Erantne talia, de quibus orare Deum possent homines sani, & integri, simulq; Angeli viatores: A gratia sufficiente libera nos Domine? An verò talia, ut grates dignas pro eis agere possent, ac deberent Deo munificentissimo largitori?

Alex. VII.

Suprà disp. 2.

23 Arguunt tertio ex verbis Pauli 1. Corint. 4. Quis enim te discernit? Quorum sensus est, non esse in hominis potestate discernere se ab alijs in ijs, quæ conferunt ad salutem: quod falsum esset, si lapsus posset gratiæ interiori pro libito consentire, aut resistere: sic enim consentiens se discerneret salutariter à resistens gratiæ sufficienti. At quid dicendum pro statu naturæ integræ? Quid pro angelis viatoribus, in quibus ij Authores admittunt auxilia sufficientia, qualia nos pro lapsis? Retorquetur igitur in arguentes telum Pauli, qui sententiam illam pro omnibus, etiam angelis protulit ex communi sensu Sanctorum Patrum cum Augustino.

1. Cor. 4.

24 Respondetur deinde, oportere hic discernere triplicem discretionem bene operantium à malè operantibus, prout in simili adnotavimus disp. 5. à num. 100. Ex quibus patet, non esse contra

Suprà disp. 5. sect. 7.

tra sensum Pauli; quod in actu secundo discernat se salutariter, & exercitè consentiens auxilio sufficienti à resistente: non utique viribus solius arbitrij; sed cum adiutorio divinæ gratiæ: cui partes præcipuas in ea etiam ipsa exercitâ discretionem tribuimus, postquam solius est Dei conferre, vel non conferre tale auxilium congruum huic, & non alteri: quæ est alia prior discretio solius Dei. Dicce ab August. cap. 5. de Prædest. ibi: Quisquis audei dicere: habeo ex me ipso Fidem; non ergo recepi; professò contradicere huic apertissimæ veritati Apostoli dicentis: Quis te discernit? Non qui à credere, vel non credere non sit in arbitrio voluntatis; sed quia in Electis preparatur voluntas à Domino: scilicet per gratiam: cui potius quam arbitrio, non nisi per ipsam elevato, & adiuto id agenti, tribuendum est.

August.

25 Urgent à ratione. Sequeretur enim, quod è duobus æquali auxilio sufficiente præventis, unus interdum consentiat, alter dissentiat: igitur ille se discerneret ab isto, non ex vi gratiæ; quæ par est utrique, sed ex vi solius arbitrij, suæque cooperationis, quam de suo exhibet præ alio. Tanti non est hæc instantia, quanti penditur ab Eminent. de Aguirre disput. 134. num. 33. Caterùm quanti quanti sit, solvatur ab arguentibus in Angelis, pro quibus admittunt auxilia sufficientia inefficacia: & explicetur, an, & quomodò iuxta Apostolum non à se ipsis, sed à Deo discernantur?

Aguirre.

26 Confirmant nunc validius eam rationem. Vel enim qui habet auxilium gratiæ sufficientis indiget ante operationem, ad hoc ut actu operetur, alio auxilio specie diverso pro solo Dei arbitrio dabili, & non pro libito creaturæ; vel non indiget. Si non indiget, ergo tota discretio refunditur in liberum hominis arbitrium: siquidem penes entitates auxiliorum sufficientium homines illi pares erant, & sine nova discretionè alterius disparis auxilij se tenentis ex parte Dei misericentis, unus pro arbitrio suo volentis, & currentis, consentit præ alio. Quid ergo ad illud Pauli: Non volentis, neque currentis, sed misericentis est Dei?

Rom. 9.

27 Si verò indiget, ergo illud auxilium sufficiens hominis dissentientis non erat sufficiens, imò potius insufficientis, utpotè simpliciter indigens ulte-

riori auxilio non dato, nec dando à Deo misericente homini, qui reipia non consentit. Probant hanc consequentiam: Auxilium verè sufficiens ad consentium tale debet esse, ut dissentientem reddat rationabiliter inexcusabilem de dissensu, & de peccato suo: sed prædictum auxilium sufficiens, indigens essentialiter, & carens ad consentiendum alio prærequisito, quod non est volentis neque currentis, tale certè non est, ut reddat dissentientem inexcusabilem: ergo non est in rei veritate, sed ore tenus sufficiens. Probant minorem: quia in promptu esset rationabilissima excusatio, quod nempe dissentiens destituitur prærequisito essentiali ad actu consentiendum, quod nec habet, nec pro libito suo potest sibi comparare, cum non sit volentis neque currentis, sed misericentis Dei. Sic certè, & non aliter excusatur rationabiliter à peccato non recitans, quando caret Breviario, vel luce, non pro suo, sed pro aliorum libito comparabili; qui tamen omninò id denegant.

28 Nec prodest respondere, hominem per illud auxilium sufficiens habere quando dissentit quidquid requiritur in actu primo ad posse consentire: nam illud aliud auxilium ulterius requisitum, non ad posse, ut sentire videntur arguentes de suo auxilio Quo; sed ad actu consentire, non se tenet ex parte actus primi. Sic qui non habet doctrinam, quamvis non habeat quidquid requiritur ut sit doctus, habet quod requiritur ex parte potentie, ut possit esse doctus. Non enim acquiescant obijcientes huic responsioni; imò iactant, facile se ituros in huiusmodi sufficientias, ut fatentur Litteræ Provinciales, Montalti, tunc Ianseniani, à me delatæ, & iam prohibita per Inquisitionem Hispanam: aiuntq; eiusmodi sufficientiam vocalem tantum esse, & reverà non nisi sufficientiam insufficientem.

Montal.

29 Quippè lex non præcipit dissentienti ijs auxilijs sufficientibus, ut in actu primo possit consentire: nam quoad hoc nullus habens eiusmodi auxilium sufficiens inobedit, cum omnes possint; sed præcipit ut in actu secundo consentiat, & obediat. Quamvis ergo per auxilium illud sufficiens habeat quidquid prærequisitum ex parte misericentis Dei ut possit; non habet quidquid prærequisitum ex parte Dei misericentis, ut actu

consentiat & obediat; siue hoc essentialè prærequisitum se teneat ex parte actus primi, siue non: dummodò se teneat antecederet ad actum secundum, & sit solius Dei miserentis, & non volentis neque currentis, quod ad rem perindè est: ergo non est auxilium gratiæ verè sufficiens ad id, quod Deus reipsa præcipit: ac proindè nec reddens inexcusabilem dissentientem de suo dissensu, & à peccato: sicut potentia visiva non reddit inexcusabilem hominem non recitantem, alioquin carentem libro, aut luce, non pro suo, sed pro aliorum, qui denegant, libito comparabilibus: undecumque se teneat necessitas illa libri, & lucis ad recitandum: dummodò hæc prærequisita, vel requisita necessariò sint ad actualem recitationem. Exemplum illud de doctrinâ vires argumenti potius auget, quam infringit. Quemadmodum enim qui nec habet doctrinam, nec est in eius libito illam habere, nequit inexcusabiliter obligari, ut sit doctus, nec dici potest habere verum, ac sufficiens posse esse doctum, quamvis habeat quoquo modo potentiam receptivam doctrinæ: quia nempe deest requisitum essentialè, ut actu doctus sit, quod ad esse non est in sua manu; similiter qui non habet requisitum essentialè, ut actu consentiat, nec est in eius manu illud habere, non potest obligari inexcusabiliter ad actu consentiendum, quamvis dicatur per auxilium, quod vocant sufficiens, habere quod requiritur ad posse; quia hoc qualecumque posse non est posse sufficiens ad consensum actualem, qui præcipitur, reddens inexcusabilem dissensum, qui exercetur.

30 Rursus. Huiusmodi posse est posse, quod non est verum posse: ergo auxilium sufficiens, per quod illud constituunt, est auxilium sufficiens, quod non est verè sufficiens: quod totum implicatorium est. Antecedens probatur: nam ad id, quod respectivè ad aliquem est impossibile, non datur in illo verum posse: alioquin iuberi possent homini sibi impossibilia, & illa de facto Deus iuberet, quod intendimus, aiunt Baiani, & Iansenistæ, contra Concilium. Atqui respectivè ad hominem, cui denegat Deus auxilium illud ulterius, quo actu reipsa consentiat, quodque haberi non est volentis neque currentis; est omninò impossibile

actu consentire: ergo in dissentiente, cui independenter à suo libito denegatur pro libito solius Dei eiusmodi auxilium quo, quamvis habeat aliud, quod dicitur sufficiens; aut non datur posse; aut datur posse, quod non est verum posse, nec sufficiens ad obligationem moralem inexcusabilem. Minor probatur: quia hominem sic pro libito Dei constitutum actu consentire, implicat manifestissimè contradictionem: hoc autem est esse impossibile apud omnes.

31 Si dicatur hominem habentem auxilium sufficiens, cui Deus pro suo libito denegat ulterius illud auxilium quo, verè posse consentire pro libito suo; non quidem, consentire sine ulteriori illo auxilio, quia in hoc est implicantiæ, sed consentire cum illo: in quo nihil est implicans. Contra, inquit: quia illud auxilium verè non habet: vel ergo habet saltem facultatem liberam illud sibi habendi; vel non habet. Si habet, ergo illud habere vel non habere esset in manu, & libito hominis, sicut & consentire, vel dissentire: sicque illud habere, volentis, & currentis esset; & non solius Dei miserentis. Si non habet eam facultatem, quomodò ergo habet facultatem liberam consentiendi: non quidem consentiendi sine illo, quia consentire sine illo, implicat; neque consentiendi cum illo, quia nec illud adest, nec adest homini libera facultas illud sibi habendi: ad summum ergo habebit homo ille facultatem conditionatam: consentiendi videlicet, si Deus miserens supererogaverit illud: sicque, & non aliter cadere posset obligatio consentiendi, scilicet sub conditione quòd Deus illud supereroget: quâ certè ex parte Dei non impletâ in homine dissentiente, non est in illo verè sufficiens facultas absoluta, atque adeò nec absoluta obligatio consentiendi, nec vera sufficientia reddens inexcusabile peccatum, quidquid sit de vocibus.

32 Nec integrum est recurrere ad anteriora peccata vsque ad originale, in quorum vindictam denegat Deus lapsis ulterius illud auxilium quo gratiæ victricis: ut verum sit, hominem esse inexcusabilem, cum culpâ suâ illo careat. Huic enim estugio præclusimus aditum nu. 9. Tum quia sic nobis, aiunt ij, integrum erit similiter recurrere, ad denegandum iustè

iustè lapsis auxilium quoque sufficiens, quin propterea excusetur ab obligatione præceptorum, & à peccato. Et tandem, quid dicendum pro Angelis viatoribus, & pro primis hominibus ante peccatum?

33 Atque hinc probatâ, ut iactant, insufficientiâ gratiæ pro illis, qui reipsa non consentiunt; subinferunt impossibilitatem observandi mandata, & necessitatem peccandi; quia qui peccant inobediendo, non habent vires sufficientes, ut evitent peccatum, & obediant: aliaque absurda contra Fidem, & mores.

34 Prolixiori huic, molestoque argumento, aliquibus, ut puto, difficili, ut videre est apud cit. de Aguirre; respondemus nos facilè, transmissio primo antecedente, quod nunc non disputo, de æqualitate auxiliorum in esse physico, & non in esse morali beneficij; negando consequentiam deductam nu. 25. Nam quòd unus habens auxilium dissentiat, non facit, quòd alter consentiens habens auxilium entitativè æquale, & consentiens, non consentiat ex vi gratiæ quam habet, & sine qua non posset consentire: sicque non ex vi solius arbitrij se discernit; sed ex vi gratiæ præcipuas ibi multòque potiores partes agentis ad consensum, & cooperationem salutarem, & elevantis vires arbitrij cooperantis ad consensum, & ad discretionem istam exercitam in actu secundo.

35 Ad confirmationem nu. 26. admittimus posteriorem partem dilemmatis; scilicet, habentem auxilium gratiæ sufficientis non indigere ante operationem, ad hoc ut actu operetur, alio auxilio intrinseco specie diverso pro solo Dei arbitrio dabili. Ad impugnationem brevem huius partis, negamus, ex ea sequi, discretionem vnicè refundi in liberum arbitrium. Nam discretio penes specialem benevolentiam æternam Dei, volentis dare huic homini auxilium congruum, cui præcivit consenturum, ex qua, nec ex simili benevolentia non vult alteri dare auxilium congruum, cui præcivit consenturum; solius Dei miserentis est: alia quoque discretio re ipsa dandi temporaliter huic auxilium quod re ipsa est congruum, & non alteri; solius Dei miserentis est, & non hominis volentis, & currentis iuxta propriissimum sensum verborum Pauli. Quòd autem tertia alia

discretio exercita consentientis à dissentiente non sit cum tota illa proprietate solius Dei, taliter ut non sit etiam liberi arbitrij humani, divinitus adiuti, & elevati per gratiam, cui potissimum tribuitur; sed taliter ut multò potius Deo miserenti, quàm homini sic volenti, & currenti, proût opus est ad libertatem, laudem, & meritum arbitrij; non est cõtra sensum, & verba Pauli: fortè quoad hoc utentis Hebraismo, quo per negationem significari solet quod respectivè ad aliud multò inferius est: ut est illud Matth. 12. *Miseriam volo, & non sacrificium*: id est, multò magis, quàm sacrificium: ut videre est apud Cornelium super hunc locum Apostoli. Alioquin desipuisset Magnus Augustinus totam doctrinam huius responsionis paucis complexus disertissimè lib. 83. quæst. q. 78. sic nos edocens: *Si quisquam sibi tribuit quòd venit vocatus*: ecce tertiam discretionem, à qua non omnino excludit ipsum venientem, id est volentem, seu currentem: *non potest sibi tribuere, quòd vocatus sit*, ac proindè, quòd voluerit Deus illum vocare, aut sic vocare: ecce primam, & secundam solius Dei miserentis, nullatenus homini volenti, & currenti tribuendam: & nota, quo cum discrimine de illis loquatur pro nobis Augustinus. Prolixiores impugnationes alterius partis dilemmatis, responsionem istam nostram minimè feriunt.

SECTIO IV.

Quartum argumentum ex utilitate orationis pro gratia ad posse.

36 ARGVUNT quartò ex August. cap. 15. de Nat. & Grat. dicente: *Itaque præcepto facere commonemur, quòd conantes, & nostris viribus non valentes, adiutorium Divinum precemur*. Et cap. 43. *Non igitur Deus impossibilia iubet; sed iubendo admonet, & facere quod possis, & petere quod non possis*. Et cap. 69. *eo quippe ipso, quo firmissimè creditur, Deum iustum, & bonum impossibilia non potuisse præcipere, hinc admonemur, & in facilibus quid agamus, & in difficultibus quid petamus*. Et lib. de Spir. & Litt. ibi: *Lex iubet, ut admonet, ut cui iubetur, si nondum potest, sciat quid petat: Si autem continuo potest, & obedienter facit, debet etiam scire, quo donante potest*.

potest. Et cap. 3. de Perf. iust. contendenti Celestio, præcepta debere esse possibilia, & interroganti, cur præciperetur quod fieri omnino non posse? Respondet: Consultissime hominum præcipi, ut rectis passibus ambulat, ut cum se non posse perspexerit, medicinam requirat: Idque paulò ante declaraverat sic: Cum videmus claudum, qui sanari potest, rectè utique dicimus, debet homo iste esse sine claudicatione; & si debet, potest: nec tamen, cum vult, continuo potest; sed cum fuerit, adhibita curatione, sanatus, & medicina adiuvet voluntatem. Et cap. 18. de Grat. & lib. arbitr. Pelagianis similiter obijcientibus occurrit similiter: Magnè, ait, aliqua Pelagiani se scire putant, quando dicunt: non iubere Deus quod sciret ab homine non posse fieri. Quis hoc nesciat? Sed ideo iubet aliqua, quæ non possumus, ut noverimus, quid ab illo petere debeamus. Unde Trident. sess. 6. cap. 11. fahxit: Deus impossibilia non iubet; sed iubendo monet, & facere quod possis, & petere quod non possis.

Trident.

37 Ex ijs, inquam, arguunt sic. Ergo ex August. & Trident. non potest interdum homo præcepta servare: quippè moment hominem orare, & petere, ut possit: si autem iam posset, ad quid peteret, ut possit? Ergo quia caret gratia sufficiente: si enim hæc adesset, non deesset posse, nec esset orandus Deus, ut daret posse. Idquod non solum docent de obduratis, & excæcatis; sed ad iustificatos etiam extendunt: nam Tridentin. de ijs præcipuè loquitur: quippè capaces potius sunt admoneri, ut Deum orent.

38 Respondetur in primis, hic tam ab Augustino, quàm à Tridentino supponi semper gratiam saltem sufficientem ad orandum, atque adeò non deesse potestatem homini, ut sibi præcepta possibilia fiant: in quo offendit cæcè postrema pars primæ propositionis Iansenianæ damnata. Deinde nec Augustinus, nec Concilium admittunt unquam, imò constanter refugiunt, & negant, hominem obligari præceptis, quæ implere non possit: & Pelagianis assumptibus, Deum non iubere impossibilia, non negant hoc assumptum; sed quod inde subinferebant, scilicet non esse necessariam gratiam, ut posset homo implere præcepta. Stat ergo, præcepta non esse impossibilia, & gratiam ulteriorem non esse necessariam, ut possint impleri, si gratia sufficiens adsit, ut verè adest, etiam

obduratis, & excæcatis, urgente obligatione; secus, si non adesset: ut errant Pseudo-Augustiniani, sic iniquissimè arguentes ex Augustino finitè usurpato:

39 Præterea. Impossibilitas, quam oratione vincendam ait August. non est physica, & omnimoda impotentia; sed magna difficultas composita sæpè cum absoluta potestate sufficiente ad libertatem, & imputabilitatem. Id quod Sanctis PP. solemne est. Sic Nazianz. orat. 36. de Theolog. 4. ibi ad medium: Quarta significatione hoc fieri non posse dicitur, quo nostra voluntas abhorret: cuiusmodi est illud: non poterat illic signa facere propter incredulitatem eorum: cum certè, non obstante eà incredulitate, posset absolute Christus signa facere: à quo tamen abhorrebat. Sic etiam Anselm. disertissime cap. 3. de Concord. Grat. & lib. arbitr. ibi: Quod autem quidam experimento existimant probare; nihil valere liberum arbitrium; quia multè immenso conatu nituntur; urbane vivant, & quadam, ut aiunt, impossibilitate obstante, nihil proficiunt, aut post profectum irreperabiliter deficient; non destruit quod rationabiliter monstratum est, liberum scilicet arbitrium cum gratia valere. Ut autem nitentes non proficiant, aut post profectum deficient, non impossibilitate; sed aliquandà gravi, aliquando facile superabili difficultate fieri existimo. Sapissime namque asserere solemus, impossibile nobis esse quod sine difficultate perficere non valeamus. Et, quod caput est, August. ipse impossibilitatem à se assertam ad difficultatem revocat; cap. 69. de Nat. & Grat. ait: Eo quippè ipso, quo firmissimè creditur, Deum iustum, & bonum impossibilia non potuisse præcipere; hinc admonemur, & in factibus quid agamus, & in difficultibus, quid petamus. En, quæ vocaverat impossibilia, revocat in difficultia. In Psalm. 106. Invenit ergo se ligatum difficultatibus cupiditatum, & non posse propter compedes ambulare: inclusum se sentire difficultate vitiorum, & tanquam muro impossibilitatis erecto, &c. En, quomodo difficultatem promiscuè usurpat pro non posse, & pro impossibilitate. Et lib. 3. de lib. arbitr. cap. 18. cum præmississet, in pœnam à Deo dari, ut qui rectè facere, cum posset, non nititur posse, cum velit; dat rationem: nam sunt reverà peccanti duo ista pœnalia, ignorantia, & difficultas: ubi difficultatem numerat inter ea, per quæ amittitur posse. Prævit Arist. 1. de

Nazian.

Anselm.

August.

Aristot. de Cæl. 11. distinguens: Impossibile dupliciter dicitur: aut enim, quia verum non est dicere, ortum esse posse; aut quia non facile, nec citò, nec bene oriri potest. Sequitur est S. Thom. 3. p. q. 86. art. 1. dicens: Illud non posse sanari, quod non potest de facili sanari. Id quod ex multis illustrat perbellè Cornel. ad illud Hebr. 6. Impossibile est enim, eos qui semel sunt illuminati, &c. rursus renovari ad pœnitentiam.

Alapid. Hebr. 6.

40 Eam autem fuisse sæpiùs intelligentiam Augustini, suadetur à ratione: Quia cap. 3. de Perf. iust. ait, eiusmodi impossibilitatem esse quam experitur homo, ideoque ad orandum movetur, ibi: Ut cum se non posse perspexerit, medicinam requirat. Et super Psalm. 106. Conatur, & non potest, ligatum se sentit, exclamat ad Dominum. Et cap. 47. de Virginis. Latent ista in facultatibus, & viribus animorum, tentatione panduntur, experientia propalantur. Et tract. 96. in Ioan. concludit: Unde Petrus, qui hoc se iam posse præsumperat, aliud expertus est, quàm putabat. Atqui sub eiusmodi experientiam cadit quidem difficultas arcens ab operatione; non verò impossibilitas physica tollens sufficientiam ad operationem: ergo illam, & non istam intelligebat Augustinus. Minor ostenditur. Vel enim vult efficaciter homo implere præceptum, vel efficaciter non vult. Si non vult efficaciter, non propterea experitur, se non posse, sed se non velle: cum multa possumus, quæ non volumus ob difficultates occurrentes, quas quidem experimur, & quibus succumbimus. Si vult efficaciter, clarius est, quòd non experitur impossibilitatem ad id quod opere præstat, quamvis experiatur difficultatem. Quod si opere non præstat impletionem, unum est è duobus: aut illud velle non est verè affectivè efficax, sed inefficax, & languidum, succumbens difficultatibus; aut nec in volente efficaciter est vera sufficientia ad impletionem pro libito suo affectivè ponendam. Id enim patentissimi discriminis est inter volitionem operis, ad quod sunt omnia requisita in manu voluntatis; & ad quod non sunt: quòd illud, eo ipso quòd a sit volitio verè affectivè efficax, ponitur effectivè; & ex eo quòd non ponatur, arguitur non admissè volitionem affectivè efficacem, sed inefficacem, & languidam: ut in eo qui vult recitare, & non querit lucem, aut librum,

cum querere possit: istud verò, quamvis ad sit volitio verè efficax affectivè, sæpè non ponitur: & ex eo quòd non ponatur, non arguitur non admissè volitionem affectivè efficacem: ut in eo qui verè vult recitare, & non recitat, quia non est undè sibi inveniatur lucem, aut librum: ideoque hæc volitio, & non illa reputatur pro facto quoad excusandam a peccato omissionem recitandi. Itaque conatus voluntatis inexpleri, ex quibus argui solet ea impossibilitas, sunt affectivè inefficaces, qui difficultati cedunt, quin affectum efficacem pariant: & hæc difficultas est, quæ cadit sub experimento; non verò physica, & absoluta impossibilitas. Undè nomine impossibilitatis solum intellexit Augustinus difficultatem, quæ scilicet subest experientia, & movet ad orandum, ut tollatur, aut vincatur.

41 Respondetur ex ijs aliter, impotentiam implendi præcepta in illis locis assertam, oratione ad Deum subveniendam, si quid est aliud ultra prædictam difficultatem, non quidem esse impotentiam antecedentem ex defectu gratiæ sufficientis; sed consequentem ex defectu gratiæ efficacis, pro qua oratur, utpote provenientem à defectu volitionis efficacis, & robustæ, quæ homini tunc absolute libera est, & ad præceptum implendum necessaria. Augustinus enim eam tribuit volentibus implere, & non implentibus; ac proinde non efficaciter, sed inefficaciter, & languidè volentibus, iuxta illud: Vult, & non vult piger: quippè petens gratiam ad præceptum implendum, iam aliquantulum vult, & desiderat implere, quamvis non efficaciter velit, si dum obligatur non implet. Illi igitur adest gratia sufficiens ad illud bonum desiderium inefficax; atque adeò ad efficax; cum utrumque sit bonum, & supernaturale, & circa idem obiectum, & per eadem principia elicibile: ideoque idem auxilium, sicut idem habitus sufficiens ad desiderium inefficax, est quoque sufficiens ad efficax: & penes arbitrium est concipere efficax, seu inefficax. Undè, quòd non concipiatur desiderium efficax, non est ex defectu auxilij sufficientis, sed ex defectu cooperationis arbitrij, difficultatibus, aut tentationibus succumbentis, & sibi eam impotentiam consequenter imponentis.

Prov. 13.

Audi

August. 42 Audi Augustinum cap. 15. de Grat. & lib. arb. Per hanc, inquit, gratiam, scilicet eandem, etiam fit, ut ipsa bona voluntas, quæ iam esse cepit, augetur, & tam magna fiat, ut possit implere Divina mandata, quæ voluerit, cum valde perfectèque voluerit. Et cap. 16. Ad hoc enim valet quod scriptum est, si volueris, conservabis mandata: ut homo, qui voluerit, & non potuerit, nondum se plenè velle cognoscat. Vbi non posse explicat per non plenè velle; & tam plenè, quàm semiplenè velle ponit in hominis arbitrio sic adiuto, & antecedenter potente; ac proinde non est non posse antecedens ad nò velle. Quoniam verò sæpè deest plenè velle propter difficultates, & quia verè donum Dei est faciens re ipsa impleri præcepta, à Deo petendum hortatur sic: *Et ore, ut habeat tantam voluntatem, quanta sufficit ad implenda mandata: sic quippè adiuvatur, ut faciat quod iubetur.* Eadem non semel inculcat in eodem, & seq. cap. Vnde lib. 8. Confess. cap. 5. de se scribit: *Ego cum deliberabam ut iam servirem Domino Deo meo, sicut diu disposueram; ego eram, qui volebam, ego qui nolebam: ego, ego eram: nec plenè volebam, nec plenè nolebam.* Et mox: *Voluntas autem nova, quæ mihi esse cepit, ut te gratis colerem, fruique te vellem, nondum erat idonea ad superandam priorem vetustatem roboratam: scilicet, quia nondum erat satis efficax, & robusta: nam, ut ait cap. 36. de Spir. & Litt. Fieret perfecta iustitia, si tanta voluntas adhiberetur; scilicet volitio omninò efficax; quanta sufficit tantæ rei.* Ad hanc ergo voluntatem revocat posse; & ad oppositam voluntatem revocat non posse, ut disertè firmavit tract. 53. in Ioan. ad illud ex Isaia de Iudæis, quod non poterant credere, dicens: *Quare autem non poterant, si à me quaratur; citò respondeo: quia nolebant.* Similiterque Chrysost. Homil. 67. in Ioan. non potuerunt autem: hoc est, noluerunt: hoc ex communi sermone usurpatum videmus, cum quis dicit, non possum asperum hominem diligere. Cyrill. li. 5. in Ioan. ad illud: *quo ego vado, vos non potestis venire: gloriatur: Non ob negandam bene agendi facultatem: en potestatem antecedentem gratiæ sufficientis; sed ob propriam animi vestri malignitatem, viam salutis amplecti recusantem.* En quàm sit in usu SS. Patrum impotentia consequens ad libitum arbitrij habentis ex gratia sufficienti potestatem antecedentem.

43 Ex doctrina utriusque responsionis diluitur in forma argumentum initium num. 37. distinguendo consequens: non potest potestate absolutâ, & antecedente, nego: potestate de facili, aut consequente ad nolitionem arbitrij inobedienter renitentis, concedo. Hæc autem impotentia sufficit, ut admoneamur ad orandum Deum, quando sic non possumus: humiliter scilicet, & suppliciter precando, ut aut minuat Deus difficultates nos deterrentes ab adimplitione præcepti; aut donet auxilium gratiæ potentius, & intensius, ampliùs, & ampliùs nos corroborans; aut illud certè donet quod prænovit futurum efficax. Dices: si penes arbitrium est, ut hæc gratia sufficientis sit efficax, petere à Deo auxilium efficax, est petere à Deo quod à nobis ipsis iam obtinere possumus, dummodò velimus: quæ foret impertinens oratio. Respondetur: dato, quod penes arbitrium, adiutum quidem, hæc gratiâ sufficienti antecedenter sit, quod hæc sufficienti gratia præsens sit efficax: at non est penes arbitrium hominis, sed solius Dei, quod à Deo detur, vel non detur alia, quæ prænotatur fore efficax: eamque præsentem à Deo dari, opportunissimè, ac utilissimè precamur: itemque, quamvis penes arbitrium hominis sit, quod hæc sufficienti gratia præsens sit efficax; at hoc ipsum, quod est fieri efficacem per consensum nostrum, est dependentissimum à Deo: ideoque utilissimè consensus ipse noster, utpotè beneficium etiam Dei, &, ut habet Ripalda Rom. 2. disp. 103. sect. 4. & 5. gratia ulterior Dei, petitur à Deo: & eò utiliùs à Deo, quàm à nobis, quò fidentiùs possumus, ac debemus, illum à Dei bonitate, quàm à nostra fragilitate sperare, ut in simili diximus disp. 9. sect. 10. Hinc negatur secunda consequentia. Quia, quamvis non careat gratiâ sufficienti, quæ est antecedens, & absolutum posse, caret sæpè gratia, aut etiam sufficienti potentiore, quæ det faciliè posse; aut quæ prænota fuit datura non solum posse, sed re ipsa velle: & pro ijs tunc orare rectissimè exhortamur ab August. & Trident. non pro posse gratiæ præcisè sufficientis, quam præsentem habemus ad implenda præcepta, dum ad implentionem obligamur.

SECTIO

SECTIO V.

Quintum argumentum ex necessitate peccandi, & ex obligatione ad impossibilia.

44 ARGVUNT quibò. Tota hæc gratiæ purè sufficientis Theologia nititur præsertim in illis proloquijs, quod Deus non præcipit impossibilia; nec homo necessitatus ad peccandum peccat: Sed hæc proloquia in multis fallunt; ergo fallit, & ruit nostra gratiæ purè sufficientis doctrina. Minorem probare aggrediuntur multipliciter.

Rom. 7. 45 Primò ex Apostolo, Rom. 7. ibi Non enim quod volo bonum hoc facio; sed quod nolo malum hoc ago: si autem quod nolo illud facio, iam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum. Priora verba indicant, mansisse in nobis post originale prioris status scintillam, ex qua est quod homo velit bonum; &, ut mox subdit Apostolus, quod condelectetur legi Dei secundum interiorem hominem. Posteriora: sed quod volo malum, &c. pandunt necessitatem peccandi. Quippè qui facit quod facere non vult, ex necessitate facit: sicut ex necessitate ad suspendium it, qui nolens it. Cum ergo pro se & pro nobis peccatoribus fateatur Paulus, se facere malum nempe peccatum, nolendo tacere malum, fatetur, se ex necessitate peccare. Idque significamus cum dicimus, post originale mansisse genus humanum captivum sub lege, id est, sub dominio peccati ad servendum peccato: Roman. 6. *Ut ultra non serviamus peccato: exercitium enim servitutis non est liberum captivo.*

Rom. 6. 46 Secundò ex Milevitatio Can. 4. ubi damnatur qui dixerit, *Gratiam Dei per Christum ideo tantum invare nos ad non peccandum, quia per ipsam scimus quid appetere, & fugere debeamus; non autem, ut quod faciendum novimus facere valeamus.* Et Can. 5. ubi damnatur qui dixerit: *Gratiam iustificationis, id est, quæ conducit ad iustificationem, ideo nobis dari, ut quod facere per liberum iubemur arbitrium, faciliùs implere possimus per gratiam: quasi, etsi gratia minime daretur, non quidem facile, sed tamen possemus implere mandata.* Pone igitur hominem sub aliquo præcepto, & sine gratia per Christum sufficienti, quam utique, cum donum Dei

sit gratuitum, potest Deus denegare saltem ex natura rei: in eo casu certè peccaret homo inobediendo: sed non posset implere præceptum: alioquin id posset sine gratia quod est contra Concilium: ergo ex necessitate peccaret, obligatus ad impossibile.

47 Tertiò ex August. 5. contra Julian. 3. docente, concupiscentiam in renatis esse non solum pœnam, & causam peccati; sed etiam esse peccatum: quia nempe contra legem est: cum ergo concupiscentia in sit nobis ex necessitate, ex necessitate peccamus. Et disput. 2. contra Fortunat. sic agit: *Liberum voluntatis arbitrium in illo homine fuisse dico, qui primus formatus est. Postquam autem liberâ ipse voluntate peccavit, nos in necessitatem præcipitati sumus.* Et cap. 4. de Perf. Iust. ait: *Per arbitrij libertatem factum est, ut esset homo cum peccato; sed iam pœnalis virtuositas subequata ex libertate fecit necessitatem; & dat rationem: Victa enim virtus, in quod cecidit, voluntate, caruit libertate natura: & lib. 1. Oper. Imperf. Multum erras, qui vel necessitatem nullam putas esse peccandi.* Ex hac ergo necessitate peccamus.

48 Quartò: quia excæcati, & obdurati, gentesque à P. de, & à notitia Christi remotæ, ex necessitate peccant: quibus tamen subtrahitur etiam gratia sufficienti. Et saltem hæc omninò denegatur dæmonibus, & damnatis, qui tamen certissimò peccant. Ergo ij saltem obligantur ad impossibilia, & ex necessitate peccant.

49 Quintò: quia lapsus, relictus solis viribus arbitrij in occasione, & tentatione peccandi, vel potest, vel non potest non peccare. Si dicatur posse, incidit in Pelagianismum, negantem necessitatem gratiæ ad non peccandum in tentatione: & est contra Paulum, Rom. 7. quippè, cum dixisset: *Infelix ego homo! quis me liberabit à corpore mortis huius?* id est, à lege membrorum repugnantem legi rationis; respondet: *Gratia Dei per Iesum Christum.* Dicendum ergo est, sine gratia non posse non peccare: atque adeò quod necessariò peccat.

50 Sextò: quia ex Originali sequitur, quod lapsi concipiamur in peccato, sub quo manemus donec liberemur per Christi gratiam, sine qua manemus mali, & peccatores: peccator autem ex se nihil bonum, & solum malum agere potest.

Matt. 6.

test: iuxta illud Matth. 6. *Non potest arbor mala bonos fructus facere.* Si ergo lapsus nequit evadere statum peccati sine gratia, & in eo statu solum potest facere malum, ex necessitate facit malum, nempe peccatum. Vnde inferunt, quod tentatus v.g. de furto non potest non furari, nisi faciendo aliud peccatum.

51 Septimò ex Catholicorum doctrinis. Dicimus enim hominem sæpè peccare venialiter cum necessitate peccandi venialiter, & quin possit evitare cuncta venialia: ad quod tamen obligatur. Dicunt alij, Pastorem v.g. existimantem per errorem, se die festo peccare, si omittat sacrum, & æquè peccare, si procal deferat gregem expositum lupis, peccare, si omittat sacrum non deferendo gregem, si ve deferendo gregem adfit sacro: cum tamen alterutrum necessarium sit. Peccat ergo sic constitutus ex necessitate peccandi.

52 Octavò: quia ad peccatum sufficit libertas à coactione, si ve à violentia: non igitur opus est libertas à necessitate dicens potestatem non peccandi. Antecedens probant: primò, quia actus peccaminosus ex obiecto suo est malus: habet autem obiectum suum, quamvis non sit liber à necessitate. Secundò, quia per libertatem à coactione est sufficienter operatio imputabilis ad pœnam, & vituperium: ergo per id etiam præcisè est peccatum. Probant antecedens: nam actiones Christi, quamvis ex suppositione quod ageret, necessariò essent honestæ; quia tamen non erant coactæ, sed spontaneæ, erant imputabiles ad laudem, & præmium: similiter ergo ad vituperium, & pœnam actiones hominis lapsi; quamvis necessariò fiant, dummodo non coactè fiant, sed spontaneè.

53 Respondetur negando minorem. Probationes ut plurimum sunt è pharetra Calvinij, & aliorum Hæresiarum, de medio tollentium humani arbitrij libertatem, quam dicunt prorsus extinctam per lapsum, ut, recitatis eorum verbis, evincunt eruditissimè Ripalda tom. 3. disp. 18. Decamps lib. 3. disp. 4. & Eminentissimus de Aguirre tom. 3. disp. 135. Ex quibus pro meo instituto utiliora, & commodiora delibabo, ad eos remittens avidos uberioris doctrinæ.

54 Ad primam, dico in primis, quòd si verba Pauli, *Roman. 7.* feriant li-

bertatem à necessitate, ferirent potiùs libertatem à coactione: nam quod quis agit nolens, coactus, & invitus agit, ut patet in eo ipso exemplo euntis ad suspendium. Deindè dico, Paulum ibi non loqui in persona peccatoris, sed iusti ad perfectionem anhelantis, qui virtutum opera cuperet promptè, ac constanter exercere; & non sic, ut cuperet, exerceret ea, sed difficulter ob reluctantiam appetitùs sensitivi. En bonum, quod eiusmodi iusti vellent facere, & non sic faciunt. Malum autem, quod nolunt, aut nolent, & faciunt, non est quidem peccatum, sed sunt motus indeliberati appetitùs reluctantes rationi: quibus utique nollent molestari, quia sunt arma, quibus diaboli bellum adversus animam peragitur, ut ad liberum consensum peccaminosum, quem iusti timent, inducat. Sic locum istum edisserit Cornelius. Vnde tota arguentium consequentia turpiter exerrat. Nec illis opitulatur alter Pauli locus. Illa namque peccati servitus non in eo stat, quòd homo sine gratia per Christum necessariò peccet; sed in eo quòd à peccato contracto nequeat per suas vires liberari. Eam enim servitute contrahunt parvuli; cum ad statum servitutis non requiratur usus rationis, aut exercitium serviendi, ut patet in prole ex ancilla: parvuli autem ante usum rationis, non denuò peccant. Et, quamvis exercitium servitutis peccati sit peccare, & homo quando peccat dicatur servire peccato; non propterea est necessariò peccare: nec enim exercitium servitutis in humanis debet esse cum necessitate physica faciendi opus servile: cum sæpè renuat physicè servus ad imperium Domini non potentis obtinere, ut pareat. Quidquòd omnes sumus naturaliter servi Dei: cui tamen non servimus necessariò. Sic ergo ex servitute peccati perperam arguitur, quòd necessariò serviamus peccato.

55 Ad secundam respondetur, Milevitanum (quod in Augustino, & alijs SS. Patribus sæpius observandum est) agere contra Pelagianos iuxta ipsorum mentem, docentes, hominem solis arbitrij viribus posse servare madata cum merito vitæ aeternæ: ideoque non esse ad id simpliciter necessariam gratiam; sed secundum quid, ut faciliùs fiat. Hoc damnat Concilium. Quòd verò per actus natura-

turales non salutes, nec requirentes gratiam possent mandata servari, non venit in questionem cum Pelagianis, & præmittitur à Concilio. Vnde cum definit, gratiam dari nobis, non ut faciliè possimus, sed ut simpliciter possimus servare mandata, loquitur de observantia salutari, & conducete ad vitam æternam, abstrahens à non salutari, quæ non erat è re. Cui responsioni, si non omninò acquiescis, adhibe aliam ex doctrinis, quas adduximus disp. 7. sect. 3. loqui Concilium iuxta præsentem Dei legem, quæ nullum omninò fieri valet opus bonum obediendi mandatis sine gratia per Christum. Iam ad argumentum ex Concilio subiunctum, admitto positionem casus: & distinguo minorem: non posset implere præceptum impletionem meritoria vitæ aeternæ concedo: non sic meritoria, nego: quòd autem id posset sine gratia non est contra Concilium, ut vidimus. Nego autem absolutissimè consequentiam. Et animadverto, sermonem non esse de præceptis iubentibus aliquod opus supernaturale: ea enim, nec impleri, nec imponi valent, non adhibitâ gratia sufficente pro adimplitione.

56 Ad tertiam, præter testimonia Augustini, pro Catholica, quam tuemur, sententiâ in superioribus adducta, evolvi possunt omnia eius Scripta contra Manichæos, Authores necessitatis peccandi, ut evincatur, quàm sit indubitanter verum, quòd adversus Calvinum protulit Horantius lib. 1. cap. 51. quòd nullibi D. Augustinus asserit, necessariò quemquam peccare: ut mirere Pseudo-Augustinianorum audaciam, eiusmodi blasphemiam impingentium Augustino. Ad hanc lucem inspicienda sunt alia eiusdem loca subobscura, quæ nobis obijciuntur. Ad primum contra Italianum respondet rectè Bellarm. lib. 5. de amiss. grat. cap. 14. concupiscentiam, id est, motus primos inordinatos appetitùs contra rationem concupiscentis, vocare peccatum: timirum, materialiter, id est, materiam peccati: cui, si accedat liber consensus voluntatis, fit formaliter peccatum; & non aliter. Ad secundum contra Fortunat. ipse sibi respondet Augustinus, explicans ibidem eam necessitatem per inveteratam consuetudinem, cui difficulter resistitur, ut ipsemet declarat lib. 1. de Serm. Domini in Monte: & 7.

contra Iul. & 2. de Aëbis cum Felice Manichæo. Vnde S. Thom. quest. 6. de Malo, art. 1. ad 24. cum obieisset sibi Augustinum 6. Confess. dicentem, quòd, dum consuetudini non resistitur, sit necessitas, respondet: *Consuetudo facit necessitatem: non simpliciter; sed in repentinis precipit: nam ex deliberatione quantumcumque consuevus potest contra consuetudinem agere.* Sumit ergo necessitatem pro ingenti facilitate, & propensione, cui difficillimè resistitur: quæ est necessitas secundum quid, ex consuetudine peccandi contracta; non quidem opposita absolutæ libertati à necessitate simpliciter dictâ. Ad reliquæ Augustini loca, & ad alia similia, possunt ex dictis responderi quatuor. Primum, sumi necessitatem peccandi pro ingenti difficultate abstinendi à peccato. Secundum, non intelligi de necessitate certi peccati determinatè; sed alicuius indeterminatè per longum tempus iuxta dicta disp. 9. à sect. 4. Tertium, sumi necessitatem peccati, prout num. 54. explicuimus servitute peccati. Quartum, intelligi posse de necessitate peccati materialiter sumpti pro motibus indeliberatis, ut nuper dicebamus ad primum locum. Multiplicem hanc necessitatis usurpationem indicavit satis Augustinus, quâdo dixit: *Erras, qui necessitatem nullam putas esse peccandi.* Et sanè, quoquo modo sibi ipsi concilietur Augustinus alibi pro nobis clarus, sufficere debet cuique cordato Theologo post damnatas à Sede Apostolica hæreses Iansenianas de necessitate peccandi, & de obligatione ad impossibilia, ut eruditè ponderat Eminentiss. de Aguirre disp. 135. sect. 4. & 5. & per tot. disp. 136.

57 Ad quartam, negatur in primis illud de excæcatis, obduratis, & Gentibus à Fide remotis, de quibus agemus sect. 7. & 8. Deindè ad illud de Dæmonibus, & damnatis vertat aliquis Virgilianam committationem: *Flectere si nequeo Superos, Acheronta movebo:* dum, ut nullum non moveant lapidem Pseudo-Augustiniani, ad Dæmones, & damnatos apud tartara confugiunt. Sed frustra. Iam enim ad id responderunt contra Calvinum Card. Bellarm. lib. 5. de Grat. & lib. arb. cap. 14. & Pennotus lib. 1. cap. 17. Ex quibus aïo, quòd sicut Beati aliquos actus operantur necessariò, ut amorem summi boni, & alios liberè, quos omittere

S. Thom.

Suprà disp. 9.

Aguirre

Virgil.

Bellarm.

Pennot.

Ripalda.

Decaps.

Aguirre.

Alapida.

Suprà disp. 7.

Horant.

Bellarm.

tere possent; & in ijs, non verò in illis sunt morali laude digni; & per neutros in actu secundo merentur; quia sunt iam in termino, & non in via; sic Demones, & damnati, aliquos actus malos faciunt necessariò; & per hos non peccant; sicut nec per omissionem aliorum sibi impossibilium, quales sunt spes, & amor Dei; aliquos verò liberè, quos possent omittere: & per hos peccant: per neutros autem demerentur in actu secundo, quia iam non sunt in via, sed in termino. Itaque, concludit Bellarminus, *propositio illa Calvinii: Demones semper necessariò peccant: in aliquo sensu falsa est; in aliquo vera. Verum siquidem est in genere, eos non posse nisi male agere; falsum tamen est in particulari, omnia mala, quae faciunt, illos necessariò facere: possent enim, ut diximus, multa non facere, quae faciunt: & idè non necessitate; sed voluntate peccata committunt.* De ijs fusè Suar. lib. 8. de Angel. cap. 8. 9. 10. & 11.

58 Ad quintam respondetur, talem hominem sic constitutum ex natura rei posse non peccare potestate antecedente requisitâ, & quidem sufficiente ad libertatem; alioquin nec esset tentatus, nec potens ad formaliter peccandum. Negatur tamen, id esse Pelagianum: non enim dicimus, posse non peccare evitacione peccati positivè salutari, & meritoria, ut erat Pelagianus error; sed non salutari, nec meritoria vitæ aeternæ. Nec est contra dictum Pauli. In primis enim loquitur Paulus iuxta præsentem Dei legem, iuxta quam verum est, quòd nunquam possumus actu bono libero abstinere à peccato, quin præsens adsit gratia sufficiens, ut diximus *disp. 7. sect. 3.* ex Ripalda cum multis SS. Patribus cum maximo fundamento in Sacris Litteris. Deindè non dixit: *Quis me potest liberare: sed: quis me liberabit?* Certò timens, se non restitutum tentationibus, & concupiscentijs sine gratia Iesu Christi; quamvis aliquatenus possit. Hinc consequentia nulla est.

59 Ad sextam, concessâ maiori, negatur minor, continens doctrinam Lutheri damnatam in Trident. *sess. 6. can. 7.* Constans enim est, quòd & peccatores multa opera bona faciunt. Nec contra hoc benè adducitur dictum Christi de arbore mala, ut explicuimus *disp. 6. sect. 1.*

60 Ad septimam respondetur, necessitatem illam vagam ad aliquod veniale non tollere libertatem oppositam necessitati hic & nunc peccandi, quando determinatè peccamus. Vndè hic & nunc possumus non peccare, potestate antecedente, quotiescumque venialiter peccamus, ut explicuimus latè *disp. 9. sect. 6.* Illud de Pastore, in eo statu per conscientiam erroneam constituto, vix est Author Catholicus, qui concedat. Quinimò dicimus, in statu sic descripto constitutum, utramlibet partem eligat, non peccaturum. Rationem, & disparitatem hominis constituti in necessitate merendi per hunc, vel alium actum, & tamen merentem per electionem unius, dabitur *disp. 25. sect. 6.* Nunc negamus arguentibus suam consequentiam, malè ex vero, falsòque ex non vero antecedente deductam.

61 Ad octavam, negatur antecedens: damnatum de hæresi ab Innoc. X. Ad primam probationem fatemur, actum etiâ necessarium posse esse ex obiecto suo malum: & materialiter peccatum, ut diximus cum Augustino de motibus in-deliberatis concupiscentiæ inordinatæ: negamus tamen, esse formaliter peccatum: quia sine libertate à necessitate non est imputabile ad vituperium morale, nec ad pœnam. Ad secundam probationem negatur itidem antecedens, eiusque probatio: nam actiones etiam Christi, ut essent meritoria, dignæque laude morali, debuerunt esse libera, non solùm à coactione; verum etiam à necessitate. Quo autem pacto, quantumvis fuerint præcepta in Christo impeccabili, potuerint esse libera à necessitate, explicuimus latè suo in loco *disp. 16. de Incarnat.*

SECTIO VI.

An auxilium gratia purè sufficiens sit beneficium Dei: & an beneficium minus, quàm auxilium efficax.

62 **R**ATIONEM dubitandi circa primum inchoavimus *sect. 3. num. 21.* quam prosequor sic. Non est homini beneficium quod melius ipsi est, & eligibilius, non habere, quàm habere: sed homini v. g. iusto, præsertim obligato ad opus supernaturale, melius & eli-

gibilis est non habere, quàm habere auxilium pure sufficiens: ergo hoc non est ipsi beneficium. Minor probatur: quia habens auxilium pure sufficiens, peccat non adimplens obligationem, & amittit iustitiam: si enim obligationem implet, iam auxilium non foret pure sufficiens. Non autem peccaret non adimplens, nec amitteret iustitiam, si nullum habuisset auxilium gratiæ ad adimplentionem: caruisset enim potestate antecedente sufficiente ad adimplentionem: & cuique melius est non peccare retinendo iustitiam, quam peccando illam amittere: iuxta illud Christi de Iuda: *Bonum erat ei, id est, melius, iuxta S. Hieron. ex phrasi Hebræorum, qui carent comparativis, si natus non fuisset homo ille.*

Mat. 26 Hieron.

63 Confirmatur. Qui necessitatus esset ad unum è duobus erga Petrum, nõ esset beneficus, nec benevolus Petro, eligens illud, quod, pensatis omnibus circumstantijs, minus expedit Petro: sed in circumstantijs, quòd Petrus iustus, cum auxilio pure sufficienti peccaturus est, & amissurus iustitiam, non eam amissurus, si illo careret, minus expedit Petro illud habere, quàm non habere: & Petrus id sciens, prudenter sibi eligeret illud non habere, utpotè sibi minus malum, & magis expediens: ergo Deus totum id præciens, & necessitatus ad dandum, vel negandum tale auxilium in illis circumstantijs sibi notis, non esset beneficus, nec benevolus erga Petrum, eligens illud dare in illis circumstantijs: atque adèd non est reverà beneficium gratiæ erga Petrum. Hæc, & alia urget doctè P. Ribadeneyra *disp. 7. de Præd. cap. 4.* & suo modo dissolvit multis fortasse placiturus.

Ribad.

64 Confirmatur secundò: quia auxilium pure sufficiens nullum præstat effectum bonum: ergo nullius est utilitatis: ergo nec verè est beneficium gratiæ Dei, nec Deus in illius elargitione dici potest verè beneficus, ac benevolus erga hominem sic illud recipientem.

65 Dicendum nihilominus est, auxilium pure sufficiens specificativè, & absolute loquendo, esse verè beneficium gratiæ Dei: atque adèd, Deum esse verè beneficium, & benevolum erga hominè, cui illud dat. Dixi: *specificativè*: quia auxilium pure sufficiens duo dicit: scilicet entitatem intrinsecam auxilij in recto,

& defectum consensûs, seu boni usûs in obliquo: qui defectus entitati auxilij extrinsecè adveniens, non est beneficium gratiæ, sed pravus usus gratiæ à Deo minime intentus. Vndè auxilium pure sufficiens, reduplicativè ut pure, reduplicat supra defectum boni consensûs, idèdque ut tale, non est beneficium gratiæ, sicut nec defectus boni consensûs: à quo defectu, & pravo usû posset orare Jansenista cit. *num. 21. Libera nos Domine*; hoc enim quotidie oramus, præceptis salutaribus moniti; cum dicimus: *Sed libera nos à malo*: non verò à Gratia sufficiente, ut ipse loquitur impudenter, ne dicam, blasphemè, iuste damnatus ab Alexand. VIII. prohibente sub anathemate hanc in suo decreto anni 1690. ordine sextam propositionem: *Gratia sufficiens statui nostro non tam utilis, quàm perniciosa est: sic ut proindè meritò possimus petere: A gratia sufficiente: Libera nos Domine.*

66 Ratio conclusionis est. Quia auxilium sufficiens est donum Dei gratuitum, quod de non potente facit hominem potentem salutariter operari: quod abs dubio beneficium est: & datur à Deo ex voluntate, quamvis non omninò efficaci, operationis salutaris: quæ Dei voluntas benevola est, & benefica erga hominem; atque adèd habens rationem beneficentiæ formalis. Voluntas autem hominis resistentis tali auxilio, sicque factu consensûs salutaris, vitium hominis est, non tollens ab auxilio rationem materialis beneficij, nec à tali Dei voluntate rationem formalis beneficentiæ, ac benevolentia: sicut, quod plerique ingrati perveritate suâ abutantur in malum suum, & in offensionem benefactoris, multis donis sibi collatis, non tollit ab ijs rationem beneficij, nec à voluntate Largitoris rationem beneficentiæ: alioquin ingratitude nostra minueret, aut tolleret a donis rationem beneficij, & à se ipsa rationem ingritudinis, utpotè supponentis beneficium. Non est ergo cur auxilium pure sufficiens non sit verè beneficium Gratia Dei, & voluntas divina illud elargiendî non sit benevola, & formaliter benefica. Hinc Apostolus 1. *Corinth. 15.* aiebat de se: *Gratia eius in me vacua non fuit.* Et 2. *Corinth. 6.* ad alios: *Ne in vacuum Gratiam Dei recipiatis.* Satis indicans utrobique, posse recipi ab homine

1. *Cor. 15.*
2. *Cor. 6.*

Bellar.

Suarez.

Suprà disp. 7.

Trident.

Suprà disp. 6.

Suprà disp. 9.

Infrà disp. 25.

Innocent. X.

Tom. de Christo, disp. 16.

mine Dei gratiam in vacuum: hoc est, vacuum effectu consensus salutaris: quin proinde desineret esse donum gratiæ Dei, nec amitteret rationem beneficij: hæc autem esset auxilium gratiæ purè sufficiens, pro quo grates Deo debemus.

67 Ad rationem dabitandi oppositam *num. 62.* respondetur, distinguendo maiorem: non est beneficium hominis quod melius ipsi est non habere, si præcisè comparentur illud habere, & non habere, concedo: si illud habere accipiat cum circumstantia extrinseca minus eligibili, aut prorsus ineligibili, nõ causata ab entitate beneficij, sed a vitio recipientis; nego maiorem: hoc enim non tollit, quominus illud habere sit beneficium. Et distinguo minorem: tali homini, quantumvis iusto, melius & eligibilius est, non habere, quàm habere auxilium purè sufficiens specificativè, comparatis præcisè, illud habere, & non habere, nego: nam inter hæc præcisè, melius est habere: reduplicativè, ut purè sufficiens, penes circumstantiam auxilio extrinsecam mali usûs à libito ipsius hominis adiunctam; concedo minorem. In probatione minoris vera est tota maior in casu, quem supponimus: & vera minor; sed non ad rem: comparat enim peccare cum non peccare: & sic melius cuique est non peccare: nostra verò doctrina, & responsio comparat, habere cum non habere auxilium sufficiens: & sic melius est habere, quam non habere: sicut Iudæ melius fuit nasci, quàm non nasci; quamvis melius fuisset non nasci, quam damnari: quin proinde Iudam nasci desinat referri ad beneficium innegabile creationis. Pulchrè Hugo Card. ad illud: *si natus non fuisset homo ille*; glossat: *nativitate regenerationis*, id est, per Baptismum: quin certè proinde argui cordatè possit, gratiam Baptismi non fuisse beneficium erga Iudam. Quòd verò cum habitatione auxilij sufficientis adiungatur ea puritas, seu malus usus, undè extrinsecè fit purè sufficiens, & ut tale, malum; non tollit ab entitate auxilij rationem boni, doni, & beneficij gratiæ Dei: quia malus usus non fit ab auxilio; sed à vitio voluntatis contra auxilium: nec tollit à voluntate Dei illud conferentis rationem beneficentia: quia volens entitatem boni auxilij, non vult malum usum, nec dat illud,

Hugo.

quia purè sufficiens: hic enim non esset affectus benevolus: imò vult, & intendit, ac præcipit bonum usum, & dat illud, quia sufficiens, quamvis ex malo usu recipientis futurum sit purè sufficiens: qui quidem Dei affectus, benevolus, & beneficus est. Plura de hoc in Disputationibus de Prædestinatione, quas paramus.

68 Ad confirmationem *num. 63.* distinguo ex dictis maiorem: si per se illud minus expediret Petro, ob circumstantiam ab eo dono causatam, & à donatore intentam, concedo: si illud Petro minus expedit ob circumstantiam, quam nec donum illud causat, nec donator intendit; sed vitio, ac libito ipsius Petri coniungitur, nego maiorem: ex hoc enim non desineret illud sic eligens esse benevolus, & beneficus. Distinguo autem minorem: illud sic complexè sumptum minus expedit Petro; & est prudenter ineligibile ab ipso Petro ob circumstantiam extrinsecam mali usûs, nec per se causatam à tali dono, nec intentam à donatore, concedo; ob circumstantiam nec causatam à dono, nec intentam à donatore, sed à libito, & vitio ipsius Petri, concedo minorem: & nego consequentiam: id enim, ut diximus, nec tollit ab entitate doni rationem beneficij, nec à voluntate sic donantis rationem veræ benevolentia, & formalis beneficentia.

69 Ad secundam confirmationem *num. 64.* nego antecedens. Nam auxilium purè sufficiens præstat, quòd homo suis viribus impotens salutariter operari, verè possit: qui quidem effectus bonus est, quamvis ex vitio recipientis non præstat alium, nempe consensum ipsum salutarem. Deus autem illud gratis donat, vult donare, & donat ex intentione efficaci illius boni effectus prioris; non verò ex intentione non obtinendi istum posteriorem; imò ex intentione etiam, quamvis non ita efficaci, istum etiam obtinendi: quod totum redoret benevolentiam, & beneficentiam sic donantis, & ingratitude recipientis, male utentis Divinis donis, ac beneficijs. Undè Magnus Gregor. *Suis contra Deum donis pugnans.*

70 Circa secundum verò dicendum est, auxilium purè sufficiens esse minus beneficium, quàm efficax: Deumque, cæteris paribus, magis beneficium, ac benevo-

Gregor.

nevolum esse cui, & quando conferat auxilium efficax, undecumque sumatur efficacia, de qua non disputo, quàm cui, & quando confert purè sufficiens. Ratio. Quia auxilium efficax affert accipienti plus boni; cum re ipsa præter entitatem auxilij, afferat consensum salutarem; quem re ipsa non affert auxilium purè sufficientis: Deusque ex speciali benevolentia, & ex voluntate efficaci in utroque beneficiendi creaturæ, illud confert: ergo auxilium efficax est maius beneficium; & purè sufficiens, minus; & in huius collatione ostendit se Deus minus benevolus, & beneficus erga hominem, quàm in collatione illius, per se loquendo. Ob hoc tantopere, ac meritò celebratur à SS. Patribus, & à Concil. Trident. *sess. 6. cap. 13. & Can. 16. Magnum illud perseverantia donum*: quòd certè involvit auxilium efficax, quo finaliter perseveratur, præ alio auxilio inefficaci, ac purè sufficiente, quo alij non perseverant: quoniam involvit Divinam donationem, non solum auxilij ad perseverandum, verum etiam consensus salutaris, quo re ipsa perseveratur: ut explicuimus *disp. 9. sect. 9.*

Trident.

Supra
disp. 9.

71 Dices: si auxilia purè sufficientia secundum entitates suas physicas sunt æqualia efficacibus, æqualis essent supernaturalitatis, & virtutis in actu primo: ergo non est undè consistat in efficacibus maioritas, & in purè sufficientibus minoritas beneficij; nec in eorum largitione maioritas, & minoritas beneficentia. Probatur consequentia: quia maioritas, vel minoritas se teneret ex parte actus secundi nostri, ex qua parte non se tenet ratio beneficij; imò ratio grati obsequij pro beneficio: ex parte autem actus primi æqualiter se haberet Deus benefactor, donans unum auxilium efficax, & alteri purè sufficiens entitativè paria: ergo non est undè consistat maioritas, & minoritas beneficij.

72 Respondetur, antecedente transmissio, negando consequentiam. Stante enim illa æqualitate physica in esse entitativo, stat inæqualitas in esse beneficij: indè sumpta, quòd in auxilio re ipsa efficaci datur moraliter quoque consensus ipse salutaris, quem intendit, & obtinet; secus in purè sufficienti, non obtinente re ipsa consensum. Undè patet maioritas beneficij in illo, & minoritas

in isto: quia auxilium, & consensus salutaris melius quid homini est, quàm solum auxilium. Maioritas etiam beneficentia formalis ex indè patet; quia elargiens auxilium efficax, vult homini efficaciter auxilium, & consensum salutarem, conferens scilicet auxilium, quia efficax est: quo benevolentior ostenditur Deus, quàm conferens auxilium, quamvis inefficax, & sine consensu. Profectò porrigens famelico panem, quo vitam salvat, minus dat entitativè, quàm si porrigeret aurum; plus verò moraliter in esse beneficij; quia tunc in pane dat re ipsa vitam. Ad probationem consequentia distinguo primam partem antecedentis: ex parte actus secundi nostri, qui potius quoque sit Dei, quàm nostri, concedo: qui sit nostri, & non potius Dei, nego: nam ita est noster, & obsequium nostrum erga Deum, ut simul sit donum, ac beneficium Dei erga nos, datum moraliter in ipso actu primo, & physice in ipso actu secundo ex speciali Dei benevolentia: quam nec in actu primo involvit auxilium purè sufficiens. Undè nec in actu primo pariter se habent in ratione beneficij, quamvis pariter se haberent entitativè in esse physico. Ex quibus falsa est consequentia.

73 Insites. Consensus salutaris est bonus usus liber auxilij Dei: sed ratio doni, ac beneficij non augetur ex bono usu libero recipientis: ergo neque auxilium in ratione beneficij ex consensu salutari. Probatur minor: quia non minuitur ex malo usu libero: ergo nec augetur ex bono. Confirmatur. Si Deus auxilia sufficientia entitativè paria unum efficax, aliud purè sufficiens, distribueret duobus hominibus sine prænotitia efficaciam, & inefficaciam, non esset magis beneficus uni, quàm alteri: ergo nec quamvis ea distribuat cum hac prænotitia: hæc enim nec auget donum, nec affectum donandi, ac proinde nec beneficentiam.

74 Respondetur, concessa maiori, distinguendo minorem: si usus ipse bonus non est donum etiam benefactoris, illum moraliter prædonantis in anteriori dono, concedo; si est, nego minorem, & consequentiam: quia usus ipse bonus noster, ut diximus, est quoque donum Dei, moraliter prædonatum ab ipso Deo in auxilio, quod prænotavit efficax. Ad

pro.

probationem minoris distinguo antecedens: non minuitur comparative ad gradum beneficij, quod præcisè est collatio auxiliij, concedo: quia malus usus nihil minuit de entitate auxiliij: comparative ad gradum beneficij, quod esset collatio auxiliij coniuncta cum bono usu, nego antecedens: quando bonus usus esset etiam donum ipsius benefactoris, ut est noster bonus usus auxiliorum Dei, illum bonum usum nobis etiam donantis in circumstantijs talis auxiliij. Sic enim malus usus minuit rationem beneficij: quia non sic dat Deus bonum usum, quando re ipsa non ponitur. Vnde negatur consequentia iuxta distinctionem, & doctrinam adhibitam primæ minori, & antecedenti suæ probationis. Ad confirmationem, concessio antecedente de beneficentia formali, quæ stat in affectu Donatoris; non verò de materiali, quæ est entitas ipsius doni, quæ certè maior esset in uno cum consensu, quam in altero sine consensu salutari; negatur consequentia. Ad probationem dico, quòd eiusmodi prænotitia benefactoris, quamvis non augeat beneficentiam, sive affectum donandi formaliter; auget argutivè: quatenus movet donantem, ut velit efficaciter auxiliium, & consentum, & det auxiliium, quia efficax: quem affectum benevolentissimum non sic haberet Deus sine prænotitia efficacæ.

SECTIO VII.

Quibus distribuat Deus auxilia sufficientia Gratia. Et primò de Obstinatis. Vbi de auxiliari Custodis Angeli Ministerio.

75 **M**ULTA de hoc diximus, nunc revidenda disp. 1. sect. 6. ubi de primis Parentibus in statu naturæ integræ. Restant alia, præsertim circa obstinatos; circa remotos à Fide; & circa parvulos in statu naturæ lapsæ per Christum reparatæ.

76 Circa obstinatos, & excæcatos sceleratissimos multa scribit eruditissimè Cardin. de Aguirre disp. 125. per tot. referens num. 2. sententiam aliquorum docentium, eò quandoque pertingere obstinationem, & gravitatem, ac multitudinem peccatorum in aliquibus excæcatis, & obduratis viatoribus, ut omnino prorsus destituantur auxilio intrinseco

gratiæ etiam sufficientis; imò & extrinseco custodia Angeli tutelarioris in vita mortali. Sic olim apud ipsum Abulensium in Exod. cap. 4. & postea Armac. Henric. Roffensis, Catherin. & Vega: quorū sententiam avidè arripuerunt post Iansenium eius sequaces. Moventur autem multipliciter.

77 Primò ex verbis Isaiæ 5. *Auferam sepem eius, & erit in direptionem* ubi glossat Interlinealis, annuente Cornelio, *auxilium Angelorum*: qui videlicet captâ postea per Romanos Hierosolymâ, auditum sunt: *migreemus b. n. c.* Et ex verbis Ierem. 51. *Curavimus Babilonem, & non est sanata, derelinquamus eam.* Vbi Glossa: *Angeli Dei sunt, volentes animas nostras à vitijs curare, quos ipsi repellimus: qui videntes, se perdere operam, &c.* Vnde Origenes apud Cornel. colligit, Angelos deserere in agone mortis impijssimos. Et Basil. ad illud Psalm. *Imminet Angelos Dominus, &c.* ait, credentibus immitti Angelum, nisi illum à nobis per imprecas actiones prostigaverimus.

78, Secundo ex cap. 7. *Eccles.* ubi monemur: *Considera opera Dei, quòd nemo possit corrigere quem ille despexerit.* Et Psalm. 80. ibi: *Dimissi eos secundum desideria cordis eorum.* Et Ierem. 13. *Si mutare potest Æthiops pellem suam, vos poteritis bene facere: quòd est dicere: non poteritis.* Idque videtur Augustinus explicasse lib. 6. *Confess.* dicens: *Suspirabam ligatus; non ferro alieno; sed meâ ferreâ voluntate: velle meum tenebat inimicus, &c.* Et Ioan. 12. *Non poteram credere: quia iterum dixit Isaias: excæcavit oculos eorum, & induravit cor.* Et 1. Machab. 9. *Orabat hic scelestus, Antiochus, Dominum: à quo non erat misericordiâ consequentibus.* Per quæ videtur Deus eiusmodi impijs subtrahere in eo statu auxilia cuncta etiam sufficientia: atque adeò & custodiam Angeli: cum cessare videatur eius ministerium erga animas, sic iam in hac vita remedio destitutas.

79 Tertio ex SS. Patribus. Isidor. lib. 2. de Sum. Bon. cap. 15. *Nonnulli ita despicuntur à Deo, ut non possint mala plangere, etiamsi velint.* Gregor. 1. Moral. 5. *Licet exterius vocem audiant, interioris gratiâ Dei non tanguntur.* Euseb. lib. 4. de Demonstr. cap. 2. *Deus illos omnino deserit.* Similia de Pharaone Bernardus *Serm. de Fallacia sæculi.* Et August. cap. 14. de Prædest. Et cap. 67. de Natur. & Grat. addit: *Illâ est peccati pena iustis-*

Abulen.
Armac.
Henric.
Roffens.
Cather.
Vega.
Iansen.
Isai 5.
Interli.
Alapid.

Ierem. 51
Glossa.

Origen.
Alapid.

Psalm. 35
Basil.

Eccles. 7

Psalm. 80

Ierem. 13

August.

Ioan. 12

1. Mach.
9.

Isidor.

Gregor.

Euseb.

Bernor.
August.

iustissima, &c. ut qui rectum facere, cum possit, noluit; amittat posse, cum velit. Et Ambros. in cap. 11. ad Roman. *Excæcati, ne de cætero possint veritatis viam aspiciere, &c. Fidem consequi, ac salvari.*

80 Quarto à ratione. Quia dignissimi sunt, ut in vindictam tantorum scelerum priventur auxilijs sufficientibus, & Angeli custodia: sicut Dathan, & Abiron Num. 16. *Descenderunt viri in infernū: & simile quid fore de Antichristo docent cum Beda, & Anselmo, Maluenda, Ribera, & Sa.* Idque confirmari potest pluribus exemplis multorum, qui in corpore, & anima detrusi sunt in infernum, ut ex varijs Historijs Ecclesiasticis congerit Eminent. de Aguirre cit.

81 Conclusio tamen est omninò tenenda cum S. Thom. 1. p. quest. 113. art. 6. *Suar. lib. 6. de Angel. cap. 17.* S. Bonavent. & alijs communiter Scholasticis; nunquam hominem, dum viator est, quantumvis obstinatum, & obduratum, ita miserè destitui sufficientibus Gratia auxilijs, ut ab Angelo etiam Custode dimittatur. Sic videtur in terminis dici Exod. 23. *Non dimittet cum peccaveris.* Certè tamen ibi: *non dimittet*: est idem ac: *non condonabit*, ut colligitur ex contextura, & videre est apud Cornelium. Vnde Pagninus vertit: *Non parcat pravariationi vestra.* Et Paraphrastes Chald. *Non dimittet peccata vestra.*

82 Probat conclusionem P. Suarez: quia Dæmon toto vitæ tempore insidiatur homini, quamvis sanctissimo: ergo Angelus Custos toto similiter vitæ tempore opitulatur homini, quamvis pessimo. Displicet ista probatio Cardinali de Aguirre propter discrimen notissimum, quòd iusti non merentur condignè carere insidijs Diaboli; at pessimi peccatores condignè demerentur opem Angeli Custodis. Sed non debuit omninò displicere: agnoscimus discrimen illud: ex quo fit, quòd, si Deus vellet punire peccatorem, & quidem nõ pessimum dumtaxat, & obstinatum, sed ordinarium quemque, omni supplicio, quod condignè meretur; privaret illum Angelo Custode; sicut & protinus vitâ: non tamen sic vult misericors Deus, qui cum irascitur, misericordiâ recordatur, & multa supplicia condonat. Congruum autem visum est, & meritò, P. Suarez, quòd peccatorem viatorem circumda-

tum insidijs Diaboli non puniat privatione Custodis dati ad pugnandum cum Diabolo, dum durat pugna Diaboli insidiantis; sicut non punit privatione vitæ, & multis alijs supplicijs meritissimis. Sicque tenet à congruenti sufficientissimè paritas.

83 Præcipuè tamen probatur conclusio ex Scripturis: præsertim Psalm. 90. *Angelis suis Deus mandavit de te: ut custodiant te in omnibus vijs tuis: ubi multa de Custodibus Lorinus, & Blancus: & Matth. 18. ubi Christus de pusillis: *Angeli eorum in Cælis semper vident faciè Patris: ubi multa Cornel. & alij.* Quibus ex locis habetur ita certa designatio Angeli Custodis singulis hominibus, ut id negare censetur à Suarez temerarium, & erroneū. Et colligunt SS. Patres, & Interpretes, eam Angelorum custodiam generaliter promitti contra Dæmonum insidias, cunctis hominibus indiscriminim in omnibus vijs suis: absque distinctione fidelis, aut infidelis; iusti, aut peccatoris etiam scelestissimi; huius, aut illius temporis, dum sunt in via. Vnde Hymnus Ecclesiæ: *Custodes hominum psallimus Angelos: nature fragili quos Pater addidit cælestis comites: insidiantibus ne succumberet hostibus.* Non ergo benè ab hoc generali Dei beneficio excluduntur obstinati eogentiores, contra communem sensum SS. Patrum apud Lorin. cit.*

84 Rursus ex S. Thom. art. 5. Quia beneficium Angeli non fit homini, quia perfectio; alioquin multi iusti non perfecti illo carerent: nec quia iusto; alioquin careret illo omnis peccator: nec quia Christiano; alioquin infidelibus negaretur. Est igitur beneficium generale omnis hominis venientis in hunc mundum, quia rationalis est ad imaginem Dei factus, & aternæ vitæ capax, ad evadenda vitæ præsentis pericula. Quæ ratio extenditur etiam ad obstinatos, sicut alia beneficia communia Dei, qui *Solem suum oriri facit super bonos, & malos; & pluit super iustos, & iniustos*, quantumvis obstinatos. Cum autem unum è ministerijs Angeli Custodis sit ministrare homini auxilia Dei, dicente S. Thom. q. 114. art. 5. nihil nos valere circa salutem sine auxilio Divino, quod homini exhibetur mediante ministerio Angelorum; sequitur, nec Angeli custodiam, ac proinde nec omninò auxilia gratiæ sufficientis

Num. 16.

Beda.

Ansel.

Maluen.

Ribera.

Sa.

Aguirr.

S. Thom.

S. Bona.

Suarez.

Exod. 23

Alapid.

Pagnin.

Chald.

Suarez.

Aguirr.

Psalm. 90

Lorin.

Blanc.

Matth. 18

Alapid.

Suarez.

Hymn.

S. Thom.

Matth. 5

S. Thom.

Suprà
disp. 6.

Aguirr.

ris deesse viatoribus, quantumvis obstinatis, & excæcatis.

85 Denique subsumo hoc postremum, & arguo sic. Auxilium gratiæ aliquomodo sufficiens ad bene agendum nulli Viatori, quamvis pessimo, & obduratissimo, negatur à Deo: ergo neque Angeli custodia, cuius ministerium est, ut vidimus ex S Thom. auxilia subministrare. Antecedens est omnium ferè Theologorum Catholicorum cum S. Thom. 3. p. quæst. 86. Bonavent. Alenf. Alvarez, Bellarmin. lib. 2. de Grat. & lib. arbitr. Decamps lib. 3. disp. 8. cap. 13. Ripalda tom. 3. disp. 23. sect. 22. & 23. Suarez tom. 4. in 3. p. disp. 8. sect. 2. referente aliquos, qui oppositum censent temerarium, & impium: quibus prævit Valentia tom. 4. disp. 7. censens erroneum cum S. Thom. & Soto.

86 Et probatur contra Iansenium, & Sectarios. Primò ex Scripturis, contestantibus misericordiam, qua Deus vult, omnes homines salvos fieri; & hortatur, & allicit cunctos indifferenter peccatores, ut convertantur: Ezechiel. 18. Nolo mortem peccatoris; sed ut convertatur: & cap. 33. Nunquid voluntatis mea est mors impij? Et Matth. 9. Non veni vocare iustos, sed peccatores. Ne verò hinc excæptos putaremus sceleratissimos, & sordidissimos, ait Deus Isaia 1. Si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabitur: Et ad obduratos Paulus Roman. 2. supponens duritiam, & impenitentem cor, subdit: Benignitas Dei ad penitentiam te adducit.

87 Deindè ex Concilijs, & Patribus. Lateranense in cap. Firmiter, de Sum. Trin. ait: Si post Baptismum quisquam lapsus fuerit in peccatū, per veram penitentiam, semper reparari potest. Consonat Trident. sess. 14. iuxta cap. Tali, de Pœnit. dist. 3. ubi legitur: Etiam si ad summum quis perveniat malorum, & indè tamen reverti velit ad salutis viam, suscipit, & libenter amplectitur Deus. Augustinus, aut Origen. lib. de Prædest. & Grat. Augustini nomine edito cap. 14. Si pœn de Deo sentimus, etiam Pharaoni obstinato scilicet, indurato, & excæcato, non denegavit misericordiam. Augustinus ipse ad Psalm. 6. Dedit eos Deus in reprobum sensum: nam ea est cæcitas mentis: in eam quisquis datus fuerit ab interiori Dei luce secluditur; sed nondum penitens, dum in hac vita est. Et lib. 2. de Serm. Dom. cap. 15. docet, nullam esse animam, quamvis perversam, quæ tamen ullo modo ratiocinari

potest, in cuius conscientia non loquatur Deus: per illustrationes scilicet, & inspirationes gratiæ auxiliantis. Præter leges ubertim apud Ripald. & Aguirre. Alia, quæ generalissimè loquuntur, ideoque obstinatos etiam, & excæcatos comprehendunt, dabimus sect. seq.

88 Profectò, quid obstinatus Pharaone, cuius cor induratum, & ingravatum fuisse constat in Exodo? Et tamen adhuc à Deo vocabatur, correspondentibus abs dubio internis impulsibus gratiæ ad externas minas, & ad præcepta. Quid insolentius Nabuchodonosore? qui tamen vocatus ad pœnitentiam salutariter respicit, Daniel. 4. Quem homines exhorrebant, Deus recipiebat, ait Tertull. in fine lib. de Pœnitent. Quid excæcatus impijssimò Manasse? 4. Reg. 21. & 2. Paralipom. 33. qui tamen non caruit auxilijs Gratia, quibus tandem salutariter egit pœnitentiam valde coram Deo. Quid obduratus Iudæis Christicidis, dura cervice, & incircumcisis cordibus, & auribus? Actor. 7. qui tamen exterius, & interiorius vocabantur ad Fidem. His adiungit exempla multa ex Historijs Ecclesiasticis citat. de Aguirre sect. 4. Ex quibus certè colligitur, non omninò subtrahi à Deo auxilia gratiæ sufficientis, & interdum efficacia Viatoribus obduratissimis, & excæcatissimis.

89 Igitur nec subtrahitur illis custodia Tutelarum Angeli: cuius nimirum ministerio auxilia gratiæ dispensantur à Deo. Sic se mutuò corroborant istæ duæ veritates: dum ex eo quòd non destituantur obstinati Angelicâ custodiâ, inferitur, non destitui sufficientibus gratiæ auxilijs, ne Angeli omninò maneat sine suo ministerio; & ex eo quòd non omninò destituantur auxilijs, inferitur, non destitui Angelicâ custodiâ, nè Angelorum ministerium fiat sine Angelis. Utrumque coniunxit Chertusianus in Psalm. 33. inquiens: Nullus est tam impius, quin Angelus Sanctus Custos ipsius, à multis peccatis eum præservet: medijs scilicet auxilijs Gratia: ut verissimè Magnus dixerit Augustinus super Psalm. 54. Ipsorum tantum desperanda est correctio, contra quos habemus occultam luctam: scilicet Diaboli, & Angelorum eius; nullius verò viatoris, quantumvis duri, cæci, & obstinati. Restat respondere ad opposita, ut veritas clariùs elucescat.

Ad

90 Ad primum è num. 77. dicendum ex S. Thom. 1. p. quæst. 113. art. 3. quòd, quavis verba illa Isaia. & Ierem. accomodentur Custodibus singulorum hominum Angelis; intelligenda sunt non de omnimoda desertione; sed ad eum modum, quo Deus dici solet deserere desertes se: non quidem denegando illis auxilia sufficientia, sed efficacia, sicque permitiendo, ut labantur in ulteriora peccata, & in finalem impœnitentiam. Nec quidquam ampliùs convincitur ex Glossa. Re tamen verâ, locus Isaia loquitur propheticè de desertione Templi, quando venit abominatio desolationis illius: tunc enim, non manente ibi templo, ad quid manerent ibi Angeli Custodes, & excubitores templi? Locus autem Ieremias intelligitur, vel de Angelis Custodibus Urbis Babilonica, vel de Gentibus, quæ illi auxiliabantur contra hostes eam debellantes, ut videre est apud Cornel. Ad Glossam satis respondetur per desertionem supra explicatam ex S. Thom. Quod autem ex eo Ieremias loco colligit Origenes, impijssimos derelinqui ab Angelo in agone mortis, intelligi potest de desertione per subtractione auxiliorum efficacium, manente tamen ipsorum custodiâ quoad multas inspirationes sufficientes, dum durat rationis usus; & quoad alia officia, dum durat vita. Basilius ex subsequentibus, ubi se explicat de quolibet peccatore, capiendus est de profligatione non omnimodâ à peccatoris custodiâ; sed ab aliquali: quatenus per resistantiam peccatoris avertitur Angelus affectivè, quo ad suggerenda deinceps auxilia uberiora.

91 Ad secundum è nu. 78. dicendum, ex illis, & similibus Scripturæ locis non benè colligi omnimodam, & absolutam impotentiam antecedentem; sed aut impotentiam secundum quid, sumptam pro maxima difficultate, ut explicuimus sect. 4. vel de impotentia consequente, ut ibidem explicuimus. Neutra autem, ut ibi vidimus, excludit auxilia cuncta gratiæ sufficientis. Nec aliud persuadent Augustini verba: quippè iam conversus incredibile prorsus est, quòd sibi persuaserit, desinisse sibi tunc auxilia sufficientia; sed liberam ipsius cooperationem: alioquin non suum peccatum, sed Divinæ gratiæ defectum confi-

teretur in suis pijsimis Confessionibus. 92 Ad tertium, nota iam est, tam in SS. Patribus, quam in multis Scripturis, de quibus supra, phrasia usurpandi impossibilitatem, seu impotentiam pro ingenti difficultate. Et iuxta hunc morem capiendæ sunt multorum locutiones, cum præsertim alioquin clarè sint, ut vidimus, pro nostra sententia. Isidorus, & Augustinus, dum addunt illam conditionem, etiam si velint; aut, cum velit; intelligendi sunt, etiam si velim, videlicet, eo modo, quo eiusmodi homines volunt: voluntate scilicet debili, tepidâ, & languidâ, nec satis robustâ ad vincendas difficultates vincibiles, occurrentes in opere, quod vellent facere, & non faciunt, quia non satis fortiter volunt, cum possint, ut explicuimus sect. 4. à num. 40. Gregorius loquitur de tactu interiori efficaci, qui effectum sortiatur. Eusebius vocem illam, omninò, videtur extendere, non ad omne auxilium; sed ad omne tempus, quatenus multi à Deo deseruntur privati auxilijs efficacibus usque ad impœnitentiam finalem. Ad Ambrosium sufficit responsio generalis de impotentia sumptâ pro maximâ difficultate.

93 Ad quartum repeto, nobis hic non esse quæstionem de iure, sed de facto. Non negamus, obstinatos dignissimos esse, quos iure posset optimo Deus punire eâ pœnâ subtractionis omnis auxilijs, & Angelicæ custodiæ. Negamus tamen, Deum misericordissimum sic velle de facto, prout colligitur ex Scripturis, Concilijs, & SS. Patribus: sicut eos dignos eodem iure subitâ morte, relinquit inter vivos. Adde, obiectionem, si quid probat, probare contra objicientes, quemlibet peccatorem, cum dignus fiat simili desertione, sic etiam à Deo puniri: & non solos obstinatos: sicque cuncta peccata forent irremissibilia per pœnitentiam: quod est hæresis manifesta. Exemplis in hac obiectione productis contra nos, opposuimus alia pro nobis num. 88. Et dicimus, non satis probari contrariorum intentum ex destructione aliquorum ad inferos in corpore, & anima: nam in ijs posset sic etiam finire tempus viæ, merendi, ac demerendis quo finito, desunt auxilia gratiæ, & Angelorum custodia. Adversarij autem volunt, in obstinatis durare tempus demerendi, ac proindè statum viatorum; sine

Alh 2

suffi.

S. Thom.
S. Bona.
Alen.
Alvar.
Bellar.
Decaps.
Ripald.
Suarez.
Valent.
Sotus.

1. Tim. 2.

Ezech.
18 & 33

Matt. 9.

Isai. 1.

Rom. 2.

Later.

Trident.

August.
Origen.

August.

Exod. 8.
& 9.

Dan. 4.
Tertull.

4. Reg. 21
2. Paral.
33.

Actor. 7

Aguirre.

Chartus.

August.

Suprà
disp. 1. sufficientibus gratiæ auxilijs ad merendum, quod negamus. In quo autem consistat obstinatio, diximus disp. 1. sect. 6.

SECTIO VIII.

Quid de negativè Infidelibus, Ethnicis, Barbaris, & à Fide remotis?

94 **I**NFIDELES positivè, dicuntur Hæretici, aut qui à Fide iam receptâ, vel agnitâ recesserunt. Infideles negativè, dicuntur Ethnici, Barbari, & à Fide remoti, qui nondum habuerunt notitiam Fidei. De ijs loquimur in præsentibus: postquam de utrisque multa diximus disp. 6. sect. 2. & multa quoque accomodari possint ex sect. præc.

95 Ijs autem adultis negativè infidelibus non adesse auxilia Gratiae sufficientia ad salutem, docuerunt nonnulli Catholici: pro quibus videri possunt Illustrissimus Godoy disp. 73. de Prædest. & Gonetus disp. 5. de Reprob. & est vox communis Recentium Pseudo-Augustinianorum post Iansenium, & Baium, id sicut & alia mutuatos ab impio Calvino, & ab antiquiore Goteschalco, ut evincit Decamps lib. 1. disp. 7. & ex illo Eminentiss. de Aguirre disp. 26. sect. 1.

96 Conclusio tamen omninò tenenda, communis iam inter omnium Scholarum Catholicarum Theologos, est, Ijs quoque adesse sufficientia gratiæ auxilia: non solum in Adamo, ut in Capite, ad evitandum originale, hæc enim præterierunt; sed in se ipsis personaliter præsentia, ad bene agendum. Non, inquam, auxilia proximiora ad quoslibet virtutum actus proximè, & ultimò disponentes ad Fidem, & Iustificationem; sed ad alios remotiores: quos, si, bene utentes prioribus auxilijs, exercerent, non sibi impedirent viam ad salutem: ut possit dici, non per Deum stare, sed per ipsos culpabiliter personaliter, quòd salutem æternam non consequantur, iuxta illud Ecclesiastici 15. *Ne dixeris per Deum abest.* Longum censum Authorum Catholicorum pro hac veritate exscribit Ripalda tom. 1. disp. 20.

97 Præter scripta sect. 1. & seq. ne dicatur Deus iubere impossibilia, dum Gentilibus etiam iubet procurare salutem, resistere tentationibus, fugere peccata, & bene agere: & sect. præc. dum ge-

neraliter de omnibus, ac proinde de Infidelibus Ethnicis probatam manet, non omninò destitui Angelorum custodia, & sufficientibus gratiæ auxilijs; & disp. 6. sect. 2. ubi multa bona opera vidimus in eiusmodi infidelibus per gratiam facta: & præter alia, quæ videri possunt otiosius apud Bellarmin. lib. 2. de Grat. & lib. arbitr. cap. 5. facit huc specialius, & illustrius locus Pauli 1. Timoth. 2. sic scribentis: *Obsecro igitur primum, omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro Regibus, & omnibus, qui in sublimitate sunt, ut quietam, & tranquillam vitam agamus in omni pietate, & castitate: hoc enim bonum est, & acceptum coram Salvatore nostro Deo: qui omnes homines vult salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Unus enim Deus, unus & Mediator Dei, & hominum Christus Iesus: qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.*

98 Scribebat Apostolus sub Imperio Neronis, quando cuncti ferè Reges, & in sublimitate constituti, Infideles, & Ethnici erant, multique in infidelitate permanferunt, & sine notitia Fidei: & pro omnibus, dempto nemine, orandum hortatur, ut vitam agerent in omni pietate, & castitate. En, iuxta zelum Pauli, respectum ad salutem per ea virtutum media dispositam. Quia, subdit, acceptum est Deo, qui omnes homines vult salvos fieri. Vbi ex universalitate voluntatis Divinæ salvandi omnes infert, orandum pro salute omnium. Cum autem exhortatio Pauli sit ad orandum pro omnibus, & singulis, excepto nemine, voluntas illa Dei est salvandi omnes, & singulos, excepto nomine; alioquin ineptam rationem sui dicti attulisset Apostolus. Sicque repellitur efficaciter evasio sinistra, ac minus piè interpretantium, quòd voluntas illa Dei salvandi omnes, non dicitur ad omnes, & singulos, seu ad singulos generum; sed ad omnes pro generibus singulorum: ita nempe, ut ex omnibus hominum generibus, statibus, aetatibus, seu Nationibus, aliquos velit Deus salvari; non verò alios, qui reipsa non salvantur. Consulendus super eum locum Cornelius, nostrum sensum ex alijs Scripturis corroborans, & in eum adducens Hieronymum, Ambros. Damascen. & Clementem Rom. attestantem, fuisse sic ab Apostolis acceptum. Nec obstat Augu-

Suprà
disp. 6.

Bellar.

1. Tim. 2.

Alap. Hieron. Ambr. Damas. Clemen.

August. Augustinus diversæ explicationi visus alicubi favere. Cum enim ubi de Spiritu & Lit. cap. 33. & lib. 3. de lib. arbitr. cap. 19. & cum eo Prosper nostræ favcant; dum ad aliam explicationem recurrit, capiendus est de voluntate efficaci salvandi omnes, ut rectè observat Cardin. de Aguirre disp. 127. sect. 3.

99 Concludit Apostolus, dans aliam sui dicti rationem: quia nempe Christus dedit semetipsum Redemptionem pro multis. In quæ verba cadit eadem nostra ponderatio, sicut in præcedentia. Et ad Rom. 8. scripserat, quòd Deus proprio Filio suo non pepercit; sed pro nobis omnibus tradidit illum. Et sibi mirificè consonans 2. Corint. 5. ait: Pro omnibus mortuus est Christus: iuxta illud 1. Ioan. 2. Ipse est propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris tantum; sed etiam pro totius mundi.

Ex quibus omnibus hanc propositionem Iansenij: *Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omninò hominibus mortuum esse, aut sanguinem fuisse; declaravit Innocentius X. falsam, temerariam, scandalosam, & intellectam eo sensu, ut Christus dumtaxat pro salute prædestinatorum mortuus sit, impiâ, blasphemam, contumeliosam, Divinæ pietati derogantem, & hæreticam.* Qui post hanc Pontificiam definitionem plura desideret Conciliorum, & Patrum, præsertim Augustini, testimonia clarissima, habet

attatim apud Ripaldâ tom. 3. disp. 23. sect. 19. & apud Decamps lib. 3. disp. 7.

100 Nec momenti est quod respondent, Christum pro omnibus mortuum esse, & omnes redemisse sufficienter: quatenus nempe eius mors erat pretium sufficiens pro salute omnium; non verò ita sufficienter, ut omnibus, & singulis etiâ Infidelibus, & Barbaris dentur sufficientia auxilia gratiæ actualis, ut salvi fiant: quia non sic applicuit, & obtulit illud pretium pro omnibus. Id inquam, momenti non est. Primò: quia iuxta inane illam explicationem sufficientiæ, & pro Dæmonibus, ac damnatis ab inferno eruendis dici posset Christus mortuus: ad hoc enim, & ultra sufficiens pretium erat eius sanguis. Secundò: quia modus offerendi, & applicandi illud pretium pro omnibus, & quidem aptissimus, est oratio & deprecatio pro omnibus. At alibi sæpè, sed signanter in Cruce pro omnibus oravit, atque adeò obtulit, & applicuit. Loquatur Augusti-

nus Serm. 4. de Sanctis, ibi: *Quando Christus in Cruce pendens orabat, videbat, & providebat omnes inimicos; sed multos ex ipsis amicos futuros providebat: & idè omnibus veniam postulabat: non ergo solum pro prædestinatis mortem suam applicuit.* Magis ad rem præsentem super verba Psal. 95. *Iudicabit orbem terrarum in equitate,* glossat: *Non partem, qui a non partem erit: totum iudicare habet, qui pro toto pretium dedit: & subdit: Quaritis, quid emerit? videre quid dederit, & invenire, quid emerit: Sanguis Christi pretium est: tanti quid valet? Quid, nisi totus orbis? Quid, nisi omnes Gentes? Valdè ingrati sunt pretio suo, aut valdè superbi sunt qui dicunt, aut illud tam parum esse, ut solos Aïros emerit; aut se tam magnos esse, pro quibus solis sit datum.*

101 Igitur pro omnibus hominibus mortuus est, & pro singulis dedit, & applicuit sui sanguinis pretium, qui omnes homines vult salvos fieri: & pro omnibus oravit, & exauditus est, pro sua reverentia, ut ad Hebr. 5. scribit Apostolus, & qui omnes, & singulos iudicaturus est: ut valeat Dialectica Augustini. Ut ergo tantum pretium, per orationem oblatum pro omnibus, aliquem fructum tulerit in singulis, ut minimum fatendum est, omnibus, & singulis ratione utentibus dari per Christum auxilia gratiæ sufficientia saltem remota, ad consequendam salutem: ita ut ipsis personaliter imputari possit, quòd careant proximioribus: ne vel barbariores iure dicere possint: *per Deum abest.* Profectò nemo nullus toto est in orbe, qui undecumque, & quomodo-cumque Symbolum didicerit, verè non diceret de se quod ad omniū, & singulorum instructionem docemur in Symbolo: *Crucifixus etiam pro nobis.* Plura congerit ex varijs Concilijs, & ex alijs SS. Patribus post Ripaldam, & Dechamps, Cardinalis de Aguirre disp. 126. sect. 3. & 4. & disp. 27.

102 Ratio autem Theologica fit nobis. Quia omnes ratione utentes, quantumvis barbari, & à Fide remoti, obligantur vincere tentationes, agere bene, & evitare peccata, quæ comittunt: alioquin non peccarent; sed ad quodlibet opus bonum, & ad vincendas tentationes, & ad evitanda peccata, quæ comittunt, necessaria est gratia ex ore Conciliorum, & SS. Patrum, iuxta Scripturas Sacras, saltem iuxta præsentem Dei Providen-

Aug. August. Psal. 95. Heb. 5. Ripald. Decaps. Aguirre.

Ripald. Decaps. Aguirre.

Ripald. Decaps. Aguirre.

Ripald. Decaps. Aguirre.

Ripald. Decaps. Aguirre.

Ripald. Decaps. Aguirre.

Ripald. Decaps. Aguirre.

Ripald. Decaps. Aguirre.

Ripald. Decaps. Aguirre.

Ripald. Decaps. Aguirre.

Supra
disp. 7. videntiam, ut exposuimus disp. 7. sect. 3. & resumemus in sequentibus. Necessè igitur est, quòd omnibus, & singulis uniuersalissimè addit præsens auxilium gratiæ sufficientis per Christum iuxta præsentem Dei legem.

SECTIO IX.

Obiectiones.

103 **O**BIJCIUNT nobis primò, quòd alicubi Augustinus verba Pauli: *Qui omnes homines vult salvos fieri*: interpretabatur pro generibus singulorum. Addit Cotenfonus, Augustinum Epist. 107. scripsisse ad Vitalem: *Scimus, gratiam Dei non omnibus hominibus dari: scimus, eis, quibus datur, misericorditer dari: scimus, eis, quibus non datur, iusto Dei iudicio non dari*: Sensit ergo, aliquibus non adesse auxilia gratiæ. Cæterum hoc iam præoccupauimus num. 98. Addo nunc rationem, nè videatur alicui sibi contrariùs Augustinus, clarus alibi pro nostra interpretatione. Agebat nimirum contra Pelagianos, sicut Prosper contra Semipelagianos, qui eo Pauli loco abuterebantur, ut probarent, ad actus salutare, aut saltem ad aliquos initiales, non esse necessariam gratiam per Christum, sed sufficere naturæ vires: quia, inquietabant, multi actus salutare fiunt ab infidelibus, cum omnes velit Deus salvos fieri; quibus tamen non adest auxilium gratiæ per Christum; cum & Fides illis, & notitia Fidei desit.

104 Porro negotium Augustini tunc erat aduersus eos hæreticos, quòd nulli actus salutare fierent, nec fieri possent viribus naturæ sine gratia. Obijciebant prædicta Pauli verba; & ait lib. de Gen. contra Manich. *Non existiment novi hæretici Pelagiani, secundum eos: hoc est iuxta pravam ipsorum intelligentiam, esse dictum. Verum enim est, omnes homines hoc posse, si velint; sed præparatur voluntas à Domino; scilicet per auxilium gratiæ, sine quo nihil salutare possunt. Hoc ergo auxilium, quòd negabant Pelagiani, cõcedit in omnibus Augustinus, & cum illo, omnes posse, volente Deo, omnes salvos fieri; non indè inferendo, omnes posse sine gratia; sed dari omnibus gratiam sufficientem, qua possint.*

105 Quòd autem alibi aliter inter-

pretetur locum Pauli de solis prædestinatis, ut cap. 13. de Correctione dicens: *Hoc unum dicam: ita dictum est: omnes homines vult salvos fieri: ut intelligantur omnes prædestinati, &c.* nihil mirum, cum ipse cap. 14. admoneat: *Quòd scriptum est, quòd vult omnes homines salvos fieri; nec tamen omnes salvi fiunt; nullus modis intelligi potest: ex quibus in alijs opusculis nostris aliquos commemorauimus.* Vnus ergo istorum modorum est, id intelligere de prædestinatis; & in huc modum cadit quòd sit pro generibus singulorum. Alius de omnibus omnino: & hoc est pro singulis generum. In utroque saluant Augustinus, & Prosper intentum suum contra Pelagianos, & Semipelagianos: ideoque nunc unum, nunc alterum admittebant, utpotè sibi non invicem incohærentes, & Pelagianis nihil faventes. Quia quòd Deus velit omnes salvos fieri, non tollit, quòd voluntate efficaci id velit de solis prædestinatis: & quòd id velit efficaciter de prædestinatis, & ineffaciter de alijs, etiam barbaris, & infidelibus, non tollit, quòd nullus possit actum ullum salutarem operari sine auxilio gratiæ: & hæc erat res cum Pelagio, & Semipelagianis: quibus utique non negatur, infideles, & barbaros operari posse actus aliquos salutare; sed operari eos posse adhuc initialiter sine auxilio gratiæ.

106 Ad additamentum Cotenfoni dicimus, verissimè loquutum Augustinum: quippè potest rectè quadrifariam intelligi. Primò, de auxilio gratiæ efficacis. Secundò, de gratia sanctificante. Tertio, de Gratia data personaliter omnibus, comprehendendo etiam parvulos. Quarto, de gratia quoque actuali sufficiente pro adultis: quatenus aliter, & aliter illis inæqualiter distribuitur pro Dei beneplacito. Cum quo stat, quòd omnibus, & singulis adsint auxilia gratiæ sufficientia, saltem remota, ad actus salutare, quibus se disponere possent ad ulteriores, & proximiores. Rem totam edocuit S. Prosper lib. 2. de Voc. Gent. cap. 17. edoctus à Magistro Augustino, dicens: *In extremis mundi partibus sunt aliqua Nationes, quibus nondum Gratiæ Salvatoris eluxit, &c. Quibus tamen illa mensura generalis auxilij, que desuper omnibus semper hominibus est præbita, non negatur.*

Quem mensuræ auxiliorum ordinem discite

discite tandem ab Augustino 3. de lib. arb. 19. ibi: *Nulli homini ablatum est scire utiliter querere quòd inutiliter ignorat, & humiliter confiteri imbecillitatem suam: & querenti, & confitenti subvenit ille, qui nec errat dum subleuat, nec laborat.*

107 Obijciunt secundò, quòd Augustinus in eadem Epist. 107. ex orationibus Ecclesiæ pro infidelibus probat, Fidem esse donum Dei: quia nempe supervacaneæ forent, si possent infideles sine auxilio Gratia velle credere. Quòd ipsum sequi videtur, si omnibus etiam infidelibus adsint ex generali Dei lege auxilia sufficientia gratiæ ad credendum. Respondetur, argumentum Augustini valere contra Pelagianos eo modo, quò non semel exposuimus in superioribus: quippè dicebant, quemlibet viribus arbitrij sine gratiæ ope posse velle, & querere salutariter Fidem. Non verò valet obiectio indè sumpta contra nos: quippè dicimus, nihil eorum fieri à nobis posse viribus naturæ debitis; & ad quodlibet opus, & velle salutare; etiam initiale, esse necessarium auxiliū ex gratia, & ex misericordia Dei: quòd utilissimè petit Ecclesia pro infidelibus, & pro nobis. Tum quia, quamvis illud det omnibus, Deus, dat aliquibus propter aliorum orationes. Tum quia; quamvis det aliqua, petimus uberiora, & ulteriora. Tum quia à dante sufficientia petimus congrua, & efficacia, quibus omnes querant, & inveniant Fidem, & convertantur, & vivant. Quæ omnia sunt non ex debito naturæ; sed ex misericordia, & ex gratia Dei.

108 Obijciunt tertio quòd Augustinus lib. 4. contra Iulian. cap. 8. reijcit dicentes, Deum velle omnes salvos fieri, si ipsi velint: quam locutionem nos idem usurpamus, ut in omnibus agnoscamus auxilia sufficientia ex parte Dei, ne dici possit: *per Deum abest.* Respondetur, Augustinum optimè reijcere ad hominem in Iuliano illum modum loquendi: quò scilicet significabat, si velint, voluntate præveniente. Nunc auxilium interioris gratiæ, quæ voluntate, seu quo conatu suo naturali se disponerent ad gratiam, & salutem. Hunc sensum detestamur nos cum Augustino: & quando cum ipso, & cum alijs Patribus, & Concilijs dicimus, hominem cū auxilio sufficienti posse salutariter operari,

seu consentire, si velint; nec intelligimus, si velint, naturali conatu prævenire auxilium, ut Iulianus: nec intelligimus, si velint, expectato nostro velle, ut conditione ad dandum auxilium, ut aliqui nobis impropertant: nec intelligimus, si velint, id est, positâ conditione, quòd velit: quia esset nugatorie dicere, posse consentire, si consentiat; sed aptissimè sic significamus, penes voluntatem præventam auxilio esse, viribus auxilij salutariter uti, & pro libito suo determinare se ad salutariter volendum: ne iam dicere iure possit, *per Deum abest.*

109 Obijciunt quartò quòd dicitur Act. 13. & 14. Deum in præteritis Generationibus dimississe Gentes ingredi vias suas: & despexisse tempora illa ignorantia. Quocirca dixerat Christus, Matth. 11. Tyrios, & Sidonios convertendos, si apud ipsos fecisset virtutes & miracula, quæ tamen non fecit. Et Act. 16. Paulus prohibitus dicitur ab Spiritu Sancto, nè verbum Domini prædicaret in Asia. Ergo quia nec volebat Deos illos infideles salvos fieri, nec adesse illis sufficientia auxilium ad salutem. Respondetur, negando consequentiam. Nam in primo loco, eatenus dicitur Deus illas Gentes dimississe, & ignorantia temporaria despexisse, quatenus non illis dedit Prophetas, & Legem scriptam sicut Iudæis: cum quo rectè stat, quòd multa ipsis dedit auxilia interioris gratiæ conducentia ad singulorum salutem. In secundo, sermo Christi est de virtutibus, & miraculis factis ad Corozainos, & Bethsaiditas: quamvis autem hæc defuerint Tyrijs, & Sidonijs, non propterea omnino illis defuerunt alia auxilia sufficientia. In tertio, prohibito pro tunc Paulo, nè Asiaticis evangelizaret, non propterea negabantur ipsis auxilia interioris gratiæ ad querendum Evangelium, & procurandam salutem, aut saltem ad benè agendum, quo se disponerent ad ulteriora, quamvis non ita proximè.

110 Obijciunt quintò illud Christi, Ioan. 6. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater traxerit*: sed Pater non omnes trahit, præsertim infideles: ij igitur venite non possunt, ac proindè carent auxilijs sufficientibus, quibus possint. Minor vincitur ex subsequentibus ibidem: *Omnis, qui audit à Patre, & didicit, venit*: ergo infideles, qui re ipsâ non veniunt,

non trahuntur, nec audiunt. Respondetur negando minorem. Non enim ita desipiendum est, ut tractio illa Patris per auxilia sit necessitativa, sed invitativa, attractiva, & allicitiva per illustrationes, & inspirationes sanctas: alias congruas, & efficaces; alias incongruas, & purè sufficientes. Istæ autem, sine quibus venire salutariter nemo posset, omnibus adsunt etiam infidelibus, illuminantes omnem hominem venientem in hunc mundum. Undè negatur consequentia. In probatione minoris, observare licet quòd non dicit, *omnis qui audit, venit*; non enim omnis, qui audit, discit corde, & obtemperat: alioquin frustra hortaretur David: *Si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda: sed dicit: qui audit, & didicit*: ut significet efficaciam, & congruitatem auditionis, prædicationis, seu illustrationis, aut inspirationis in corde; & venire omnes, qui sic audiunt, & discunt, quibus, ut loquitur Augustinus, ita veritas suadetur, ut persuadeatur: cum quo stat, alios aliter vocatos, & invitatos, ut veniant, non venire, eis que suaderi veritatem, & non persuaderi.

Ioan. 1.

Psal. 94

Rom. 10.

Act. 4.

Hebr. 11

III Obijciunt sextò illud Roman. 10. *Quicumque invocaverit nomen Domini salvus erit. Quomodo ergo invocabunt, in quem non crediderunt? Aut quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient sine prædicante?* At sunt certè in Nationibus remotis, & barbaris infideles multi, ad quos Prædicatores Evangelij non pervenerunt. Ergo ij iuxta Apostolum nec possunt audire, nec credere, nec invocare Nomen Domini Iesu Christi sibi prorsus ignoti. Cum ergo sine hac invocatione salvi esse non possint; nec enim aliud nomen est sub Cælo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri; omninò carent auxilio sufficienti ad salutem.

112 Probat discursus iste, aliquibus non adesse auxilia sufficientia proxima ad credendum Evangelio, & ad invocandum Nomen Iesu Christi; non verò non adesse ad fugiendum malum, & prosequendum bonum, quod agnoscunt internis saltem illustrationibus auxiliantis gratiæ, & ad timendum, honorandum, & diligendum Deum, quem invincibiliter ignorare non possunt, saltem ex præfenti Dei lege, *quia est, & quod inquirètibz se remunerator est, ut dixi disp. 1.*

de Aurib. sect. 5. ex S. Thom. *quest. 14. de Ver. art. 11. Quibus auxilijs si benè operando correspondeant, providebit Deus proximiora, ut credant, & invocent Nomen etiam Iesu Christi: quod persuadeat Historiæ fidedignæ. Si verò non correspondeant, iam non sunt inexcusabiles de peccato suo personali, ut ad Rom. 1. scribebat Apostolus: *Invisibilia Dei à creatura huius mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur: semp. terna quoque eius virtus, & divinitas, ita ut sint inexcusabiles: nec iure dicere possint: per Deum abest.* Idcirco disp. 8. de Incarnat. num. 14 §. insinuavi satis contra nonnullos, non esse dabile peccatum, quod vocant Philosophicum còtra rationem naturalem, quin sit Theologicum còtra Deum. Id quod affirmatiùs dico post condemnationem huius propositionis, ut scandalosæ, temerariæ, piarum aurium offensivæ, atque erroneæ, à Sanctissimo D. N. Alexandro VIII. anno 1690. *Peccatum Philosophicum, seu morale est actus humanus disconveniens naturæ rationali, & rectæ rationi. Theologicum verò, & mortale est transgressio divina legis. Philosophicum, quantumvis grave, in illo, qui Deum ignorat, vel de Deo actu non cogitat, est grave peccatum; sed non est offensa Dei, neque peccatum mortale dissolvens amicitiam Dei, neque æternâ penâ dignum. Meritiùsime quidem.**

113 Ad obiectionem in forma, concessis præmissis, distinguo consequens: non id possunt proximè, concedo; remotè per auxilia, quibus possunt taliter operari, ut ex divina providentia perveniant ad posse proximè, nego. Quam sit hoc ex Augustini mente, lege apud ipsum ad illud Psalm. 18. *Nec est qui se abscondat à calore eius*: ibi Augustinus: *Cum autem Verbum etiam caro factum est, & habitavit in nobis mortalitatem nostram suscipiens; non permisit, ullum mortalem excusare se de umbra mortis: & ipsam etiam penetravit Verbi calor: ut neque ulli pereunium excusatio suppetat de abnegato lumine veritatis.* Hinc eius Discipulus Prosper lib. 2. de Vocat. Gen. cap. 17. clariùs dixit: *In extremis mundi partibus sunt aliqua Nationes, quibus nondum gratia Salvatoris illuxit: scilicet per Fidem, nondum ibi promulgatam: quibus tamen illa mensura generalis auxiliij, quæ desuper omnibus semper hominibus est præbita, non negatur. Quid expressius?*

Disp. 7. de Atrib. S. Thom.

Rom. 1.

De Incarnat. disp. 8. sect. 1.

Alex. VIII.

Psal. 18. August.

Prosp.

Di-

114 Dices. Notitia illa, ex qua Gentiles possunt assentiri existentia unius Dei remuneratoris, vel est naturalis, vel supernaturalis. Si naturalis, non est conducens ad salutem: hoc enim esset Semipelagianismus. Si supernaturalis, aut est Fides Theologica, aut non. Si non est Fides, nequit esse initium salutis, definiète Tridentino sess. 6. cap. 8. *Fidem esse humanae salutis initium, fundamentum, & radicem omnis iustificationis.* Si est Fides, quomodo non ex auditu? Quomodo habetur, nemine prædicante, contra Apostolum? Confirmatur. Aut Gentiles illi ex illo auxilio sufficiente sibi dato ad assentiendum existentia unius Dei remuneratoris, assentiuntur; aut non. Si assentiuntur, iam ex Dei providentia venient ad veram Fidem Christi, & incipiunt esse Fideles. Si dissentiuntur, iam sunt positivè, & culpabiliter infideles: sicque omnes Gentiles adulti, aut aliquando erunt Fideles, aut nunquam sunt in infidelitate purè negativà: contra quod supponunt Theologi ex S. Thom. 2. 2. q. 10. art. 2.

Trident.

S. Thom.

Suprà disp. 7.

115 Respondetur, admittendo secundam partem dilemmatis, scilicet notitiam illam iuxta præsentem Dei legem esse supernaturalem ex dictis disp. 7. sect. 3. & ex dicendis sect. 11. Nego tamen ad secundum dilemma, esse Fidem absolutam, & completam, cum non sit creditio ex auditu; quamvis inchoativè pertineat iam ad negotium Fidei; cum apud August. sint, *inchoationes quaedam, Fidei conceptionibus similes*: sicut pia affectio præcedens assensum Fidei, nondum est Fides, cum non sit actus intellectus, quamvis pertineat ad negotium Fidei. Dicere autem, quòd ea notitia conducat inchoativè ad salutem, & iustificationem, non contradicit Tridentino, ampliativè loquuto de negotio Fidei: ut dicitur de pia affectione, conducente ad salutem, & præcedente Fidem: ac si eiusmodi inchoationes per Christum, pertineat iam ad negotium Fidei; sicque ad Fidem, quasi in voto: pia affectio in catechumenis proximius, & expressius; illa verò notitia boni, in inscijs Evangelij, remotius, & implicitè: quatenus voluntas benè agendi subinfert volutatem credendi pro casu, quo discredere foret peccatum.

Salmat.

116 Ad confirmationem, in qua multum laborant PP. Salmanticensis disp. 6. de Gratia efficaci, dub. 3. respondetur,

quòd ex illis Gentilibus aliqui assentiuntur, alij non assentiuntur primò auxilio sibi affulgenti. In utrisque autem salvatur satis infidelitas negativà asserta à Theologis cum S. Thom. In assentiètibz: quia dum ille assensus non est Fidei Theologicæ, non propterea sunt fideles; cum Fide careant, quamvis sint benè correspondentes primæ illi illustrationi: nec propterea illicò habent prædicatorem Evangelij, sed decursu temporis opportuni; & hoc non, nisi post primum illum assensum non se alijs peccatis implicant, quibus id demerantur. Sed quoquo modo hoc sit, non sunt, nec dicuntur infideles positivè, sed negativè, dum carent prædicante Fidem, cui sufficienter propositæ resistent. In dissentientibus autem; quia, quamvis dissentiant primæ illi illustrationi internæ circa existentia Dei remuneratoris, non dissentiant Fidei Iesu Christi; imò nec ipsius Dei sibi ex auditu sufficienter propositæ, donec habeant Prædicatores: quod sufficit ad rationem infidelitatis negativæ in sensu Theologorum, iuxta planam explicationem à nobis præmissam num. 94.

SECTIO X.

Quid de auxilijs sufficientibus Parvulorum absque Baptismo decedentium.

117 **P**ARVULI, qui decedunt cum Baptismo salutem æternam consequuntur, ut hæredes, per gratiam qua, remisso originali, iustificatur ex meritjs Christi Redemptoris. Qui sine Baptismo desedunt, non eam consequuntur. Et de ijs dubitatur: an, & quomodo habeant auxilia gratiæ sufficientia ad salutem; cum incapaces sint illustrationum ad benè agendum, dum carent usu rationis. An, & quid habeant ex meritjs, & per gratiam Christi omnium Reparatoris. An, & quatenus Deus erga illos se habeat minus liberaliter, ac benevolenter, quam erga pessimos adultos, multis peccatis personalibus onustos. Circa quæ, multa Suar. lib. 4. de Grat. cap. 4. & Vasquez disp. 96. cap. 2.

Suar. Vasq.

118 Dicendum primò, ijs non conferri personaliter, & in se interna gratiæ actualis auxilia. Cum enim hæc sint illustrationes, piæque affectiones allicientes ad benè rationaliter operandum, frustra

conferrentur carentibus usu rationis, utpotè pro tunc incapacibus rationalis, honesta, & libera operationis.

119 Dicendum secundò, eos etiam in alijs, scilicet in Adamo capitaliter, & in Parentibus, &c. habere auxilia sufficientia remotiora: quibus, quia multi culpabiliter non correspondent, parvuli non perveniunt ad Baptismum, medio quo applicarentur illis efficaciter merita Redemptoris, & obtineretur æterna salus. Sic extendit ad hos quoque parvulos Suarez contra Vasquez illam Dei voluntatem, qua vult omnes salvos fieri, prædicta auxilia conferens alijs adultis: non solum ex intentione, ut ipsi benè agant; verum etiam ex intentione, quamvis non efficaci, ut parvuli iustificentur, & salventur. Sic enim magis commendatur abundantia, & universalitas Redemptionis Christi, & misericordiae Dei: de qua credi vix licet, non plus voluntatis habuisse salutis parvulorum, quos creavit, quam aliorum merè possibilium. Nec obest, quòd multi filij Sanctissimorum etiam Parentum moriantur absque Baptismo. Nam Sanctissimi etiam elabi finunt multa auxilia sine fructu, quin omnibus omninò respondeant, quibus si diligentius corresponderent, id non permetteret Deus in Filijs.

120 Obijcies, sic etiam dici posse de adultis contra doctrinam sect. 8. & 9. non omnibus adesse personaliter in se; sed tantum in Adamo, & in alijs, auxilia sufficientia adhuc remota ad salutem. Respondetur, quoad adultos id non posse dici, nisi incongruentissimè, inspecta præsentia Dei providentiâ. Cum enim parvuli rationis impotes, capaces non sint liberè agendi, quamvis sint capaces Redemptionis, non sunt capaces in se auxiliorum illustrantium, inspirantium, & excitantium ad liberos ipsorum actus; ideoque recurrimus ad auxilia in alijs ratione utentibus, quibus applicari potest ipsis redemptio, & obtineri salus. Adultis verò, utpotè ratione utentibus, congruentissimum est, in se ipsis personaliter conferri auxilia. Videmus, cum simili discrimine se gerere in adultis, & parvulis divinam providentiam in iustificatione Baptismi. In illis enim invalidum est sine proprijs actibus; in istis validum; quippè priorum actuum incapaces sunt, & sine proprijs actibus

applicatur redemptio, & obtinetur salus.

121 Insistes: eiusmodi auxilia in alijs data pro dictis parvulis non sunt per gratiam Iesu Christi Redemptoris: ergo aut non sunt, aut frustra id diximus in commendationem universalitatis Redemptionis. Antecedens inferri à fortiori videtur ex duobus assertis Augustini. *August.* Unum habetur *Serm. 5. de Verb. Apost. cap. 11.* ibi: *Pagani non habent gratiam Dei per Iesum Christum.* Aliud lib. de Grat. & lib. arbitr. cap. 15. *Gratia per Fidem Iesu Christi eorum tantummodò est, quorum est ipsa Fides.* Si ergo infideles adulti, quamvis in se habeant aliqua auxilia sufficientia gratiae divinæ, non dicuntur habere gratiam per Iesum Christum; multò minus Parvuli Fidei incapaces, quamvis dicantur habere in alijs aliqua auxilia. Respondetur, negando antecedens, non rectè deductum ex assertis Augustini. Ibi namque non loquitur de omni gratia per Christum, seu ex meritis Christi; sed de gratia specialiori agnitionis, & confessionis Christi per Fidem Evangelicam: & hanc dicit non haberi à Paganis per Iesum Christum; siquidem nullatenus habetur. Auxilia verò gratiae sufficientis, quam Pagani adulti habent personaliter in se, & parvuli in alijs, imò & quam omnes habuerunt capitaliter in Adamo, ut posset non peccare, non nisi per Christum, & ex Christi Redemptoris meritis habuerunt, & habent: ut ex latè disputatis de Incarnatione resumimus *disp. 4. sect. 4.* Sic explicato, ut oportet, Augustino, negatur ultima consequentia, tam de infidelibus adultis, quam de parvulis decedentibus absque Baptismo.

122 Dicendum tertio. Erga huiusmodi parvulos benevolenter se habet Deus, quatenus ex voluntate illa salvandi omnes, dedit aliquibus adultis auxilia in ordine ad ipsorum salutem; minus tamen benevolenter, ac beneficè, quam erga multos adultos olim sceleratissimos, tam prædestinatos, quam reprobos. *Quis enim*, ait Bellarminus lib. 2. de Grat. & lib. arbitr. *inficiari audebit, benevolentem fuisse Deum Paulo, Mattheo, Magdalena, Laitoni in Cruce secum pendenti, quam plurimis parvulis sine Baptismo morientibus? Cum tamen eos adultos longè deteriores fuisse istis parvulis, non liceat dubitare.* Nec in eiusmodi distributione auxiliorum plurium, aut maiorum, ce-

leia-

SECTIO XI.

Quibus temporibus, seu occasionibus conferat Deus aditus auxilia actualia Gratiae, saltem sufficientia.

Matth. 20. *August.* 123 Obstarè videtur Augustinus lib. 4. contra Iulianum, cap. 8. inferens, quasi absurdum, quòd ex eius doctrinis sequeretur, Deum magis beneficam, ac benevolentem fore erga sceleratissimos adultos, quam erga parvulos innocentes. Respondetur ex Bellarmino citato, Augustinum per hæc non nobis obstarè; sed Iuliano, quem ad hominem impugnabat. Dicebat Hæreticus, Deum non habere voluntatem antecedentem absolutam ullum salvandi; sed omnes sub conditione, si velint, præveniente scilicet, ut retulimus num. 108. humanam voluntatem divinam: qui error manifestè refellitur ex voluntate salvandi multos parvulos habitam sine illa conditione, si velint. Negabat insuper in parvulis peccatum originale, ideoque illos vocabat *innocentissimos*. Et ex hoc infert Augustinus, ut absurdum inconsequentissimum, quòd Iulianus benevolentem faciebat Deum erga sceleratissimos, quam erga eos, quos vocabat innocentissimos, & purissimos à labe peccati; cum tamen benevolentiam Dei meritari vellet secundum merita, si velint. Hic certè Augustini discursus intactam relinquit nostram doctrinam: quippè eam Dei voluntatem salvandi omnes, ponimus in Deo gratis antecedenter ad merita salvandorum, & non salvandorum. Si quæras: cur ibi Augustinus interpretetur, omnes, id est, multos, pro solis prædestinatis? Rationem dedimus num. 103. & seqq. quia interdum id intellexit Augustinus de voluntate absoluta & efficaci: & sic pro generibus singulorum; interdum verò de voluntate etiam inefficaci; & sic pro singulis generum.

124 Cave autem ne dixeris, aliquos parvulos perire absque Baptismo, & gloriam in penam peccatorum, quæ patrent, si ad usum rationis pervenirent; alios verò Baptismum, & gloriam adipisci in premium meritorium, quæ facerent, si diu vixissent. Hic enim esset purus putus Semipelagianismus.

125 **S**PIRITVS ubi vult spirat; & nescis, unde veniat, aut quò vadat; edocuit Christus Ioan. 3. ut discamus, quàm sint humana indagini incomprehensibilia iudicia eius, & investigabiles viæ eius, signanter in dispensatione auxiliorum Gratiae. Vidè sapienter Augustinus lib. 83. qq. q. 68. *Hæc vocatio, quæ sive in singulis hominibus, sive in Populo, atque in ipso genere humano per temporum opportunitatis operatur, alta, & profunda ordinationis est.* Id igitur, cum nemo noverit, nisi *Matth. III.* *Filius, & cui voluerit Filius revelare*, in questione facti, ne temerè quidquam dicamus, non nisi ex divinis revelationibus per Scripturas, & Regulas Fidei, & ex doctrinis SS. Patrum, à Patre luminum illustratorum, discurrere licet, & loqui.

126 Certum in primis est, urgente obligatione alicuius præcepti actualiter obligantis ad exercitium alicuius actus supernaturalis, adesse præfens auxilium sufficiens gratiae ad illum exercendum, aut saltem facultatem pro libito habendi tale auxilium. Alioquin præceptum obligaret ad impossibile, quod est damnatum in Tridentino, & in Bulla Innocentiana contra Iansenium. Hinc peccatori cuicumque, advertenti instantem obligationem disponendi se ad iustificationem, adest auxilium gratiae sufficiens ad dispositiones illas liberas, utpotè supernaturales. Idem de infideli ad credendum, dum illi sufficienter proponitur fides cum obligatione iam credendi. Idem de iusto, & alijs, quoties instat præceptum, & obligatio diligendi Deum propter se super omnia: quia, ut latè adstruximus *disp. 8.* impossibile est talis actus, quin eo ipso sit supernaturalis; atque adeò, quin ad sint auxilia gratiae elevantis naturam de se impotem ad illum. Dices: sic ergo egemus multoties gratiam ad peccandum: siquidem sine illa non peccaremus; cum tamen ad peccandum sufficiat sibi natura. Vera est illatio cum grano salis: non de peccato utcumque; sunt enim peccata, quæ possent

Li 2

evi

evitari naturaliter; sed de peccato, quod esset omisio operis supernaturalis præcepti. Nec ad hoc requirimus gratiam adjuvantem ad illud; sed potius retrahentem à peccato, & adjuvantem ad opus supernaturale, quod tunc omittimus. Sic autem illatio non est absurda: sicut neque quod gratia iustificans prærequiratur ad eius expulsionem.

127 Dicendum deinde est. Peccatori fidei, etiam dum actu non obligatur iustificari, adsunt ad conversionem auxilia sufficientia valde frequenter, præsertim pro opportunitate occasionum: ut cum audit concionatorem exhortantem, amicum suadentem, legit librum pium edocentem, videt mortuum, & similia, ad concutiendum animum opportuna; imò & sæpè aliàs, citra earum etiam opportunitatum occursum: ut ex SS. Patribus edisserunt eruditius Herize *disput. 34. de Prædest. cap. 4.* & Ripalda *tom. 1. disp. 20.* Deus enim stat ad ostium & pulsatur; & cum non multum differat vocare peccatores, etiam, debito cum discrimine, infideles ad pœnitentiam; congruum est divinæ bonitati misericordissimæ, ac liberalissimæ, & desiderio suo serio salvandi omnes, quod non diu tardet, quin eos interius moveat, & vocet; ac proinde sæpè sapius, & abs dubio in prædictis occasionibus opportunis. *Non tardes converti ad Dominum: & ne differas de die in diem*, hortatur ad omnes peccatores, *Ecclesiast. 5.* Quomodo autem ijs verbis, affectu misericordiæ plenis, omnes hortaretur ne tardent, si tardaret ipse in elargitione auxiliorum sufficientium, sine quibus nequit homo salutariter converti?

128 Dicendum insuper est, in occasione cuiuscumque tentationis ad peccandum, quæ sine auxilio gratiæ vinci non potest, adesse homini, quantumvis pessimo, auxilia sufficientia ad illam vincendam. Suas rationes adhibet Vasquez *disp. 97. cap. 3.* Nostra sit: quia tunc obligatur non peccare, & vincere: quod, quamvis ex natura rei præstare aliquomodo posset interdum absque auxilio gratiæ Theologicæ; non tamen iuxta præsentem Dei providentiam: quæ sic quoque facit ex tentatione proventum, præveniendò scilicet hominem desuper, ut, si honestè vincit, non nisi salutariter vincat, ut exposuimus ex Ripalda *disp. 7.*

sect. 3. Ne dicamus, promptiorem esse diabolus ad tentandam, quam Deus sit ad subveniendum infirmitati nostræ, ut salutariter vincamus, si non stet per nos metipsos resistentes gratiæ, & annuentes tentationi.

129 Dicendum tandem videtur, quod, quamvis Deus peccatores pessimos posset iuste privare auxilijs suæ gratiæ, extra casus obligationis præcepto: um de opere supernaturali; non tamen sic est credendum de sua misericordia, dum peccator est in via, & in statu demerendi. Quia hos etiam hortatur Deus generaliter ad pœnitentiam: inanis autem esset adhortatio, si carerent auxilijs sufficientibus, sine quibus salubris pœnitentia illis impossibilis est. Eos privat sæpè Deus in pœnam subtractione auxiliorum, quibus reipsa convertantur; non verò sufficientium, quibus possint converti: nè iure dicere valeant, *per Deum abest*. Relege quæ diximus de obstinatis *sect. 7. & 8.* ibique graves Sanctorum Patrum sententias, præsertim Augustini.

130 Ex ijs omnibus inducit sapienter, & eruditè Ripalda doctrinam generaliore, quam ex ipso retulimus *disp. 3. à num. 40. & disp. 7. sect. 3.* & nunc libenter amplectimur in commendationem copiosissimæ Redemptionis Christi, & liberalissimæ largitatis Dei, satis nobis notæ ex Scripturis Sanctis, & ex testimonijs Sanctorum Patrum, prout ibi insinuavimus, & legi potest otiosius apud ipsum. Ea est, nullam suscitari in statu naturæ per Christum reparatæ cogitationem, aut affectionem piam, & sanctam, quin tunc suscitetur in nobis ab Spiritu Sancto per Christum illustratio, & inspiratio gratiæ Theologicæ auxiliatricis entitativè supernaturalis: nullumque ab hominibus actum honestum exerceri, aut posse exerceri, quin adsit gratia auxilians ad exercendum, vel ad posse exercere actum salutarem entitativè supernaturalem: sive, quia omnes prædictos actus comitantur semper alij actus circa idem obiectum entitativè supernaturales, ut vult Ripalda; sive, ut nos malumus, quia nullus eorum actuum, iuxta præsentem Dei providentiam, satis manifestatam in Scripturis, exercetur à nobis per Christum reparatis, qui, si bonus est, supernaturalis non sit. Vide ibi, & ad Ripaldam citatum.

Cum

131 Cum quo ex hac doctrina, plenius & universalius responderetur ad titulum sectionis, dicendo, auxilia gratiæ sufficientia adesse cunctis adultis omnibus temporibus, & occasionibus, quibus tanguntur aliqua pia cogitatione; sive habitâ pro opportunitate occasionum externarum; sive solum desuper sine illa. Quacumque enim datâ occasione, & interdum sine illa, ingerit se Deus nostris mentibus, & cordibus: ut seorsim ex multis testimonijs Sanctorum Patrum comprobatur Ripalda *tom. 1. disp. 20. sect. 7. 8. 9. & 10.* Nec potest hoc mirum videri discipulis P. Vasquez citatis *disp. 3. num. 90.* cum quibus convenimus in eo, quod omnis pia cogitatio est auxilium gratiæ Theologicæ in hoc rerum statu; & discrepamus in eo, quod illi volunt, esse entitativè naturalem; & nos supernaturalem iuxta præsentem Dei providentiam, utpotè dantem saltem sufficientiam ad actus salutares. Profectò conducenter ad salutem suadent nobis Scripturæ, ut semper operemur bonum: frustra autem essent eiusmodi suasiones, si quotiescumque possumus operari bonum, non præstò adesset auxilium sufficiens gratiæ, sine quo nihil possumus bonum conducenter ad salutem operari.

132 Hanc hausisse reor Theologiam à Magistro suo Augustino eius discipulus addictissimus Paulus Orosius: qui in *Apolog. pro libertate*, sic habet: *Mea semper hæc est fides, atque indubitata sententia, Deum adiutorium suum, non solum in corpore suo, quod est Ecclesia; verumetiam universis in hoc mundo Gentibus, propterea longanimitatem sui æternamque clementiam subministrare, & non ut tu asseris in solo naturali bono, & in libero arbitrio generaliter universis unam gratiam contributam; sed speciatim quovis die per tempora, per dies, per momenta, per atomos, & cunctis, & singulis ministrare.* Augustini sensum expressisse videtur ad amasium Concilium Senonense, coactum adversus novas hæreses Parisijs ann. 1527. quod, quamvis non fuerit generale, magnæ tamen autoritatis haberi debet. Sic eloquitur *Decr. 25.* *Neque tamen tanta Gratia necessitas libero præiudicat arbitrio; cum illa semper sit in promptu, nec momentum qui dem præereat, in quo Deus non stet ad ostium, & pulset, &c. Quid illustrius?*

133 Non quod propterea existime-

mus, sine ulla interruptione adesse nobis semper illustrationes, & inspirationes auxiliatrices divinæ gratiæ: cum satis noverimus, mentes nostras, demeridem diverti, ac distrahi ad temporalia, ad lites, ad bella, ad lucra, ad epulas, ad voluptates, ad spectacula, ad ludos, ad studia, ad negotia secularia, animum sæpè nostrum absentia, & præoccupantia cogitationem honesti; sed adesse nobis per intervalla temporis, quoties adest cogitatio honesti: quæ tamen crebras præ fragilitate nostra subit intermissiones. Modò cogitatio, & pia affectio honesti insurgat occasione ordinarij rerum occursum; modò, præter eiusmodi opportunitates externas, mentem, animumque sine visibili ministerio interiori quandoque pulset. Mihi quidem hanc saltem frequentiam assistentiæ divinæ gratiæ actualis per Christum Reparatorem iuxta præsentem Dei legem persuadent Autoritates Scripturæ, & Patrum, quas uberrimè accumulatur Ripalda cit. præsertim Canon nonus Arausiaci 2. *Quoties bona agimus, Deus in nobis, atque nobiscum operatur:* quippe iuxta illud *Sapient. 6. Præoccupat eos, qui se concupiscunt:* scilicet præveniendò per auxilia sua ad omnem nostram bonam operationem.

134 Nec pium est dicere, hoc esse quasi prodigalitatem auxiliorum; cum dignissimè congruat copiosa Redemptioni Christi, & largissima liberalitati, ac misericordiæ Dei: cuius nos parcos esse non decet, cum Deus parcus non sit. Scio, id ægrè ferri à Recentibus Pseudo-Augustinianis, apud Montanum in Litteris suis Provincialibus iam prohibitis. Exinde tamè cœpit mihi magis placere, quia eos à multis suis machinationibus exarmat. Obiectiones P. Petri de Oxea, quæ momenti sunt, dissolutæ manent *disp. 7. sect. 4.*

SECTIO XII.

FACIENTI QUOD EST IN SE, DEVS NON DENEGAT GRATIAM:
quomodo ritè intelligendum,
& explanandum.

135 **V**VLGATISSIMUM hoc inter Scholasticos Axioma sensum sibi vendicat minima è vulgarem, ut medium iter inoffensè teneamus inter ex-

Herize.
Ripald.

Eccli. 5.

Vasq.

Ripald.
suprà
disp. 7.Ripald.
suprà
disp. 3.
sect. 3.Ripald.
suprà
disp. 3.
sect. 4.
& disp.
7. sect. 3.

Orosius.

Concil.
Senon.Ripald.
Araus.]

Sap. 6.

Montan.

Oxea.
suprà
disp. 7.

tremos errorum scopulos, hinc, & inde imminentes. Eos Authores Catholicos student evitare; ne, dum assistentiam divinæ gratiæ bonis conatibus nostris iuxta prædictum axioma propugnant, sentire videantur cum Fautoribus Pelagianismi, homines, faciendo quod est in se, bonos scilicet conatus, & pia desideria viribus naturalibus liberi arbitrij, mereri gratiam, qua se proximius disponant ad iustificationem, & re ipsa iustificentur. Multorum placita referunt ad satietatem

Herize. *Herize disp. 27. de Prædest. & Ripalda tom. 1. disp. 20.*

Ripald.

Vasq.

136 P. Vasquez illud intelligit de faciente quod est in se viribus gratiæ: quatenus scilicet homini, qui præventus anterioribus gratiæ auxilijs correspondet, benè & salutariter cooperans, non denegat Deus auxilia gratiæ ad ulteriores actus salutares usque ad iustificationem. Sed multis ex eo non plenè satisfacit, quia deviare videtur à sincero Axiomatis sensu. Demus enim, benè utenti auxilijs anterioribus, addere Deum ulteriora, quod semper verum non est; cum aliqua sint, post quæ non dantur alia. At certè axioma illud collimat ad salvandum, pro benè operantium solatio, auxiliium sufficiens in ijs etiam eventibus, in quibus ex quacumque bona operatione argui posset, adfuisse ad illam auxiliium divinæ gratiæ: ut in pueris primò venientibus ad usum rationis, & in barbaris lumine Fidei destitutis. His enim etiam persuasum voluit Axioma, non defuisse auxiliium sufficiens ipsis, conantibus honestè agere: nam ut id esset persuasum ijs, qui supponuntur iam instructi supernaturalibus auxilijs, necesse nõ erat recurrere ad istud Axioma universalissimum. Sensus igitur illius genuinus, & sincerus non est, gratiam non denegari subsequenter ad opera facta ex anteriori gratia; sed antecedenter adfuisse cuicumque benè operanti; sicque facienti quod est in se.

Duran.

137 Durandus & alij Veteres apud Ripaldam *disp. 17. sect. 1.* intelligunt Axioma de faciente quod est in se viribus naturæ. Quippè putarunt, per actus bonos naturales, disponi posse hominem per modum meriti congrui ad dona gratiæ supernaturalia. Sed hæc ratio periculosa est, & ad Pelagianismum, vel Semi-pelagianismum nimis inclinans. Ideò

à nullo iam Catholico defenditur, ut legere est apud Ripald. *sect. 2. & seqq.* Eam reiiciemus infra, disputantes de Merito. In eam coincidunt alij, qui opera bona naturalia nolunt vocare meritum, sed dispositionem moralem ad supernaturalia. Sed eodem modo propter idem periculum reiiciuntur optimè ab ipso Ripalda *disp. 18.* Nam in re, si id intelligunt de dispositione morali positiva, non est in quo satis id discernant à merito congruo.

Ripald.

Ripald.

138 P. Suarez intelligit de faciente quod est in se viribus naturæ: non quia opera bona naturalia positivè disponant, & conducant ad gratiam; sed negativè, quatenus per ea evitantur peccata ipsis opposita, quibus homo fieret positivè indignior auxilijs gratiæ. Multi non acquiescunt: quia hoc, de operibus indifferentibus dici potest: imò & de aliquo qualiter malis: ut cum quis ex fine inanis gloriæ non vult furari, sicque evitat peccatum grave furti, quo fieret positivè indignior. Præterea: de quocumque indignissimo, & sceleratissimo verum esse debet, quòd facienti quod est in se Deus non denegat gratiam: non ergo exhaurit sensu verissimi & universalissimi axiomatici prædicta explicatio per remotiorem indignioritatis. Præterea: sæpè Deus indignioribus uberiora auxilia confert: & eidem homini post multa, & maiora peccata plura, & maiora largitur auxilia. Non ergo metitur hoc Divina Providentia per prædictam indignitatem, & indignioritatem.

Suarez.

139 P. Herize, id etiam intelligens de faciente quod est in se viribus naturæ, observat in primis optimè, aliud esse, dari gratiã facienti quod est in se; aliud, dari gratiam, quia facit quod est in se: illud prius, quod dicit Axioma, significat dumtaxat concomitantiam gratiæ ad opus bonum naturale facientis quod est in se; istud posterius, quod Axioma non dicit, significat aliquod genus causalitatis operis boni naturalis in gratiam: quod absolutè concedi non potest: quia iuxta subiectam materiam sonat causalitatem moralem per modum meriti, saltem congrui. At deindè, non tam assertivè, quam propositivè, facientem quod est in se viribus naturæ, aliquid præstare præ non faciente, nè gratiã denegetur: non moraliter dispositivum per modum

Herize.

meri-

meriti; sed physicè: ad modum, quo dicimus, naturam rationalem secundum nativam eius capacitatem aliquid conferre, ut illi potius, quam irrationali donetur gratia, cuius scilicet illa, & non ista est physicè capax. Ad hunc modum discurrit, facientem viribus naturæ bonum, quod potest, fieri capacior, & accommodatior: physicè ad gratiã: quin propterea nec gratiam mereatur, nec se ad illam moraliter disponat. Non satis placet. Tum quia gratia illa, si non est principium illorum operum facientis quod est in se, subsequitur ad ea opera tanquam ad dispositiones saltem physicas; atque adeò, vel est antecedens, vel consequens ad illa: sicque non habet locum ea concomitantia, quam ait significari in Axiomate. Tum quia, si est subsequens etiam tempore, ut indicat Herize, cum non detur in ipso instanti boni operis naturalis, sed sæpè multò post in certis opportunitatibus quando iam physicè præterierunt bona opera; quomòdò est dispositio physica? Sic certè iam non nisi moraliter disponunt illa opera, si aliquomòdò disponunt. Tum denique: quia non explicat, quam gratiam non denegat Deus facienti quod est in se; an actualem, an habitualem, an efficacem, an sufficientem, an ad Fidem, an ad iustificationem, an dandam in eodem momento, quo facit homo quod est in se, an deinceps, & quando. Harum rerum explicatio desideratur etiam in præcedentibus tententijs.

Montoy.

140 P. Montoya hæc omnia disputans egregiè *disp. 22. de Provident.* docet *num. 1.* facienti quod est in se viribus naturæ non eo ipso dari auxilia efficacia deinceps ad actus salutares. Docet deindè *num. 4.* dari infallibiliter saltem sufficientia temporibus opportunis: nam hæc dantur etiam non sic facienti quod est in se. Docet *num. 7.* non debere absolutè dici, facienti quod est in se viribus naturæ, dari gratiam: nam hæc locutio, quomodocumque postea explicetur, sonat titulum, seu privilegium aliquod in operibus naturalibus, cuius intuitu detur gratia. Vnde infert, opera naturalia ratione sui non solum non fundare infallibilitatem; sed neque maiorem probabilitatem dandæ gratiæ. Addit tamen usque ad *num. 9.* facere quod est in se viribus naturæ prodesse quodammodo pos-

se, ut detur gratia; aut instar causæ per accidens, nihil inflaendo, sed solum præcavendo impedimentum prohibens, quod esset non facere quod est in se; aut instar occasionis non à nobis datæ, sed à Deo ultrò acceptæ. Sicque ait generalius, infallibilitatem dandi omnibus aliqua auxilia reddi magis infallibilem pro facientibus quod est in se viribus naturæ: accedente aliqua maiori probabilitate, quòd citius ea à Deo habeant, ex eo quod in illis invenit divina gratia plures opportunitates, & occasiones. Quin tamen proindè eiusmodi occasiones quidquam ex se virtutis, & utilitatis habeant ad gratiam; quamvis Deus indè occasionem arripiat: quemadmodum occasio scandali Pharisæici in Christo dicitur à Pharisæis ultrò accepta, sed non à Christo data: id quod latius explicat *disp. 16. sect. 2. & 3.* Si obijcias, sic concedi ante gratiam aliquam discretionem facientis à non faciente quod est in se, in ordine ad gratiam, & salutem; negat id per se loquendo: quòd autem in illo discrimen aliquod per accidens appositum à Largitore gratiæ, occasione accepta ab illis operibus, non reputat inconveniens; sicut nec quòd acutum Augustini ingenium assumptum sit à Deo præ alio, in gratiam tanti Doctoris; nec quòd hoc discrimen insitum Augustino fuerit à natura, ut ille suavius elevari posset ad sublimitatem doctrinæ, ad quam minus suaviter elevaretur homo rudis, & hebes. Ut alia prætermittam, desiderari videtur in hac explicatione solatium, quod præfert Axioma facientibus quod est in se, reddens illos securos, quòd Deus non illis denegat gratiam præ alijs: probabilitas enim illa, nec maior probabilitas non affert securitatem.

141 P. Molina, quem iustè, doctèque defendit Herize à levibus impugnationibus, & à gravibus imposturis Magistri Alvarez, intelligit Axioma de faciente quod est in se viribus gratiæ: sic videlicet, ut quoties homo conatur in bonum, quod potest, circa ea quæ Fides habet addiscenda, & amplectenda, & circa iustificationem, det gratiam auxiliantè Deus, qua illa opera faciat supernaturaliter, & salutariter. Non quòd expectet Deus, ut homo prius naturaliter conetur, & ideò det gratiam: hæc enim est sinistra, nè dicam invida, intelligentia tanti Theologi; sed

Molina.

Herize.

Alvar.

sed

Rom. 5. sed quia ex misericordi, ac liberali lege sua per Christum Reparatorem, cuius meritis ubi abundavit delictum superabundavit gratia, praevenit humanas voluntates, seque per gratiam antecedenter ingerit cunctis earum conatibus bonis, ut evadant salutes, & conducentes ad vitam aeternam, ad quam ordinare, & elevare voluit imbecillitatem nostram; ideoque fiant supernaturales loco naturali, qui evaderent, si eiusmodi divinae gratiae auxilijs non praeveniretur natura, relicta folis suis viribus cum concursu generalis sui Authoris. Similem doctrinam retulimus cum laude disp. 13. & 14. de Incarn. Incarn. sect. 9. ex Patribus Coninc, & Vvadingo disp. 13. loquentibus de actibus bonis Christi: quod extendit Coninc disput. 6. de Act. Coninc. Supernat. dub. 5. ad omnes actus bonos hominis iusti. Profunda haec, & eximia Theologia frustra impugnata noviter ab Illustrissimo Godoy tom. 2. in 1. p. disp. 66. a §. 6. viam aperit rectae intelligentiae nostri Axiomatis. In eo tamen videri potest diminuta, quod non loquitur de omnibus actibus bonis, tam iniusti, quam iusti; tam fidelis, quam infidelis; & barbari; tam remotae, quam proximae disponentibus ad Fidem, & Iustificationem: cum tamen pro cunctorum solatio ad omnes, & pro omnibus universalissimè se extendat Axioma. Quapropter

Ripald. 142 P. Ripalda generaliter id extendit ad omnes omnium actus honestos, & moraliter bonos: docens, & uberi, ac mirabili eruditione firmans, ac illustras totam disp. 20. Legem illam Dei generalissimam, quod nunquam sit homo de facto potens operari actum ullum bonum, quin sit per gratiam praevenientem potens operari supernaturalem. Sicque planissimè Facienti quod est in se, id est bonum opus, Deus non denegat gratiam: siquidem iam Deus ex illa lege sua per Christum praevenit in omni eventu operationis bonae liberum hominis arbitrium, ut simul cum actu bono naturali operetur alium supernaturalem. Reclamant Oviedus 1. 2. tract. 7. contr. 3. num. 21. & 46. & alij; sed frustra. Improperant Pseudoaugustiniani; sed parcimus. Mihi, ut non semel iam monui, in eo displicet hoc placitum P. Ripaldae, quod frustra velit conjunctionem illam generalem actuum naturalium cum supernaturalibus. Quod in illis eventibus bonae

Tom. de Incarn. sect. 9. ex Patribus Coninc, & Vvadingo disp. 13. & 14. Coninc. Vvadin. Godoy. Ripald. Ovied.

operationis adsit gratia praeveniens, ut evadat actus supernaturalis, perplacet: id enim mihi graviter persuadent Scripturae, Concilia, & Sancti Patres per verba, quae copiosè congerit Ripalda. Ad quid tamen tunc simul actus alius naturalis in eadem potentia, circa idem obiectum, cum eisdem circumstantijs? Hoc certè nulla Patrum testimonia persuadent, nec leviter insinuant: ut iam expendi disp. 7. sect. 3. ubi rationibus, quae pro eiusmodi binario actuum excogitari possunt, satisfecisse mihi videor.

143 Ijs omnibus sincerè perpensis, amplector doctrinam sapientissimi Molinae, quam imitantur Coninc, & Vvadingus; non tamen ita diminutè, & contractè, aut ad solos iustos, ut docent isti; aut, ut ille docuit, ad solos Fideles; sed amplè, & universalissimè extensam ad omnes. Ita videlicet, ut in statu naturae rationalis ordinatae ad finem supernaturalem, & per Christum reparatae, nullus omninò fiat actus moraliter bonus, què auxilium gratiae non praeveniat, ut evadat supernaturalis, & positivè conducens ad salutem. Sicque sensus profundissimi, ac pijsissimi Axiomatis, alioquin difficillimi, est genuinus, & planus. Quatenus facienti quod est in se, hoc est, benè, & honestè operanti; Deus non denegat gratiam, scilicet auxiliantem: imò illam praelargitur Deus: non quidem, quia homo operatur quod est in se; sed quando operatur, & ut operetur quod est in se: quia Deus per Christum misericordissimè sic vult, ut faciens quod est in se salutariter id faciat: non quidem solis viribus naturae, sed cum adiutorio gratiae praevenientis: quod pro cunctis benè operantibus, etiam infidelibus, & barbaris solatium maximum est, ac utilissimae fiduciae plenum, ut abs dubio praesert Axioma. Et in hunc sensum exponit Molinam Eximius Doctor cap. 11. de Ver. Intellig. Obiectiones P. Oxea contra generalitatem istam divinae legis proposuimus, & solvimus pro P. Ripalda disp. 7. sect. 4.

144 Atque hinc respondemus expedite ad illas dubitationes, quas inexplicatas ab alijs sententijs, proposuimus ad calcem nu. 139. Quippè roganti, quam gratiam non denegat Deus facienti quod est in se? Respondemus, actualem auxiliantem: nam iustificantem multis, multa bona

Suprà disp. 7.

Suarez. Oxea.

Suprà disp. 7.

bona facientibus non concedit. Roganti, an efficacem, an solum sufficientem? Respondemus, efficacem: cum qua scilicet actu benè operatur: nam sufficientem etià non facienti quod est in se, & actualiter peccanti non denegat Deus, ut vidimus sect. 11. Roganti, an ad Fidem, an ad iustificationem? Respondemus, conducentem ad totum hoc, magis, vel minus, remotius, aut proximius pro diversitate operantium, & bonorum operum, quae fiunt. Roganti, quando illam non denegat Deus? Respondemus, tempore ipso, quo faciens quod est in se operatur bonum: iuxta Canonem Arauscani: Quoties bona agimus, Deus, scilicet per gratiam, in nobis, atque nobiscum operatur. Roganti verò, an sit sermo de faciente quod est in se viribus naturae, an viribus gratiae? Respondemus cum P. Valquez, viribus gratiae, ut longius abigamus Pelagianismum. Sed non, ut vult P. Valquez, quatenus per opera facta viribus gratiae anterioris meremur auxilia ulteriora, iam ex quodam debito danda; sed quatenus nobis benè operantibus praestò adsunt à Deo gratis donata, citra nostrum etià omninò meritum, auxilia praevenientia gratiae: non ex debito naturae; sed ex misericordi Dei largitoris lege: quibus non solum benè, sed salutariter etiam, & supernaturaliter operemur, ut decet creaturas ordinatas ad finem supernaturalem, à tanto Redemptore reparatas. Sic etiam Herr. q. 14. de Praed.

145 Videbitur forsàn alicui prorsus inane solatium, quod ex Axiomate sic intellecto persuadere studuimus nobis & alijs: sensus enim esset circulariorius, & nugatorius, facienti quod est in se viribus gratiae Deum non denegare gratiam, quam iam habet. Immeritò tamen: nam, quamvis in re ita sit; modus tamen noster id dicendi non est hic; sed longè diversus, & aptissimus ad solamen facientium quod est in se, benè operando. Notum est enim, fieri apud barbaros etiam, & infideles bona opera rationi naturali conformia, ut amare parentes, & filios; adimplere iurata, subvenire miseris, &c. Haec, si, ut ex natura rei posset, fiant naturae viribus sine gratia, salutaria non sunt, nec conducentia ad vitam aeternam. Si ex praesenti Dei lege, & providentià non omnia fiant ex gratia, & salutaria, quis discernere posset de om-

Arans. Herrer.

nibus, quanam fiant salutariter, quanam conducenter, quanam utiliter, quanam inutiliter ad vitam aeternam: hinc anxietas in benè etiam operantibus, an fructuosè, an infructuosè operentur: an cibum, qui perit; an qui permanet in vitam aeternam. Huic anxietati occurrere intendit Axioma, quasi dicat: Satagite ut bona opera faciatis: Regnum Dei intra vos est: ex Dei enim misericordia, & largitate per Christum adest praestò, & intra vos auxilium gratiae, ut, quoties benè operamini, non quomodocumque benè, sed etiam salutariter, & conducenter ad aeternum Dei Regnum operemini: solliciti estote de bonis operibus, prout in vobis est: adest Deus, qui in vobis facit esse salutare quod est bonum. Hic certè non est sensus circulariorius: quia non dicit: facite quod in vobis est viribus gratiae sub ijs terminis, & Deus dabit gratiam, quam habetis: sed, facite quod in vobis est, quia Dei lex est universalissima, quod vobis id facientibus non desit gratia. Atque hoc est sincerissimè, & appositissimè explicatum: FACIENTI QUOD EST IN SE, DEVS NON DENEGAT GRATIAM.

SECTIO XIII.

Orthologia perutilis, & observata digna circa subiectam Auxiliorum materiam.

146 CVM Fides sit Orthodoxa, id est rectè credens; & esse quoque debeat Orthologa, id est, rectè loquens; quandoquidem haud semel ex verbis inordinatè prolatis incurritur haeresis; operæpretium duxi pro coronide harum Disputationum de Auxilijs, in quibus multa, ut vidimus, circumferuntur Fidei dogmata, multique hinc & inde suboriuntur errores; nonnulla adnotare circa varios loquendi modos, aut admittendos, aut recusandos apud Catholicos; ut, nè verbo quidem minus confono, sanæ doctrinae veritatem, & puritatem inter loquendum offendamus: quod Theologo Scholastico commendatissimum esse debet.

147 Primò. Cavendum est, ne dicatur, facienti quod est in se dari gratiam, quia facit quod est in se, nisi iuxta explanationem P. Valquez positam nu. 132. Quia

Ioan. 6.

Luc. 17.

Hieron.

Vasq.

Kk

Iuxta

iuxta alias explicationes, id intelligentes de faciente quod est in se viribus naturæ, non bene sonat: cum indicare videatur virtutem, seu privilegium aliquod in operibus naturalibus, cuius intuitu detur gratia: ut rectè notavit P. Montoya cit. Iuxta nostram verò, Ripaldæ, & Molinæ explicationem, id intelligentium de faciente viribus gratiæ, sonaret dari remuneratoriè gratiam antecedentem ex merito boni usus subsequenti ipsius gratiæ: quod est implicans, & absolum. Datur itaque gratia facienti quod est in se: non quia facit quod est in se; sed omninò gratis ex lege Dei, quando facit, & ut faciat quod est in se: quæ locutio pura, & Theologica est.

Montoy.
Ripald.
Molina.

148 Secundò. Scrupulo caret & omni sorde, dicere, liberum arbitrium uti gratiæ efficaci. Id reprehendunt sine causa multi cum Alvarez disp. 87. Saltem tamen audiant S. Thom. super illud Pauli: *Gratia eius in me vacua non fuit.* Audiant, inquam, pro ea locutione S. Doctorem: *Ostendit Paulus, quomodo usus sit gratiæ ista. Et mox: Eà usus est ad id, ad quod data est sibi.* Et 1. p. quæst. 62. art. 3. ait: *Habens gratiam potest eà non uti: supponens utique, quòd eà utitur, quãdo operatur.* Et Concilium Senonen. apud Ripaldam habet: *Si sic gratia utantur, & non frustra eam videantur suscepisse. Quid clarius? Accedit ratio: quia liberum arbitrium gratiam, ex se non necessitantem ad agendum, applicat, ut in actu secundo agat: at iuxta S. Thom. 1. 2. quæst. 16. art. 2. uti est applicare ab: quod principiorum actionis ad actionem.* Quemadmodum igitur habituales gratiæ dantur libero arbitrio ad utum, iuxta illud Philosophi: *Habitibus utimur, cum volumus;* similiter & actualis: quia, quamvis huius, sicut nec illarum infusio non sit pro libito nostro; libiti tamen nostri est cum illis, & cum ista operari.

Alvar.

1. Cor. 15
S. Thom.

Senon.

S. Thom.

Arist.

Suprà
disp. 5.

Suprà
disp. 6.
sect. 7.

Patres, & Theologos ad significandam conducentiam actuum salutarium meritoriorum vitæ æternæ.

151 Quintò. Cavendas nihilominus esse duas istas locutiones: *Deus donat nobis Gratiam suam, ut eà utamur; sicut aliquis donat alteri villam, vel librum.* Et: *Deus subijcit nobis suam gratiã.* Quia similes propositiones sunt prohibitiæ nuper, tanquam temerariæ, ab Innocentio XI. loquendo de Omnipotentia Dei, ut iam meminimus disp. 9. de Attrib. num. 187. & quidem merito. Quia prima per exempla illa villæ, & libri sonat, Deum abdicare à se dominium, & usum suæ gratiæ; sicut qui donat librum abdicat à se dominium libri: quod plusquam falsum est; cum Deus semper absolutissimè prædetermineatur cuicumque nostræ operationi. Secunda verò; quia sonat inferioritatem gratiæ Dei ad liberum hominis arbitrium: cum certum esse debeat, quòd, quamvis gratia se attemperet, & accomodet ad libertatem arbitrij nostri, sibi inferioris; est tamen semper in operando superior, & primatum tenens. Undè est quod dixit Arausicanum: *Adiutorium gratiæ non subiungi humilitati, aut obedientiæ humanæ: scilicet, ut humanæ voluntati, quasi superiori subiectum.* Et Augustinus, Deum gratiã sibi subdere voluntates, quin valeant resistendo superare: hoc est, superiores evadere: quia, sive voluntates resistent, sive non resistent, non nisi à gratiã sibi superiore habent posse, non resistendo, bene operari. Nec resistere possunt gratiæ efficaci coniungendo suam resistentiam cum illius efficacia, undecumque ista sumatur iuxta varias Scholarum opiniones.

Innocen.
XI.

Tcm. de
Deo. disp.
9. sect. 12

Araus.

August.

152 Sextò. Quoniam, ut monuit S. Thom. in Proœmio Opusc. *Errores exorti occasione dederunt Sanctis Ecclesiæ Doctores, ut Fidei Mystera maiori circumspectione traderent;* hisce temporibus, post Lutherum, & Calvinum, Baianorum, & Iansenistarum, libertatis humanæ hostium, erroribus infectis; oportet maxime, circumspectius loqui in materia libertatis: ne vel in modo loquendi ad illos accedere videamur. Undè non possum non mirari in Authore, alioquin gravissimo, & cordatissimo, non semel legisse, Deum per auxilia efficacia gratiæ extorquere a nostris voluntatibus consensum. Absonat.

S. Thom.

Sep-

153 Septimò. Cavendum etiam est, iuxta superius dicta de sufficientia Auxiliorum, ne dicamus, hominem, qui non convertitur, aut qui non bene operatur, posse hoc Deo potius, quam sibi tribuere. Absonat enim ab Scriptura monente: *Non dixeris per Deum abest.* Quia, ut scitè distinguit Anton. Perez disp. ult. de Provident. cap. 14. aliud est, hominem non converti per auxilia, quæ non habet, & per quæ, si haberet, converteretur; aliud est, non converti per auxilia, quæ habet. Illud prius tribui potest Deo, sanctissimè deneganti illa auxilia ob rationes sibi notas, & à nobis ut plurimum inscruptabiles; istud posterius, non tribuitur Deo, sed homini non cooperanti gratiæ, quam Deus iam dedit. Absolutè autem loquendo, *ne dixeris, per Deum abest:* id est non debet tribui Deo, sed homini, non converti: quia hæc locutio sonat causam culpabilem non conversionis, quod soli homini competere potest; non Deo: qui tam conferens hæc auxilia, quam denegans alia, non culpabiliter, sed sanctissimè se gerit.


Anton.
Perez.

154 Arque hinc conciliantur duo dicta Augustini, in uno loco revocantis, inæqualitatem consentientis à dissentiente in ipsorum libitum; quatenus ille vult, iste non vult: & in alio loco id revocantis non tam in ipsorum libitum, quam in Dei beneplacitum. Quippè in priori loco intelligi voluit de inæqualitate consentientis à dissentiente per auxilia, quæ habent. In secundo, per quæ unus habet, & alius non habet: unus enim illorum habet quæ prænovit Deus fore efficacia, si darentur; alter non habet, quæ prænovit Deus efficacia fore, si darètur. Quamvis autem hominis adiuti per gratiam sit, consentire auxilijs, quæ habet; at hæc, aut alia habere, vel non habere solius Dei est: iuxta repetitum illud Augustini Patris elogium, quo Disputationes istas de Gratia Actuali, quasi aureâ clavi libentissimè concludimus: **SI QVISPIAM SIBI TRIBVIT, QVOD VENIT VOCATVS; NON POTEST SIBI TRIBVERE, QVOD VOCATVS SIT.**

August.


August.

(†)



Kk

DE



D E
 GRATIA HABITVALI
 SANCTIFICATIVA,
 E T
 DE IUSTIFICATIONE
 PECCATORIS.

IUSTIFICARE, significat interdum ostendere innocentiam alicuius: vt Isaiæ 5. *Vt Isai. 5. qui iustificatis impium: hoc est, impium innocentem declaratis: & Luc. 10. Ille volens iustificare se ipsam: hoc est, innocentem se, & inculpatum ostendere. Sicque David alloquitur Deum Psalm. 50. Vt iustificeris in sermonibus tuis: hoc est, vt te iutum probes,*

& manifestes. Non sic in presenti; sed sumitur à nobis, *iustificare, pro eo quod est de impio, & peccatore iustum, & sanctum facere per Gratiam: quæ propterea, Iustitia etiam, & Sanctitas appellatur. Cum eo tamen discrimine, rigorosius loquendo, quod appellatur, Sanctificatio, & Gratia sanctificans, vbiicumque infunditur; Iustificatio, verò, & Gratia iustificans, dum infunditur vbi præcesserat peccatum.*


In hoc autem auctiori sensu Scholis familiari Iustificatio impij definitur à Trident. sess. 6. cap. 4. *Translatio ab statu peccati in statum Gratia, & Adoptionis Filiorum Dei. Agunt de hac Gratia Magist. in 2. à dist. 24. ibique cum Subtili Scoto eius Commentatores. S. Thom. 1. 2. quest. 110. ibique cum Vasquez eius Interpretes: Eximius Sua-*

rez eximiè tom. 3. de Grat. per Libros septem: & P. Martinez de Ripalda per varias sparsim Disputationes de Ente Supernaturali; & collectim tom. 2.

disp. 132.

DISPV-

*Trident.
Magist.
Scotus.
S. Thom.
Vasq.
Suarez.
Ripald.*



DISPUTATIO XIII.

DE ESSENTIA GRATIÆ HABITUALIS

Iustificantis: & de Remissione peccatorum.

2 **RATIÆ**, inquam, *Habitualis*: quia est qualitas permanens ad instar habitus infusi. Et, quamvis omnes habitus supernaturales virtutum possent in hoc quoque sensu vocari Gratia habitualis, à differentia Gratia actualis auxiliantis, ut innotuit

Suprà disp. 1. num. 40. absolute tamen, & anthonomasticè loquendo, nomine Gratia habitualis venit Gratia sanctificans, iustos homines, & sanctos, Deo gratos, & amicos, dignosque gloria vitæ æternæ constituens. De hac igitur potissimum agimus: non pauca quoque dicturi decursu nostrarum Disputationum de habitibus Virtutum, quæ Gratiam istam comitantur: ut gradum faciamus ad Disputationes de Merito, quod Gratia fructus est, & incrementum.

SECTIO I.

Errores præcipui Hæreticorum circa subiectam materiam.

Pelag.

3 **HÆRESIS** fuit Pelagij, & multarum hæresum nostri temporis origo, quod homo per suam entitatem naturalem est iustus, & sanctus, dignusque; amari à Deo amabiliter, dummodo non se maculet peccato mortali: post quod aliam iustificationem non agnoscunt, nisi extrinsecam Dei condonationem: qua, sine forma creatâ intrinsicè superadditâ, tollatur peccatum, & reducatur homo ad pristinam suam iustitiam, fiatque verè iustificatus.

Baian.

Ripald.

Bellar.

4 Atque hinc ortum habuere aliquæ propositiones Baianorum ab Apostolicâ Sede damnatæ, præsertim 21. 23. 24. & 26. impugnata à Ripalda *tom. 3. disput. 8.* & multi ex viginti erroribus Hæreticorum nostri temporis, quos circa materiam istam refert Cardin. Bellarm. *lib. 2. de Iustific. cap. 1.* Quos inter, duo sunt præcipui, quibus sæpe impensè Tridentina Synodus opposuit. Vnus est, impios non iustificari per infusionem formæ creatæ intrinsicè; sed vel per solam extrinsecam condonationem, seu divinam remissionem peccatorum; vel per Christi merita extrinsecè dumtaxat ipsis per Fi-

dem applicata; vel per increatam sanctitatem, & iustitiam, qua Deus iustus est, ipsis imputatam. Alter est, in iustificatione impij, quocumque modo fiat, non verè remitti peccata; sed tegi dumtaxat, ac dissimulari; non deleri penitus, ac eradicari quoad maculam culpæ; sed quali radi, & merè desinere imputari ad poenam.

5 Pelagij fundamentum erat Hominis dignitas. Quippè factus est ad imaginem, & similitudinem Dei, *Genes. 1.* sicque à Deo factus iuxta naturam suam. Undè natura ipsa rationalis humana est ex se participatio quædam divinæ nature; sicque quodammodo Filiatio Dei, saltem adoptiva; cum nequeat esse naturalis. Hi autem sunt conceptus formæ iustificantis; igitur id habet homo substantialiter ex dono, ac debito creationis; potius quam ex gratia, quæ sit forma accidentalis intrinsicè superinfusa. Confirmatur: quia id est melius, præstantius, & nobilius quod magis accedit ad Deum: magis autem accedit ad Deum homo per substantiam suam, quæ est substantialis imago, similitudo, & participatio divinitatis, quam per formam aliam quamcumque accidentalem, qualis dicitur esse Gratia habitualis: quæ ad summum esset accidentalis Dei participatio: id ergo quod tribuimus Gratia habituali accidentali, congruentius competit substan-

tia

tia ipsius humanæ nature: atque adeò nõ est cur ad iustificationem hominis superaddenda sit accidentalis forma Gratia habitualis.

6 Respondetur, similitudinem illam, & imaginem Dei, ad quam dicitur homo à Deo factus, si non est similitudo per gratiam supernaturalem, quam indidit Deus cum illum condidit in statu nature integræ, ut non semel explicuit August. apud Cornelium; sicut non est similitudo Dei per gloriam, de qua *1. Ioan. 3.* *Similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est;* ita certè non esse similitudinem, imaginem, consortium, seu participationem divinæ nature per gratiam, de qua *2. Petr. 1.* *Ut per hæc efficiamini divina consortes nature.* Sunt enim similitudines valde dissimiles. Hæc namque per gratiam, est similitudo virtuosa ad mores divinos, incompatibilis cum statu peccati, quo redditur homo diabolo similis; estque talis participatio nature Dei, ut ex inimico Dei, ac filio diaboli faciat hominem amicum, & Filium adoptivum Dei, ut seorsim explicandum veniet *disp. 19. sect. 5.* Non sic ea Dei similitudo physica, ad quam dicitur factus homo per naturam suam rationalem iuxta varias aliorum Interpretum explicationes apud eundem Cornelium: cum certè sit similitudo compatibilis cum peccato, utpotè non destruente substantiam nature rationalem, in qua fundari solet eiusmodi similitudo laxior, in inimicis etiã Dei, & filijs diaboli, ut de quibusdam peccatoribus aiebat Christus: *Vos ex parte diaboli estis.* Addi posset, imaginem, & similitudinem Dei specialem, ad quam primò factus est homo: fortè non esse ad naturam divinam, sed ad naturam humanam, quam postea Deus assumpturus erat, & ab æterno mente præconceperat sibi assumendam, potius quam Angelicam, ut præeunte Tertulliano, glossat ex Hilario, & Cyrillo Cornelius ibi: *Ad imaginem, & similitudinem Dei, id est, Christi.* Hæc autem similitudo, in eo sita, quod Deus factus homo terminet penes humanam naturam similitudinem in natura aliorum hominum, toto distat Cælo à consortio divinæ nature, quod iustus specialiter habet per gratiam, ut ex se notum est.

7 Hinc corrui fundamentum Pelagij, & Baianorum, sinistra sacri Textus

intelligentiæ subnixum. Negamus enim, ex illa similitudine, ad quam factus est homo per naturam, inferri quod homo per naturam suam sit participatio illa virtuosa divinæ nature quo ad mores divinos, tribuenda gratia supernaturali: ac proinde, & quod sit Filiatio adoptiva Dei. Ad confirmationem negatur minor. Nam per similitudinem illam substantialem non ita accedit homo ad Deum, ut non patiatur secum inimicitiam, & divortium peccati: quod secum non patitur similitudo, & consortium gratia habitualis accidentalis. Undè negatur tota consequentia.

8 Fundamenta aliorum duorum errorum, quos retulimus *num. 4.* sunt huiusmodi. Prioris quidem, quod dicitur *Roman. 4.* *Credidit Abraham Deo, & reputatum est ei ad iustitiam;* & paulò post: *Credenti autem in eum, qui iustificat impium, reputatur fides eius ad iustitiam;* ergo iustificatio nostra stat in sanctitate, & iustitia Dei, vel Christi, extrinsecè nobis reputatâ, & applicatâ per Fidem, sine superadditione formæ nobis intrinsicæ.

Et *Ephes. 1.* dicitur Deus, quod *gratificavit nos,* id est, gratos, sibi que charos, ac iustos fecit, *in dilecto Filio suo.* Undè pluribi vocat Paulus Christum *vestem,* scilicet iustitiæ, qua induimur, ut digni Deo compareamus. Præterea *1. Corinth. 1.* dicitur de Christo: *Factus est nobis sapientia, iustitia, sanctificatio, & redemptio.* Et *Roman. 3.* iustitia, qua sumus iusti, vocatur *iustitia Dei;* ergo est iustitia, qua Deus iustus est, per quam nobis extrinsecè imputatam, seu applicatam, efficiamur iusti. Insuper *Roman. 5.* dicitur: *Sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem; sic etiam per unius iustitiam in omnes homines in iustificationem: sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituuntur multi; ita & per unius obedi-*

tionem iusti constituuntur multi. Quemadmodum ergo peccatores efficiamur originaliter per peccatum Adæ nobis imputatum extrinsecè, quin intrinsicè nobis inhæreat; similiter & iustificati per iustitiam & merita Christi: sicut per merita, & facinora Progenitoris egregij fiunt posterij grati Regi sine aliquo ipsis intrinsicè. Accedit ratio. Quia iustificare aliquem, sonat, illum iustum declarare, probare, ostendere: declaratio autem, probatio, & ostensio iustitiæ, quid extrin-

trin-

August.

Alap. id.

1. Ioan. 3.

2. Petr. 1.

Infrâ disp. 19.

Ioan. 8.

Tertull.

Hilar.

Cyrillus.

Cornel.

Rom. 4.

Ephes. 1.

1. Cor. 1.

Rom. 3.

Rom. 5.

trinfecum est sic iustificato: ergo & iustificari est quid extrinfecum, itque sine formâ intrinfecâ iustis physice inhærente. Adde, quod in humanis amicitia, & adoptio sunt quid extrinfecum.

9 Respondetur. Ad primum ex Roman. 4. negando consequentiam. Ex eo enim quod iustificatio importet Fidem, Deique acceptationem, ut requisitum necessarium ad illam; non satis infertur, consistere adæquatè in eiusmodi acceptatione per Fidem: vndè per id non excluditur forma iustificans iusto inhærens, intrinfecè diffusa in cordibus nostris, ut mox loquitur Paulus cap. 5. Nec est è re illud Ephef. 1. solum enim significatur, Deum nos gratos sibi fecisse per merita dilecti Filij sui: causaliter nimirum in genere causæ meritorie; non formaliter, & constitutivè. Nec appellatio illa vestis quidquam evincit: nequit enim esse nisi metaphorica locutio: ut apud eundem

Rom. 5.

Colof. 3.

Paulum: *Induite viscera misericordie.*
10 Ad secundum ex 1. Corin. intellige, Christum esse nobis iustitiam, & sanctificationem: causaliter scilicet: eo sensu, quo dicitur Deus interdum vita, & fortitudo nostra: alioquin nec sapientes essemus per sapientiam nobis intrinfecam; cum ibidem eadem phrasi dicatur Christus factus nobis *Sapientia*. Quod autem Rom. 3. iustitia, qua iusti sumus, vocatur iustitia Dei, rectè intelligitur de forma iustificante nobis intrinfeca; quatenus scilicet donum Dei est, nobis desuper à Deo infusum. Vndè negatur consequentia.

11 Ad tertium ex Rom. 5. necesse non est, quod paritas illa teneat in omnibus: alioquin contra omnes inferretur, quod sicut, peccante Adamo, eius posteris concipimur peccatores, sic saltem post Christum conciperemur eo ipso iusti. Sensus igitur sanus est, quod sicut ex Adæ peccato derivatur ad posteros culpa; etiam ex iustitia, & ex obedientia Christi derivatur iustitia, seu iustificatio nostra, delens culpam. Et quoad hoc tenet paritas, & comparatio Apostoli: non tamen eodè omninò modo; sed cum accommo discimine satis manifesto per eundem Apostolum iuxta definitiones Ecclesiæ, infra pro nobis expèdendas: quod nempe per peccatum Adæ constituimur formaliter peccatores; iusti verò per iustitiam Christi, non formaliter; sed causa-

liter. Nec valet paritas ex humanis: quia, quamvis aliquid probaret de possibilibus iuxta aliam Dei legem, de quo inferretur; nihil probat pro de facto iuxta præsentem legem Dei, hoc modo, nobis ex Scripturis manifesto, volentis nos iustificare per formam intrinfecam, potius quam alio modo per extrinfecam; quamvis fortè posset utrolibet, si vellet.

12 Ad quartum à ratione, fatemur, eas voces, *iustificare*, & *iustificatio*, viurpari quandoque in sensu maioris, ut prænotavimus num. 1. Ille tamen sensus non est è re præsentis: quandoquidem non agimus de iustificatione pro eiusmodi declaratione iustitiæ; sed pro ipsa iustitia, quam supponit ea vera declaratio; sicut manifestatio sapientiæ supponit sapientiam; & virtutis, virtutem. Hinc, concessâ minori, negatur consequentia in alio nostro sensu iustificationis, qua formaliter iusti sumus, sive tales extrinfecè probemur, sive non. Ad illud tandem additamentum amicitie, & adoptionis inter homines, constabit ex dicendis suo in loco de amicitia, & adoptione Dei per gratiam, logè sublimiori, quam sint in humanis amicitia, & adoptio. Pro nunc dici posset, quod ad finem num. præced. scilicet, ex humanis nihil probari pro de facto; quidquid sit de possibili iuxta alias Dei leges.

13 Fundamenta posterioris erroris sunt huiusmodi. Primum: quod canitur Psalm. 31. *Beati quorum remissa sunt iniquitates: & quorum tecta sunt peccata: vbi remissio videtur explicari per hoc, quod est regi peccata, potius quam per hoc quod est, tolli, & aboleri.* Subditur: *Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum: ex quibus omnibus deduci videtur, post remissionem manere in iusto re ipsa peccatum; tectum tamen, & quasi coopertum: & eatenus dumtaxat remitti, quatenus desinit imputari à Deo ad condemnationem.* Secundum: quod ait Augustinus cap. 3. contra Iulianum, *concupiscentiam esse penam, & effectum peccati, & peccatum: sed in iustificato manet concupiscentia: ergo & peccatum: atque adeò peccatum per iustificationem non tollitur, sed tegitur.* Et cap. 29. de Nuptijs ait: *Dimitti in Baptismo concupiscentiam carnis: non, ut non sit; sed, ut non imputetur.*

14 Respondetur, dici peccata tecta impro-

Infrà
disp. 19.
sect. 4.Infrà
disp. 19.
sect. 5.

Psal. 31.

August.

improprie, & metaphoricè sicut per illam dicuntur rubra, & dealbata. Quoadmodum enim quæ tecta sunt non videntur à nobis, quamvis sint; sic non videntur à Deo in homine peccata post remissionem, quando re verâ non sunt. Dicitur autem *Beatus, cui non imputavit Dominus peccatum*: verisimè: non quia, manente peccato, iustificetur homo per meram non imputationem, ut perperam infert consequentia; sed potius, quia ea Dei non imputatio præfert abolitionem peccati per gratiam iustificantem animæ infusam.

15 Ad secundum ex August. respondimus iam disp. 12. num. 56. Ex ibi dictis repero nunc in phrasi, & mente Augustini, concupiscentiam, quæ verè manet in iustificatis, non esse peccatum, nisi causaliter, & impulsivè. Sic, & non aliter concessâ minori, negatur consequentia: non enim manet post iustificationem peccatum vetus; sed fomes, & incentivum ad nova peccata. In alio loco voluit Augustinus, in Baptismo dimitti concupiscentiam à peccato, quod induxerat; ipsam verò manere; sed iam non imputari: quia iam per iustificationem dimissa, & liberata est à peccato, donec denuò instigans inducat hominem ad novum peccatum, imputandum ipsi propter liberum consensum voluntatis in pravos motus concupiscentiæ instigantis.

Suprà
disp. 12.
sect. 5.

Trident.

SECTIO II.

Veritas Catholica de existentia Gratia habitualis intrinfecè iustificantis, & de Remissione peccatorum, prout de facto ex presenti Dei lege.

16 DE Fide est primò, dari Gratiam iustificantem, quæ sit vera iustitia, in sensu, quo Scripturæ, Concilia, & Sancti Patres vocant homines iustos contrapositè ad impios & peccatores, distincta realiter à perfectione substantiali, & proprietatibus humanæ naturæ. Constat primò ex Trident. sess. 6. num. 11. damnante eos, qui dixerint, iustificationem stare in sola peccatorum remissione. Secundò: quia sequeretur absurdissimè, omnes iustos esse æqualiter iustos: nam æqualiter sunt homines, & omnes æquè carerent omni peccato iustitiæ opposito: si enim aliquod haberent, iam non essent iusti.

17 Præcipuè tamen, & specialius. Quia Iustitia in sacris Litteris commendata, qua vocamur, verèque sumus iusti, & sancti, est dignitas, quæ constituitur homo Filius adoptivus Dei, Hæres gloriæ, Amicus Dei, condignificatus ad merita condigna vitæ æternæ, & mundus incompossibiliter cum sordè peccati lethalis, ut passim prædicant Scripturæ, Sanctique PP. Sed nihil istorum competit homini ratione suæ naturæ, adhuc excludentis peccatum: ergo non nisi ratione alicuius formæ superadditæ, & indebitæ, in qua stet hominis iustificatio. Minor, in qua res vertitur, probatur per partes.

18 In primis quoad Filiationem. Tum quia Ioan. 1. dicitur, dari hominibus à Deo *potestatem filios Dei fieri*: per iustitiam scilicet, & sanctitatem: non autem datur homini potestas, ut fiat homo: ergo non est Filius per id ipsum, quo est homo. Tum quia Ioan. 3. & ad Tit. 3. vocatur Baptismus Sacramentum *Regenerationis*: quo nempe datur nobis iustitia, per quam nati mundo renascimur Deo. Si autem homo ex natura sua esset iustus, ac Filius adoptivus Dei, id haberet ex generatione, ac nativitate sua: nec ad id egeret renasci per Baptismum. Præsertim cum iuxta Pelagium non nascamur in peccato originali. Tum quia ad Galat. 4. dicitur, quod Pater *missit Filium suum factum ex muliere, ut adoptionem Filiorum reciperemus*: scilicet, ut qui per propagationem ex Adamo eramus servi diaboli, per redemptionem Christi efficeremur Filij Dei. Quo satis apertè docemur, huiusmodi Filiationem non nobis competere per naturam nostram; sed per Gratiam Iesu Christi.

19 Deindè quoad Hæreditatem. Quia Roman. 6. dicitur: *Gratia autem Dei vita æterna in Christo Iesu*: ergo quia vita æterna non debetur ut hæreditas humanæ naturæ, sed datur ex gratia per Christum; & quidem non solum adultis, qui peccaverunt personaliter; sed etiam parvulis, qui, iuxta Pelagium, nec originaliter peccaverunt. Præterea: Hæreditas hæc est Visio Beatifica: quæ quidem debita non est humanæ naturæ; ut potè suis viribus impotè videre Deum: sic enim dicitur Deus specialiter *Invisibilis* 1. Timot. 1. ut tetigimus disp. 17. sect. 1. de Attributis; scilicet, non oculis solum corporeis:

Ioan. 1.

Ioan. 3.
Tit. 3.

Galat. 4.

Rom. 8.

1. Tim. 1.
De Attribut. dis.

fic enim, & Angelis quoque competit invisibilitas; sed intuitu etiam mentis humane, & Angelicæ viribus suis naturalibus; cum per lumen supernaturale visibilis à nobis sit: quoniam videbimus eum sicuti est ex 1. Ioan. 3. Hæc igitur Dei hereditas, in clara Dei visione consistens, competere nequit humanæ naturæ ex debito, vt proprietates ipsi connaturalis; sed ex gratia supernaturali, quam importat hominis iustificatio, constituens hominem Filium Dei, & Hæredem vitæ æternæ.

20 Insuper quoad Dei amicitiam. Dicitur enim Hebr. 11. *Sine Fide impossibile est placere Deo*: & de Abrahamo Iac. 2. *Credidit Deo, & reputatum est ei ad iustitiam, & amicus Dei appellatus est*. Nemo igitur potest amicus Dei esse sine Fide: sed potest esse homo sine Fide: ergo amicitia Dei non competit homini ex eo quod homo sit; sed per aliquid supra naturam hominis. Hoc autem aliquid, est Gratia, qua iustificatur homo, fitque amicus Dei.

21 Demum quoad condignificationem meritorum vitæ æternæ. Quia dicitur 1. Cor. 13. *Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, &c. charitatem autem non habero, nihil mihi prodest*: scilicet, per modum meriti condigni vitæ æternæ. Non ait, eas elemosynas non esse, imò supponit esse honestas: sed eas, quamvis honestas, non prodesse. Si autem homo per naturam suam esset iustus, & sanctus, non egeret dignitate charitatis infusæ, vt per ea bona opera mereretur condignè. Nec dixit: *nisi peccato caream*; sed, *charitatem autem non habuero*. Quo certò docemur, nec præcisè naturam hominis, nec excluso etiam peccato, sufficere ad condignificanda opera in meritum vitæ æternæ; sed requiri donum superadditum charitatis, seu Gratiæ superinfusæ.

22 Nulla igitur è proprietatibus characteristicis expressis in Scriptura formæ iustificantis nos, seu reddentis iustos, & sanctos, aptari catholicè potest naturæ hominis, atque adeò nec Angeli, cum suis proprietatibus connaturalibus sumptæ, excluso etiam peccato. Vt certum maneat ex Fide contra Pelagium, iustitiam, quæ iusti constituimur, esse donum gratiæ superinfusum.

23 Atque hinc patet, quàm sint me-

ritò damnatæ à Summis Pontificibus propositio 27. Baij: *Integritas prima creationis non sicut in debita natura humana exaltatio; sed naturalis eius conditio*. Et 22. *Humana natura sublimatio, & exaltatio in consortium divinæ naturæ debita fuit integritati primæ conditionis; & proinde naturalis dicenda est, & non supernaturalis*. Et 24. *Abjurda est eorum sententia, qui dicunt, hominem ab initio dono quodam supernaturali, & gratuito supra conditionem naturæ fuisse exaltatum, vt Fide, Spe, Charitate Deum supernaturaliter coleret*. Et 25. *A vanis, & otiosis hominibus secundum insipientiam Philosophorum excogitata est sententia, hominem ab initio sic constitutum, vt per dona naturæ superaddita, fuerit largitate Conditoris sublimatus, & in Dei Filium adoptatus: & aliæ similes*. Quos in scopulos impingunt miserè Iansenistæ, vt collatis cum Baio Iansenij locis, monstrat eruditè Moraines in Appendice ad Antijansenium, *Antistæra 2. Tit. de statu puræ naturæ*: videndus in Antijansenio disp. 14. à sect. 4. & Ripalda tom. 3. disp. 4. 5. & 6.

24 De Fide est secundo, dari formam creatam iustificantem intrinsecam iustificato, distinctam à iustitia, quæ Deus, aut Christus iustus est. Multum est Tridentinum in hoc negotio contra Lutherum, & Calvinum. Sess. 6. cap. 6. statuit sic: *Vnica formalis causa iustificationis est iustitia Dei: non quæ ipse iustus est; sed quæ nos iustos facit: quæ videlicet à Deo donari, renovamur spiritu mentis nostræ; & non modo reputamur, sed verè iusti sumus, iustitiam in nobis recipientes*. Et Can. 11. ad ludens ad locum Pauli Rom. 5. *Si quis dixerit, homines iustificari, vel solâ imputatione iustitiæ Christi, vel solâ peccatorum remissione, exclusâ Gratia, & charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum S. diffunditur, atque in illis inhereat; anathema sit*. Et sanè diffusio, quæ est phrasis Apostoli; *Vita animæ*, vt vocatur Gratia iustificans Rom. 8. & Ioan. 10. & alibi sæpè; *Salus animæ*, vt Psalm. 118. & 1. Timot. 5. & 2. Timot. 2. & alibi; *Mundities, & Pulchritudo* vt Ezechiel. 36. & Ephes. 5. & passim in Canticis; intrinsecitatem Gratiæ satis significant: nec enim vivimus, nec sani, mundi, aut pulchri sumus per vitam, salutem, aut pulchritudinem aliorum nobis extrinsecus imputatam; sed per vitam, salutem, munditiam, & pulchritudinem nobis inherentem. Accedit quod idem habet Paulus Rom.

Baius.

Martin.

Ripalda.

Trident.

Rom. 5.

Rom. 8.

Ioan. 10.

Psal. 118.

1. Tim. 5.

2. Tim. 2.

Ezec. 36.

Rom.

Rom. 8. Rom. 8. *Quos autem prædestinavit, hos & vocavit; & quos vocavit, hos & iustificavit, &c.* Vbi, vltra divinam prædestinationem, cui apparentius posset adscribi imputatio illa extrinseca iustitiæ Dei pro iustificatione nostra; subnumeratur iustificatio nostra: vt significetur, hanc non esse prædicatum æternum intrinsecum Dei; sed formam potius creatam in tempore, iustis intrinsecam, & inherentem, vt definiit Tridentinum. Hac pertinent alia; quæ opportuniùs adijciuntur disp. seq. sect. 1.

Infra disp. 14. 25 De Fide est tertio, per Gratiam habitualemente physicè iustificantem taliter fieri remissionem peccatorum; vt peccata non tegantur solum, aut quasi radantur, & desinant imputari dumtaxat ad pœnam; sed omninò tollantur, & aboleantur quoad culpam; & nihil, quod habeat rationem culpæ lethalis, maneat in iustificato. Constat ex Trident. sess. 5. *decr. de pec. origin.* anathematizate illum, qui dixerit, per Gratiam, quæ in Baptismo confertur, non tolli totum id, quod in peccato originali veram, & propriam rationem peccati habet; sed illud tantum radi, aut non imputari. Quam doctrinam extendit ad peccata etiam personalia, dum sess. 6. cap. 7. generalius ait; *formalem causam nostræ iustificationis esse iustitiam, quæ non modo reputamur; sed verè iusti nominamur, & sumus*. Edocuit id Christus D. Ioan. 8.

Trident. *Si vos filius liberaverit, scilicet à servitute peccati per Gratiam, verè liberi eritis*: vtique tollendo, & abolendo peccatum. Alioquin esset homo re verè iustus, & iniustus: iustus, quia verè iustificatus; iniustus, quia verè retinens in anima peccatum quod ipsa iniustitia est, quantumvis contectum, & simulatum.

Ioan. 8. 26 His tamen nondum obstantibus, sunt adhuc qui velint apud Martinon tom. 2. disp. 59. sect. 2. & Arriagam disp. 47. sect. 2. id nondum esse de Fide, vt Sotus, Canus, Medina, & Bañez. Alij apud Suar. lib. 6. cap. 3. quamvis fateantur, id esse de Fide post Trident. putant, ante Trident. non fuisse habitum, vt certum de Fide: & ante Vienenfè fuisse dumtaxat probabile, infundi nobis intrinsecè in iustificatione habitus saltem virtutum operativos, quos habitualis Gratia comitatur.

Cap. Maiores. 27 Quoniam in cap. Maiores: de Baptismo, relatis duabus sententijs, aliâ asserente, aliâ negante, parvulis in Baptif-

mo, præter remissionem peccati, infundi Gratiam; neutram improbat Innoc. III. sed vtramque relinquit in sua probabilitate. Quamvis autem ibi solum sit sermo de parvulis; Concil. verò Vienen. sub Martino V. *Clement. de Sum. Trinit. & Fid. Cathol.* id extendere videtur ad adultos. Verba sunt: *Verum, quia quantum ad effectum Baptismi in parvulis, reperiuntur Doctores quidam Theologi opiniones contrarias habuisse: quibusdam ex ipsis dicentibus, per virtutem Baptismi, parvulis quidem culpam remitti, sed Gratiam non conferri; alijs è contra asserentibus, quod & culpa eisdem in Baptismo remittitur, & virtutes, ac informans gratia infunditur quoad habitum, etsi non pro illo tempore quoad actum, sive usum; Nos autem attendentes generalem efficaciam mortis Christi, quæ per Baptisma applicatur pariter omnibus baptizatis; opinionem secundam, quæ dicit, tam parvulis, quam adultis infundi in Baptismo informantem Gratiam, & virtutes, tanquam probabilior, & diſis Sanctorum, ac Doctorum modernorum Theologia magis consonam, & conformem, Sacro approbante Concilio, duximus eligendam*. Ergo hoc elegit solum vt probabilius: ac proinde tam quoad adultos, quam quoad parvulos oppositum reliquit in terminis opinionis probabilis.

28 Per hæc tamen, quamvis convincar in eo quod ante Trident. non fuerit certum de Fide, sed solum probabile, & post Vienenfè probabilius, parvulos iustificari per gratiam, & virtutes intrinsecè infusas præter peccati remissionem; non convincor in eo quod non fuerit certum de Fide, adultos iustificari per habitum aliquem physicè infusum. Nam quoad adultos non refertur in hoc varietas opinionum; sed solum quoad parvulos. Et ratio dubitandi potius quoad parvulos erat, quia in ijs, dum rationis usu carent, otiosi essent habitus virtutum ad bene operandum. Quamvis ergo quoad parvulos fuerit ea varietas opinionum tunc temporis inter Theologos, non sequitur, quod pariter esset quoad adultos. Itaque quoad adultos Theologi omnes Catholici, non vt probabile; sed vt certum habebant, iustificationem fieri, non per solam remissionem culpæ, sed per intrinsecam etiam infusionem Gratiæ. Atqui non vt certum ex evidentia naturali: ergo vt certum de Fide.

Ll 2

Nec

Innocentia III.

Vienen.

29 Nec oppositum evincunt verba Vienensis. Nam cum primò retulit opinionem, tunc probabilem, de infusione Gratiæ, retulit limitativè: *quoad effectum Baptismi in parvulis*: nam quoad adultos id non erat opinio, sed Fides: mox verò, cum dixit complexè, *tam parvulis, quam adultis infundi in Baptismo informantem Gratiam*; hanc opinionem, & propositionem complexam eligens, *tanquam probabiliorem*; non dixit probabiliorem quoad adultos; sed complexè, quoad parvulos, & adultos, ratione scilicet parvulorum. Quo non fit, propositionem, quæ diceret: *adultis infunditur gratia in Baptismo*: indicatam esse probabiliorem, cum sit certò vera; atque adèd oppositam, probabilem; cum sit certò falsa. De quò clarum exemplum. Qui nunc diceret complexè, iustificato infundi habitum Gratiæ, & alium habitum Charitatis distinctum; probabiliter id diceret: non quia probabile sit infundi habitum Gratiæ; cum id saltem post Trident. sit certum: sed quia probabile tantum est, infundi habitum charitatis distinctum ab habitu gratiæ: ex quo non rectè, sed erroneè interretur, probabile esse non infund. habitum gratiæ. Stat igitur cum tota contextura Concilij Vienensis, quòd etiam ante ipsum fuerit certum de fide, adultis in iustificatione infundi formam intrinsecè iustificantem.

30 Porro satis id indicaverat Paulus verbis, quibus quoad parvulos etiam, eam fidem extendit Tridentinum cap. 7. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis*. Hæc enim diffusio primò fit in iustificatione peccatoris, dum attritus baptizatur: ac proindè est diffusio charitatis habitualis; cum in eo non sit actualis. Vndè sic. Semper Ecclesia habuit de Fide, peccatorem non iustificari per attritionem, nisi cum Sacramento Baptismi, vel Pœnitentiæ in re: ergo & puram attritionem non esse ipsam formalem iustitiam: ergo & adultum, qui iustificatur in Baptismo cum attritione sine contritione, iustificari per diffusionem alterius formæ. Non per actum; cum in eo casu non habeat actum nisi attritionis, quæ per se non formaliter iustificat: ergo per habitum Gratiæ tunc eius cordi diffusa. Quod totum videtur fuisse semper certum de Fide inter Orthodoxos. Quidquid tamen de hoc

Trident.
Rom. 5.

fuerit ante Tridentinum, de Fide iam est post Trident. citatum, tam quoad parvulos, quam quoad adultos.

31 Graves aliqui Theologi, quibus ex Vasquez, Soto, & Cano favet Oviedus *controv. 1. punct. 2.* quamvis id de Fide censent post Trident. quo ad eos, qui iustificantur sine actu perfectæ contritionis, vel charitatis; quoad eos tamen, qui iustificantur extra Sacramentum exercentes illos actus perfectos, id quidem verum censent; sed non certum de Fide. Quia, cum ijs iam diffundatur per Spiritum S. Charitas in ipso actu, quem exercent, quemque esse formaliter iustificantem opinantur turò multi post Tridentinum; non ita convincitur ex Apostolo, nec ex Tridentino alia diffusio charitatis, quæ sit forma habitualis physica iustificans. Nec id videtur fuisse tunc negotium Tridentini; cum per formam illam iustificantem contritionis, vel charitatis actualis iam habeatur intentum contra Hæreticos, quòd iustificatio non fiat sine forma nobis intrinseca. Ceterum P. Suar. *cap. 3.* & graves alij, quibus favet Cardin. Pallavicinus in *Hist. Trident. lib. 8. cap. 13.* id quoque de Fide censent post Tridentinum: quorum tamen rationes non satis id persuadent. Superest, id esse certum; quod non negat P. Vasquez; & oppositum esse dignum Theologica censura; non tamen esse certum, quòd id sit certum de Fide: neque hoc sic negat P. Suarez.

Vasq.
Sotus.
Canus.
Ovied.

Suar.
Pallav.

32 At certum id esse de Fide post Tridentinum, opinatur etiam cum Suarez Ant. Perez *disp. 6. cap. 4.* Quia phrasis est Concilij, quòd in omni iustificatione *infunditur iustitia intrinsecè inhaerens*: quæ quidem permanet in iustificato etià cessante ab actuali operatione, dummodò denuò non peccet: quod innegabile censet sine errore in Fide. Atqui eiusmodi iustitia est intrinsecè inhaerens per modum habitus; cum iam non sit per modum actus, cessante homine ab operatione, seu dormiente: ergo ex phrasi, ac mente Concilij in omni iustificatione infunditur iustitia, seu Gratia habitualis. Dicere autem, eam iustitiam esse ipsum actum præteritum non retractatum, non stat cum proprietate verborum Concilij; actus enim iam præteritus nequit nisi abusivè dici intrinsecè inhaerere; sed inhaerere; & solum manere mora-

Perez.

moraliter secundum quamdam reputationem moralem, quæ quid extrinsecum est. Eo igitur ipso, quòd Concilium dicat, iustitiam esse quid inhaerens, ac in nobis receptum, eamque permanere, significavit satis, inesse nobis per modum habitus physici. Ad hæc: de Fide est, Gratiam infusam per Sacramentum esse per modum habitus physici: nam in Baptismo Parvulorum nihil operantium, & in Pœnitentiâ attritorum, infunditur Gratia, quæ debet esse habitus physicus; cum in eis non interveniat actus perfectæ contritionis, aut charitatis. Atqui Concilium similem etiam reconciliationem cum Deo, ac proindè iustificationem peccatoris tribuit contritioni cum Sacramento in voto, sine Sacramento in re: ergo etiam citra Sacramentum in re susceptum credendum est ex Fide post Tridentinum, infundi Gratiam per modum habitus physici iustificato.

33 Nec refert, quòd id non definiatur à Concilio sub istis ipsissimis terminis. Multa enim habentur vt definita de Fide quoad rem significatam, quamvis non per verba scholastica rem illam significatam. Ex eo quòd definiatur, Christum esse hominem, definitur esse animal rationale, quamvis non sub istis terminis, vt advertit Arriagan adstruo singulariter *tom. meo Theolog. sequenti in Disputationibus de Fide*. Habetur etiam de Fide, Gratiam esse supernaturalem, & accidens physicum; quamvis non sub ijs vocibus habeatur in Scripturis, aut Concilij. Sic ergo, quamvis Concilium non dicat sub ijs vocibus, Gratiam esse habitum physicum; in re tamen hoc ipsum definit per verba æquivalentia. Et certe res erat Concilij, stabilire iustitiam nobis intrinsecè inhaerentem, permanens in iustificato, donec denuò peccet: totum enim hoc negabant Hæretici Novatores.

34 Ab omni labe ex prædictis definitionibus Tridentinis manet in tuto doctrina P. Vasquez admittentis aliquam formam iustificantem, nempe actum charitatis, vel contritionis, quæ non solum dum physicè producitur, & inhaeret; verum etiam dum postea moraliter tantum perseverat, hominem iustificat: quia, præter eiusmodi actus, iam admittit, cum Concilio cõtra Hæreticos, aliam Gratiam creatam iustificantem habitua-

lem physicè permanentem, & intrinsecè iustitiam, vt explicabitur *disp. 15. sect. 1.* In tuto quoque manet doctrina P. Meratij, qui, vt retulimus *disp. 14. de Incarn. nu. 28.* probabile iudicat, ipsam numero iustitiam, qua Christus iustus est, esse iustitiam, qua nos iusti sumus. Loquitur enim de iustitia, seu de gratia creata Christi, nõ extrinsecè nobis applicata, seu impunita, vt volunt Hæretici à Concilio damnati; sed in nobis reproducta, & intrinsecè nobis ac physicè particulatim inhaerente; vt nos faciat formaliter iustos.

Infrà
disp. 15.
Merat.
Tom. de
Incarn.
disp. 14.
sect. 3.

SECTIO III.

An iuxta aliam Dei Legem, & Providentiam posset sine infusione Gratiæ fieri hominis iustificatio, quoad remissionem peccatorum, per extrinsecam tantum Dei condonationem.

35 **D**IXI: quoad remissionem peccatorum. Nam, quoad reddendum in super hominem amicum, ac Filium Dei, iustum, & factum absolutè, quæ est altera plenæ Iustificationis pars, tractabitur seorsum opportunè *disp. 19.*

36 Nunc, inquam, quoad remissionem, negant id omnino Caiet. Sotus, Valentia, Vasquez *1. 2. disp. 206.* Meratius *disp. 1. de Grat. Amicus tom. 3. disp. 33.* Caspen. *disp. 5. de Grat. Esparza 9. 8. de Iustif. R. P. N. G. Thyrsus remissivè tom. 4. disp. 1. num. 125.* Ant. Perez *tom. 2. tract. 3. disp. 3.* & communè Thomistæ cum Goneto *disp. 1. de Iustif. art. 4.* & in idem propendet Quiros *tom. 1. disp. 63. sect. 3.* Citant pro se S. Thom. Sed fortè loquitur iuxta præsentem Dei legem; non iuxta aliam, in qua versatur quæstio, vt videre est apud Suar. *lib. 7. cap. 22.*

Infrà
disp. 19.
Caietan.
Sotus.
Valent.
Vasq.
Merat.
Amic.
P. N. G.
Thyrs.
Esparza
Perez.
Quiros.
Gonet.
S. Thom.
Suarez.

37 Fundamenta sunt huiusmodi. Primum. Habitualis Gratia, & peccatum mortale opponuntur immediatè contradictoriè, sicut lux & tenebræ; vndè est etiam quòd dixit S. Thom. requiri Gratiam ad tollendum peccatum, sicut visus ad tollendam cæcitatem: ergo repugnat prorsus ex natura rei, peccatum remitti sine infusione gratiæ, taliter vt in nulla lege possibili dabilis sit remissio seu ablatio peccati sine infusione gratiæ: sicut nec ablatio tenebrarum sine adventu lucis; nec, vt ait S. Thom. ab avio cæcitatis sine positione visus. Confirmari

solet;

folet: quia peccatum habituale nihil est aliud, quam privatio Gratia: privatio autem nequit tolli nisi per adventum formae, qua privat.

38 Respondetur facile ex dicendis de oppositione peccati cum Gratia *disp. 16. sect. 4.* distinguendo antecedens: Gratia & peccatum opponuntur cōtradiçtorie, & *immediatè*, pro statu praesentis legis, ac providentiae Dei, nolentis in creaturis rationalibus statum, alioquin possibilem, naturae purae, medium inter status gratiae, & peccati; concedo: ex intrinsicis rerum naturis, & ex absolutâ potentia Dei in alio statu ordine sibi, & ipsis possibili; nego. Sic enim, quamvis peccatum, & Gratia opponantur ex naturis suis essentialissimè oppositione impossibilitatis, hoc est per essentialem repugnantiam coexistendi, & commorandi in subiecto; non tamen opponuntur ex naturis suis *immediatè*, oppositione scilicet immediationis: hoc est, non admittente ex naturis rerum medium inter utrumque; cum sit possibilis status purae naturae, in quo nec esset peccatum, nec Gratia habitualis: & ad hunc etiam modum esset status remissionis peccati per Dei condonationem purè extrinsecam. Nec aliud credo voluisse S. Thomam, & alios per exempla lucis, & tenebrarum; visus, & caecitatis, iterum discutienda *sect. 5.* Non enim aequiparantur peccato & Gratia, quae duo positiva sunt, quoad omnia; sed quoad repugnantiam impossibilitatis. Quod si ait S. Thom. non posse tolli peccatum sine gratia, sicut nec caecitatem sine visu, quod est asserere oppositionem immediationis; intelligitur iuxta praesentem Dei legem; non iuxta possibilem aliam, qua de loquimur, ex naturis rerum.

39 Ad confirmationem negamus maiorem in *Tract. de Peccatis.* Potius enim peccatum habituale, est ipsum *actuale nondum compensatum, remissum, aut condonatum*: sive abolitione per gratiam intrinsecam; sive remissione per condonationem purè extrinsecam; sive ex aequatione iuris laesi per compensationem condignam. Haec enim tria excludit aequè essentialiter peccatum habituale: & per quodlibet illorum excluderetur: atque adeò per remissionem, seu condonationem purè extrinsecam, casu etiam quo non aboleretur per infusionem Gratiae

intrinsicam. Sic, quia caecitas excludit omnem visum, & tenebrae omnem lucem à subiecto, per quamlibet lucem, & per quemlibet visum advenientem fugantur, ut ita dicam, tenebrae, & caecitas: quamvis non adveniant aliae lucis, aut alij visus. Quod est luce ipsa clarius, nisi in hac ipsa luce caligare velimus.

40 Secundum. Homini saltem, qui erat in Gratia, & postea peccavit, nullatenus remitti valet peccatum, nisi reconciliando illum cum Deo: sed reconciliari cum Deo nequit, quin infundatur Gratia, ex qua cecidit: ergo pro huiusmodi saltem peccatoribus per nullam condonationem extrinsecam fieri valeret peccati remissio absque infusione Gratiae. Probatur minor: quia non est reconciliatus cum Deo peccator, qui adhuc ex peccato praeterito privatur Gratia, & amicitia Dei; cum proprius sit effectus inimicitiae excludi adhuc ab amicitia ratione offensa: dum ergo peccator ille non admittitur in amicitiam Dei, quae non est nisi per Gratiam, nondum est reconciliatus cum Deo: ac proinde non posset illi remitti verè peccatum sine infusione, & restitutione Gratiae. Succubuit huic argumento Magister Zumel;

41 Nos tamen non succumbimus; sed respondemus, negando minorem de reconciliatione, ut par est, sufficiente ad veram & essentialem remissionem culpae. Ad probationem, distinguo antecedens: si privatur adhuc Gratia merè penaliter ex affectu iustae vindictae, aut ex alio simili, qui potius sit odium culpae, quam personae, nego antecedens: ut videre est in poenis, quibus Deus adhuc punit iustos propter culpas praeteritas iam remissas etiam per Gratiam. Si privaretur ex affectu odij inimicabilis erga personam, concedo antecedens: & nego consequentiam. Quia sine infusione Gratiae posset Deus deponere odium personae peccatoris, sicque remittere peccatum quoad culpam, quamvis adhuc vellet, eum privare Gratia in poenam ex affectu iustae vindicationis, qui esset odium culpae; non verò odium inimicabile personae peccatoris, iam sic reconciliati.

Sic

Sic Princeps graviter & inimicabiliter offensus à subdito honorato, ideoque depulso ab ipsius amicitia, & ab honoribus; posset taliter condonare, ut inimicitiam deponeret, quin eo ipso restitueret illi in pristinos honores, & amicitiam; imò volens sic eis privatum manere in poenam iustam, ex odio, non iam personae; sed offensa praeterita: habentque illum deinceps, sicut alios, non ut amicum, nec ut inimicum; sed ut non amicum, & ut non inimicum.

42 Tertium. Nequit Deus remittere peccatum, quin eo ipso amet amicabilem hominem cui remittit: sed nequit amare amicabilem, quin eo ipso infundat Gratiam: ergo nec remittere sine infusione Gratiae. Maior probatur: quia grave peccatum est offensa, non auferibilis donec offensus pacatur: quae pacatio, sive pax, non est, nisi dilectio, qua Deus iam pacatus hominem persequitur. Probatur etiam minor: quia Gratia est terminus volutus dilectionis, qua Deus amat hominem, cui peccata remittit; estque ab ea dilectione inseparabilis: divina namque dilectio, utpotè potentissima, & operatoria, causat bonitatem, ad quam terminatur.

43 Respondetur in primis, negando maiorem. Nam ex naturis rerum inter remittere offensam, & inire amicitiam est dare medium: scilicet, remittere, deponendo odium inimicabile personae; non tamen personam admittendo eo ipso in participationem bonorum propriam amicorum. Ad probationem, fateor, peccatum esse offensam Dei: & non auferri donec pacatur Deus. Haec autem pacatio duplex esse posset: una maior per dilectionem amicabilem offensoris; sicque Deus offensus de facto remittit: alia minor, per meram depositionem odij inimicabilis, & per non usum sui iuris ad tale odium; non tamen ultra progrediens ad communicationem bonorum propriam amicorum: sicque dicimus, quod posset Deus pacari cum offensore suo iuxta aliam legem: non iniens amicitiam cum illo; sed cessans à bello, ut ita dicam, hostili; ac proinde pacificè se gerens, tanquam cum non inimico. Deinde negatur etiam minor, univèrsaliter prolata de quacumque divina dilectione. Non enim quilibet Dei dilectio habet pro termino efficaciter voluto Gra-

tiam sanctificantem: ex aliqua dilectione vult Deus, & dat gratias actuales non formaliter iustificantes; & dona etiam naturalia, non sic ad salutem conducunt. Est ergo vera minor de speciali dilectione, qua de facto diligit specialiter Deus amicos suos: haec enim habet pro termino efficaciter voluto Gratiam sanctificantem; eamque, aut inducit, aut supponit: & de huiusmodi dilectione Dei amabili, prout de facto, intelligendus est S. Thom. à quo desumptum est argumentum: propterea nihil convincens contra nos, qui de alia lege Deo possibili disceptamus.

44 Urgebis fortius contra supra datas responsiones ex Cardin. Pallavicino, Antonio Perez, Esparza, & alijs. Primò: quia praecipuum è bonis, quo Deus in poenam privat hominem, qui iustitiam amisit per peccatum, est bonam gratiam, & amicitiam Divinam; nequit ergo intelligi Deus reconciliatus, & pacatus cum eiusmodi homine, donec illum restituat in sui amicitiam per infusionem Gratiae, qua fuit privatus per peccatum. Probatur haec consequentia: non enim posset Deus esse nec verè dici, aut intelligi reconciliatus, & pacatus erga peccatorem remissione sufficiente ad tollendum reatum poenae, quin indulgeret illi aeternam poenam inferni, quamvis alias temporales indulgeret: quia nèpè illa est è maioribus praecipua: alioquin posset intelligi homo verè absolutus à peccato, manens tamen cum reatu, & dignitate poenae aeternae: ergo neque remissione sufficiente tollere reatum, & maculam culpae, quin hominem redintegret in illud bonum praecipuum, quo illum privaverat per culpam; atque adeò in sui amicitiam per infusionem Gratiae intrinsicam. Secundò. Sicut odit Deus peccatores speciali aliquo odio, quo nequit odisse non peccatores; sic amat non peccatores aliqua speciali dilectione, qua nequit diligere peccatores in consortio peccatis. Atqui amare est velle bonum, & benefacere amato; sicut odisse est velle malum: ergo, sicut eo ipso quod Deus oderit peccatorem eodè illo speciali odio, vult illi malum, quod nequit velle non peccatoribus; pariter eo ipso, quod amet eo speciali amore non peccatorem, vult illi bonum, quod nequit velle peccatoribus, seu non conferibile peccatoribus in

con-

Infra
disp. 16.

S. Thom.

Pallavi-
Perez,
Esparza.

confortio peccati: sed hoc bonum non conferibile peccatoribus est sola amicitia, & Gratia intrinseca Dei: ergo eo ipso quod Deus condonet, & condonando faciat de peccatore non peccatorem, amat hominem ea speciali dilectione, quæ sit volitio inductiva amicitia, & Gratia intrinseca: ac per consequens stare nequit divina peccati condonatio sine infusione Gratia. Tertio: quia nequit Deus è duobus hominibus æquè intrinsecè bonis, aut malis, vnum inimicabiliter odisse, & alterum, aut diligere, aut saltem non odisse: hoc autem sequeretur, si è duobus peccatoribus vni Deus condonaret absque infusione Gratia, & alteri non: hunc enim prosequeretur adhuc odio inimicabili; & non alterum: cum tamen in bonitate, aut malitiâ intrinsecè pares essent. Quarto: quia nequit homo transire de malo in non malum per quid duntaxat extrinsecum: ergo neque de peccatore in non peccatorem, ac proinde nec in statum remissionis peccati, per solam extrinsecam Dei condonationem absque infusione formæ intrinsecæ, quæ fiat iustus, aut saltem intrinsecè bonus. Antecedens probatur: quia nequit homo transire à bono in non bonum, nisi per quid intrinsecum: ergo neque de malo in non malum: quia ex Philosopho contrariorum eadem est ratio. Probatur consequentia: ex eo enim quod indifferentia, vt homo sit sapiens, aut non sapiens; pulcher, aut non pulcher; fortis, aut non fortis; sanus, aut non sanus, & similiter in alijs; non tollitur, seu determinatur, nisi per formas intrinsecas; inferimus, similiter in contrarijs, eiusmodi indifferentias, vt homo sit, aut non sit insipiens, fœdus, fortis, æger, &c. non tolli, seu determinari nisi per formas intrinsecas.

45 Hæc, & alia, ex mirabili præsertim Antonio Perez decerpta, miranda mihi potius quam probanda videntur & magis arguta, quam firma. Ad primum, quod in Scopum Zamelis collimans, non nobis impugnat remissionem puræ extrinsecam peccati commissi è statu puræ naturæ; concesso antecedente, negatur consequentia. Quia amittens homo illa bona status gratia, quibus in pœnam privatus est per peccatum, infecit se malo culpæ, quod est maius malum, quam illa bona sint bona; sufficeret autem ad

rationem præcisæ reconciliationis, & pacis cum Deo offenso, ad indignationem inimicabilem provocato, quod tollatur istud malum, quod supervenit, fecitque hominem Dei inimicum; quamvis non restituerentur pristina illa bona, quibus de facto decoratur in iustificatione, quæ supra rationem præcisæ reconciliationis, & pacis, importat restitutionem in statum amicitia, & Filiationis adoptivæ Dei: vt perfectior, ac plenior ex Dei misericordia per Christum fiat reconciliatio, & pacificatio. Ad probationem consequentia, concesso etiam antecedente, negatur consequentia. Verum enim est antecedens: non quia si alioquin posset Deus velle damnare hominem ad æternas inferni pœnas; remisso peccato quoad culpam, aut quoad alias pœnas minores, non intelligeretur satis reconciliatio, & pacificatio præcisè sufficiens ad rationem remissionis culpæ, quamvis non pœnæ; & ad depositionem odij inimicabilis erga personam; sed quia independenter etiam à præsentia quæstione, impossibile est, Deum damnare creaturam suam iam innocentem, nec sibi inimicam, imò & quamvis levibus culpis maculatam, ad æternitatem inferni, vt videre est apud R.P.N.G. Thyrsusum doctè de ijs differentem tom. 3. disp. 12. sect. 4. & 5. contra Ripal. & Delugo: argueret enim in Deo vitium savitiæ, & crudelitatis Deo indignum, & repugnans: præsertim cum talis pœna æternæ ordinari nequeat ad correctionem, nec iam ad finem ultimum talis hominis, sicut pœnæ temporales, compatibles cum fœlicitate æternâ deinceps assequibili. Falsa verò est consequentia: quia sine volitione redintegrandi eiusmodi hominem in pristina illa bona, quorum privatio est malum pœnæ, stat volitio delendi in homine totam rationem mali culpæ.

46 Ad secundum, ex quo, si valeret, potius argueretur contra ferè omnes impossibilitas status puræ naturæ, quam aliquid speciale contra nos; responderetur, partim concedendo, partim permittendo totum primum syllogismum: in cuius minori sunt quædam observata digna, aliò tamen pertinentia, vt inuimus disp. 7. de Incarn. sect. 3. Minor autem alia subiuncta ex naturis rerum falsa est; & nulla, postrema subillatio. Patet: quia,

P.N.G.
Thyrsus.
Ripal.
Lugo.

Tom. de
Incarn.
disp. 7.

quamvis amor sit velle bonum amato, sunt quidem bona intrinseca homini, vt sapientia, virtus, sanitas; sunt & extrinseca, vt divitiæ, honores, amici: ratio autem amoris salvatur per alterutra. Vnde & ratio amoris specialis erga non peccatorem salvatur per velle illi bonum non conferibile peccatori; sive intrinsecum, quæ est infusio Gratia; sive extrinsecum, quæ esset pura remissio, & ablatio peccati: quæ ablatio magnum bonum peccatori est; sicut & inrimo expulsio febris lethalis. Præterea: mala, quæ vult Deus peccatori ex speciali illo odio malevolentia, non statim infligit: solam spoliationem Gratia, & aliquorū aliorum donorum Gratia comitum exequitur statim; cætera in posterum, & pœnas inferni, quando decedat impœnitens. Ex hac ergo paritate, cui innititur argumentum, inferretur ad summum, quod Deus, sicut ex speciali odio malevolentia peccatoris aufert statim ab eo absolutissimè bonum Gratia; & non statim, sed deinceps, & sub certis conditionibus sibi bene visis, infligit positivè & executivè varias pœnas; similiter ex speciali amore benevolentia non peccatoris debet statim ab eo auferre malum peccati; at non statim, sed deinceps, & sub certis conditionibus sibi bene visis, infundere Gratiam; sicut pro de facto, conferre Gloriam. Quo non obtinet intentum obiectio, & salvatur possibilitas remissionis peccati, quin tunc temporis infundatur Gratia. Id dixerim, quasi supererogatoriè ad pleniorum solutionem: nam ad argumentum satis erat, quod Deus amaret tali peccatori ablationem mali peccati, quod est bonum extrinsecum homini, vt potè actus ipse remissivus Dei, vt dicemus inferius.

47 Ad tertium negatur minor. Ille namque, cui non fieret condonatio à Deo, maneret cum intrinseca malitia peccati sui moraliter intrinsecè perseverantis, quamvis physicè transacti, præ altero, cui Deus extrinsecè condonasset. In hoc enim non maneret moraliter, sicut nec physicè peccatum, ratione cuius, vt potè iam aboliti, posset etiamnum odio, & indignatione inimicabili haberi à Deo. Falsum itaque est, quod, facta vni, & non alteri condonatione extrinsecæ, manerent pares in bonitate, & malitia intrinsecæ. Quod autem malitia

moraliter intrinseca pendeat in sui perseverantia à multis extrinsecis, patet ex humanis in condonatione extrinseca offensæ intrinsecæ vnius hominis ad alterum. Aliud enim est, condonationem esse extrinsecam condonato, cum sit actus condonantis; aliud est, malum, quod aufert condonatio, esse extrinsecum condonato: quod est falsum; cum sit actus ipsius condonati moraliter perseverans, quamvis non physicè.

48 Ad quartum distinguo antecedens: si per illud extrinsecum non ponatur, nec auferatur aliquid intrinsecum homini, concedo: si ponatur, vel auferatur ei aliquid intrinsecum, nego antecedens, & consequentiam. Quia per extrinsecam condonationem verè auferretur ab homine malum peccati sibi intrinseci. Ad probationem antecedentis, distinguo etiam antecedens: nequit homo transire à bono in non bonum nisi per aliquid intrinsecum, sive in eo positum, sive ab eo ablatum, concedo: semper in eo positum, nego antecedens: nam homo per ablationem Gratia præcisè ex decreto Dei extrinsecè transiret à iusto in non iustum, sicut per ablationem visionis, & albedinis à vidente, & albo, in non videntem, & non album, in quocumque consistat, & vndecumque proveniat, sive extrinsecis, sive intrinsecis illa ablatio formæ intrinsecæ. Exemplis adglomeratis in probatione consequentia, aut vti possemus pro nostra responsione, aut opponere totidem exempla nobis faventia, præsertim in moralibus. Quod magis facit ad rem præsentem est exemplum condonationis offensæ inter homines: sunt enim quotidie de inimicis non inimici per condonationes extrinsecas, quin proinde fiant eo ipso amici, saltem per infusionem doni intrinseci.

SECTIO III.

Graviora sententia negantis fundamenta infirmantur, & subvertuntur.

49 **Q**UARTVM fundamentum ex P. Vasquez. Transactio physicè peccato, manet homo maculatus, iniustus, & dignus inferno ex natura ipsius peccati lethalis, & non ex sola voluntate Dei: ergo ea macula tolli non posset

Mm solâ

solâ voluntate Dei sine mutatione physica facta in homine per infusionem formæ intrinsecæ, nempe Gratiæ oppositæ cum peccato. Probatür consequentia: quia hoc præstaret Deus, vel condonando solam pœnam: & hoc non: quia, quâvis quis non puniatur, si peccavit, manet maculatus, & pœnâ dignus. Vel solo lapsu temporis, volente Deo, ut qui peccavit non sit maculatus, & pœnâ dignus, nisi usque ad certum diem: & neque hoc: quia sicut homo ex natura peccati physice transacti non dicitur maculatus pro tali tempore, & non ultra; sic nec ex voluntate Dei; sed absolute, antecederet ad voluntatem Dei ex ipsâ natura rerum; nec ex lapsu temporis, adiunctâ voluntate Dei, potest tolli intrinseca denominatio maculati, stante formâ quasi fundamento talis denominationis; sicut nec denominatio albi, quandiu extat albedo, quod est eius fundamentum, & forma. Vel tandem, remittendo homini debitum, seu obligationem satisfaciendi pro iniuria, quam actu peccans Deo intulit: at neque hoc dici valet: quia macula peccati non consistit in eiusmodi debito: ergo nec tollitur præcisè per remissionem talis debiti. Probatür antecedens primò: quia non ideò peccator maculatus est, quia debitum habet satisfaciendi; imò è contra, ideò tale debitum habet, quia maculatus est: ergo ratio maculæ non stat in eiusmodi debito; imò ab illo supponitur: sicut ob eandem rationem non stat in obligatione reconciliandi se cum Deo; sed ab ista supponitur. Secundò: quia, quamvis homo, mutatione factâ in sua voluntate, possit pro libito remittere iniuriâ, & sic illam tollere; non sic Deus: quippe nequit solâ suâ voluntate, intrinsecè immutabili in se, facere ut id, quod iniuria sibi fuit, postmodum non sit, absque mutatione intrinsecâ extra se factâ in homine, cui sit remissio.

50 Respondetur, verum esse primum antecedens; sed cum grano salis: scilicet, quovis peccatum, quod quidem non est ex naturâ suâ inauferrabile, aut irremissibile, non auferatur, si que desinat perseverare moraliter, & insicere. Negatur autem consequentia. Cum enim macula illa ipsissimum sit peccatum, quod physice fuit, & postea moraliter est, per solam mutationem moralem in

homine satis intelligeretur deleta; per transitum scilicet a maculato in non maculatum, id est, ab statu peccati moraliter perseverantis, & maculantis, ad statum non peccati sic perseverantis, & maculantis: quomodo libet hic transitus fieret. Ad probationem tricripitem, concedo illam quoad primum caput propter rationem ibi datam. Quoad secundum caput indiget declaratione. Longè quidem sumus, ut dicamus quod à nemine dici potest, lapsum ipsum temporis esse formam ablativam maculæ, quilibet adiunctâ voluntate Dei; sed voluntatem ipsam Dei: non quamcumque; sed condonativam, qualem ex eius obiecto, & ex suo modo afficiendi Deum erga hominem, qui peccavit, exponemus inferius, esse formam, seu quasi formam per se deletivam ab homine maculæ peccati pro quocumque tempore pro quo illam habeat Deus. Nec est legitima argumentatio, ex eo quòd nulla Dei voluntas possit esse formaliter maculativa hominis; sed id habeat peccatum ipsum ex natura sua; nullam Dei voluntatem esse posse formaliter ablativam, seu deletivam maculæ; cum imò potius non debeat peccatum per eandem, sed per diversam formam, maculare, & deleri. Profectò nulla Dei voluntas potest inducere peccatum actuale; multæ tamen Dei voluntates possunt illud impedire. Quoad tertium caput, bene probat Vasquez, remissionem peccati, quæ sit verè deletiva maculæ, non stare præcisè in remissione debiti, seu obligationis; sicut nec peccatum stat in eiusmodi obligatione, quæ scilicet supponit potius quam constituit rationem essentialiam maculæ. Si enim quis gravem intulisset iniuriam, seu offensam Regi, ex qua factus est debitor pendendi in satisfactionem omnia sua bona, posset Rex, adhuc manens offensus, & implacatus erga personam, remittere obligationem, & debitum illud bonorum. In quo autem stet ratio formalis maculæ peccati habitualis; & consequenter, in quo stare posset formaliter condonatio extrinseca verè tollens illius maculam, dicitur in responsionibus sequentibus.

51 Quintum ex P. Meratio pro eodè Vasquez. Nequit peccatum extrinsecè condonari sine Dei voluntate incompossibili cum peccato: sed nulla est da-

Merat.

bilis

bilis in Deo talis, nisi eo ipso infusiva Gratiæ intrinsecæ: ergo sine Gratiæ infusione impossibilis est in quacumque Dei lege condonatio purè extrinseca peccati. Probatür minor. Vel ex vi illius voluntatis liberæ Dei produceretur extra Deum aliquid; vel non. Non primò: quia, si produceretur aliquid extra Deum, hoc esset Gratia intrinseca opposita peccato; sicque iam condonatio non esset purè extrinseca. Si verò dicitur secundam, intelligi non posset nisi per meram suspensionem divini concursus ad conservationem maculæ peccati: quod est intelligibilius. Nam Deus nõ præstat concursum ad conservationem peccati habitualis; nec potest velle illum præstare ad commissionem actualis, ut latè docuimus *disp. 9. de Attrib. à sect. 10.* quomodo ergo suspendet concursum, quem non præstat? Confirmatur. Nequit deleri macula peccati, quin producatur in rebus aliquid essentialiter impossibile cum illa: ergo neque quin infundatur Gratia: cum in rebus productis nihil, nisi Gratia, sit impossibile cum peccato. Antecedens probatur: ea namque macula, aut stat formaliter in privatione Gratiæ; aut in ente aliquo morali intrinseco peccatori, distincto à peccato physice transacto; aut in aliqua relatione reali, vel rationis intrinsecâ peccatori; aut in aliqua alia denominatione intrinsecâ, vel extrinsecâ; aut in dignitate, vel obligatione luendi pœnam. At nihil horum tolli potest absque productione Gratiæ intrinsecæ in homine.

52 Respondetur, negando minorem. Ad probationem, nè in his dubiam relinquamus nostram mentem circa constitutionem divinatorum decretorum, opi namur cum *Suar. & communiori Theologia contra Vasquez, Meratium, & alios*, quibus accessit R. P. N. G. Thyrsus *tom. 1. disp. 27.* divina decreta non constitui per aliquid, quod sit extra Deum; sed esse prædicata Dei increata adæquatissimè Deo intrinseca; eo dumtaxat modo virtualiter defectibilia sine virtuali distinctione à necessarijs, quo incidenter explicui *disp. 8. de Attrib. sect. 5.* Nunc ad rem præsentem dico, quòd ex vi illius divinæ voluntatis condonativæ non esset necesse, quidquam de novo productum à Deo in homine sic condonato;

ac proinde nec Gratiâ infundi. Ad impugnationem huius partis, dico, quia Deus producat aliquid, nec suspendat physicum cõcursum in conservationem peccati habitualis, quem utique iam physice suspenderit, quando peccatum actuale desijt esse physice, intelligi benè, quomodo per illam Dei voluntatem condonativam tollatur macula, & desinat esse peccatum habitualiter in homine. Quia nempe eiusmodi Dei voluntas in Deo, est non minus formaliter opposita peccato habituali hominis, quam Gratia infusa in ipso homine: unde, sicut apud Adversarios per infusionem Gratiæ in homine tollitur macula peccati habitualis ratione formalis oppositionis essentialis cum illo sine alia suspensione divini concursus in peccatum; sic etiam per positionem, seu habitationem eiusmodi condonativæ voluntatis in Deo, ut magis explico *in seqq.*

53 Ad confirmationem, dato antecedente, posset fortè negari consequentia: posset enim ad extra produci aliquid extrinsecum homini essentialiter repugnans cum suo peccato, distinctum à Gratia habituali, qualis esset revelatio, seu notitia supernaturalis in alio homine, vel in Angelo de condonatione Dei. Melius tamen negamus antecedens: sufficeret enim ad realem deficientiam maculæ in homine, virtualis deficientia alicuius in Deo prædicati, sine quo, quoad denominationem existente, stare nequit in homine macula: sicut ad realem deficientiam hominis sufficit virtualis deficientia decreti producendi hominem: eo enim ipso non daretur à parte rei homo: non quidem inductâ in mundum, ut nonnulli imaginantur, carentiâ hominis distinctâ ab omni positivo; sed excluso formaliter homine, per deficientiam virtualem decreti conservandi hominem: quæ deficientia huius decreti id volentis, esset decretum oppositum id ipsum nolens pro eminentissimo libito primi liberi, qui Deus est. Quamvis enim esse cuiuscumque rei sit unicum, nempe ipsa res; at non esse rei potest esse multiplex pro multiplicitate essentialium impedimentorum rei: quæ propterea, ut sit, requirit, quòd nullum sit suorum impedimento: ù essentialium; quamvis, ut non sit, sufficiat unicum ex illis. Est id ex terminis satis clarum. Iam ad

Mm 2

pro:

Tom. de
Attrib.
disp. 9.

Suar.
Valq.
Merat.
P. N. G.
Thyrsus.

Tom. de
Deo, di.
8.

probationem antecedentis dico, in illa non fati attingi veram, & solidam constitutionem maculæ peccati. Stat igitur in ipso positivo peccato actuali physicè transacto, & moraliter intrinsecè perseverante, quoad effectum formalem reddendi peccatorem Deo inimicabiliter odibilem, & infensum: donec, aut adveniat intrinsecè Gratia, aut exhibeatur, & acceptetur extrinsecè compensatio condigna; aut donec extrinsecè à Deo condonetur: quod, ut vox ipsa sonat, est quasi acceptam habere satisfactionem non datam, illamque peccatori gratis donare, ut maneat, quoad hoc, ac si condignè satisfecisset, sicque iniuriam Deo factam compensasset. Itaque qui conservat moraliter peccatum est qui illud primò fecit: quia tunc actu peccans factus est Dei inimicus, & infensus, non solum pro tunc, sed in posterum donec peccatum desinat moraliter esse; & in æternum, si nunquam desinat: desinit autem, aut per infusionem gratiæ, qua fit homo è peccatore iustus; ad quod requiritur positio, & productio gratiæ iustificantis; aut per exhibitionem, additâ (si fit per alium) acceptatione satisfactionis condignæ, qua fieret de iniusto iam non iniustus; ad quod nihil requiritur productum, nec positum in homine; aut per condonationem extrinsecam, qua fieret è peccatore non peccator: ad quod nihil est necessè quod ponatur extra Deum. Horum trium unum sufficit ut tollatur moraliter peccatum includens essentialiter ad sui moralem conservationem, & perseverantiam exclusionem trium. Sic Deus nec est causa ponens, nec conservans peccatum habituale; sed utens iure suo illud non tollit, donec vult tollere: quæ diversissima sunt: sicut Deum causare peccatum actuale, quod repugnat; & illud, ut posset, non impedire, quod licet, ac decet: & sicut me liberè causare, & conservare physicè vitam hominis, quem possum occidere, quod est falsum; & liberè illam non tollere, quod est verum.

SECTIO V.

Posteriora pro eadem sententia negante.

54 **S**EXTVM. In quacumque Lege voluntas Dei verè condonativa, & remissiva peccati debet habere pro

obiecto efficaciter voluto infusionem Gratia intrinsecæ: ergo in nulla Lege dabilis esset condonatio peccati sine infusione Gratia. Consequentia tenet. Antecedens probatur: quia debet habere aliquod obiectum: sed non peccatum, illud volens, cum non velit peccatum: non peccatum illud nolens; quia nolle peccatum non est condonare: semper enim Deus habet nolitionem peccati, & non semper condonat: non destructionem peccati: quia ipsa voluntas condonativa, & essentialiter deletiva maculæ moralis peccati, esset destructio, sive deletio peccati habitualis: moralis enim perseverantia peccati stat in peccato ipso actuali non deleto per satisfactionem, nec per condonationem, nec per Gratiam, quarum omnium exclusionem dicit essentialiter peccatum, illamque promeruerat in æternum: ergo eam voluntatem condonativam velle deletionem peccati, sine satisfactione condignâ, & sine infusione Gratia, esset velle se ipsam: sicque de primo ad ultimum ex defectu alterius obiecti haberet pro obiecto se ipsam: quod est absurdum, & implicans.

55 Ut ab hoc ultimo incipiam, nec implicans reputo, nec absurdum, quod ea Dei voluntas sit volitio sui, & habeat se ipsam pro obiecto voluto. Id adstruit doctè P. Ribadeneira *disp. 15. de Actib. hum. cap. 4.* de omni actu voluntatis divinæ, & humanæ, sive prosecutivo, sive recessivo: esse scilicet volitionem sui: quia qui amat vult amare, & qui recedit vult recedere. Ut alia aliò remittam, id verum opinor in Deo perfectissimè cognoscente non solum obiecta alia extra se, sed & suas etiam omnes volitiones, & nolitiones, apprimè volibiles, & amabiles.

56 Deindè difficultas hæc ex obiecto intrinsecæ condonationis obiecta, ab omnibus superari debet in assignando obiecto condonationis extrinsecæ inter homines, quæ negatur à nemine. Da obiectum voluntatis humanæ condonativæ, dum homo remittit homini iniuriã absque infusione formæ intrinsecæ; & à te edoctus dabo similiter obiectum divinæ.

57 Mirum est, quantum ad laborem multi in perquirendo speciali obiecto specialis voluntatis condonativæ divinæ, ut illam diversificent ab alijs voluntati-

bus

bus non condonativis: quasi circa eadem omnino obiecta non sint dabile diverfissimi actus tam voluntatis, quam intellectus; ex proprio scilicet, ac specifico modo tendendi in idem. Profectò in idem obiectum diversimodè tendit intellectus, apprehendendo, præscindendo, confundendo, affirmando, negando: & similiter voluntas prosequendo, fugiendo, complacendo, displicendo, desiderando, gaudendo, alijsque affectibus non ita notis nominatim. Vanum igitur est, pro singulis affectibus diversa obiecta disquirere, cum circa idem versari possint affectus varij: diversi quidem, non ex obiecto, sed ex modo speciali attingendi idem obiectum: qui modus est specialis quidditas, & natura actuum. Amat vnus deambulationem propter sanitatem; alius è diverso sanitatem propter deambulationem: vterque tendit in vtramque: at certè actibus, seu affectibus specificè diversis, ut est notum. Cuius apertissima veritatis oblivio multos coniecit in implicatissimos modorum, carentiarum, & similium figmentorum laqueos, quæretes quasi nodum in scirpo, in obiectis diversitatem, quam facile invenirent in actibus; seseque intricantes in illis ipsis obiectivis idolis, quæ explicationis, ut aiunt, causâ comminiscuntur.

58 Responderetur post hæc ad argumentum, negando antecedens. Ad probationem concedo maiore: quia, utcumque sit, non datur actus, aut intellectus, aut voluntatis sine obiecto: cum nemo cognoscat, quin aliquid cognoscat; nec velit, aut nolit, quin aliquid velit, aut nolit. Ad minorem multimembrem, dico, obiectum divinæ condonationis extrinsecæ fore, non utcumque peccatum, nec utcumque destructionem peccati; sed esse peccatum, & peccatorem, & deletionem, seu destructionem peccati, & indignationem inimicabilem Dei. Non quidem hæc omnia vno modo; cum neque velit hæc omnia, neque nolit hæc omnia pariter ex essentia sua voluntas illa Dei condonativa; sed diversimodè ex speciali modo suo afficiendi Deum. Ad modum scilicet quo actus idem contritionis habet pro obiecto Deum, & peccatum, amando Deum, & detestando peccatum: & vnus actus noster amat sanitatem propter deambulationem; alter deambulationem propter sanitatem: &

hæc quidem ex speciali modo suo afficiendi hominem erga illa obiecta, vix explicabili per terminos clariores.

59 Non quia circa illa ipsa obiecta voluntatis condonativæ versari non possint aliæ voluntates non condonativæ; cum posset Deus nolle peccatum, amare peccatorem, velle deletionem peccati, & nolle indignari erga peccatorem, quin eo ipso condonaret; quia possent esse affectus inefficaces, non ex obiectis, sed ex modo suo intrinsecè attingendi obiecta, & afficiendi voluntatem diversi ab efficacibus, qui verè forent condonatio. Porro in nobis idem idem extrinsecè condonantibus id potius experimur, quam explicamus: sentimus enim affectum benevoluntatis erga personam, efficaciter depositivum indignationis, & odij inimicabilis, deletivum iniuriæ præteritæ, taliter, quoad hoc denuò moraliter abolitæ in perpetuum, ac si nunquam fuisset: & non dicitur ex corde condonare qui sic non afficitur; quamvis circa eadem obiecta affectus aliquos minùs efficaces habeat.

60 Summa responsionis est, voluntatem Dei condonativam habituram pro obiecto extra Deum, peccatum ipsum, & peccatorem; intra Deum verò, abolitionem formalem maculæ peccati, & indignationem inimicabilem. Peccatum videlicet, illud nolendo; peccatorem, illum iam benevolenter prosequendo, quamvis non eo ipso amicitiam diligendo, cum sine admissione ad amicitiam, foret abs dubio aliqua benevolentia deponere inimicitias; abolitionem peccati, illam exercitè, & per se ipsam formaliter volendo, & constituendo; & indignationem Dei inimicabilem, illam in posterum suspendendo; taliter, ut quo ad hoc maneret Deus erga hominem, ac si non peccasset, aut quasi condignè per se, vel per alium satisfecisset, & quasi per satisfactionem, quam eo ipso condonat, seu veluti donat, ritè ab offenso acceptatam, iniuriam extinxisset, & ius læsù offensi creditoris exæquasset.

61 Quod olim cum alijs me dixisse memini de cessione iuris divini acquisiti Deo ex peccato contra peccatorem, & ablati, seu extincti per condonationem, quæ sit ipsa divina cessione iuris, habens pro obiecto tale Dei ius; aut retractione, aut correctione indiget; aut sal-

tem

tem cautione contra imminentes æquivocationes. Si namque per celsionem iuris intelligitur, Deum erga hominem sic condonatum nolle ulterius vti iure suo: quod est idem ac nolle exercere suam potestatem indignandi inimicabiliter contra peccatorem, hoc iam involvitur in nostra explicatione condonationis. Si verò per celsionem iuris intelligitur abdicatio, seu vt loquuntur alij, ablatio, seu extinctio iuris, quod Deus adquisiverit ex peccato, & amittat per condonationem; plusquam falsum est. Quamvis enim exercitium, sive usus iuris sui sit liberum, & contingens Deo, sicut & exercitium libertatis; ius verò, quod in potestate stat, sicut & libertas, quæ in potestate quoque consistit, nec de novo adquiritur, nec amittitur; sicut sæpe nostra potestas, aut iuris, aut libertatis, quæ temporanea, & fluxilis est: vt est mihi, & debet esse cuique, certum ex dictis *disp.*

Tom. de
Deo, *disp.*
9. *de Attrib. num.* 89.
9. *sect.* 6.

62 Insites adversus responsum. Dari posset voluntas habens pro obiecto peccatorem, illum benevolenter prosequendo; & indignationem inimicabilem Dei, illam efficaciter nolendo; quin propterea intelligatur condonatio peccati: ergo voluntas verè condonativa aliquid aliud habere deberet pro obiecto. Antecedens probatur: quia, posita eiusmodi voluntate sic tendente in ea obiecta, relinqui posset in homine debitum, & in Deo ius ad indignationem inimicabilem: ergo posset non esse verè condonativa: nam vera condonatio extinguere debet in homine debitum, & in Deo ius ad indignationem inimicabilem. Probatur etiam secundum antecedens: quia erga peccatorem potest habere Deus affectum aliquem prosequitivum, & benevoluntatem, vt habet quando largitur illi auxilia ad poenitentiam; simulque nolle adversus illum inimicabiliter indignari; relinquens tamen sibi ius, & in peccatore debitum talis indignationis: quemadmodum hominem debentem mihi centum possum amare, simulque nolle exigere illa centum; revento tamen apud me iure, & apud hominem debito illorum centum, vt, si velim, possim illa centum exigere ex iustitia.

63 Multa multi respondent videanda apud Oviedum *punct.* 5. eos meritò im-

pugnantem: ex eo maximè quòd omnino velint, totum negotium devolvere ad specialia obiecta voluntatis condonativæ, quasi circa obiectum idem nõ agnoscamus passim actus diversissimos. Dixit Eminentiss. Delugo, condonationem Dei esse huiusmodi: *Vellem quantum est ex me, quòd peccatum præteritum non sufficeret fundare iam odium rationabile in peccatorem.* At, inquit Oviedus, posset subiungi: *verumtamen, quia peccatum sufficiens est, fundare tale odium, volo istud habere:* cum quo additamento repugnante veræ condonationi, compati posset prior illa voluntas à Delugo descripta: quæ proinde videtur satis non esse ad condonationem. Dicebant alij, condonationem fore voluntatem, qua Deus decerneret, gerere se deinceps cum peccatore, ac si non peccasset. At, inquit, posset creditor velle gerere se cum debitore, ac si non deberet, nihil ab illo exigens; volens tamen rationem debiti persolvere, vt agnoscat debitor, creditorem retinentem ius adversus ipsum, gratis velle non vti, vt posset, iure suo.

Lug.

64 Aliter ergo respondendum est ex dictis, concedendo antecedens: vt in humanis saltem convincit eius probatio: quamvis in Deo rectissimo, non potente non odisse peccatorem peccato infectum, & maculatum, vt dicemus inferius, dabilis non esset nolitio illa efficax suæ indignationis in peccatorem incondonatum. Sed, vt hoc sit, negatur consequentia. Nam ex eo quòd circa ea obiecta extra Deum, posset dari voluntas non condonativa, non infertur, non posse dari circa eadem obiecta voluntatem verè condonativam, diversissimam quidem ab illa: non ex obiecto; sed ex modo speciali afficiendi Deum, sive volendo, sive nolendo, erga eadem obiecta, vt manifestum fecimus supra. Dixi, *extra Deum*, quia intra Deum iam assignari valet obiectum speciale volitum voluntatis condonativæ, scilicet illa ipsa condonativa voluntas ex dictis *num.* 55. Quo fit etiam satis obijcientibus, eam voluntatem debere habere pro obiecto efficaciter volito deletionem maculæ, sive ablationem peccati; atque adeò deletionem, sive ablationem per aliam formam nempe Gratiam; aut saltem per formulam negativam purè carentialem, realiter, vt aiunt, distinctam à Deo, & ab omni

omni ente positivo. Fateatur enim, habituram pro obiecto deletionem maculæ, seu ablationem peccati: non quidem in eo casu deletionem, seu ablationem, quæ esset Gratia intrinseca; nec in illo casu deletionem, seu ablationem, quæ esset entitativa puræ caritatis, vt potè nec volibilis, nec cognoscibilis à Deo; sed deletionem, & ablationem, quæ esset ipsa voluntas Dei extrinsecè condonativa, se ipsam per se efficaciter volens, quando vult Deus condonare.

65 Urgebis difficulter. Quia sequerentur tria. Primum, mutatum iri Deum intrinsecè in tempore, quando nunc condonat, & antea non condonavit: nam absque aliqua mutatione intrinsecè nequit dari nova denominatio: cum autem in casu condonationis purè extrinsecè homini, non fieret mutatio intrinseca in homine, deberet fieri in Deo: alicubi enim fieri debet intrinseca mutatio, vt alicubi resulter nova denominatio extrinseca; & alicubi mutatio physica, vt alibi resulter nova denominatio moralis: ex rebus enim, eodem omnino modo physice se habentibus, nequit nova denominatio resultare, iuxta proloquium: *idem manens semper idem natum est facere semper idem.* Secundum: de facto deleri peccata prius, & potius per extrinsecam Dei condonationem, quam per infusionem Gratia intrinsecæ, contra quod ex Tridentin. itabilitum reliquimus *sect.* 2. Probatur: quia antecedenter ad infusionem Gratia præcedit in Deo voluntas infundendi Gratiam: quæ voluntas est per se condonativa peccati; cum per se sit volitio efficax Gratia essentialiter delectiva peccati: ergo, si condonatio Dei extrinseca posset esse deletio, seu ablatio peccati, non est cur de facto non deleretur, & tolleretur peccatum per huiusmodi voluntatem infundendi Gratia: quod esset tolli antecedenter ad Gratiam per condonationem Dei extrinsecam. Tertium: peccatorem extrinsecè condonatum manere absolutum, simulque maculatum à peccato: absolutum quidem, vt supponitur: maculatum verò, quia in eo ipso instanti reali maneret dignus odio inimicabili Dei. Cum enim Deus condonans liberè condonet, ac proinde cum potestate & iure condonandi, & non condonandi; sicut retinet in, & pro eo instanti reali libertatem suam, quam

utique exercet, retinet etiam potestatem non condonandi: quippe Deus nihil potest, quin plenissimo iure possit; cum nihil possit cum alterius iniuria: retinet ergo in & pro illo instanti reali ius, sicut & potestatem ad odium inimicabile: sed non habet potestatem, & ius ad odium inimicabile hominis non digni odio inimicabili: ergo maneret homo in, & pro eo instanti reali condonationis extrinsecæ dignus odio inimicabili Dei: ac proinde adhuc peccato maculatus; cum tamen dicatur à peccato iam absolutus. Satis implexa sunt hæc: & concernunt doctrinas alibi disputatas, aut disputandas. Ex quibus nunc obiter respondetur, negando triplicem sequelam.

66 Ad probationem primæ dico, negandam omnino esse in Deo mutationem, & vicissitudinis *obumbrationem*, id est, *imperfectiorem*, vt exponit rectissime Suarez *disp.* 30. *Met. sect.* 9. Negandum tamen est, non posse dari novam denominationem sine mutatione intrinsecæ: cum sine hac admittamus communiter in Deo realiter denominari volentem; cum posset sic non realiter denominari absque mutatione, nec capacitate ad novam formam dominantem distinctam realiter ab ipso, per solam defectibilitatem virtuales prædicati divini necessarii, sic pro Dei libito denominantis, & potentis pro Dei libito sic non denominare, vt explicui *disp.* 8. *de Attrib. sect.* 5. Negandum est quoque, ad mutationem intrinsecam requiri, quòd adveniat nova forma intrinseca: sufficit enim, sive quòd adveniat nova, sive quòd abeat antiqua: vt ex bona Philosophia cursim observavi *disp.* 5. *de Eucharist. num.* 112. sic enim iam non manent res physice intrinsecè eodem modo. Ex ijs omnibus dico, in casu condonationis extrinsecæ fieri quidem mutationem intrinsecam: non physicam, sed moralem, in homine à peccatore in non peccatorem, abente peccato: non ex mutatione physica intrinsecè facta in Deo; sed ex varietate physica intrinseca Deo quoad realiter intrinsecè denominari: antea enim realiter denominabatur Deus odio habens hominem; & postea ad libitum Dei pro tunc condonantis, non sic realiter denominatur per deficientiam scilicet solùm virtuales alicuius affectus divini: quod sufficit.

Suarez

Tom. de
Christo
8.

Tom. de
Incarn.
disp. 24.
sect. 9.

cit, ut res non omnino se habeat eodem modo physice; sed cum aliqua varietate virtuali sufficientissima ad varie reater in tempore denominari, ac denominare, non solum extrinsecè, sed etiam intrinsecè: quemadmodum per eiusmodi deficientiam virtuales Deus non denominaretur volens condere mundum, per idem realiter predicatum, quo nunc pro libito suo eminentissimo denominatur volens. Eiusmodi autem inceptio- nes virtuales in tempore aliquorum di- vinatorum affectuum, præsertim amoris amicabilem erga iustos, & odij inimica- bilis erga peccatores avidè didici ab Eximio nostro Doctore *disp. 30. Metaph. sect. 9.* & latè docui *disp. 14. de Attrib. sect. 4. & 5.* Quà doctrinà uter libens, ac lu- bens in præsentem ad solvendam expedi- tius hanc difficultatem: & quia aliter ca- pere nescio, quomodo Deus aliter & aliter se habeat intrinsecè erga hominem iam iustum, & amicum; iam peccatorem, & inimicum: ut ibi contra varias Au- thorum explicationes, vel potius impli- cationes, expendi.

67 Ad probationem secundæ seque- læ iam negatæ, quam ex Vasquez inno- vavit Esparza, sibi que obiecerat Delugo *num. 155.* dicimus, præcedere quidem natu- rã, & tempore de facto ad infusionem Gratiæ voluntatem illam divinam in- fundendi Gratiæ, sicut ad animatio- nem hominis voluntas Dei infundendi animam in corpus. Nego tamen, eius- modi voluntatem esse per se formaliter, & ratione sui condonativam; sed dum- taxat causaliter ratione sui termini: in eo nimirum sensu, quo voluntas Dei in- fundendi animam, seu albedinem dici potest animativa & dealbativa, quate- nus causat animam ratione sui formaliter animativam, aut albedinem formaliter ratione sui dealbativam. Per se qui- dem vult delere peccatum; sed non dele- re per se; sed per Gratiæ, quam indu- cit: ratione sui formaliter denominat Deum, & quidem ab æterno, volentem delere peccatum; at non ratione sui for- maliter delentem; sed ratione termini; sicut nec ab æterno delentem; sed in, & pro tempore, quo infundetur Gratiæ for- maliter deletiva peccati: alioquin, si ipsa esset per se ratione sui formalis deletio peccati, sicut ab æterno denominat in- trinsecè Deum sic volentem, & extrin-

secè peccatum sic volitum deleri; sic de- nominaret ab æterno Deum delentem, & condonantem, & peccatum extrinsecè deletum, & condonatum: quod est absurditas manifesta. Itaque nunc non deletur formaliter peccatum prius natu- rã, quàm infundatur intrinsecè Gratiæ, nec per aliquid ante ipsam Gratiæ, vnicam causam formalem iustificatio- nis, ut loquitur Concilium pro de facto. De possibili autem voluntas Dei forma- liter condonativa non esset similis vo- luntati nunc infusionis Gratiæ; sed fuisset in Deo ab æterno decretum habendi in tempore voluntatem ex modo suo affi- ciendi Deum formaliter condonativam: hæc autem voluntas, & non illud decre- tum, esset formalis condonatio, re ipsa, & ratione sui tollens peccatum ab ho- mine, & suspendens eo ipso in Deo odium peccatoris, donec denuo peccaret. Vide, quàm longè simus ab oppositione cum Tridentino.

68 Ad probationem tertiæ sequelæ, quam etiam negamus, falsum & repug- nans est, in eo instanti reali divinæ con- donationis, & absolutionis manere ho- minem maculatū: ut in simili dicā *disp. 16. à num. 14.* Divina namque condonatio excludit essentialiter peccatum per mo- dum spontaneæ, & liberæ remissionis, sicut condigna satisfactio ritè exhibita, & acceptata illud excluderet per mo- dum sufficientis compensationis, & exa- quationis iuris læsi; & sicut infusio Gra- tiæ illud excludit per modum pulchri- tudinis, & puritatis à fordibus, & macu- lis peccati; cuius videlicet habitualis, & moralis perseverantia excludit essentialiter hæc tria: sicut mors excludit om- nem unionem physicam animæ cum corpore, & per adventum vnus vivit homo. Negandum ergo est, quod in illo instanti maneret iam homo dignus odio inimicabili Dei. Ad huius absurdi sub- sumpti probationem cōcedo totam an- tecedens: nam ut remissivè dixi *num. 61.* Deus non amittit, sicut nos, ius, nec li- bertatem, quam semel habuit; cum sit predicatum Deo necessarium, antecede- ns ad usum, seu ad exercitium liberum, & contingens talis iuris, seu potestatis. Distinguo autè consequens: retinet ius, & potestatem ad odium inimicabile eo modo quo semper illam habuit, cōcedo; modo quo nunquam habuit, nec habere

potuit

potuit rectissimus Deus, nego. Nunquam autem habuit, nec habere potuit ius, nec potestatem prosequendi odio inimi- cabili hominem extrinsecè à se condo- natum, coniunctim, sicut nec intrinsecè informatum Gratiæ, nec condignā sa- tisfactione compensantem. Distinguo deinde minorem subiunctam: non ha- bet potestatem, & ius ad odium inimi- cabile in hominem non dignum, con- iunctim exercendum, concedo: eiusmodi autem ius, ac potestatem, non nisi chimericam, & ad chimeram, nunquam habuit Deus: non habet potestatem, & ius ad odium inimicabile in hominem non dignum, seiunctim, hoc est, exer- cendum seiungendo hominem à non dignitate per condonationem ipsi Deo liberrimam, nego: nam hoc ius, sicut, & potestatem semper habet Deus, nec amittit, cum condonat, faciens simul hominem non dignum odio: sicut non amittit libertatem dum illam exercet, ut iam animadverti *num. 62.* & tangam alibi luculentius. Vnde nego vitiam consequentiam. Hinc vidè, quàm a vero exerrent qui dicunt, quod & ipse dice- bam olim, per condonationem extingui, & auferri Dei ius ad odium peccatoris. Si dicant impediri, intellige, non qui- dem ab ipsius iuris existentia, cum essen- tialiter æternum sit; sed ab ipsius exerci- tio per exercitium oppositum: sicut per amorem impeditur potestas non aman- di: non quidem ab ipsius existentia, alio- quin amor non exerceretur liberè; sed ab ipsius exercitio, facta sic tectaque li- bertate: quia tale impedimentum est ad libitum voluntatis se tunc exercentis, & determinantis, potentisque pro libito sic se non impedire.

SECTIO VI.

Præferat Sententia affirmans.

Scotus. Bonav. Nomine Suarez. Bellar. Lugo. Ripalda. Oviad. Arriag. Martin. 69 **E**AM tenent, cum tota Subtili Schola, S. Bonaventura, & No- minibus, Eximius noster Doctor 7. de *Grat. cap. 22. & 23. & disp. 9. de Penit. sect. 4.* Eminentissimi Bellarm. & Lugo: ille *lib. 2. cap. ult. iste disp. 7. de Penit.* Ripalda *tom. 2. disp. ult. sect. 22.* Oviadus *contr. 4. de Iustif.* Arriaga ibidem *disp. 86.* Martino- nus, Comptonus, & alij è Nostris satis communiter: & ex Thomistis Conradus,

Ferrar. & Ledesma. Et quamvis aliqui ex his Authoribus aliter, & aliter limitent, & tradant sententiam hanc affirmati- vam; nos tamen generaliter asserimus, peccatum omne, sive mortale, sive ve- niale; sive originale, sive personale; sive commissum à naturâ purâ, sive à iam lapsa; sive etiam à reparatâ, & iustifica- tâ; posse iuxta alias Dei leges, & provi- dentiam à præsentem diveriam, remitti, verèque tolli à Deo per condonationem extrinsecam à bique infusione Gratiæ: ob rationes sequentes.

70 Prima est. Quia difficultates occur- rentes pro repugnantia divinæ condo- nationis purè extrinsecæ, satis, & abun- dè, ut arbitror, solutæ, ac reiectæ iustè in præcedentibus: quod aliquibus suffi- ciens fundamentum esse solet, ad asse- rendam possibilitatē de absolutâ. Sed mihi non ita, nisi alia accedant admi- nicula, aut positive probantia possibili- tatem, aut saltem persuadentia, non late- re repugnantiam nobis ignotam, ut monui opportunè *disp. 18. de Attrib. à num. 46.* In præsentem autem eiusmodi ad- minicula minime desunt: accedunt enim rationes aliæ positive: nec est ratio sus- picandi, latere nos aliquam in eo re- pugnantiam.

71 Secunda. Quia homini lapsò per peccatum ab statu naturæ puræ posset Deus remittere peccatum per condona- tionem purè extrinsecam: ergo & homi- ni lapsò ab statu naturæ iustificatæ. Antecedens concedunt aliqui, negantes consequentiam. Sed inconsequenter: idè enim concedunt antecedens, quia in- credibile prorsus est, Deum naturæ Prin- cipem, & Authorem, si voluisset, homi- nes creare in statu naturæ puræ, nullam hominum offensam posse remittere, nisi simul elevando illos ad statum superna- turalem amicorum, & filiorum Dei, qui est status infusionis Gratiæ: contra quod videmus in Principibus humanis: ad quorum clementiam spectat, posse con- donare aliqua delicta, quin propterea è delinquentibus faciat sibi amicos, & hæ- redes. At non minus est incredibile, non posse Deum condonare sic offensas ho- minum, qui è statu Gratiæ peccando ce- ciderunt: non illis infundendo Gratiæ pristinam, qua eo ipso fierent amici, Filij, & Hæredes: ut certè potest huma- nus Princeps erga delinquentes, qui ab

Na ipius

Compt. Conrad. Ferrar. Ledesma.

Tom. de Deo disp. 18. sect. 5.

Suarez. Tom. de Deo, disp. 14.

Vasq. Esparza Lugo.

Infra disp. 16. sect. 1.

ipſius etiam amicitia ceciderunt, con-
donando ſcilicet delicta; quin eo ipſo
illos reſtituant in ſtatu amicitia preſti-
ta. Profecto Deus ipſe de facto remiſit
Adamo peccatum, quin illum reſtitueret
in ſtatum innocentia, a quo ceciderat.

72 Tentant Adverſarij diſparitatem
ex oppoſitione eſſentiali peccati, & Gra-
tia: non aliter ac viſus, & cæcitat. Un-
de eſt, quod cum peccatum ſit privatio
Gratia, ſicut cæcitas privatio viſus; ne-
quit auferri niſi per Gratiam, ſicut nec
cæcitas niſi per viſum: quia privatio non
deſinit eſſe, niſi per adventum formæ,
quæ privat. Sic fermè ex ſuis Gonet.
Addit noſter Eſparza, ablationem cuius-
cumque mali, utpotè conſiſtentis in pri-
vatione boni oppoſiti, ſtare non poſſe
ſine poſitione boni oppoſiti. Unde eſt,
quod, quando peccator cecidit ab ſtatu
Gratia, ſuſpenſio odij divini, ſine qua
non ſtat divina remiſſio, ſtare in Deo
nequeat ſine amore collativo boni abla-
ti per peccatum, quod bonum eſt Gra-
tia. His doctrinis iam reſpondimus ſu-
pra, quatenus ſententiam noſtram im-
pugnant. Oportet iam eas expugnare, &
exempla, quibus utuntur, ſemel diſcute-
re, ut earum infirmitas innotefcat.

73 Contra namque primò eſt. Quia
ſicut oppoſitio Gratia cum peccato non
tollit, quominus opponatur etiam Gra-
tia cum divino decreto nunquam in-
fundendi Gratiam, & cum decreto
illam deſtruendi; ſic nec oppoſitio pec-
cati cum Gratia tollit, quominus pecca-
tum opponatur etiam cum divino de-
creto nunquam permittendi peccatum,
& cum ſatiſſatione condigna pro pec-
cato, & cum ſpontanea remiſſione;
ſeu condonatione, & cum Unione hy-
poſtaticam enim condigna ſatiſſatio
exhibita, ritèque acceptata pro iniuria,
quàm ſpontanea remiſſio, aut Unio hy-
poſtatica extinguit, ac delet iniuriam,
ſeorſim etiam ab infuſione formæ in-
trinſecæ: ergo oppoſitio eſſentialis Gra-
tia, & peccati, eſt prorsus impeti-
nens ratio pro eo quod abſque infuſione etiã
Gratia oppoſita, non poſſet tolli quo-
que peccatum per aliam formam, ſeu
quafi formam non minus oppoſitam
peccato, quàm ſit infuſio Gratia: talis
autem per ſe eſſet extrinſeca Dei con-
donatio: ergo per hanc etiam tolli poſſet:
quemadmodum tolleretur etiam per

exhibitionem, & acceptationem ſatiſſa-
tionis condignæ, & per Unionem hypo-
ſtaticam, ſeorſim ab infuſione Gratia:
ſi ſic pacifici voluiſſent Chriſtus, & Pater.
Et eſt clara ratio: quia res quolibet, ut ſit,
dicit exclusionem omnium impedimen-
torum, quibuſcum eſſentialiter opponi-
tur; ut autem non ſit, ſufficit poni vnum
ex illis.

74 Exemplum viſus, & cæcitat,
aut eſt ab re, aut rem noſtram evincit
contra reſponſores, illud nobis obtru-
dentes cæco Marte. Eſt ab re: quia appo-
nitur a S. Thom. explicativè ſecundum
preſentem Dei legem, in qua tolli ne-
quit peccatum mortale, ſine formâ Gra-
tia ſibi oppoſita: & quaſtio noſtra pro-
cedit iuxta aliam, cui adaptari nequit:
in qua nimirum tolleretur per aliud
non minus ſibi oppoſitum. Rem noſtram
evincit: quia cæcitas excludit in ſubie-
cto ſuo omnem viſum, & viſus omnem
cæcitatem: taliter, ut poſito vno viſu,
iam homo non ſit cæcus, quin ad hoc
requiratur poſitio omnium viſuum: &
datâ vna cæcitate iam homo eſt cæcus,
& non videns, quin ad hoc requirantur
omnes cæcitates, quomodolibet hæ con-
ſtituantur. Ea tibi, quomodò cæcitas, cui
comparant peccatum, quamvis eſſentia-
liter opponatur cum hoc viſu, cui com-
paratur Gratia; ſine hoc etiã viſu deſſe
poſſet, ſtante videlicet alio viſu, quem
ſimiliter excludit. Sic ergo peccatum,
excludens per ſe eſſentialiter non ſo-
lum Gratiam, ſed omnem ſui remiſſio-
nem, extinctionem, & ablationem,
quamvis iuxta preſentem Dei legem
non tollatur niſi per infuſionem huius
Gratia, cum qua eſſentialiter opponi-
tur, ſicut cæcitas cum hoc viſu; ex natu-
ris tamen rerum tolli à Deo in alia lege
poſſet ſine infuſione huius Gratia, per
aliam formam, ſeu quaſi formam, non
minus eſſentialiter ſibi oppoſitam, quàm
Gratia.

75 Contra ſecundò, ſimiliter com-
minuendo additamentum, & diſcurſum
P. Eſparza, cui nimis aliqui adhaſerunt.
Dato namque, quod malum conſiſtat in
privatione boni oppoſiti, non propte-
rea ablatio cuiuſcumque mali ſtare ne-
quit ſine poſitione omnis boni oppoſi-
ti: ergo, quamvis peccatum ſit in pri-
vatione Gratia, non propterea tolli ne-
quiret ſine poſitione Gratia: ſicq; corruiſ-
ſum.

funditus doctrina reſponſionis. Antece-
dens probatur multis. Primo: quia, ſi
peccatum privavit hominem Gratia in-
tenſa, non propterea dicent adverſarij,
non poſſe remitti à Deo niſi per poſitio-
nem Gratia intenſa; cum certè ſuffice-
ret remiſſior. Secundò: quia, quamvis
privaverit Protoparentes Gratia habi-
tuali, & iuſtitia originali; non propte-
rea dicent, non illis fuiſſe remiſſum ſine
poſitione iuſtitia originaliſ. Tertio:
quia, quamvis malum peccati ſit priva-
tio expulſiva boni Gratia, quæ præceſſe-
rat, tollitur per aliam numero Gratiam,
ſine poſitione ipſius Gratia, quæ ſpo-
liavit peccatorem: non enim reponitur
eadem numero Gratia, quæ peccator
privatus fuit. Quarto: quia, caſu poſſi-
bili vel impoſſibili, quo, ut aiunt ali-
qui à nobis cit. diſp. 15. de Incarn. ſect. 3.
humanitas hypoſtaticè Deo vnita eſſet
peccatoſo per illud peccatum privaretur
Gratia habituali, & hypoſtaticè vnione,
& peccatum eſſet vtriuſque privatio.
Quis autem dixerit, impotem eſſe Deum
remittere tali humanitati peccatum,
adhuc per infuſionem Gratia habitua-
liſ, ſine poſitione Unionis, quæ ſibi illam
hypoſtaticè reſumeret? Horum om-
nium ratio eſt in aperto: quia malum,
quamvis ſit privatio alicuius boni, eſt
etiã eſſentialis aliorum bonorum ex-
cluſio, ſive ſtrictè privativa, ſive non ita
ut autem tollatur malum, ſufficit poſitio
cuiuſcumque boni, quo eſſentialiter,
& incopoſſibiliter excluditur. Cum ergo
malum peccati ſit ex æquo eſſentialis
excluſio Gratia accidentalis ſive præce-
dentis, ſive non præcedentis; Unionis
hypoſtaticæ; ſatiſſationis condignæ; &
extrinſecæ condonationis; per cuiuſ-
cumque iſtorum bonorum, quibuſcum
coexiſtere, & perſeverare non poteſt, ne-
ceſſè eſt deſinat eſſe: ſicque ex natura rei,
ut non ſit, non requiritur poſitio ſeu
infuſio boni Gratia accidentalis intrin-
ſecæ; ſed vel illius, vel alterius ex prædi-
ctis bonis: quorum vnum eſt extrinſeca
condonatio. Atque hinc reiicitur, ut
omnino falſum, quod ſubdit Eſparza,
ſuſpenſionem odij divini, ſine qua non
ſtat divina remiſſio, ſtare non poſſe in
Deo ſine amore collativo boni ablati
per peccatum, quod eſt Gratia: ſtat enim
optimè ſine iſto amore cum quolibet

actu benevolentia divina pòrente ali-
quod ex illis bonis, ſive ablatiſ, ſive non
ablatis, eſſentialiter incopoſſibilibus
cum perſeverantia morali mali peccati;
quorum vnum, ut vidimus, eſt bonum
condonationis extrinſecæ.

76 Tertia ratio concluſionis eſt.
Quia inter homines remittit vnus alteri
offenſam, ſive iniuriam, abſque infu-
ſione doni alicuius intrinſeci, per ſolam
remiſſionem, ſeu condonationem ex-
trinſecam. Cur ergo ſic ſimiliter non
poſſet Deus? Ut potè nec minus liber,
aut iuris ſui ad condonandum, quàm
homo; nec magis obligatus ex natura
rei vno iure ad diſſidenda dona in-
trinſeca ſua Gratia hominibus, quando
condonat.

77 Tentant aliqui reſponſionem, &
diſparitatem ex P. Meratio: quia homi-
nes, cum condonant, non tollunt, nec
remittunt offenſam; ſed pœnam: Deus
verò verè tollit, & abolet maculam offen-
ſa: ad quod infundi opus eſt offenſori
aliquid expellens offenſam. Sed certè
ſatis humanum non eſt, exiſtimare, ho-
minem offenſum, poſtquam ex animo
remiſit, & condonavit alteri, non poſſe
deinceps cum hoc altero veram amicitia
inire: non autem poſſet, niſi per
condonationem extingueretur, & abole-
retur ratio offenſa: unde ſemel inimici,
manerent perpetuò irreconciliabiles;
quod inhumanum eſt: atque adeò dicen-
dum, inter homines per condonationes
extrinſecas verè mutuò remitti iniurias,
quoad rationem etiam offenſa humanæ
taliter nimirum, ut, interpoſita ex ani-
mo condonatione, deſinat vteriuſque per-
ſeverare habitualiter, & moraliter iniu-
ria, ſeu offenſa, quæ phyſicè præceſſerat.
Accedit, quod ſeria condonatio delicti,
ſeu iniuria inter homines, ponit debi-
torem, ſeu offenſorem in eo ſtatu abſo-
lutionis & immunitatis à debito, & ab
iniuria, in quo illum poneret ſolutio,
ſeu compenſatio iuſta: certum autem eſt,
quod per ſatiſſationem, ſeu compen-
ſationem iuſtam condignam, & adæqua-
tam extinguitur, & tollitur inter homi-
nes ratio debiti, & iniuria: ſimiliter er-
go per condonationes, ſeu remiſſiones
extrinſecas. At cur ſic non poſſet Deus,
ſi voluiſſet?

78 Dices: quia divina remiſſio præ
humanâ facit hominem de malo non
Na a ma.

Gonet.
Eſparza.

Tom. de
Chriſto,
diſp. 15.

Meratio

maium : quod absque forma intrinseca fieri nequit : sicut neque equus de malo non malus absque mutatione intrinseca. Exemplum in primis Equinum indecorum est, & impertinens; exiit enim à phycis ad moralia: æquus abs dubio foret, moralibus insitendo; ex eo quòd equus absque mutatione phycica fit de tuo non tuus; arguere, hominem sine mutatione phycica fieri de malo non malum: aut, si mavis, in eodem equo solve paritatem: absque mutatione phycica non fit de malo non malus: ergo nec de tuo non tuus. Recurrere igitur necesse est ad moralia, & ad extrinseca. Deinde, ut ad rationalia, & humaniora redeamus, inter homines etiam condonatio extrinseca Principis, seu Reipublicæ facit hominem suo quoque modo de malo non malum; si minus theologicè; saltem politicè, ac civiliter: respectivè nimirum ad leges publicas: in ordine ad quas habetur malus, iniquus, ac debitor, qui deliquit: & definit esse sic malus, sicut & debitor, ac infensus, dum ritè obtinet remissionem. Ad instar ergo istius transitus moralis de malo in non malum civiliter inter homines, potius quam ad instar transitus phycici Equini de malo in non malum, discurrendum esset de transitu similiter moralis hominis de malo in non malum per extrinsecam condonationem Dei absque intrinseca infusione Gratiæ.

79 Respondent alij disparem esse rationem: quia inter homines iam fit mutatio in condonante, quamvis non in condonato; inter hominem autem, & Deum, si non fieret in condonato, nulli fieret; cum Deus sit incapax mutationis; nequit autem fieri condonatio, nulli facta mutatione intrinseca. Huic responsioni iam occurrimus *sect. 5*. Arguo nunc: quia supponit constitutione liberorum Dei per aliquid creati: quod alibi reijcimus. Secundo: quia paritari nostræ conceditur internum; scilicet, quòd, sicut inter homines fit condonatio absque mutatione intrinseca in homine condonato, sic fieri posset inter Deum, & hominem, nisi obstat constitutio actuum Dei immutabilis. Probatum autem non obstat: quia posset à Deo produci extra se, & extra hominem terminus essentialiter oppositus cum peccato hominis: scilicet, in Angelo notitia supernaturalis

essentialiter vera divine condonationis. Tum quia supereminentia liberorum Dei præfert, sine mutatione sui, res ad extra aliter se habere realissimè, volente, aut nolente Deo sine mutatione Dei à volente in nolentem, & sine distinctione reali suæ volitionis à volitione, per solam defectibilitatem virtualem earum denominationum; quamvis in nobis id nequeat fieri absque distinctione, & mutatione intrinseca actuum: ergo denominatio condonati resultans in hominem ab altero homine per realem distinctionem, & intrinsecam mutationem actuum humanorum; posset resultare in hominem à Deo sine eiusmodi mutatione, & distinctione reali actuum divinorum, per solam accessionem, seu defectionem virtualem ad libitum Dei: ergo ratio data disparitatis ex mutatione petita, non obstat veritati, & paritati argumentationis nostræ.

80 Nec momenti est quod molitur Gonetus, inde confusus disparitatem, & responsionem prætexere, quòd Deus, cum non præster concursum suum in peccatum habituale, nequit eius perseverantiam, & conservationem in homine tollere per suspensionem sui concursus, sicut posset tollere Gratiæ per suspensionem sui concursus in illam: ideoque; nequit illud tollere nisi per infusionem Gratiæ. Huic etiam discursui obstiti *num. 52*. Rogo nunc: unde nam concludit Respondor: ideoque nequit tollere, nisi per infusionem Gratiæ? Certè ex nulla parte veræ suæ doctrinæ. Quinimò ex illa ipsa redarguo sic ad hominem. Quamvis Deus non concurrat ad conservationem peccati habitualis, ideoque non illud tollat, nec tollere possit per suspensionem sui concursus in peccatum iam phycicè tractatum, illud tollit formaliter per Gratiæ intrinsecam, utpotè essentialiter per se oppositam maculæ peccati: quin exinde arguatur divinus concursus in peccatum habituale: ergo, non obstante eadem inconcurrentiâ Dei in peccatum, illud etiam tolleretur per condonationem extrinsecam, non minus per se essentialiter oppositam maculæ peccati, quam sit Gratiæ: sicut tolleretur etiam formaliter per exhibitionem condignæ satisfactionis: siquid enim peccati habitualitas essentialiter ex æquo excludit hæc tria, Gratiæ, condonationem, & satisfactio-

nem:

nem: cum non minus repugnet, hominem esse in peccato, simulque gratum Deo; quam esse in peccato, simulque condonatum à Deo; aut quam esse in peccato, & condignè satisfecisse pro peccato: ut videtur esse in comperto: ergo ex præiacta responsionis doctrina minimè concluditur, inspectis naturis rerum, quòd Deus non posset tollere habitualitatem peccati, nisi per infusionem Gratiæ; sed, vel per infusionem Gratiæ, vel purè per condonationem extrinsecam; vel per satisfactionem condignam ritè exhibitam, & acceptatam.

81 Tertia ratio, & fortè validior est. Quia de facto Deus remittit nobis peccata venialia habitualia formaliter per extrinsecam suam condonationem absque infusione formæ cum illis oppositæ: ergo posset sic mortalia, si voluisset. Cōsecutio tenet: quia eadem difficultates subeundæ, & superandæ sunt pro venialibus, ac pro mortalibus. Antecedens probatur vrgenter à difficultate, seu potius impossibilitate assignandi alium modum remittendi venialia, nisi modum extrinsecæ condonationis; & ab impossibilitate assignandi formam intrinsecam viatoribus infusam, illis essentialiter oppositam, ut expendemus opportunè *sect. 8*.

SECTIO VII.

An per extrinsecam Dei condonationem posset remitti peccatum in, & pro instanti, quo actu committitur.

Zugo.

82 EMINENTISSIMVS Delugo *disp. 7. de Penit. sect. 8*. possibile iudicat, quòd condonaret Deus in prædicta alia lege peccatum in, & pro instanti, quo committitur: addit, & pro antecedenti. Quippè posset etiam antecedenter cessisse iure suo indignandi contra hominem peccantem: sic autem supposita ea cessione, adhuc peccaret homo periurans, quia perstaret lex prohibitiva periurij: Deus verò, quamvis odio haberet peccatum; non tamen personam peccatoris propter peccatum in eo casu; cum iam antea condonavisset, & remiserit, cedens iure, quod aliàs ad eiusmodi odium inimicabile competeret. Homo igitur tunc esset peccator, & peccans in eo instanti periurij, amitteretque Gra-

tiam, si præhabuisset; at non propterea esset inimicus Dei; sed non amicus; cum iam Deus præcondonavisset peccatum.

83 Tetigit hoc punctum P. Suarez *lib. 7. cap. 21*. & absolute docuit, in nulla lege posse à Deo remitti peccatum pro instanti, quo committitur. Quia, inquit, per commissionem ponitur, & per veram remissionem tollitur peccatum: sed omnino repugnat peccatum, nec ullam aliam rem, poni, & tolli, non secus, ac esse & non esse, in eodem instanti: ergo & peccatum pro eodem instanti committi, & remitti.

84 P. Ripalda *sect. 29*. supponit, ut certum, quòd evincit Suarez, repugnare peccatum actuali commissione poni, & ariq; simul remissionem, qua pro eodem instanti tollatur: atque adeò, si totum hoc importat remissio, fatetur implicitantiam in eo quòd peccatum verè remitteretur à Deo pro instanti, quo committitur. Admittit deinde cum Delugo, quòd posset Deus antecedenter ad commissionem peccati, v.g. periurij, pro instanti, quo actu committitur, statuere, se non indignandum erga personam peccatoris, & cedere iure, quòd sibi competeret ad indignationem, & odium inimicabile: quòd autem non posset pro tunc conferri simul Gratiæ sic periuranti, non foret ex odio contra personam; sed ex obice peccati tunc commissi. Ait tandem hoc verè, & absolute fore, remitti tunc, & pro tunc peccatum: sicque consentit cum Delugo, quòd peccatum posset condonari, ac remitti à Deo in, & pro instanti, quo committitur; imò & pro antecedenti. Ad rationem P. Suarez respondet, remissionem tollere quidem existentiam moralem peccati; non phycicam, quam potius supponit. Itaque in casu, inquit, proposito, quando actu committeretur periurium, existeret phycicè peccatum; non verò moraliter, quoad effectum scilicet reddendi hominem debitorem, dignumque indignationis divinæ inimicabile: transacto autem eo instanti actualis commissionis, iam nullatenus maneret peccatum: non enim phycicè; cum iam phycicè præterierit; nec quidem moraliter; quia iam fuit à Deo condonatum, & remissum. Ingeniosè; si tamen verè.

85 P. Oviedus *contr. 4. punct. 6* negat, quòd posset remitti peccatum pro instanti

Suarez.

Ripalda.

stanti, quo committitur. Ait tamen, in eo instanti haberi posse à Deo remissionem pro instantibus sequentibus: in quibus, transacto iam physicè peccato, propterea nec moraliter permaneret: siquidem præcessisset remissio, cedente Deo iure suo, alioquin valituro, ad indignationem, & ad odium inimicabile. Addit, probabile sibi esse, non posse Deum non indignari, & inimicabiliter odisse peccatorem compositum cum peccato.

86 Ut ab hoc vitimo incipiam, ne detur ansa absonis æquivocationibus, & sinistris opinationibus, rememorandum est quod circa eiusmodi cessionem divini iuris adnotavi, & explicui *sect. 5. num. 68.* Deinde animadvertendum, aliud esse odium divinum, aliud odibilitatem peccatoris: illud est pœna peccati; ista potius est ipsum peccatum. Unde, dato quod Deus posset suspendere odium suum inimicabile contra peccatorem compositum cum peccato, sicut & pœnas inferni, non tamen ex eo quod illud suspenderet, satis inferretur, ablatam esse ab homine odibilitatem, seu debitum, & condignitatem odij; ac proinde nec peccatum: sicut ex eo quod Deus gratis suspenderet pœnas inferni, non satis inferretur, ablatum esse debitum illarum, ut ex eodem Oviedo dicebamus *num. 64.* nec eiusmodi suspensio esset cessio divini iuris quoad talis iuris utpotè necessarii existentiam; sed quoad iuris usum, sive exercitium Deo liberum.

87 Dicendum nihilominus est primo, Deum non posse non indignari, & odisse inimicabiliter hominem compositum, & infectum peccato lethali. Sic videtur indicari Sapientia 14. *Similiter sunt Deo odio impius, & impietas eius:* sicut ergo nequit Deus non odisse peccatum faciens hominem inimicum, ita nec hominem factum inimicum per peccatum. Præterea nequit Deus non diligere amicabiliter hominem compositum cum Gratia, ut cum Amico, & alijs dicemus *disp. 19. sect. 4.* ergo neque non odisse inimicabiliter compositum cum peccato; non enim minus lædat hominem peccatum, quam depulcret Gratia: & æquè in utroque relucet summa rectitudo divinæ voluntatis. Sic Amicus *disp. 32. sect. 2.* & Esparza *quæst. 8.* contra Lugum, Ripaldam, & Oviedum citatos.

88 Hinc vide, quàm sit falsum à fortiori quod ab ijs Authoribus supponitur ad resolutionem propositæ difficultatis, posse Deum cedere iure suo indignandi, & inimicabili odio prosequendi hominem actu peccantem. Si enim odium suum nequit avertere ab homine composito cum peccato, multò minus cedere iure ad odium. Neque hoc est derogari quidquam divinæ clementiæ: potest enim ea uti impediendo peccatum, sicque non concipiendo odium contra peccatorem: & deinceps condonando peccatum præteritum, sicque suspendendo odium conceptum: at componere suspensionem odij cum existentia peccati, nec divini iuris est, nec veræ clementiæ; sed figmentum. Quemadmodum divini iuris, & omnipotentia est, posse facere, seu non facere hominem sibi amicum: at facere amicum sine Gratia, aut non amicum compositum cum Gratia, nec est divini iuris, nec Omnipotentia est; sed chimera repugnantissima. Ex ijs

89 Dicendum est secundò resolutionè ad quæstionem: cum P. Suarez, impli- cantissimum esse, peccatum à Deo condonari, seu remitti in, & pro instanti, quo committitur. Id evincit ratio solidissima & clarissima Doctoris Eximij, posita *num. 83.* Cui se satisfecisse putat immeritò Ripalda *cit. num. 84.* dicens, remissionem tollere existentiam moralem peccati; non physicam, quam potius supponit: quasi videlicet, aut peccatum nudari queat à sua moralitate; aut quasi remissio peccati supponere debeat existentiam peccati in instanti remissionis, quod est inverisimile: sicut & quod iustificatio supponat peccatum in instanti iustificationis existens; & non potius præexistens pro antecedenti: quod est certum.

90 Duas nobis opponunt paritulas. Primam. Homo homini condonare, seu remittere potest iniuriam, seu debitum antequam fiat: ergo & Deus homini? Cur enim in hoc etiam non procedat paritas à nobis inita ex humanis pro possibilitate divinæ condonationis purè extrinsecæ? Secundam. Homini habitualiter peccatori condonare posset Deus: ergo & actualiter peccanti: præsertim cum actus Dei condonativus, utpotè adæquatè Deo intrinsecus, tunc etiam, & ab æterno esset, si aliquando est?

Ad

91 Ad primam dico, in primis, eiusmodi paritatem initam à nobis esse ab humanis ad Deum, probando simul, quoad hoc quod est purè extrinsecè condonare, nihil absurdi, seu discriminis inesse. Cum quo stat, multas esse rationes discriminis quoad modos extrinsecè condonandi: quorum multi repugnant Deo, & non homini; ut ex se notum est: nec enim Deus potest iniuste, aut imprudenter condonare, sicut homo; nec condonatione, quæ sit actus temporaneus realiter distinctus à condonante, sicut est humana condonatio. Hinc, dato antecedente, negatur consequentio. Quia homo potest non odisse iniuriatorem, & inimicum; sicut & non redamare amantem se; & spoliare se vitro, aut per Superioris voluntatem spoliari iure suo, quod ius nec æternum, nec necessarium est: quæ omnia Deo rectissimo, & essentialiter cum pleno iure universorum Domino Supremo, repugnant. Nihil ergo mirum, quod nequeat Deus, licet homo, condonare pro instanti commissionis peccati. Dixi, dato antecedente: quia sine explicatione concedi non potest: cum & in humanis suam quoque præferat implicantiæ, hominem actu iniuriatorem, aut contrahentem debitum erga alterum, esse pro illo ipso instanti verè condonatum, & absolutum ab altero, qui cesserat iure suo. Tunc enim cum ille iam se prius spoliaverit iure suo, alter nihil ageret contra ius illius. Unde potius dicerem, quod in eo casu, nec debitum contraheret, nec iniuriam committeret, utpotè impeditam per anticipatam illam cessionem iuris; quàm, quod condonatur, & remittitur debitum, seu iniuria pro instanti, quo dici verè possit actu poni. Sic illis, quibus dat Deus ius in occisionem hominis, imò & aliquando specialiter sui, ut præstò est exemplum in Apollonia, cuius sacro die hæc scribo, non dicitur fieri remissio peccati occisionis, vel suicidij; sed fieri potius, quod occisio non sit peccatum.

92 Ad secundam, distingo antecedens: habitualiter peccatori condonare posset Deus, composito cum peccato habituali, seu pro instanti, quo peccatum perseverat, nego: seposito iam tunc peccato, & pro instanti quo peccatum, quod moraliter fuit, iam non moraliter per-

severat, concedo antecedens; & nego consequentiam. Quia in instanti, quo peccatum actu committitur, peccatum est: at in instanti, pro quo habituale remittitur, iam non est; sed desinit esse: implicat autem esse simul, & remitti; non verò desinere esse, & remitti. Præterea: moralis perseverantia peccati habitualis constituitur per irremissionem; non verò physica existentia peccati actualis: si enim hæc constitueretur per irremissionem, quomodo statet, posita remissione? Nec officit quod subiungitur de æternitate actus divini condonativi: non est enim contra ipsius æternitatem, nec est incipere esse, incipere denominare in tempore, ut ex P. Suarez de varijs affectibus adæquatè intrinsecis divinæ voluntatis explicui latè *disp. 14. de Attrib. sect. 4.* Unde, quamvis affectus ille divinus ab æterno sit, non est ab æterno condonans, sed quando Deus vult sic denominari.

SECTIO VIII.

An de facto remittantur venialia formaliter per condonationem Dei extrinsecam? An per aliquid homini intrinsecum? Per quas dispositiones peccatoris? Quomodo per Sacramenta, & per Sacramentalia? Et quid post mortem?

93 **R**ESVMEMVS hoc in loco, quia fortè non occurret opportunior, quod scitu dignius est circa remissionem peccatorum venialium pro de facto: ut vires suas exerat argumentum nostrum, innotuit *sect. 6. num. 81.* pro possibilitate divinæ condonationis extrinsecæ peccati etiam mortalis in alia lege. Legi per otium proderit P. Suarez *disp. 11. de Pœnit.* & ibidem Cardinalem Delugo *disp. 9.* Arriagam *disp. 47. de Grat.* & ibidem Oviedum *contr. 5.* necnon P. Valquez *1. 2. disp. 207. cap. 4.*

94 Convenimus in eo quod venialia non tolluntur præcisè per infusionem gratiæ habitualis utcumque, tanquam per formam ipsis intrinsecè oppositam. Certum enim est venialia cõponi sæpè simul cum Gratia in homine iusto, iuxta illud Proverb. 24. *Septies enim cædet iustus, & resurget:* quod de casu per peccata venialia exponunt communiter Interpretes.

Suarez.
Tom. de
Deo, dis.
14.

Suarez.
Lugo.
Arriag.
Ovied.
Valq.

Prov. 24.

Suarez.
S.Thom.

95 Convenimus etiam in eo quod Viatoribus iuxta præsentis Dei leges nunquam remittuntur venialia sine infusione Gratiæ. Nam, ut bene Suarez ex S.Thom. 3. part. quasi. 87. art. 4. homini, dum est in mortali, nullum remittitur veniale: Vel ergo remittitur veniale homini accedenti ad Sacramentum, quo iustificatur; & hoc non fit sine infusione Gratiæ: vel homini iam iusto accedenti ad Sacramentum: & tunc, ut dicemus paulò inferius, non remittitur sine aliquibus actibus virtuosiss, quibus correspondet infusio Gratiæ: vel tandem homini iam iusto facienti aliquod opus bonum: & tunc quoque adest novæ gratiæ augmentum: quamvis ergo non remittantur venialia per infusionem Gratiæ utcumque; nunquam tamen sine infusione Gratiæ; sicut neque sine infusione, aut augmento virtutum comitantium Gratiam.

96 Conclusio iam fit cum Suarez, & communi sententia, venialia per nihil aliud remitti formaliter de facto, nisi per extrinsecam Dei condonationem. Ratio. Quia nihil aliud homini intrinsecum assignatur venialibus oppositum, per quod formaliter remittantur: superest ergo quod per extrinsecam Dei condonationem. Antecedens ostenditur impugnatione variorum modorum dicendi, quos ab Adversarijs extorsit rei difficultas.

97 P. Vasquez tria docet. Primum, Gratiam per se solam non delere venialia: & in hoc convenimus ex num. 94. Secundam, neque Gratiam cum attritione extra Sacramentum: in hoc etiam convenimus. Tertium, Gratiam cum attritione intra Sacramentum, & cum contritione extra Sacramentum, illa delere. Quia, inquit, cum suo quoque modo veniale sit avertio quædam à Deo, & conversio ad creaturam, non tollitur nisi per aliquam retractationem: hæc autem, cum extra Sacramentum non sufficiat attritiva, necesse est esse, aut per attritionem cum Sacramento, aut per contritionem perfectam.

98 Contra tamen est. Primum: quia, si ad rationem voluntariæ retractationis standum in hoc est, incoherenter videtur dici, non sufficere attritionem extra Sacramentum, si sufficit intra. Attritio enim ex modo suo essentiali habet

esse talem retractationem; nec præcisè per accessum, aut defectum Sacramenti immitatur; aut augetur in ratione retractationis; sicut nec in ratione suæ intentionis, aut remissionis: ergo attritio hominis iam iusti, aut per vim suam retractativam habet delere venialia extra Sacramentum; aut non habet intra. Atqui non habet extra, quia ex suis intrinsecis non habet oppositionem cum habitualitate venialium: ergo nec intra: quia Sacramentum nec auget illam in ratione retractationis, nec in ratione oppositionis intrinsecè cum venialibus.

99 Contra secundo: probando, quod nec per contritionem, tam intra, quam extra Sacramentum. Quoniam, quamvis actus detestans, ac retractans veniale, sive sit attritio, sive perfecta contritio, opponatur ex vi, & ex efficacia sua intrinsecè cum actu committendi tunc ipsum veniale; quia esset simul duo affectus contrarij; non tamen opponitur cum eo quod est, tempore antecedenti præcessisse actum committendi veniale, & nondum fuisse remissum: quod est moraliter, & habitualiter perseverare: ergo neque in actu attritionis, nec contritionis, nec extra, nec intra Sacramentum, per quod scilicet naturas suas non mutant; relucet ex intrinsecis suis, esse retractationes taliter oppositas cum venialibus habitualibus; ut ab intrinsecis suis prædicatis illa deleant.

100 Nec satisfacit, quod pro contritione assert Oviædus, opponi scilicet cum veniali habituali, illudque tollere; si minus in vi retractationis; saltem per modum compensationis; & satisfactionis condignæ, ad instar solutionis extinguentis debitum: quia, inquit, contritio puri hominis iusti, quamvis nequeat esse satisfactio condignæ pro mortali, potest, ut dici solet, pro veniali. In primis enim hoc ultimum, quod communiter dici solet, non caret difficultate, quam expendi disp. 8. de Incarn. sect. 11. Deinde, hoc dato de possibili, non fit satis pro de facto. Nam de facto præmiat Deus valorem actus contritionis infusione Gratiæ, cum iure ad præmium condignum Gloria: quamvis ergo sufficere posset valor contritionis purè hominis ad satisfactionem condignam pro auferendo veniali, si non infunderetur, & exæquaretur eius dignitas per præmium Gra-

Oviæd.

Tom. de
Incarn.
disp. 8.

Gratiæ, & Gloriæ; neutiquam verò de facto; cum iam aliàs infunderetur, & exæquatur ille valor per acquisitionem sui præmij.

Trident.

101 Contra tertio ex Trident. sess. 14. cap. 5. ubi deobligans ad confitenda venialia, dat rationem: quia hæc multis alijs modis tolli possunt. Vnde fit liquidò, venialia sæpè remitti absque attritione cum Sacramento, & absque contritione cum, aut sine Sacramento: nam ijs modis etiam mortalia remittuntur. Si igitur venialia multis alijs modis remittuntur, remittuntur etiam absque attritione intra Sacramentum, & absque contritione intra, & extra Sacramentum: ad quos duos actus restringit Vasquez vim retractativam oppositam cum venialibus, illorumque intrinsecè deletivam. Nihil igitur assignat intrinsecum, per quod intrinsecè aboleantur, & remittantur: atque adeò recurri necesse est ad condonationes Dei purè extrinsecas.

102 Respondent alij, remitti intrinsecè venialia per Gratiam, non utcumque, sed ut collatam virtute Sacramenti: in eo enim confertur ut reconciliativa, atque adeò ex intentione remittendi venialia. Sed certè hoc est in re de primo ad ultimum revocare formalem remissionem venialium ad intentionem Dei, taliter volentis conferre Gratiam in Sacramento, ut remittat etiam venialia. Quocumque enim te vertas, nihil in toto illo complexo Sacramenti, Gratiæ reconciliativæ, & collatæ virtute Sacramenti, & ex intentione remittendi venialia, reperies per se formaliter oppositum peccato veniali, nisi intentionem illam Dei: quæ quidem est extrinseca peccatori, & ipsissima extrinseca Dei condonatio. Præterea: si eiusmodi evasioni fidendum esset; quid prohibet, quominus alius similiter dicat, remitti venialia per Fidem, aut per quodvis aliud donum, ut collatum virtute Sacramenti, ex intentione scilicet remittendi venialia? Certè enim, nec Gratiæ secundum se, nec Fides secundum se habent ex intrinsecis suis remittere venialia: utrilibet autem accedat extrinseca intentio divina venialia remittendi, remittuntur: utrobique igitur per se, & formaliter non nisi per extrinsecam Dei condonationem.

103 Respondent alij, aliquos esse

gradus Gratiæ oppositos cum morali perseverantia venialium: eosque produci tunc virtute Sacramenti, & per eos formaliter intrinsecè deleri venialia; sicut per alios mortalia. Sed contra est, quod exindè sequitur, homini, habenti mortalia, & venialia, dari ut deleantur virtute Sacramenti Gratiam intrinsecè perfectiorem, utpotè puriorem, quam habenti sola mortalia. Sequitur deindè, eiusmodi hominem sic iustificatum, amissurum eos Gratiæ gradus per novum peccatum veniale illis oppositum. Quæ quidem sonant absurdissimè.

104 Alij respondent, Gratiam ex eiusmodi intentione in Sacramento collatam produci per specialem actionem intrinsecè oppositam venialibus; sicque per eam intrinsecè à Deo remitti; ac proindè non per condonationem merè extrinsecam. His opem ferre videtur Anton. Perez disp. 2. num. 63. quatenus ait, Gratiam Sacramentalem, ut relatam ad attritionem, ad fidem promissionis divinæ, & ad spem veniæ, opponi cum venialibus expositis in confessione; eiusmodi verò relationem esse indistinctam ab actione, qua Gratiæ pendet à Sacramento, vel physice, vel moraliter. Hoc tamen, & est multiplicare pro libito sine rationis, & authoritatis fundamento formas intrinsecas remissivas peccati; & est tribuere gratis productioni Gratiæ perfectiorem effectum formalem, quam ipsi Gratiæ; scilicet deletionem non solum mortalium, verum etiam venialium quod est mihi paradoxum; & non satis evitat absurdum responsionis præcedentis: quod nempe homo sic iustificatus amissurus esset Gratiam, commissio noviter veniali, aut saltem perituram illam Gratiæ productionem, succedente aliâ specie diversâ: quod est absque fundamento loqui.

105 Manet ergo, nullam ex ijs responsionibus assignare formam intrinsecam peccatori, formaliter expulsivam, ac deletivam maculæ peccati venialis habitualis: ac proindè recurri necessario debere de facto ad condonationem Dei extrinsecam iuxta conclusionem nostram: ex qua suum robur accipit nostra ratio, quam posuimus num. 81. pro possibilitate remissionis etiam mortali, iuxta aliam Dei legem, per condonationem Dei merè extrinsecam.

Quo.

Quo.

106 Quoniam verò, sicut de facto nullum remittitur veniale sine infusione Gratiæ, ut vidimus *num. 95.* sic etiam nec sine dispositione voluntariâ peccatoris; videndum restat, ut hanc venialium materiam hic absolvamus; qualis debeat esse isthæc dispositio ex parte nostra, ut Deus condonatione suâ extrinsecâ remittat venialia.

Trident.

107 Quocirca Trident. *sess. 14. cap. 5.* docens, non dari obligationem confitendi venialia, dat rationem: quia hæc multis alijs modis tolli possunt. Unde constat, plures esse nobis modos disponendi nos ad remissionem venialium, quàm mortalium: & consequenter, strictè nimis docuisse P. Vasquez, hominem non disponi ad remissionem venialium, nisi aut per contritionem, aut per attritionem cum Sacramento. Certè his duobus modis ad mortalia quoque remissionem disponimur. Quid ergo sibi, & nobis voluisset Tridentinum, plures indicans modos pro venialibus, quàm pro mortalibus?

Vasq.

Suarez.

108 P. Suarez latè tradit doctrinam magis communem, & in re incerta verosimiliorem. Ait primò, homini contrito de venialibus remitti venialia, de quibus conteritur: nam ad remissionem etiam mortalium disponimur per contritionem de mortalibus: sicque iustus, contritus de cunctis venialibus, manere poterit absque omni veniali per breve tempus. Ait secundò, idem esse de homine exercente actum perfectæ charitatis, quamvis fortè non esset formalis dolor: quoad illa scilicet venialia, ad quæ extenditur ex motivo, & modo suo anteponendi Deum creaturis. Ait tertio: satis disponi iustum ad remissionem venialium per illorum attritionem, etiam extra Sacramentum: id enim saltem videtur necesse, ut iuxta Trident. *multis alijs modis* pro venialibus, potiùs quàm pro mortalibus disponamur.

109 Nec obest quod objicit Vasquez, indè sequi, quòd nunquam primò remitterentur venialia per Sacramentum: semper enim præcedit, aut contritio, aut attritio, per quam iam essent remissa. Relictis enim aliorum responsionibus, negatur sequela ex Suarez. Nam inter dum virtute Sacramenti remittit Deus non solum venialia, quorum præcessit dolor; sed aliqua etiam, quorum dolor

non præcessit: quod de mortalibus dici nequit. Sic enim congruere videtur Sacramento Pœnitentiæ, ut potè ad remissiones instituto: dummodò tamen non detur obex; qualis esset actualis complacentia, seu approbatio venialium præritorum. Id quod ad Extremam Unctionem, & Eucharistiam extendunt aliqui: & aliqui etiam ad cætera Sacramenta: cum non ita constet de præcepto docendi de venialibus, sicut constat de mortalibus. Quòd si dixit Augustinus, *nullum peccatum remitti sine pœnitentiâ*; intelligi potest, aut de mortalibus iuxta frequentem loquendi morem; aut, si etiam de venialibus, intelligi non remitti sine pœnitentiâ; sive de Sacramento Pœnitentiæ; aut, si de pœnitentiâ virtute, quæ fit dolor; intelligi, non remitti sine dolore alicuius peccati; non verò omnium venialium, quæ remittuntur.

110 Sunt qui largiùs opinentur, Iustum per quodlibet opus virtutis, quod exercet; satis disponi ad remissionem alicuius venialis: quia per quodlibet opus virtutis auget Gratiam: nunquam autem datur infusio Gratiæ, quin fiat aliqua remissio peccati venialis, si adest. Negatur tamen hoc postremum. Iustus enim cum voluntate actuali admittendi quodcumque veniale, posset habere aitiâ voluntatem moriendi potiùs, quàm mortaliter peccandi: hoc autem affectu bono augetur abs dubio gratiam; cum tamen incredibile sit, quòd, stante illâ voluntate actuali admittendi quodlibet veniale, remittatur aliquod.

111 Idcirco temperantiùs, & rationabiliùs opinatur Suarez, iustum non satis disponi ad remissionem venialium per quodlibet opus bonum: nec enim id indicatur in Scripturis; nec suadet ex congruentia rationis. Nilominus ait, verosimile sibi videri, iustum disponi satis ad remissionem aliquorum venialium per aliquos actus bonos, etiam extra Sacramentum, præter contritionem, & attritionem: v.g. per propositum non peccandi venialiter; vel per actum bonum virtutis oppositæ venialibus commissis; & per alios huiusmodi. In ijs enim apparet specialiter congrua ratio, ut inclinetur Deus ad aliquam remissionem: idque colligi satis videtur ex loco Tridentini supra citato: ut verum sit, quòd venialia, ut potè levia, multis alijs

August.

Suarez.

modis

modis tolli possunt, potiùs quàm mortalia:

112 Viगतum est, alio etiam modo remitti possum venialia; nempe per Sacramentalia: scilicet per Aquam benedictam, per Orationem Dominicam, per Eleemosynam, per Confessionem generalem, & per Episcopalem benedictionem. Dabitur: an per hæc remittantur ex opere operato venialia; sicut mortalia per Sacramenta. Affirmat audacter Thom. Hurtadus *tom. 2. suarum Resolutionum, Tract. vlt. Resol. 12.* in hoc sibi arrogans mordicus quasi Thomisticismi Principatum adversus Jesuitas. Sed certè vix quidquam aliud scribere potuit novus Scholæ Vindex, quo meliùs ostenderet; qualiter sequatur, aut assequatur, aut insequatur S. Thomam. Dicendum ex adverso est cum S. Thom. *3. part. quest. 87. art. 3.* & cum Suarez cit. per Sacramentalia non remitti venialia ex opere operato; sed occasionaliter dumtaxat ex opere operantis: quatenus, ut ait S. Thom. homo specialioribus tunc divinis auxilijs excitatus, ijs actionibus, seu receptionibus Sacramentaliùs piè ab Ecclesia institutis, adiungit multos ex illis actibus, quos diximus esse dispositiones proportionatas ad remissionem venialium. Ad fundamenta prædicti Authoris non respondemus; quia dicta potiùs, quàm argumenta sunt.

Hurtad.

S. Thom. Suarez.

Suarez.

Tom. de Christo, disp. 3.

113 Quid tandem de remissione venialium, cum quibus irremissis pervenit iustus ad instantis mortis? Respondet Suarez; animam iusti in postremo vitæ instanti habentis venialia irremissa; concipere in primo suæ separationis instanti perfectum Dei amorem, & dolorem, quo se disponit, ut in eo instanti condonet Deus extrinsecè venialia, quoad culpam; sine infusione tamen Gratiæ; & manente reatù alicuius pœnæ luendæ in Purgatorio. Volunt nonnulli, remitti tunc ea venialia per illum actum, tanquam per condignam satisfactionem; cum iam non impendatur eius valor in augmentum Gratiæ. Sed hoc pendet ab ijs, quæ disputavimus *disp. 8. de Incarn. sect. 11.*

114 De venialibus, cum quibus in confortio mortalium moritur impius, dicunt aliqui, remitti in inferno per satisfactionem. Dicendum meliùs est cum communiore sententiâ, nunquam remitti; sed in æternum puniri in confortio

mortalium: quia in istorum confortio semper durant. Sic Card. de Lugo videndus *disp. 10. de Pœnit. sect. vlt.*

Lugo.

SECTIO IX.

An omnia peccata possint remitti: & an possibile sit aliquod per se intrinsecè irremissibile.

115 ERROR fuit olim Cataphrygarum, & Novatianorum, quædam esse peccata sic enormia, ut nemini, quantumvis pœnitenti, sint remissibilia. Contra quod scribunt eruditè Bellarmin. *lib. 2. de Grat. cap. 5. & lib. de Pœnit. cap. 15.* & Suarez *disp. 2. de Pœnit. sect. 1.* ex varijs Scripturæ locis: vbi cunctis debite ingemiscens promittitur remissio peccatorum, nullius factâ exceptione.

Bellar.

Suarez.

116 Opponi solet celebris Apostoli locus, Hebr. 6. *Impossibile est, eos, qui semel illuminati gustaverunt etiam cælestis donum, & prolapsi sunt, rursus renovari ad pœnitentiâ.* Undè generalius exerrant alij Heterodoxi, propterea dogmatizantes, Gratiâ remissionis semel habitam, & per novum peccatum amissam, recuperari non posse: quos anathematizat Trid. *sess. 6. cap. 14. & Can. 29.* & reprehendit Christus Matth. 18. *septuagies septies, id est, pluries, remittendum respondens.* Ad locum autem Pauli nobis obiectum respondet cum aliquibus SS. Patribus Iustinianus, sermonem ibi esse de renovatione per Baptismum: quæ utique lapsis post Baptismum impossibilis est; cum Baptismus sit ex Christi institutione irreiterabilis. Communiùs alij cum Alapide respondent, impossibile ibi sumi pro valde difficili; ut moris esse vidimus sapiùs in superioribus: præsertim *disp. 12. sect. 5.* Loquebatur enim Apostolus ibi, non de lapsis quomodocumque; sed de lapsis per hæresim, aut per apostasiam: quorum difficillima est conversio; ideòque & remissio: non tamen propterea prorsus impossibilis.

Hebr. 6.

Trident.

Matt. 18.

Iustin.

Cornel.

Supra

disp. 12.

Matt. 12.

117 Superest locus alter Matth. 12. vbi minatur Christus: *Spiritus autem blasphemia non remittetur*: id mox explicans de blasphemia, seu de peccato contra Spiritum Sanctum: de quo subdit: *Non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro.* Ergo, quia peccata hæc contra Spiritum Sanctum sunt omnino irremissibilia.

sibilia. Pro responsione duo sunt nobis explicanda: vnum, quale peccatum sit illud blasphemiae contra Spiritum Sanctum? aliud, quomodo dicatur, nunquam remitti?

118 Volunt aliqui, peccatum illud contra Spiritum Sanctum esse impoenitentiam finalem: de qua certum est, nunquam remitti: cum in illa terminetur vita. Alij volunt, esse peccatum ex absoluta malitia: illud praesertim, quod opponeretur specialiter iustificationi: quae specialiter est, & dicitur opus Spiritus Sancti. Vtrumque id refutat merito Suarez. Qui melius ait, peccatum illud contra Spiritum Sanctum esse, dicitur a Christo, quando ex malitia, & duritie cordis tribuuntur spiritui malo facta, quae Spiritus Sanctus specialiter operatur ad firmandam Fidem, & ad illuminandos, & convertendos peccatores. Hoc enim est proprie Spiritui Sancto resistere. Sicque colligi videtur ex contextu Marci 3. subiungentis ibi: Quoniam dicebant: spiritum immanum habet: Iudaei scilicet obduratissimi de Christo, quando parabat signa coram eis ad eorum conversionem.

Marc. 3.

119 Iam, sic explicato peccato in Spiritum Sanctum; respondeo ad argumentum, negando consequentiam. Non enim ait Christus, esse omnino irremissibile; sed non remitti: quia nempe aut raro, aut valde difficulter remittitur: eo quod eiusmodi peccatores vix unquam veram poenitentiam agunt, propter obdurationem cordis, & obsecrationem mentis. Non ergo sunt ea peccata omnino irremissibilia. Quinimodo nec incredibile est, aliquos illorum, quos tunc alloquebatur Christus, vere postmodum poenitentes obtinuisse remissionem.

Lugo.

120 Cardin. de Lugo disp. 8. de Poenit. sect. 1. non putat, aut favere Haereticis, aut opponi Ecclesiae deficiente, cuncta peccata esse remissibilia, illum, qui diceret, dari posse secundum aliquam extraordinariam providentiam aliquod peccatum, ex speciali natura sua intrinsicè irremissibile. Tale foret, inquit, peccatum, quo quis discrederet Deo revelanti, se nullum peccatum remissurum. Tale namque peccatum innititur essentialiter revelationi divinae de non remissione: cum qua revelatione stare nequit remissio: ergo tale peccatum

esset intrinsicè irremissibile. Ad naveam usque recoquitur huius argumentationis crambes in varijs materijs. In praesenti respondet satis Oviendus contr. 4. punct. 4. admittendo casum; & negando, tale peccatum fore intrinsicè irremissibile. Non enim esset essentialiter innixum revelationi divinae re ipsa existenti connexa cum irremissione peccati; sed vel existenti, vel existimata: nam ille ipse actus nolendi credere revelationi sic propositae, stare posset cum tota sua formali malitia, falso proposita tali revelatione, revera non existente: quocasu nihil ibi esset intrinsicè connexum cum irremissione talis peccati. Solum ergo esset extrinsecè, & consequenter irremissibile a decreto non remittendi. Sic autem quodlibet peccatum cuius irremissionem novit Deus, dici potest irremissibile: de consequenti scilicet; & non aliter.

Oviend.

SECTIO X.

An, & quomodo vnum peccatum remittatur, aut possit remitti, sine alio.

121 CERTVM est primo, vnum veniale remitti de facto saepe sapienter sine alio. Patet in Sacramento Poenitentiae: in quo remittuntur nobis venialia, quae cum attritione confitemur, alijs irremissis, quae nec confitemur, nec dolemus. Id contingere quoque posse, ac saepe contingere extra Sacramentum, colligitur ex dictis sect. 8.

122 Certum est secundò, in praesenti lege Dei de facto nunquam remitti quo ad culpam vnum mortale sine alio. Ratio est in aperto. Quia de facto non remittitur peccatum nisi per infusionem Gratiae: Gratia autem cum nullo mortali compati potest, ut infra videbimus: implicat igitur, vnum sic remitti, manente alio; aut, non etiam remisso alio, si si aderat.

123 Extendi hoc debet ad sententiam a nobis impugnamdam existimantium, Gratiam, quamvis non connaturaliter, de potestate tamen absolutam Dei stare posse cum peccato. Non enim propterea dicendum esset absque vilo fundamento, id evenire de facto iuxta praesentem Dei providentiam.

124 Haec de facto. De possibili verò iuxta

iuxta aliam Dei legem, discutendum est per diversas sententias in quaestione superius disputata de possibilitate condonationis extrinsecae. Qui hanc omnino possibilem negant, cum impossibilem iudicent remissionem peccati mortalis sine infusione Gratiae; dicant necesse est, in nulla Dei lege possibilem esse remissionem vnius mortalis manente alio: quia Gratia cum nullo stare potest.

125 Qui verò iuxta aliam Dei legem posibles iudicamus condonationes Dei pure extrinsecas absque infusione Gratiae; dicimus consequenter, quod posset Deus in eo providentiae ordine, homini, habenti plura mortalia, remittere vnum, alio non remisso. Quia posset nolle indignari, & taliter affici erga peccatorem, ac si furtum v. g. non commisisset, ac proinde non iam titulo furti; manens tamen inimicabiliter indignatus propter periurium, seu titulo periurij, quod remittere, & condonare non vellet. Quemadmodum, obligatus ad recitationem, seu ad ieiunium titulo praeccepti, & titulo voti, potest obtinere remissionem obligationis voti, manens obligatus ex praeccepto: sicque deinceps teneretur ieiunare titulo praeccepti; non titulo voti.

SECTIO XI.

An, & quomodo remitti possent in alia lege peccata a Deo, ut Authore naturae.

Ripalda

126 PATER Ripalda, cui facile nimis accesserunt Recentiores, iuxta suas, mihi non satis probatas, doctrinas de Ente supernaturali, veniens in praesentem difficultatem tom. 2. disput. ult. sect. 27. supponit in primis, & merito, de facto semper remitti peccatum a Deo ut Authore supernaturali: quia nunquam remittitur sine infusione Gratiae, semperque in ordine ad beatitudinem supernaturalem. Ait deinde, & bene, quod, si Deus remitteret peccata, ut Author naturalis; non nisi per extrinsecam condonationem id praestaret: quia non est dabilis forma creata naturalis, quae foret intrinsicè remissio peccati; cum haec sit prerogativa specialissima Gratiae coniungentis nos amicaliter cum Deo. Nec probabilem reputat Suarez quo-

Suarez

rumdam effatum, quod in eiusmodi casu Deus, ut Author naturalis, remitteret peccata per infusionem formae naturalis delentis peccatum: quod tamen noviter adhaeruit Recentior Romanus, relatus, & rejectas ab Haunoldo lib. 2. tract. 3. cap. 1. contr. 5. §. 1. & traditur a Card. de Aguirre disp. 19. num. 58. remissive. Docet tandem cum Suarez, & alijs, posse Deum, ut Authorem naturae, remittere peccata in alia lege, scilicet per extrinsecam condonationem. Sic etiam multi Moderni: quibuscum sentiebam olim.

Haunol. Aguirr.

127 Movetur primo. Quia Deus, ut Author naturae, est Princeps naturae rationalis, excellens bonis moribus, ac proinde benignitate, & clementia, quae possit iniurias remittere: quod est proprium boni Principis erga miseros subditos: ergo posset, ut Author naturae, peccata naturaliter condonare. Quis enim credat, posse Deum, ut Authorem naturae, misereri paupertatis, & agritudinis corporeae subditorum, & in earum sublevationem intendere; & non ita miseriam conditionis peccantium? posseque pauperi providere divitias, aegrotanti sanitatem; & non ita veniam peccatori dolenti?

128 Secundo. Quia intra ordinem naturae potest Deus hominibus multa largiri gratuito, conferens beneficia de ordine creationis, qualia vidimus disp. 3. durum enim esset, nihil posse Deum, ut Authorem naturae, agere cum creaturis suis, nisi ex debito: ergo posset similiter offensas, ac peccata gratis etiam condonare. Si enim semel admittuntur beneficia, & gratiae Philosophicae de ordine creationis, seu ordinis naturalis; cur talis dici non possit, aut debeat remissio aliqua peccatorum? Quae nimirum posset exerceri in statu naturae non elevatae ad supernaturalia?

Supra disp. 3.

129 Tertiò. Quia peccatum hominis ex statu purae naturae non esset aversio a Deo, ut a fine, sive ut ab Authore supernaturali; cum solum esset, ut ab Authore naturali, taliter tunc cognito, & non aliter: ergo talis etiam peccati remissio posset esse a Deo, ut ab Authore naturali; quin ad eam requiratur, Deum agere, ut Authorem supernaturalem. Non enim indiget ad remissionem Authore supernaturali, qui non peccavit contra Authorem supernaturalem: sicut qui offen-

offendit Regem, vt hominem, & non vt Regem, vtpote ignorans esse Regem, non indigeret remissione Regis, vt Regis; sed, vt hominis privati.

Vasq.
Perez.

130 His tamen non satis obstantibus, gravissimi Theologi cum P. Vasquez, quos sequitur Antonius Perez disp. 3. de Iustif. negant omnimò, posse in vllâ lege remitti lethale à Deo, vt Authore naturæ. Non ex eo solum, quòd indicet impossibilem remissionem sine infusione Gratiæ; sed quia remissio peccati, præcisim etiam ab infusione Gratiæ intrinsecæ, spectare necesse est ad Deum, vt Authorem Gratiæ, seu vt Authorem supernaturalem.

Rom. 3.

131 Moventur primò valdè theologice ex ratiocinatione Pauli ad Romanos, præsertim cap. 5. vbi excellentiam, atque adeò supernaturalitatem Gratiæ per Christum iustificantis nos, exindè maximè commendat, quia est reconciliatio nostra cum Deo; ac proindè ex ratione remissionis divinæ erga nos: Infirma autem fuisset eiusmodi ratiocinatio Pauli, si ratio præcisæ remissionis peccati, & reconciliationis peccatoris stare secundum se posset absque supernaturalitate, & absque beneficio alicuius Gratiæ, aut intrinsecæ, aut extrinsecæ: non vtsumque dictæ de ordine creationis; sed præcisim de ordine supernaturali. Si enim de beneficio ordinis creationis id intelligi pateretur Apostolus, non evinceret intentum pro Gratia iustificationis: præter namque foret respondere, quod nefas est, esse similiter gratiam, id est beneficium, de ordine creationis. Vt igitur subsistat argumentum Apostolici, in ratione remissionis, & reconciliationis involvi debet conceptus supernaturalitatis, ac beneficii supra ordinem creationis; & consequenter Gratiæ Theologicæ intrinsecæ, vel extrinsecæ. Sicque

Nazian.

August.

Anselm.

S. Thom.

hunc modum ratiocinandi imitantur SS. Patres, Nazianz. August. & Anselmus. Ex quibus S. Thom. quæst. 113. art. 2. ad 1. ait: *Et ideo, licet homo antequam peccet potuerit esse sine gratia, & sine culpa* (en statum puræ naturæ, & S. Thomam loquentem non solum iuxta præsentem Dei legem) *tamen post peccatum non potest esse sine culpa, nisi Gratiam habeat*: quia nimitum ipsa remissio peccati Gratia est, sive intrinsecæ, sive extrinsecæ; & quidem Theologica de ordine superna-

turali: naturalis enim de ordine creationis, nec veniebat ad rem, nec ad mentem S. Thomæ.

132 Moventur secundò. Quia quando Deus agit, vt Authorem naturæ, operatur æqualiter cum æquali dispositione, & virtute naturarum; & inæqualiter cum inæquali: & quando aliter operatur, dicitur operari supernaturaliter; & miraculosè: vt, si cum sole, potente, & petente illuminare vt lex, produceret lucem vt octo, vel vt quatuor: aut si post formam vitæ deperditam, illam restitueret. Atqui remissionem peccati mortalis in nullo peccatore exerceret Deus ad exigentiam dispositionum, seu virium naturæ, imò supra exigentiam, & non ex debito, in quocumque statu, aut lege constitutur: ergo in quocumque statu, & lege esset supernaturalis, & ex gratia, prætergrediente totum ordinem creationis, & naturæ: ac proindè non à Deo, vt Authore naturali; sed vt supernaturali. Minor probatur: Quia in primis in homine peccatore nulla est exigentia physica, nec debitum physicum, ad hoc vt Deus ipsi remittat iniuriam. Deindè peccatori gratia destituta, & ex solis viribus naturæ moraliter operanti, nihil inest, aut per modum meriti, aut moralis dispositionis, in quo fundari possit debitum, vel dignitas moralis divinæ remissionis: ergo hæc esse non posset à Deo ex debito, sed ex pura Gratia præter omne debitum naturæ: ac proindè non à Deo, vt Authore naturali; sed eo ipso vt ab Authore gratiæ supernaturali.

133 Mihi certè ponderosa sunt hæc. Et eò quidem magis, quo attentius perpendo communiores doctrinas, traditissimas in Tract. de Incarnatione; de quibus nos ibi disp. 8. Ibi namque, seorsim etiam à iustificatione per gratiam intrinsecam, & agentes de pura etiam satisfactione pro peccato, eam impossibilem defendimus puræ creaturæ, quantumvis per gratiam elevatæ. Hæc autem solidissima veritas valdè videtur labefactari, si remissio peccati mortalis potest esse de ordine naturali, & ex debito, ac exigentia naturæ: cum incredibile videatur, nullis viribus etiam supernaturalibus posse cunctas creaturas rationales condignè obtinere à Deo remissionem peccati ipsi naturæ quasi suo iure debitam, & connaturalem.

Tom. de
Christo,
disp. 8.

Prop-

Tom. de
Deo, disp.
18.

134 Propter hæc inclino in posteriore sententiam: eò quidem libentius, quò consequentius ad meam entis supernaturalis Theologiam, quam dedi rom. 1. de Deo, disp. 18. præsertim sect. 13. vbi studui, expedire me ab æquivocationibus, quibus laborant multi post Ripaldam, in usurpationibus Dei Authoris naturalis, & Authoris supernaturalis: quasi nõ de vno Deo, sed de duplici loqui ferè videantur. Profectò, Deus iste meus, Author naturalium, & supernaturalium, adæquatè supernaturalissimus est, & vt Author etiam supremus totius naturæ, infinitè supra naturam: nec vllò modo in essendo naturalis; sed in causando, quod est res causatas, & modum eas causando esse naturales: ad modum, quo productiones multe, cum accidentia sint, dicantur substantiales in phrasi Philosophica, quia sunt productivæ substantiarum. Dicere autem, quòd Deus præcisim conceptus penes aliqua prædicata non est ens supernaturale; non est quia penes illa sit ens naturale: sicut dicere, quòd homo præcisim conceptus penes aliqua prædicata non est rationalis, non est quia secundum illa sit brutum: & dicere, quòd visio Dei, præcisim concepta penes aliqua prædicata, non est supernaturalis, non est quia penes aliqua sit naturalis: & dicere, quòd Deus, præcisim conceptus penes aliquas perfectiones, non est æternus; non est quia secundum illas sit temporalis. Illud prius, est præcindere; illud posterius, esset sceleratè falli. Ex ijs, & alijs videndis loc. cit.

135 Ad primam rationem contrariam dico in primis, quòd in simili forma probarem, quòd Deus, vt Princeps benignissimus, & Author optimus naturæ, posset se intuentum, aliquando exhibere creaturis suis. Quis enim fingatur humanus Princeps, bonus, & benignus, qui nulli vnquam subdito se intuentum præberet. Labat igitur popularis hæc argumentatio. Deindè in forma, nego antecedens penes illam partem remittendi iniurias. Quia eo ipso, quòd iniuriæ sint contra Principem infinitè supremum, earum remissio est de ordine supernaturali: sicut & intuitio Dei vt Authoris naturæ. Ad summam autem perfectionem tanti Principis, & Authoris naturæ, sufficit, quòd iste ipse sit Author etiam Gratiæ, potens vt talis

benignissimè remittere creaturis suis: quin sit necesse, quòd id possit, vt Author naturæ: quia id implicat in terminis; sicut & quòd vt Author naturæ beet creaturas tuas intuitione sui. Ad interrogationem illam admirativam dico, eo modo, quo creditur, Deum, vt Authorem naturæ, quamvis multa possit, non posse, aut amicitiam inire, aut se intuentum præbere creaturis rationalibus; quia hoc ipsum est agere Authorem gratiæ; sic esse quoque nobis ex doctrinis SS. Patrum credibile, nec posse, vt Authorem naturæ, remittere iniurias: quia hoc ipsum est agere Authorem Gratiæ.

136 Ad secundam, concessa antecedente, negatur consequentia. Quia ex multis particularibus non fit argumentum ad alia particularia dissimilia: alioquin ex eodem antecedente posset contra omnes inferri, intuitionem Dei, vt Authoris naturæ; quantumvis non ex debito, posse quoque conferri à Deo vt Authore naturæ alicui creaturæ: vtpote donum de ordine creationis, quantumvis hic, & nunc indebitum. Ratio ergo negandi consequentiam est: quia liberalitates illæ, quæ non ex debito, sed gratis fiunt à Deo, vt Authore naturæ intra ordinem creationis; quamvis non debeantur subiecto, cui sic conferuntur; possibilis tamen est aliqua natura, cui in aliquo eventu connaturali deberentur: & hoc sufficit, vt sint dona absolute naturalia, & de ordine creationis, vt explicavimus disp. 3. sect. 2. & 3. ex dictis tom. 1. de Deo, disp. 18. sect. 9. quamvis interdum à Deo Authore naturæ fiant, aut donentur gratuito, & non ex debito: quandoquidem dantur cui, aut quando, aut quomodò non debentur. At remissio peccati nulli vnquam naturæ creatæ, nec creabili deberi potest. Vndè ex argumento Apostoli reputatur gratia absolutissimè Theologica supra totum ordinem creationis: intrinsecæ quidem, si fiat cum infusione doni intrinseci; extrinsecæ verò, si fieret per extrinsecam Dei condonationem: utrovis enim modo extraheretur natura à suo Authore liberalissimo ab statu peccati, & ab statu puræ naturæ. En ergo rationem, Paulinæ Theologicæ subnixam, cur, admisis alijs beneficijs, donisque gratuito datis de ordine creationis à Deo Authore naturæ, talis nequeat esse remissio peccati.

Ad

Suprà
disp. 3.
Tom. de
Deo, disp.
18.

137 Ad tertiam, negari posset in primis antecedens: quia nec est contra statum puræ naturæ habere aliquam notitiam Dei vt Authoris supernaturalis; nec ad hoc, vt peccatum sit aversio à Deo vt Authore etiam supernaturali, requiritur notitia supernaturalis; aut omnimoda Dei, vt Authoris supernaturalis: certè enim nec omnes constituti in statu naturæ elevatæ advertunt vt plurimum ad istas formalitates; aut experimento fallimur. Deindè, dato antecedente, illatio est omninò nulla: sicut, si ex eo quòd peccatum hominis ex statu puræ naturæ non esset aversio à Deo, vt summè sapiente, sed vt summè bono præcisim cognito vt tali, inferre velles, eius remissionem esse posse à Deo, vt summè bono; quin ad eam requiratur Deum agere, vt summè sapientem: & similiter ludi posset in similibus alijs formalitatibus. Ratio autem est: quia peccatum, quomodocumque sit aversio à Deo, est offensa Dei infinitæ Maiestatis; Idèdque eius remissio inexigibilis à tota natura: ac proindè non nisi ex gratia Dei comparabilis. Indiget itaque ad remissionem Authore supernaturali quicumque Deum offendit, sive vt Authorem naturalem, sive vt supernaturalem. Nec humanum exemplum Regis nobis obstat; imò favet: nequit enim privatus homo, sicque nec Rex, vt privatus homo, remittere iniurias sibi illatas contra leges, taliter vt delinquens non indigeat remissione illius, vt Principis, aut Republicæ. Ad hunc ergo modum opus est remissione Dei, vt Principis, seu Authoris supernaturalis ad delendam offensam contra Deum, vt Authorem naturæ. Ipsa namque ratio remissionis offensæ divinæ involvit rationem gratiæ Theologicæ, ac proindè supernaturalis ex argumento Apostoli, alioquin invalido, & evanido.

138 Dices. Natura rationalis, vt talis, appetit, indiget, & exigit Authorem clementem, ac proindè potentem remittere iniurias; imò & quòd aliquando remittat: alioquin esset nimis severus, & inimitis: ergo id potest, & faceret Deus, vt Author naturæ: quia natura nec appetere, nec exigere potest id quod Deus, vt Author dumtaxat supernaturalis, facere potest. Hoc est torum robor sententiæ contrariæ; plenum tamen, vt

autumo, multis æquivocationibus terminorum, quos distinxit loc. cit. de Ent. Supern. sect. 10. à num. 104. Ex ibi dictis respondeo, verum esse antecedens de appetitu: qui quidem respicit bonum possibile & conveniens subiecto: verum etiam esse de indigentia: quæ quidem respicit bonum, sine quo subiectum non potest esse: falsum autem de exigentia: quæ respicit bonum taliter debitum subiecto, vt subiectum sit iure suo inductivum illius. Sicque nego consequentiam. Natura enim appetit multa, & indiget multis, quæ competunt vt Authori supernaturali: appetit enim Deum Personam, indiget Deo reali, ac proindè omnipotente, alius namque chimericus esset. Nihil autem horum exigit, quia nihil horum inducit, nec inducere, aut causare potest, quamvis omnia hæc essentialissimè, & indigentissimè supponat. Vndè æquè indiget Deo Authore naturali, & supernaturali, quatenus formalissimè indiget Deo reali: appetit remissiones peccatorum, quia sibi bonæ sunt, & posibles; non quidem exercibiles à Deo vt Authore naturæ; quia hoc repugnat in terminis, & esset appetere chimeras; sed exercibiles à Deo, vt Authore supernaturali; quia hoc non est contra rationem entis naturalis: non verò id vllò iure exigit: quia nullas habet vires phyficas, nec morales inductivas talium remissionum, cum sint, vt ex Apostolo vidimus, ex pura Gratia Dei.

139 Non multum gravabor, extendere prædictas doctrinas ad remissionem etiam venialium, per ea quæ scripsi disp. 8. de Incarn. sect. 11. de eorum incompenfibilitate per puram creaturam, cum Soto, Ant. Perez, Vvadingo, & prædoctis Provinciæ nostræ Magistris. Vide ibi, & expende.

140 Facilius videri potuit aliquibus remissio peccati purè Philosophici à Deo, vt Authore naturæ. Ceterum huic existimationi præclulit aditum, & meritò, recens Decretum Alexandri VIII. iam memoratum disp. 12. num. 112. quo prohibetur doctrina de peccato gravi Philosophico contra rationem naturalem, quod eo ipso non esset Theologicum contra Deum. Rationes insinnavi loc. cit. de Incarn. remissivè.

Tom. 1.
disp. 18.

Tom. de
Christo,
disp. 8.
Sotus.
Perez.
Vvadingo.
Rio.

Alex.
VIII.
Suprà
disp. 12.
sect. 9.

DISPUTATIO XIV.

DE NATURA GRATIÆ IUSTIFICANTIS.

OCASIONE Condonationis extrinsecè digressi sumus aliquantulo longius ad modos remittendi peccata, diversos etiam ab illo, quo de facto remittuntur, ac delentur mortalia per infusionem Gratia creatæ, intrinsecè nobis inhaerentis. Nunc se totus sermo ad hanc Gratiam iustificantem remissivam, seu deletivam peccatorum mortalium, prout de facto, convertit. Eius existentiam statuimus disp. præced. sect. 1. & 2. Nunc eius natura, seu quidditas physica consideranda venit.

Suprà
disp. 13.

SECTIO I.

An Gratia iustificans sit habitus, vel actus.

NON disputo: an, præter habitum aliquem, qui est Gratia iustificans, detur aliqua alia forma iustificans, quæ sit actus: de hoc enim agitur disp. seq. Sed, an Gratia, qua de facto iustificamur, sit qualitas permanentis per modum habitus physici: sive detur præterea, sive non detur actus aliquis v.g. contritionis, aut charitatis, qui formaliter iustificet.

Infra
disp. 15.

Bellar.
Valent.
Suárez.
Ripalda
Amic.
Martin.
Perez.
Curiel.
Sotus.
Salas.
Bañez.

Trident.

Mogun.

Cathec.

3 Post Tridentinum est ita certa pars affirmans omninò tenenda, vt oppositam id negantem censeant hæreticam Bellarm. Valentia, Suarez, Ripalda, eos citans tom. 2. disp. vlt. sect. 2. Amicus disp. 29. Martinon disp. 39. & Ant. Perez disp. 6. cap. 4. & saltem temerariam, & errori proximam Curiel, Sotus, Salas, Bañez, & alij apud Amicum.

4 Argumentum est ex sess. 6. cap. 2. vbi statuitur: *Iustificationem fieri per voluntariam susceptionem gratia, & donorum.* Et inferius: *Iustitiam in nobis recipientes à Deo.* Quæ locutiones satis exprimunt iustificationem fieri per susceptionem, & receptionem formæ physicae in homine manentis per modum habitus. Vndè Moguntinum cap. 7. ait: *His que Dei donis in ipso permanentibus iam non solum reputatur; sed verè existit iustus.* Et in Cathecismo Romano ad mentem Trident. Tract. de Baptismo, vocatur Gratia: *Divina qualitas in anima inhaerens, quæ velut lux*

quædam animas pulchriores reddit. Præluxit omnibus Paulus; hanc habitualem Gratia inhaerentiam significans Roman. 5: nomine diffusionis à Deo in animam: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.* Quæ omnia confirmari, & adtrui possunt per alia, quæ diximus disp. 13. à num. 31.

Rom. 5;

Suprà
disp. 13.
sect. 23.

5 Nihilominus tamèn sunt qui velint, vt ibi vidimus, quòd, quamvis post Tridentinum sit de Fide, tam adultos, quàm parvulos iustificari per formam creatam intrinsecam; nondum tamen esse de Fide omnes hos iustificari per formam intrinsecam, quæ sit habitus physicus, physice permanentis in iustificato. Quia, inquit, adultus qui iustificatur extra Sacramentum per actum charitatis, aut contritionis peccatæ, qui actus; iuxta multos, sunt formæ iustificantes; iam eo ipso iustificatur per formam intrinsecam: quod erat è re Tridentini, desinientis adversus Hæreticos, non fieri iustificationem abique forma intrinseca per solam extrinsecam imputationem iustitiæ Christi, vel Dei. Quòd autem vltra illum actum intrinsecè iustificantem adultum in eo casu, & postea moraliter habitualiter permanentem, infundatur tali adulto habitus iustificans physice permanentis, quamvis verum, & indubitatum sit; non videtur desiniri à Tridentino; cum de hoc non esset sermo contra Hæreticos, quos anathematizabat. Vndè dicunt prædicti Doctores, adhuc post Tridentinum non esse

Pp

cer

certum de Fide, quod in eo casu eiusmodi adueto infunditur gratia iustificationis, quæ sit habitus physicè permanentis: quamvis sit verissimum, & indubitabile.

6 His tamen minimè obstantibus, persisto cum Suarez, Antonio Perez, & alijs doctissimis ibi citatis, in eo quod ibi dixi, id etiam esse de Fide credendum post Tridentinum. Tum quia Concilium *sess. 6. cap. 7.* generaliter definit, iustificationem impij fieri per infusionem Gratia inherentis: quæ phrasi significat Gratiam per modum habitus physicè: sine sufficienti autem fundamento exciperetur ab hac regula generali iustificatio adulti perfectè contriti extra Sacramentum. Tum quia idem Concilium *sess. 6. cap. 7. & Can. 29.* satis declarat, peccatorem per Sacramentum Pœnitentiæ, & per contritionem perfectam taliter iustificari, vt recuperet iustitiam quam acquisierat per Baptismum, quamque amiserat per peccatum. Cum ergo de Fide sit, iustitiam illam Baptismalem esse habitum physicè inherentem, & permanentem; de Fide quoque manet ex Tridentino, talem esse quoque in omni iustificatione, adulti etiam extra Sacramentum in re dispositi per contritionem perfectam; siue ista sit alioquin forma iustificans; siue non. Relege dicta *disp. 13. à num. 31.*

Suprà
disp. 13.
sect. 2.

7 Nec verum est quod ex opposito dicitur, hoc esse extra rem Concilij contra Hæreticos. Valdè nanque pertinebat ad intentum Concilij, stabilire generaliter, iustificationem fieri per formam physicè inherentem, ac permanentem in iustificato per modum habitus physicè, donec denuò peccet: id satis persuadentibus Scripturis, vt vidimus *disp. 13. num. 30.* vt seie fortius Hæreticorum machinationibus opponeret. Maneat ergo, certum esse de Fide post Trident. Gratiam iustificantem esse in omni iustificato habitum physicè permanentem.

SECTIO II.

An Gratia iustificans sit vnicus habitus physicus; an multiplex, coalescens ex habitibus variarum Virtutum.

8 **E**XISTIMARVNT aliqui, Gratiam habitualem iustificantem non

esse vnicum habitum; sed multiplicem: complexum scilicet ex omnibus habitibus Virtutum infusarum, tam moralium, quam Theologicalium. Nituntur auctoritate S. Thom. 1. 2. *quest. 113.* & in eo quod Gratia, seu iustitia habitualis dicitur, & est vniversalis rectitudo: vniversalis enim rectitudo omnes virtutes ex æquo complectitur. Reijcitur tamen communiter hæc existimatio à fortiori per eam quæ contra similes aliorum opiniones adducemus in sequentibus.

S. Thom.

9 Ad illius fundamentum notat optimè Suarez *lib. 7. cap. 9.* Iustificationem, Iustitiam, seu Gratiam iustificantem summi posse, vel essentialiter pro ea tantam perfectione, quæ per se sufficeret ad delendum peccatum, & faciendum iustum: vel etiam integraliter pro cunctis quoque perfectionibus, & proprietatibus, quæ perfectionem illam essentialem comitantur. In hoc posteriori sensu verum est, & extra dubium, quod iustificatio, seu Gratia iustificans dicit formalem rectitudinem vniversalem, & complexum cunctarum virtutum. At quæstio procedit in priori sensu: in eo autem Gratia essentialiter iustificans non est per se formalis, sed eminens, seu radicalis rectitudo vniversalis, quatenus fundat, & secum importat ad sui integritatem habitus omnes virtutum, vt exponemus *disp. 19. sect. 1.* atque adeò non est complexum ex habitibus omnium virtutum. Sic etiam S. Thom. *quest. 110. art. 3. & 4.* sicque ex ipsius doctrina interpretandus est in alio loco nobis obiecto.

Suarez

Infrà
disp. 19.
S. Thom.

10 Contrastius opinatur Vega *lib. 7. in Trident. cap. 3.* Gratiam habitualem nihil esse aliud, quam complexum ex tribus habitibus virtutum Theologicalium, Fidei, Spei, & Charitatis. Clariùs id noviter asseruit P. Petrus de Oxea in Manuscriptis prælo paratis *disp. 11. sect. 5.* Quia Vega ita præfert habitum Charitatis habitibus Fidei, & Spei in munere iustificandi, vt tandem asserere videatur, Charitatem potius, quam Fidem, & Spem esse Gratiam habitualem: quod est accedere ad sententiam Scotistarum expendendam *sect. 3.* At P. Oxea ex æquo tribuit tribus illis habitibus, simul, & complexè sumptis, effectum formalem, & rationem essentialem Gratiae habitua-
lis iustificantis: taliter, vt nullus eorum sine alio, & præ alio, sed essentialiter

Vega.

Oxea.

complexum ex illis tribus, sit Gratia iustificans; & nihil aliud.

Trident.

11 Fundamentum præcipuum sumitur ex Trident. *sess. 6. cap. 7.* ait enim, iustificationem non esse solum remissionem peccatorum; sed & sanctificationem, & renovationem interioris hominis per voluntariam susceptionem Gratia, & donorum. Nomine autem, Gratia, intelligi tres virtutes Theologicas; & nomine donorum, virtutes morales, coniectatur P. Oxea ex eo quod Concilium, postquam ibidem exposuit vnicam formalem causam prædictæ sanctificationis, & renovationis esse, non iustitiam, qua Deus iustus est; sed qua intrinsicè nobis inhærente nos iustos facit; subdit, hominem iustificari, dum merito Passionis Christi Charitas Dei affunditur in cordibus: Et mox ibi: *Vnde in ipsa iustificatione cum remissione peccatorum hæc omnia simul infusa accipit homo, Fidem, Spem, & Charitatem: nam Fides, nisi ad eam Spes accedat, & Charitas, neque vni perfectè cum Christo, neque corporis eius virum membrum efficit.* Porrò vox illa, vnde, quæ illativa est, & indicat rationem, cur iustificato non infundatur sola Charitas, sed etiam Fides, & Spes, reddit hunc sensum: homini, vt iustificetur infundi habitum Charitatis: quia tamen solus non constituit hominem adæquatè rectum erga Deum, quem immediatè quoque respiciunt aliæ duæ virtutes; ideo tres illæ infundantur, vt homo formaliter iustificetur, scilicet per ipsas coniunctim. Quod facit illa ratio, ob quam ait Concilium, solam Fidem non iustificare: quia nempe non vnit perfectè. Quæ ratio idem probat de sola Charitate: quasi perfecta, & adæquata vnio cum Christo stet in tribus illis virtutibus, tam ex parte intellectus, quàm voluntatis, vnientibus hominem perfectè, & adæquatè cum Deo. Confirmatur ex *cap. 10.* vbi dicitur, iustitiam semel acceptam augeri per bona opera: & hoc Gratia augmentum ab Ecclesia peti, cum Deum orat, vt det nobis Fidei, Spei, & Charitatis augmentum. Tres igitur istæ Virtutes indivisim sunt Gratia habitua-
lis iustificans.

Oratio
Eccles.

12 Fundamentum rationis est. Quia illa qualitas supernaturalis est essentialiùs Gratia iustificans, à qua oriuntur virtutes. A collectione autem istarum virtutum, quæ immediatè disponunt ho-

minem erga Deum, oriuntur virtutes morales; & collectio illarum non oritur ab anteriori radice animæ infusæ; cum Fides, & Spes reperiantur sapiùs in peccatore absque radice intrinsicè, à qua oriuntur. Ergo Gratia iustificans nihil est aliud, quam complexum ex istis tribus, vnde aliæ proficiuntur, quasi proprietates, integrantes rectitudinem vniversalem.

13 Hunc tamen modum opinandi refutavit iam, & meritò, P. Suarez *lib. 7. cap. 9.* ex duplici absurdo. Primò: quia sequeretur, quod in peccatore, in quo manent Fides, & Spes, maneret quidem pars magna Gratiae habitualis: quod non auderem dicere, quamvis essentia totalis Gratia dicatur non stare, nisi in complexo ex illis, & ex Charitate. Secundò: quia sequeretur Gratiam habitualem, qua nos Sancti sumus, non esse eiusdem rationis specificæ cum Gratia habituali Christi Capitis nostri, nec Beatorum: siquidem Gratia habitualis Christi, & Beatorum non coalescit ex habitu Fidei, quo Christus, & Beati carent. Addo tertium, quod homo cum habitibus Fidei, Charitatis, & aliarum virtutum, & cuiusvis alterius doni supernaturalis, præter habitum Spei ab illis saltem divinitus separabilem, non haberet Gratiam habitua-
lem; nec esset essentialiter iustus: quod mihi incredibilissimum est. Faciunt tandem contra sententiam istam ea, quæ inferiùs adducemus pro adæquata distinctione habitus Gratia iustificantis ab habitu Charitatis.

Suarez

14 Nec fundamenta contraria satis sunt firma cõtra pondus sententiæ communissimæ. In primis enim ex Trident. nihil pro hac opinione convincitur. Loquitur enim de iustificatione, & renovatione, non solum quoad essentialia, sed quoad totam eius integritatem, vt re ipsa fit; per susceptionem nimirum Gratia, & donorum. Vbi clarè contradistinguit Gratiam, scilicet habitualem; & dona, scilicet habitus virtutum. Dicere autem, quod nomine Gratia intelligit Concilium tres virtutes; & reliquas nomine donorum; nimis voluntarium est; cum sit satis multo cum cõmuni Theologorum sensu, intelligere nomine Gratia specialem, vt sonat, ac simplicem habitum Gratia, qui est forma essentialiter sanctificans; & nomine donorum,

Pp 2

habi-

habitus virtutum, tam Theologicarum, quam moralium. Quod autem Concilium ibi exprimat specialius tres virtutes Theologicae, id facit, quia praecipuae sunt; non quia in istis tribus donis praesertim stet ratio essentialis Gratiae iustificantis. Nec vim auget quod ait Concilium, Ecclesiam petere augmentum Gratiae, cum petit Fidei, Spei, & Charitatis augmentum. Non enim id dicit, quia formaliter iustitia, quae est Gratia iustificans, sint ipsaemet Fides, Spes, & Charitas; sed quia, dum augentur habitus istarum, augetur similiter habitus Gratiae. Deinde fundamentum rationis debilissimum est. Fatemur, à Gratia oriri virtutes. At ex hoc ipso redarguimus Gratiam esse habitum simplicem diversum à peculiaribus habitibus virtutum, etiam Theologicis: omnes enim virtutes ab illa, ut à radice, tanquam proprietates emanant. Nec contra hoc est quod Spes, & Fides maneat in peccatore sine Gratia, ut exponemus *disp. 17. sect. 2.* Unde negantur consequentiae.

15 Lorca *disp. 16.* magis adhuc contrahit habitualis Gratiae compositionem, dicens, esse complexum ex duobus habitibus indivisim; ex habitu scilicet virtutis Charitatis, & ex alio, quem vocat habitum Gratiae, distincto ab habitibus virtutum. Cui sententiae non adnumero P. Vasquez. Hic enim, quamvis admittat duos illos habitus, utrilibet illorum seorsim tribuit rationem essentialem formae iustificantis; Lorca verò non nisi utriusque coniunctim, seu complexo ex utroque.

16 Movetur ex Trident. asserente, iustificationem fieri per susceptionem Gratiae, & donorum. Unde iustificatio aliud donum importat, praeter Gratiam: non Fidem, & Spem: quia haec reperiuntur in peccatore: ergo Charitatem. Confirmat ex Can. II. ubi anathematizatur qui dixerit, hominem iustificari, exclusa Gratia, & Charitate. Unde nullus habitus, exclusa Charitate, sufficeret ad iustificandum: Sed sufficit Gratia habitualis: ergo, quia haec, praeter specialem suum habitum, complectitur indivisim habitum Charitatis.

17 Respondetur tamen facile, iustificationem secundum essentialia, & integralia sumptam, importare Gratiam, & dona; id est, virtutes, & ut diximus,

Fidem etiam, ac Spem. Quod enim maneat in peccatore, non tollit, quominus importatae sint cum Gratia in iustificatione. Ad confirmationem, merito quidem anathematizatur qui diceret, iustificationem fieri, exclusa Gratia, & Charitate: quia de Fide est, nunquam fieri sine utriusque infusione, quomodo cumque distinguantur, aut indistinguantur Gratia, & Charitas. Cum quo bene stat, quod dicimus, ea quidem distingui, & ex illis, solum habitum Gratiae esse formam essentialem iustificantem: & quod per se iustificaret, si vellet Deus in alia lege illum sine ulteriori habitu Charitatis infundere.

18 Doctrina ergo communis Theologorum cum S. Thom. Scoto, & Suarez, & à nobis tenenda est, Gratiam habituales iustificantem non esse habitum complexum ex multis habitibus; sed esse unicum habitum simplicem. Non, inquam, simplicem qualitatem expertem graduum suae intensiois; sed habitum incompositum ex varijs habitibus. Ratio sufficiens sit responsio ad argumenta opinionum supra relatarum. Et constabit à fortiori ex congruentijs, quibus ducemur ad asserendum, Gratiam esse habitum diversum non solum ab alijs virtutibus, sed ab habitu etiam virtutis Charitatis.

19 Vide ex ijs, quam immerito dixerit Oviedus, quaestionem hanc parum habere de re, & multum de nomine. Profecto res est apprime gravis, & non nomen: an praeter habitus infusos virtutum, detur alius habitus, qui sit essentialiter forma iustificans? Res est, & non nomen: an forma essentialiter iustificans, si non est ille specialis habitus seorsim à virtutibus, sit habitus ipse virtutis Charitatis? An complexum ex multis habitibus virtutum? Si haec sunt de nomine, quid erit quaestio de re?

SECTIO III.

An Gratia habitualis iustificans sit ipsemet habitus singularis Virtutis Charitatis.

20 STATUTVM manet, Gratiam habituales iustificantem esse unicum, ac simplicem habitum supernaturalem, qui praeter remissionem peccatorum facit nos Dei amicos, Filios adoptivos,

tivos, & Divinae Naturae participes. Superest videre, quatenus iste habitus sit. In quo explodendus est primò Lutherus, cuius fuit error dicentium, Gratiam iustificantem esse unice Fidem: quod de Fide actuali potius intelligunt. Sed certe de utralibet Fide id falsum, & haereticum est, damnatum in Trident. impugnatum strenue his temporibus ab Scriptoribus Polemicis, praesertim à Cardin. Bellarmino *lib. 1. de Iustif. à cap. 13.* Unde catholicè credimus, in homine peccatore, in quo non manet Gratia, manere Fidem; atque adè, iustificantem Gratiam non esse unice Fidem, sive habituales, sive actuales, sive utramque. Propter eandem rationem, non est Spes: cum haec maneat etiam simul cum Fide saepius in peccatore sine Gratia.

21 Dissidium inter Catholicos est de Charitate. In quo celebris est sententia Subtilium Scotistarum, asserentium, Gratiam habituales iustificantem nihil esse aliud, quam habitum ipsum supernaturalem per se infusum Virtutis Theologicae Charitatis: qui, ut reddit nos potentes diligere Deum, est virtus: & ut reddit nos Deo diligibiles, est Gratia iustificans. Sic etiam Doctissimi Nominales. Henricus, & Durandus: & ex nostris Bellarm. Lessius, Coninc, Meratius, Bernal, Arriaga, & novius Esparza *q. 4. de Iustif.* Consenti magna ex parte P. Vasquez, quatenus asserit, esse quidem habitum virtutis Charitatis, per se etiam, ac seorsim à quolibet alio habitu, Gratiam iustificantem: quamvis non neget, praeter habitum Charitatis, dari quoque alium habitum Gratiae, qui per se etiam est Gratia formaliter iustificans.

22 Fundamentum primum est ex Scripturis: quae quidem munera ipsissima Gratiae iustificantis videntur tribuere Charitati. Nam *1. Ioan. 3.* tribuitur dilectioni, esse vitam spiritualem animae: ibi: *Translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus Fratres.* Ecce mansionem animae in Deo: & è contra: *ibidem: Qui manet in charitate in Deo manet, & Deus in eo.* Et *cap. 4.* esse spiritualem ex Deo nativitatem: ibi: *Omnis qui diligit, ex Deo natus est.* Et *Ioan. 14.* reddere nos amabiles Deo: ibi: *Si quis diligit me, diligetur à Patre meo.* Et *1. Corint. 13.* esse radicem aliarum virtutum: ibi: *Charitas patiens est, benigna est, &c.* Et *1. Ioan. 3.* constituere

nos Filios Dei: ibi: *Videte, qualem charitatem dedit nobis Pater, ut Filij Dei nominemur, & simus.* Et *1. Petri 4.* abolere peccata: ibi: *Charitas operit multitudinem peccatorum.* Haec, & similia munera Gratiae, attributa legimus Charitati. Non est ergo, cur eas distinguamus.

23 Hoc fundamentum firmum esset, nisi similes locutiones reperirentur de Fide: quam tamen non esse Gratiam iustificantem, de fide est: quidquid illis ad hunc suum errorem suadendum abutuntur Haeretici apud Bellarminum cit. De Fide namque dicitur Abachuc *2. Iustus meus ex Fide vivit.* Ecce, inquit vitam spiritualem, *1. Ioan. 4.* *Quisquis confessus fuerit, quoniam Iesus est Filius Dei, Deus in eo manet, & ipse in Deo: ecce mansionem.* Et *cap. 5.* *Omnis qui credit, quoniam Deus est Christus, ex Deo natus est: ecce nativitatem ex Deo.* *Hebr. 11.* *Est autem Fides sperandarum substantia rerum: Ecce radicationem virtutum.* *Ioan. 1.* *Dedit eis potestatem Filios Dei fieri, his qui credunt, &c.* Ecce constitutionem Filiorum Dei. *Iacobi 2.* *Credidit Abraham Deo, & amicus Dei appellatus est.* Ecce amicitiam, & diligibilitatem. *Act. 10.* *Remissionem peccatorum accipere omnes qui credunt in eum.* Ecce abolitionem peccati. Et *cap. 13.* *In hoc omnis, qui credit, iustificatur.* Ecce iustificationem ex Fide. Haec, inquam, & alias locutiones, quibus pro Fide abutuntur Haeretici, explicamus Catholici in sensu sano, ut legere est apud Bellarm. citatum, quin proinde Fides sit Gratia habitualis, qua formaliter iustificamur. Ergo ex similibus locutionibus non fit satis firmum argumentum pro Charitate, ut habitus Virtutis Charitatis sit Gratia ipsa habitualis formaliter iustificans.

24 Potest itaque multipliciter responderi. Primò, multa ex eiusmodi testimonijs loqui potius de actu, quam de habitu charitatis. Quomodo autem intelligi debeant de actu, quin actus Charitatis sit Gratia formaliter iustificans, sed solum dispositivè, videbimus *disp. seq.* Secundò, aliqua loqui clarè de Charitate divina, seu dilectione, qua Deus diligit nos: à qua provenit, non quidem formaliter, sed causaliter, quod Filij Dei nominemur, & simus; per Gratiam scilicet, seu iustitiam habituales: non qua Deus iustus est; sed qua nos iustos facit, ut loquitur Trident. *sess. 6. cap. 6.* Tertiò, & est notatu

1. Ioan. 3

1. Petr. 4

Habac. 2

1. Ioan. 4

et 5.

Hebr. 11

Ioan. 1.

Iacob. 2.

Act. 10.

et 13.

Infrà

disp. 15.

Trident.

tatu

Infrà
disp. 7.
Lorca.

Vasq.

Trident.

S. Thom.

Scotus.

Suarez.

Ovied.

ratu dignum, quod Charis græcè, est latinè Gratia. Sicque, in quocumque consistat Gratia habitualis, sive distinctim, sive indistinctim ab habitu virtutis Charitatis, seu dilectionis Dei, vocari potest aptè Charitas. Quo sensu intelligenda planè veniunt alia testimonia, si quæ sunt, ut credo, quæ nomine Charitatis loquantur de Gratia formaliter iustificante. Atque adeò prodesse non possunt ad evincendum, Gratiam formaliter iustificantem esse specialem habitum virtutis Theologicæ Charitatis, seu dilectionis Dei.

25 Fundamentum secundum sumitur specialius ex 1. Cor. 13. vbi Charitatem insigniter extollit Apostolus. Ait enim, hominem sine illa esse, *velut æsonans, aut cymbalum riniens*: Charitatem omnia posse: esse vinculum perfectionis: & enumeratis alijs donis, quæ sunt ordinis divini, concludit: *Maior autem horum est Charitas*. Vndè August. 15. de Trinit. cap. 12. ait: *Nullum est isto Dei dono excellentius*. Et lib. de Nat. & Grat. cap. 42. *Charitas est verissima, plenissima, perfectissimaque iustitia*: Et cap. 70. *Charitas inchoata, inchoata iustitia est; Charitas provec̄ta, provec̄ta iustitia est; Charitas magna, magna iustitia est; Charitas perfecta, perfecta iustitia est*. Et super Psalm. 113. *Nihil eminentius in Scriptura sancta inveniri potest, quam Charitas*. Porrò, si Gratia distingueretur à Charitate, aliquid esset Charitate eminentius. Similia congerunt in id eruditissimè Ripalda disp. 99. & Anton. Perez disp. vlt. de Charit. & disp. 6. de Iustif. quamvis pro actu potius, quam pro habitu Charitatis agant: de quo nos disp. seq.

26 Magni quidem momenti sunt hæc. Sed nondum convincunt contra communiosem sensum Theologorum cum S. Thom. In primis enim consentimus in eo, quod ibi Paulus loquatur de virtute, seu de actu Charitatis: quin tamen eam cum Gratia habituali iustificante identificet. Quippè præcisim ab hac identitate potuit illam antepone re alijs virtutibus: quod videtur fuisse ipsius intentum: nam tribus virtutibus Theologicis, Fide, Spe, & Charitate enumeratis, ait: *Maiorum autem horum est Charitas*: cum quo stat, quod Gratia habitualis sit donum superius. Quod autè ait, Charitatem omnia posse, esse vinculum perfectionis, & hominem sine illa

esse, velut *æsonans*; non idèò dicitur, quia præcisè virtus Charitatis per se fit, aut præstet illa omnia; sed quia est individua comes Gratia, & aliarum virtutum, id simul cum habitu Charitatis, & Gratia per se importantium: & quia sine illa, nec Gratiam, nec alias virtutes morales infusas habet homo, propterea *velut æsonans, cymbalum riniens, & quasi nihil*.

27 Ad Augustinum, nemo in primis crediderit, voluisse per illas generalitates præferre Charitatem nostram Visioni Beatorum, aut Unioni Hypostaticæ. Loquitur enim respectivè ad communia Iustorum dona. Et fortè nomine Charitatis non semper intelligit specialem virtutem, seu habitum Charitatis, quæ Deum nobis charum diligimus; sed Gratiam habitualem, quæ Deo amici, chari, & diligibiles efficiuntur, ut notavimus num. 24. Quando verò loquitur de Charitate nostra, rectè per illam mensurat iustitiam nostram: non quia Charitas ipsa formaliter iustitia fit; sed quia Gratia, qua formaliter iustificamur, infunditur, & augetur ad mensuram Charitatis. Frequentius autem loquitur in similibus Augustinus de actu, quam de habitu Charitatis. De actu autem possent ea intelligi dispositivè ad Gratiam; non formaliter, ut exponemus operosius disp. seq.

28 Fundamentum tertium est ex Tridentino sess. 6. cap. 7. vbi ex Apostolo docet, iustificationem fieri, *dum per Spiritum Sanctum Charitas Dei diffunditur in cordibus*: & subdit; in ipsa iustificatione *cum remissione peccatorum hæc infundit, Fidem, Spem, & Charitatem*. Nullum aliium habitum memorat Concilium supra Charitatem, qui formaliter iustificet: ergo quia habitus ipse Charitatis formaliter iustificat, & est ipsa Gratia habitualis. Fundamentum istud si convinceret contra communem sententiam pro Charitate, convinceret potius contra ferè omnes pro complexo Fidei, Spei, & Charitatis, iuxta sententiam ab omnibus ferè relectam, quam meminimus sess. 2.

29 Respondetur, verissimè dici à Concilio, iustificationem fieri, *dum Charitas diffunditur*: non quia virtus Charitatis formaliter iustificet; sed quia, dum illa diffunditur, diffunditur simul Gratia formaliter iustificans. Quinimò indicari videtur ibi à Concilio, & à Paulo distinctio

ctio Charitatis, quæ suo nomine ibi significatur, à Gratia, quæ fortè significatur nomine Spiritus Sancti: quasi, præinfusà per Spiritum Sanctum Gratia, ut radice virtutum, diffundatur uti proprietates virtutis Charitatis. Nisi malueris, Concilium ibi, sequens phrasim Apostoli superius notatam, vrsupasse Charitatem non pro virtute Charitatis; sed pro habitu Gratia, nos Deo charos facientis. Postmodum verò, cum subdit, infundi Fidem, Spem, & Charitatem; intelligit habitus virtutum: non proinde negans, imò supponens infusionem præcipui doni, quod est Gratia habitualis: quam utriusque seorsum videtur etiam significare per remissionem peccatorum; dicens, *cum remissione peccatorum hæc infundit, &c.* In verbis, quæ subiunguntur, videtur aliquibus, Concilium, ut per actus daret rationem de habitibus, loquentum potius esse de actibus Fidei, Spei, & Charitatis, quibus affectivè unitur anima cum Deo, & disponitur ad Gratiam: idèòque dicantur vitare hominem cum Deo; & facere membrum vivum Christi, scilicet affectivè, & dispositivè, non formaliter.

30 Fundamentum quartum est à congruentia rationis. Nec enim requiritur habitualis Gratia iustificans distincta ab habitu virtutis Charitatis, titulo operationis; cum ad id satis eleveur anima per habitus virtutum, ut patet in homine peccatore per habitus Fidei, & Spei. Nec requiritur titulo alienius effectus formalis: cum effectus, qui Gratia tribui solent, præstentur à Charitate, ut reddere Sanctum, Dei amicum, Deo charum, ac diligibilem. Saltem repugnans non est habitus Charitatis, cui possint ea competere: cur ergo talis non dicatur habitus Charitatis, qui de facto datur? sicq; superfluous, & otiosus erit alius habitus Gratia à Charitate distinctus: frustra namque sunt per plura, quæ possunt fieri per pauciora.

31 Confirmant à paritate ex naturalibus. Nam in sententia iam communi, nobisq; vera, potentia voluntatis non distinguitur à substantia animæ: ergo neque in supernaturalibus habitus infusus Charitatis, qui est ad instar potentia, & pertinet ad voluntatem, diversificandus est à Gratia habituali, quæ in ordine supernaturali est ad instar animæ.

32 Confirmant rursus ab absurdo.

Si enim Gratia habitualis, & habitus virtutis Charitatis realiter distinguerentur, possent saltem divinitus realiter separari. Pone ergo hominem cum habitu Charitatis sine gratia: esset quidem Dei amicus, Deoque dilectus, iuxta illud: *Ego diligentes me diligo*; simulq; non esset: quia careret Gratia, & amicitia Dei. Aut è contra, pone hominem cum Gratia, & sine Charitate: sic, si moreretur, iret in gloriam, quia Gratia est semen gloria, & ius ad gloriam: & non iret, dicente Apostolo: *si Charitatem non habueris, nihil mihi prodest*: licet ad salutem æternam: Vtrinque igitur repugnat, eos habitus ad invicem separari: Non est ergo cur debeant distingui.

33 Respondetur, fortè non esse omnino verum in antecedente, quod titulo operationis non requiratur Gratia ab speciali habitu Charitatis distincta. Præterquam enim quod ad omnes actus virtutum cooperatur effectivè Gratia habitualis præsens, ut principium universalis; sunt aliqui actus, qui ad nullam virtutem specialiter pertinent, & illos efficit Gratia, ut dicemus disp. 18. sect. 1. Cæterum, hac priori parte antecedentis permissa, negatur absolute posterior. Nam effectus illi formales faciendi hominem iustum, sanctum, Dei amicum, Deoque charum, & amicabiliter diligibilem, non competunt habitui virtutis Charitatis, ut probabitur *sect. seq.* Nec prodest quod ait Arriaga, non repugnare habitum Charitatis, cui tales effectus competere. Fateor: at nec repugnant habitus aliarum virtutum, quibus etiam cooperentur: ex quo tamen solum infertur, possibilem esse habitum Charitatis, sicut & alterius virtutis, qui simul esset Gratia; non verò talem esse qui de facto datur: hoc enim gratis diceretur. Rationes, cur talis de facto non sit, dabimus *sect. seq.* Nunc negatur in ultima consequentia, habitum Gratia distinctum à virtute Charitatis poni otiosè, ac superflue; cum multa præstet, & maxima, quæ per se non præstat habitus præsens virtutis Charitatis ex conceptu suo. Axioma vulgare: *frustra sunt per plura, &c.* intelligendum est, si æquè commode, ac congruè fierent per pauciora. At non nisi incongruè, & minus connaturaliter fierent per habitum Charitatis, qui simul esset Gratia habitualis, ea quæ per duos

Prov. 8.

1. Cor. 13.

Infr. disp. 18.

Arriaga

illos

istos habitus de facto fiunt. Quòd si indifcretè usurpatur prædictum axioma, & de possibili ad actum fiunt argumenta, facile cuique foret Philosophiam, & Theologiam invertere, & prævertere: quod videre debuit P. Arriaga.

34 Ad confirmationem, resistit argumentum conatum ipsa paritas ex naturalibus. Nam in naturalibus substantia animæ æquè cum potentia intellectus, ac cum potentia voluntatis identificatur. Undè potius inferretur contra hos ipsos Authores, Gratiam identificandam esse ex æquo cum habitibus Fidei, Spei, & Charitatis, quam cum solo habitu Charitatis. Nulla ergo est consequentia paritatis in multis defectuosa: quam potius pro nostra sententia expendemus *sect. seq.*

35 Ad secundam, admissio antecedente; negatur in primis, quòd in priori casu foret homo ille amicus Dei: hic enim est effectus formalis Gratia sanctificantis: nec per se competit habitui virtutis Charitatis. Deus diligit amicabiliter diligentes se: quia diligentes Deum, præter virtutem Charitatis, habent Gratiam habitualem; quam non haberet homo in eo casu, iuxta aliam legem possibilem. Negatur deinde, quòd in posteriori casu homo ille non iret in gloriam: cuius nempe pignus est Gratia, quamvis ab habitu virtutis Charitatis de possibili seiuncta. Nec contra hoc est quod ait Paulus: *si Charitatem non habuerit*: quippe rectè noverat, non habentem Charitatem, nec Gratiam habituram, nec ex Dei lege, habere posse. Quid precor inde? Duæ vitimæ illationes, nec bonæ, nec veræ sunt.

SECTIO III.

Gratia habitualis formaliter iustificans non est habitus ipse virtutis Charitatis; sed alius habitus universalior diversus.

S. Thom. 36 HÆC est sententia communior cum S. Thom. & Suarez. Sequuntur Delugo *disp. 16. de Fide, num. 42.* Ripalda *disp. vit. sect. 4.* Amicus *disp. 29. sect. 7.* Ovied. *concr. 1. punct. 6.* Granad. *disp. 2. Martinon disp. 40.* Compton. *disp. 125.* Caspensis *disp. 2. sect. 3.* Curiel hic *art. 3.* Martin. *lib. 1. Haunoldus tract. 3. cap. 1. contr. 4.*

& quoad hoc Anton. Perez *disp. 6. cap. 4. num. 8.*

37 Probatur primò Authoritatibus Scripturæ, Conciliorum, & SS. Patrum, loquentium identidem de Charitate, & de Gratia, tanquam de duobus donis distinctis. 1. Cor. 13. *Gratia Domini nostri Jesu Christi, & Charitas Dei sit cum omnibus vobis.* Ephel. 6. *Pax Fratribus, & Charitas: Gratia cum omnibus.* 1. Timoth. 1. *Superabundavit autem Gratia Domini nostri Jesu Christi cum Fide, & dilectione.* Et ad Galat. 5. numeratur Charitas inter fructus Spiritus Sancti, id est, Gratia, qua spiritaliter, & sanctè vivimus, vt colligitur ex contextu: ibi: *si spiritu vivimus, spiritu & ambulemus*: postquam dixerat: *caro concupiscit adversus spiritum.* Itaque post enumeratos fructus carnis, numerantur fructus Spiritus, id est, Gratia: quos inter ponitur Charitas. Charitas igitur non est ipsa Gratia; sed Gratia fructus, & proprietas, sicut aliæ virtutes.

38 Clarius Concilia. Tridentinum cit. docet, iustificationem fieri per *suscceptionem Gratia, & donorum*: moxque declarat hæc dona: *cum remissione peccatorum hæc omnia simul infusa accipit homo, Fidem, Spem, & Charitatem*: contradistinguens utique Gratiam, quam vocat remissionem peccatorum, à donis Fidei, Spei, & Charitatis. Et *Can. 12. statuit, iustificationem non fieri, exclusà Gratia, & Charitate*: discriminat ergo Gratiam à Charitate. Moguntinum *cap. 7. de Iustif.* ait: *Cum venia peccatorum homo etiam Dei Gratiam, & per Spiritum Sanctum una cum Fide simul Charitatem in corde diffusam, & Spem accipit.* Vienenle docet, Parvulis in Baptismo infundi *Gratiam informantem, & virtutum habitus.* Contradistinguunt ergo constanter Gratiam ab habitibus virtutum; & signanter ab habitu virtutis Charitatis.

39 Clarissimè Sancti Patres apud S. Thom. *quest. 110.* & alij videndi apud Ripaldam, & Oviedum. Sit nobis pro cunctis Augustinus *cap. 32. de Spirit. & Lit.* sic scribens: *Charitas Dei diffunditur in cordibus nostris; non qua nos diligit, sed qua nos facit dilectores Dei, sicut Iustitia Dei, quæ eius munere iusti efficiuntur, & Fides, qua Fideles facit.* En quam aperte distinguat Charitatem, sicut & Fidem, à Iustitia, quæ est Gratia iustificans. Et *cap. 30. de Grat. Christ.* ait: *Istam Gratiam, qua iustificamur,*

Compt. Caspensis. Curiel. Haunold. Perez.

1. Cor. 13. Ephel. 6. 1. Timoth. 1. Galat. 5.

Trident.

Mogunt.

Vienenle

S. Thom.

August.

tamur; id est, qua Charitas Dei diffunditur in cordibus nostris: indicans utique, mediâ Gratia infundi nobis, vt ipsius fructum, Charitatem.

Vasq.

40 Idcirco P. Vasquez, non ausus id nobis negare, concedit nobiscum habitum Gratia à virtute Charitatis diversum. Ait tamen, habitum etiam Charitatis formaliter iustificare. Quo putat conciliari testimonia, quæ pro Charitate retulimus *sect. præc.* & quæ in presenti adducimus pro habitu Gratia à virtute Charitatis distincto. Reclamant multi, quasi Vasquez admittens dicto modo duas formas iustificantes adversetur Tridentino *sess. 6. cap. 7.* docenti, quòd *unica formalis causa nostræ iustificationis est iustitia Dei: non qua ipse iustus est; sed qua nos iustos facit.* Sed certè nihil inde concluditur cõtra P. Vasquez. Id enim dixit Concilium contra Buzerum, & alios Hæreticos, qui formam nos iustificantem dicebant esse partim iustitiam Dei nobis extrinsecam, & partim formam nobis intrinsecè infusam. Sicque responsio P. Vasquez, id attribuens adæquatè, & vnicè formæ intrinsecæ, sive vni, sive duplici, sive triplici, non feritur à Concilio, vt meritò censuit Ripalda *num. 52.* Aliter ergo impugnandus est P. Vasquez ex sequentibus.

Trident.

Ripalda

41 Probatur ergo secundò vera sententia adversus responsionem etiam P. Vasquez. Gratia formaliter iustificans est forma faciens intrinsecè Sanctum, Filium Dei, Amicum, & Divinitatis participem. Sed hæc munera per se non præstat habitus virtutis Charitatis: ergo iste non est Gratia habitualis: atque adeò conceptus Gratia sic vnicè competit habitui distincto ab habitu virtutis Charitatis, vt huic formaliter non etiam competat. Minor, in qua res vertitur, probatur. Nec enim id per se præstat habitus virtutis Charitatis ex conceptu suo vt sic; nec ex conceptu speciali talis habitus, qui de facto detur: ergo nullo ex capite.

42 Antecedens istud probatur quoad primum caput. Nam habitus Charitatis, vt præcisè habitus virtutis Charitatis est, solum dicit, esse virtutem elevativam voluntatis ad actus virtutis Charitatis, scilicet ad diligendum Deum propter se; sicut habitus Fidei ad actus Fidei, & habitus Spei ad actus Spei, & alij speciales

habitus ad suos speciales actus: sed hoc ex isto conceptu non est facere sanctum, filium, & amicum Dei: non igitur hæc per se præstat formaliter habitus Charitatis ex conceptu habitus virtutis Charitatis vt sic. Maior probatur. Tum à paritate aliarum virtutum infusarum, quarum sufficiens conceptus essentialis est, permanenter elevare potentiam naturalem ad suos actus respectivè. Tum quia eo præcisè quòd intelligatur, seu ponatur qualitas habitualis elevativa ad eiusmodi actus divinæ dilectionis, intelligitur, seu ponitur habitus virtutis, quæ nequit esse nisi Charitas. Probatur autem minor. Quia non est idem, nec est convertibile, hominem posse amare Regem propter se, & esse dignum qui ametur à Rege amicabiliter, fiatque Filius adoptivus Regis: ergo hominem fieri per habitum Charitatis potètem amare Deum propter se, nec est idem, nec est convertibile cum eo quod est fieri eo ipso dignum qui ametur amicabiliter à Deo, fiatque Filius adoptivus Dei, quod est esse sanctum, & iustum. Quis enim non videat, quantum hæc inter se distent? Ergo eiusmodi munera, seu formales effectus non per se præstat habitus Charitatis ex conceptu generali habitus virtutis Charitatis vt sic.

43 Probatur iam illud antecedens, quoad secundum caput: quòd nempe nec ex conceptu speciali talis habitus Charitatis. Nam specialitas ista inde foret, quia quamvis possibilis sit habitus Charitatis, qui non esset Gratia; & possibilis etiam, qui esset Gratia, ideòque præter conceptum elevandi ad actus divinæ dilectionis, identificans secum illos alios conceptus faciendi iustum, sanctum, amicum, ac Filium Dei; habitus tamè Charitatis, qui de facto infunditur, talis specialiter asserendus est, vt hos etiam conceptus nobiliores secum identificet, vt moliebatur P. Arriaga. Sed hoc gratis dicitur, & sine fundamento pro de facto: ergo nec ex isto secundo capite asserendus est habitus virtutis Charitatis, qui de facto datur, per se præstare eiusmodi munera; atque adeò nec esse Gratiam per se formaliter iustificantem. Præmaximè, cum ad oppositum pro de facto multæ favcant rationum congruentia, quibus duci possimus ad existimandum, habitum Charitatis, qui de facto datur, non

Qq

esse

esse talem, qualem cum illis adscititijs specialitatibus sibi compaginant eius Assertores.

44 Prima congruentia nobis est: quod reliquæ virtutes per se infusæ, quæ de facto dantur, non secum identificant præter conceptum elevandi ad suos speciales actus, illos alios effectus Gratia formaliter iustificantis: quamvis possibiles sint aliqua cum ipsis identificata: cur ergo id dicatur de virtute Charitatis? Nec dicas, quia constat, Fidem, & Spem reperiri in peccatore. At aliæ sunt virtutes morales per se infusæ Gratia comites, quæ non nisi in iustis reperiuntur. Cur ergo de aliqua istarum, aut de complexo potius illarum, & Charitatis, id non dicatur?

45 Secunda. Quia Gratia habitualis in ordine supernaturali est vna ex supernaturalis per participationem, vt explicui *disp. 18. de Attrib. sect. 8.* & quasi natura, quam ad operationes supernaturales virtutum, comitantur, & perficiunt habitus varij virtutum, quasi proprietates: congruum ergo est, vt supereminet ad omnes speciales virtutes, ac proinde ad habitum virtutis Charitatis, sicut & ad alios aliarum virtutum; seque ad omnes; atque adeo ad habitum Charitatis habeat, velut natura ad proprietates: incongruum autem est, quod non ex æquo constituatur ad virtutes omnes speciales. Non autem ex æquo constitueretur, vt omnium radix, si peculiariter esset habitus ipse virtutis Charitatis, & ad actus aliarum virtutum requireret sibi habitus speciales.

46 Tertia. Quia hæc Theologia est conformior ad bonam Philosophiam. Si enim Potentiæ vitales distinguuntur realiter à substantia animæ, vt multi ex Adversarijs volunt cum S. Thom. & Suar. omnes quidem ex æquo distinguuntur, & emanant à substantia animæ. Quis autem dixerit, aut solum intellectum, aut solum voluntatem esse ipsam animæ substantiam? Sed aut omnes distingui, aut omnes indistingui. Eiusmodi autem deformitatem præfert Theologia identificans cum Gratia, quæ est velut anima, habitum virtutis Charitatis, qui pertinet ad voluntatem; & non alios habitus infusos, qui sunt etiã instar potentiarum.

47 Atque hinc arguitur non incongruè. Certum est, habitus aliarum virtu-

tum distingui realiter à Gratia formaliter iustificante: cum certum sit, sine illa reperiri in peccatore habitus saltem Fidei, ac Spei: ergo dicendum est similiter de habitu virtutis Charitatis: cum hoc sit congruentius, & nullatenus convincatur oppositum: vt ex æquo se habeat Gratia habitualis, vt principium, & radix omnium virtutum; & virtutes omnes, vt eius proprietates: aliæ quidem alijs nobiliores; sed omnes infra Gratiam, cui subministrant ad bene supernaturaliter operandum.

48 Alias congruentias, & rationes prætermitto: quia, aut minoris roboris sunt, aut nituntur principijs Thomistarum mihi non veris, vt videre est apud Ovied. *punct. 6.* Istæ nobis sufficiunt ad rationabilius opinandum in questione magna ex parte de facto, pro sententia communiori, tot Authoritatibus fulcitâ.

SECTIO V.

An Gratia habitualis formaliter iustificet ex natura sua physicâ intrinsecâ; an potius ex superveniente novo favore Dei extrinsecâ.

49 **P**RÆNOTANDA sunt duo. Primum, quod, quamvis sæpè pro eodem sumantur, *iustificare, & sanctificare*; strictè tamen sumptum, *iustificare*, contradistinctum à, *sanctificare*, dicit, præcessisse peccatum: sicque in Tridentino iustificatio est, *translatio ab statu peccati, &c.* sicque iustificare non competit Gratia ex natura sua: cum ex natura sua non dicat præcessisse peccatum, vt patet in Christo, in B. Virgine, in Angelis, & in primis hominibus. Secundum, quod iustificatio importat secum varios effectus Gratia, alios essentielles, alios extrinsecos. Non quærimus, an omnes effectus, quos de facto præstat in nobis, præstet Gratia ex natura sua: de ijs enim differemus sigillatim *disp. 19.* Solum hic quærimus: an effectum formalem reddendi iustum, & sanctum hominem præsuppositum cum peccato, competat Gratia habituali ex natura sua physicâ; an potius ex novo favore extrinsecâ Dei.

50 Scotus cum Subtili sua Schola docet, Gratiam intrinsecam non iustificare ex natura sua; sed ex favore, & lege Dei,

Ovied.

Infrâ
disp 19.

Scotus

Dei, volentis ad præsentiam talis qualitatis, iustificare hominem remittendo peccatum: quod remitti est novus favor extrinsecus Dei, distinctus à beneficio infundendi eiusmodi qualitatem: quam aiunt compleri in ratione Gratia iustificantis per supervenientem illum favorem extrinsecum. Sic etiam Nominales;

Nomin. Medina, Victoria, Canus, Paludanus, & alij apud Suarez lib. 7. cap. 12.

Canus. 51 P. Ripalda tom. 2. disp. ult. à sect. 14.

Palud. aliter se explicat, docens Gratiam iustificare, non ex natura sua physicâ, sicut vna qualitas expellit contrariam, vt frigus calorem; sed ex natura sua morali: id est, fundante indecentiam coniungendi deformitatem peccati cum pulchritudine Gratia; sicut mores scurriles cum dignitate Regiâ, vel Pôrtificiâ. Quia tamen absolute posset hæc coniunctio fieri, ideò, præter infusionem Gratia, requirit etiam hæc sententia novum favorem Dei extrinsecum, vt remittatur peccatum, & iustificetur homo. Sic etiam

Ripalda

Lessius, Puteanus, Salas, & Coninc apud ipsium Ripaldam, iure merito consentientem num. 187. hanc suam sententiam accedere ad Scotisticam: vt non immerito Amicus, & Arriaga absolute citent pro Scoto P. Coninc, qui pro se citatur à Ripalda.

52 Communior, & vera Theologia tenet oppositum, scilicet, Gratiam habitualement ex natura sua physica iustificare: ita nimirum, vt ipsi debeatur remissio peccati præexistentis, non minus saltem, quam infusioni caloris expulsio frigoris: & apud aliquos multò strictius propter metaphysicam oppositionem Gratia cum peccato: de quo ulterius *disp. 16.* Sic S. Thom. Bellarm. Suar. Vasquez, Valentia, & Oviedus, eos citans *controv. 4. punct. 1.* Arriaga *disp. 45. sect. 2.* Merat. *disp. 9.* Amic. *disp. 31. & 32.* Esparz. *quest. 9.* Ant. Perez *disp. 5.* Requesen. *disp. 36.* Rhodes *quest. 1. sect. 3. §. 1.* & Haunol. *controv. 6.* Hæc sententia magis consentanea est doctrinis Tridentini, dignius loquitur de excellentia Gratia; & à fortiori roborabitur ex dicendis *disp. 16.* de essentiali oppositione Gratia cum peccato.

53 Nunc eam sic probo. Non repugnat qualitas supernaturalis ex natura sua iustificans, vt potè ex intrinsecis suis exclusiva peccati: ergo talis asserenda est

Gratia habitualis, quæ de facto datur. Antecedens probatur: quia non repugnat forma creata ex natura sua physica beatificans; vt conceditur Visioni Dei: nec alia ex natura sua physica coniungens creaturam cum Deo in vnum suppositum, vt conceditur Unioni Hypostaticæ: & utriusque incompossibilitas cum peccato: cur ergo repugnet alia forma creata supernaturalis, ex natura sua physica iustificans, & exclusiva peccati? Hæc ergo erit Gratia habitualis. Nec satis video sibi cohærentem P. Ripaldam: quippe cum *disp. 23.* nimis foveat possibilitatem creaturæ rationalis supernaturalis ex natura sua impeccabilis; resistente, vt ipsemet fatetur, autoritate SS. Patrum; nimium se nunc scrupulosiorè ostendit *num. 260.* erga possibilitatem qualitatis supernaturalis ex natura sua incompossibilis cum peccato; quando scrupulum depellere posset tot Theologorum, SS. Patrum, & Conciliorum Authoritas. Ipse viderit. Ego primam nostram consequentiam pro de facto sic probo. Nam, admittâ semel possibilitatem Gratia ex natura sua physica iustificante; cur, precor, talis non asseratur Gratia, qua per Christum summum Reparatorem iustificamur, de qua tot encomia prædicant Scripturæ, Sanctique Patres, vt tanti doni excellentiam nobis commendent?

54 Quinimò, quod caput est, talem esse Gratiam habitualement de facto, sic mihi persuadeo, nostramque sententiam probo ex doctrinis præsertim Concilij Tridentini. Homo iustificatur, & transfertur ab statu peccati ad statum adoptionis Filiorum Dei ex vi Gratia inhærentis: ergo Gratia nobis intrinsecâ, & inhærens, est ex vi, & ex natura sua iustificans, & translative ab statu peccati; atque adeo per se deletiva peccati. Consequentia videtur liquida. Si enim Gratia nobis inhærens non esset ex natura sua iustificans, non diceretur homo iustificari ex vi Gratia inhærentis, vt patet ex terminis. Antecedens autem est ita expressum in Trident. vt à Catholico videatur absolute non posse negari. Dецernit enim *sess. 6. cap. 7.* quod nostræ iustificationis *unica formalis causa est iustitia Dei; non qua ipse iustus est, sed qua nos iustos facit: iustificatio autem ex eodem Trident. cap. 4. est: Translatio ab statu pec-*

Ripalda

Trident.

cati in statum Gratiae, & adoptionis Filiorum Dei. Sed causa formalis habet suum effectum ex vi, & ex natura sua, quatenus informat subiectum capax, ipsique inhæret: ergo ex terminis ipsis Concilij Gratia nobis inhærens habet effectum formalem iustificandi peccatorem ex vi, & ex natura sua, quatenus nobis physice inhæret.

55 Respondent primò Scotistæ, iustificationem, seu translationem illam fieri quidem, ut loquitur Concilium, ex vi Gratiae inhærentis; non tamen nudè sumptæ; sed superveniente voluntate, & favore extrinseco Dei, volentis ad præsentiam Gratiae delere peccatum.

56 Contra tamen primò. Quia Concilium, ut monstrat Bellarminus cap. 1. de Iustif. non solum refutat Hæreticos, qui asseruerant, nos iustificari per iustitiam dumtaxat extrinsecam; verumetiam alios, ut Buzerum, Pighium, & Canonicos Colonien. qui id per extrinsecam simul, & intrinsecam fieri asserbant, quasi Gratia, quam intrinsecè recipimus, non sit perfecta iustitia, qua mundamur, & ad id perficiatur per iustitiam Dei nobis extrinsecam. A qua doctrina non satis videtur discedere prædicta responsio. Quapropter non miror, insinuari à P. Suarez, non posse iam sic sine nota responderi. Profectò, ut rectè ponderat Anr. Perez num. 5. si Concilium definiisset esse in aère qualitatem, quæ sit causa formalis lucidi, certum maneret, eiusmodi qualitatem ex natura sua præstare effectum lucidi, seorsim à novo favore extrinseco: sicut quia nunc id experimur, iudicamus abs dubio talem qualitatem, nempe lucem ex natura sua reddere aërem lucidum. Cum igitur definiat, nobis inesse qualitatem, seu causam formalem intrinsecam, quæ est forma iustificationis, seu iusti, quid ultra opus est, ut definiat, eiusmodi qualitatem, quæ quidem Gratia, & iustitia nobis inhærens est, iustificare ex natura sua?

57 Contra secundò. Ex verbis Tridentini *unica formalis causa* iustificationis est iustitia, quam in nobis intrinsecè recipimus. Non autem intrinsecè recipimus extrinsecum illum favorem Dei: ergo præcisim ab illo inest nobis causa formalis iustificationis assignata à Concilio: de qua mox ait: *Itaque veram, &*

Christiana iustitiam accipientes, eam, censolam candidam, & immaculatam iubemur statim renati. conservare. Et iterum: Verè iusti nominamur, & sumus, iustitiam in nobis recipientes: & mox de illa dicit, diffundi in cordibus eorum, qui iustificantur, & ipsis inherere. Quæ omnia Gratiae intrinsecè appositissimè conveniunt; ne utriusquam verò favori extrinseco, neque complexo ex Gratia, & ex novo illo favore. Ergo quia ex vi, & ex natura Gratiae intrinsecæ iustificamur, tanquam per unicam causam formalem assignatam à Concilio: cui propterea minus conformantur qui duas assignant aliam intrinsecam, aliam extrinsecam.

58 Contra tertio. Iustitia, quæ est *unica formalis causa* iustificationis, vocatur à Concilio cap. 16. *iustitia nostra*, quatenus nobis inhæret, & *iustitia Dei*, quatenus à Deo nobis infunditur. Si autem iustitia formaliter nos iustificans coalesceret ex qualitate Gratiae, & ex favore extrinseco Dei, non solum esset Dei quatenus à Deo infunditur; verumetiam, quatenus in Deo est: esset enim in Deo formaliter favor ille nobis extrinsecus, non minus quam in nobis qualitas Gratiae. Significavit ergo Concilium modo illo suo appositissimo loquendi, formam unicam adæquatam iustificationis nostræ esse nobis inhærentem: de hac enim verificatur totum illud, scilicet esse nostram quia in nobis; & esse Dei, quia à Deo. Undè perperam dixit Ripalda num. 225. & 238. non fore contra Concilium dicere, peccatum remitti prius natura, & pro posteriori infundi Gratiam sine ratione causalitatis Gratiae in remissionem peccati. Quomodo enim sic staret quod ait Concilium, quod *unica formalis causa* iustificationis est iustitia nobis inhærens; *nostra*, quia in nobis est; *Dei*, quia à Deo infunditur?

59 Contra quartò. Gratia habitualis, præter informare animam, aut ex natura sua physica seorsim à novo favore extrinseco, sibi quæ indebitò, habet vim delendi peccata; aut non habet. Si habet; ergo ex natura sua physica formaliter iustificat. Si non habet; ergo ea vis non inest Gratiae, sed complexo ex Gratia & ex favore illo superveniente. Atqui iuxta hanc sententiam, complexum istud non habet eam vim ex parte qualitatis Gratiae, utpotè ex se compatibilis cum peccato

cato etiam naturaliter, secluso illo favore extrinseco: ergo dumtaxat ex parte favoris extrinseci condonativi: qui nempe, seclusa quoque illa qualitate Gratiae, seorsim etiam, aut coniunctim cum alia quacumque qualitate deleret peccatum. Undè multò potius de facto adæquata forma per se deletiva peccati, ac proinde iustificativa peccatoris esset extrinseca Dei condonatio, & iustitia, qua Deus iustus est, quam forma nobis infusa, & inhærens. Quod equidem non video quomodo non inferatur ex ista sententia; aut quomodo stare possit cum doctrinis, & locutionibus Tridentini.

60 Dices, de facto deleri peccata, fierique iustificationem per qualitatem Gratiae intrinsecæ; quia de facto adiunxit illi Deus talem favorem: ad modum quo dicitur peccatum deleri per Baptismum, aut per Absolutionem Sacramentalem; cum tamen id non præstent ablutio, nec absolutio ex natura sua; sed ex novo favore Dei extrinseco, & illis indebitò; illis tamen extrinsecus adiuncto.

61 Cateum in primis paritas ista Baptismi, & Absolutionis nulla prorsus est, & extra rem omnino, nec digna homine in Theologicis versato. Cum enim dicimus, per eiusmodi instrumenta Sacramentalia remitti, & deleri peccata, non dicimus per illa tanquam per causas formales remissionis, vel deletionis animæ inhærentes; sed per illa, tanquam per signa sensibilia practica ad placitum, ad instar causæ efficientis physicae, vel moralis, causativa Gratiae, per quam in genere causæ formalis fit remissio, delitio, & iustificatio: quod sic est ex terminis exploratum, ut auderet nemo dicere nos non aliter iustificari, aut nobis non aliter remitti peccatum per Gratiam, ac per externam ablutionem Baptismi, aut per vocalem absolutionem Confessarij. Quorsum igitur ea signorum Sacramentalium paritas? Nisi fortè velint Respondores, Gratiam habitualement non esse nisi quasi sigillum, aut quasi subscriptionem Principis in signum condonationis: id quod qualitati etiam naturali posset attribui, ut de facto tribuitur ablutioni, & absolutioni externæ naturalissimis. Quanam ergo hæc esset dignitas, & excellentia Gratiae habitualis supernaturalissimæ nobis intrinsecè inhærenter infusa, quæ *unica formalis causa* iustifica-

tionis nostræ definitur à Concilio?

62 Deinde: quia prædicto modo cuicumque etiam habitui virtutis infusa ex illis, qui Gratiam semper comitantur, tribui posset, ac deberet vis formaliter iustificandi: non minus, quam Gratia: cum de facto illis non minus quam Gratia adiunxerit Deus eiusmodi favorem: quod nemo dicet. Similiter, & actui contritionis, & Charitatis; quibus nempe de facto adiunctus est à Deo favor remissionis: quod, dempto Ripalda, negant Adversarij: cum tamen negare nequeant prædictis formis supernaturalibus coniunctissimam esse de facto à Deo remissionem peccatorum. Præterea: quia similiter tribui etiam posset Gratia habituali effectus formalis remissionis venialium: eorum scilicet, quæ sæpè in ipsius infusione delentur: adiuncto nimirum extrinseco Dei favore illa remittendi ad præsentiam Gratiae.

63 P. Ripalda mitigare studens rigorem prædictarum responsionum, paulò aliter respondet, iustificari quidem hominem per Gratiam intrinsecam, tanquam per formam nostræ iustificationis: utpotè non omnino indifferentem ex natura sua ad novum illum favorem remissionis; sed aliquo modo ex natura sua inconiungibilem cum foeditate peccati, sicut scurrilitates cum dignitate Regia; atque adeò aliquomodo exigentem favorem remissionis. At non nisi ex quadam decentia fundata in perfectione physica Gratiae intrinsecæ: quamvis omnino requirentis novum Dei favorem extrinsecum, ut peccata deleantur, & iustificetur homo.

64 Hæc tamen attemperatio modicum lenimen est pro tanto vulnere. Quia neque sic dici posset, iustificationem fieri, aut peccatum deleri à Gratia, seu per Gratiam nobis infusam, tanquam per unicam causam formalem, potiusquam per favorem condonationis extrinsecæ, quem ex natura rei denegare posset Deus absque violentia, ut ex iupradictis patet. Non ergo sic fit satis locutionibus Tridentini. Nec satisfacit Ripalda, dicens, se iam tribuere Gratiae intrinsecæ conducentiam, seu congruentiam aliquam intrinsecam ad supervenientem favorem remissionis, ob indecentiam coniunctionis pulchritudinis Gratiae cum foeditate peccati. Quidquid enim

Ripalda

ver-

verbis iudatur, stat semper iuxta Ripaldam, quod Deus liberè, & gratis, utpotè nullà tactà violentià Gratia intrinsecæ, posset, illà infusã, denegare remissionem: ergo remissio, ac proindè iustificatio dici non posset, ut dicit Concilium, fieri formaliter per Gratiam nobis inhaerentem, & infusam, tanquam per vnicam formalem causam iustificationis, potiùs quàm per extrinsecam Dei condonationem; sed eã tantùm impropriate, & laxitate verborum, quã similiter dici posset propter indecentiam, remitti quoque venialia per Gratiam habituale intrinsecam.

65 Præterea: indecens abs dubio etiam est, ac indecorum habitui supernaturali Fidei divinæ, & habitibus aliarum virtutum supernaturalium, imò & ipsi naturæ rationali, coexistere cum scelerate peccatorum mortalium: ergo posset Deus benignè inclinatus ad vitandas eiusmodi indecentias, remittere peccata intuitu Fidei; imò & intuitu nobilitatis naturæ rationalis. Scire nunc vellem, an tunc dici posset, aut deberet iustificationem fieri, aut per Fidem, aut per alium habitum virtutis moralis infusæ, aut per nobilitatem naturæ rationalis, sicut nunc dicitur fieri per Gratiam infusam; nec ne? Si sic, vide nunc, quid tribuas Gratia iustificanti nobis inhaerenti; si non; ergo neque in hac sententia dicitur de Gratia quod satis est, ut verè, & absolutè dicamur in phrasi Concilij, per illam iustificari, tanquam per vnicam formalem causam nostræ iustificationis.

66 Dices, indecentiam coniunctionis peccati cum Gratia esse maiorem, quàm cum alijs. Contra tamen: quia hæc maioritas non variat speciem inconiungibilitatis; cum eam relinquat in specie indecentiæ: sicut nec, quod maior sit indecentia coniunctionis peccati gravioris cum intensiori Gratia: semperque relinquatur facultas Dei libera ad non delendum peccatum, præsentem Gratia, citra violentiam: ergo, quando sic Deus remitteret, remitteret Deus, & iustificaretur homo per condonationem extrinsecam potiùs quàm per Gratiam nobis infusam, tanquam per vnicam formalem causam nostræ iustificationis: quo pacto, & remissionem quoque venialium fieri per Gratiam, dici posset ob indecentiam.

Quid igitur ad locutiones Concilij? 67 Nec valet dicere, cum habitu Fidei, & cum nobilitate naturæ rationalis stare de facto mortalia. Nam cum habitu Charitatis, qui iuxta Ripaldam non est forma iustificans, nunquam stant; neque cum habitibus infusis virtutum moralium semper Gratiam comitãtib; quorum propterea infusionem semper comitatur favor ille remissionis peccatorum, non nisi indecenter cum illis coniungibilium: ergo vim, & rationem formæ iustificantis, quam Ripalda tribuit Gratia, aptare quisque facillimè posset ad multos habitus, qui Gratia non sunt, cum ingenti depreffione dignitatis Gratia Dei per Christum nobis infusæ. De qua propterea, ut digniùs sentiamus, & conformiùs ad doctrinam Concilij Tridentini loquamur, dicere oportet, ex natura sua iustificare, ac peccata delere; & non per novum extrinsecum, ac indebitum favorem supervenientem.

68 Denique, paritas illa, qua utitur Ripalda, indecentiæ moralis repertæ in coniunctione imperitiæ, seu morum scurrilium cum dignitate Regia, vel Pontificia, inutilis est ad rem præsentem. Nam ea indecentia talis est, ut eiusmodi coniunctionem faceret illicitam, sive eligenti in illam dignitatem hominem imperitum, & scurrilem; sive electo ijs moribus deturpanti suam dignitatem: quo fit, ut physicè, & naturalissimè ab illis fieri possit, quod non nisi illicitè facerent. At indecentia coniunctionis Gratia cum peccato; nec facit illam coniunctionem Deo illicitam; cum aut. sanctissimè posset, aut nullo modo posset Deus eam coniunctionem facere: nec quidem homini; quia post peccatum posset licitè conteri, & obtinere Gratiam; quod autem Deus cum illa vellet non remittere peccatum, non est homini illicitum, nec in eius facultate. Nulla est ergo declaratio mentis P. Ripaldæ per eiusmodi paritatem; cum nimis nota sit disparitatis ratio. Addam aliqua huc pertinentia disp. 15. sect. 6.

SECTIO VI.

Obiectiones graves.

69 **O**BIJECTVR primò. Autoritas eiusdem Trident. ibidem dicentis

Trident. centis de Iustificatione: *Qua non est solum peccatorum remissio, sed & sanctificatio.* Et mox: *Vndè in iustificatione cum remissione peccatorum hæc simul accipit homo, Fidem, Spem, & Charitatem.* Discernit ergo, tanquam duo beneficia, sanctificationem, quæ est infusio Gratia, & remissionem peccatorum, qui est novus favor extrinsecus: non autem esset novus favor, si Gratia infusioni ex natura sua physica deberetur. Insuper Can. 11. definit, *Gratiam, qua iustificamur, non esse tantum favorem Dei; scilicet extrinsecum: ergo supponit esse novum favorem Dei extrinsecum simul cum infusione Gratia intrinsecæ.* Confirmatur ex Scripturis, ac præsertim ex Apostolo Rom. 4. distinguente beneficium remissionis à beneficio sanctificationis: ubi de Christo: *Mortuus est propter delicta nostra; & resurrexit propter iustificationem nostram.* Alia huius generis Ripalda: quæ tamen rectè istorum explicatione facillimè pro nobis intelliguntur.

Rom. 4.

Suprà disp. 13.

70 Respondetur, sensum Concilij esse planum. Dicebant Hæretici, iustificationem esse tantummodò remissionem peccatorum, sine renovatione intrinsecæ interioris hominis; & nos ipsi vidimus disp. præc. remissionem esse possibilem, pro alia Dei lege, absque sanctificatione homini intrinsecæ. His doctrinis sese opposuit Concilium pro de facto, ex multis Scripturæ locis, in quibus significatur iustificatio nobis intrinsecæ, utpotè diffusa in cordibus nostris, id est, animæ iusti infusa, & inhaerens. Cui Gratia intrinsecæ nunc iustificanti cum in sit vis ex natura sua deletiva peccati, aptissimè dicit Concilium, quod iustificatio præsentis legis non solum est peccatorum remissio; sed & sanctificatio; quavis ex natura physica talis sanctificationis sit remissio, & è contra: quia utrumque id involvit, quamvis vnum cum altero coniunctum: sicut rectè diceremus, eam qualitatem nõ solum esse habitum, verumetiam supernaturalem, quamvis in ea ratio habitus, & ratio supernaturalis plursquam connectantur: & sicut ibidem profequitur Concilium, quod est, *sanctificatio, & renovatio:* quin huiusmodi coniunctio arguat inconnexiorem sanctificationis, & renovationis. Vndè prima consequentia est omninò voluntaria, & ex terminis Concilij nulla.

Infrà disp. 15.

Vndènam enim infertur inconnexio beneficii remissionis, cum beneficio infusionis Gratia, ubi peccatum præcessit? Ad alia verba Can. 11. dicimus, à nobis non negari, iustificationem involvere favorem remissionis peccati, & infusionis Gratia. Quod dicimus est, favorem remissionis non esse sine favore intrinsecæ infusionis, ut dicebant Hæretici: nec esse novum favorem indebitum Gratia intrinsecæ ex natura sua physica, ut dicunt Scotistæ, & Ripalda. Vndè consequentia obijcientium non tenet. Nam dici à Concilio, Gratiam non esse tantum favorem Dei, non est dicere, aut supponere, esse simul favorem Dei novum extrinsecum, & Gratia physicè indebitum: sicut dicere, aut definire, quod actus liberi Dei non stant adæquatè in extrinsecò, non est dicere stare inadæquatè; imò magis distaret ab illo errore qui diceret, adæquatè stare in intrinsecò Dei.

71 Ad confirmationem, difficilis quidem est ille Pauli locus, ut videbis apud Cornelium ibi, & apud Suar. 3. par. *Alapide* *quæst. 53. in Comment. ad art. i.* Sed non facit contra nos. Non enim ibi discernit Paulus deletionem peccatorum, ab infusione Gratia iustificantis; sed satisfactionem Christi datam sufficientissimè pro peccatis per mortem suam meritoriam, & infinitissimè satisfactoriam, in compensationem pro delictis nostris; ab applicatione tanti fructus ad reipsa iustificandum nos quoad efficaciam per infusionem Gratia, & remissionem peccatorum. Illud prius egit Christus per mortem in genere causæ meritoria, & satisfactoria; istud posterius per resurrectionem: non in genere causæ meritoria, & satisfactoria, quia iam non erat in statu merendi, & satisfaciendi; sed in genere causæ exemplaris obiectivæ: quatenus nempe per resurrectionem Christi obfirmatur Fides nostra, & ad exemplar illius erigitur Spes nostra; qua fide, & spe disponimur ad iustificationem nostram applicatam nobis quoad efficaciam merita mortis Christi Redemptoris. Sic profundè cum aliquibus Sanctis Patribus Magnus Suarez cit. post relatas, & expensas aliorum expositiones. Quid, precor, indè contra nos ad rem præsentem?

Alapide Suarez

Suarez

72 Obijcitur secundò. Peccatum est offensa Dei: ergo non tollitur, nisi vel per satisfactionem peccatoris, vel per remissio-

remissionem Dei: sed Gratia habitualis nec est satisfactio nostra, cum non sit actus noster; nec est remissio Dei, cum non sit actus Dei: ergo non nisi ex superveniente favore extrinseco, qui sit actus condonativus Dei, dici potest remittere peccata, & iustificare: ac proinde non ex natura sua physica. Respondetur, concessio enthymemate, negando minorem subiunctam, & consequentiam. Quia Gratia, quamvis non sit actus Dei, est donum Dei, taliter animæ depulcrativum ex natura sua, vt ex intrinsicis suis non secum patiatur scditatem peccati: idèdque eius infusio est peccati deletio, & remissio nobis intrinseca; & Gratia est forma ipsum delens, & vnica causa formalis iustificationis: & voluntas Dei eam infundendi dicitur voluntas condonativa, seu remissiva, causaliter nimirum, quatenus vult, causat, & inducit eiusmodi formam intrinsecam, quæ est remissio intrinseca, passiva, seu obiectiva à Deo volita, quando vult illam infundere, & per illam formaliter iustificare: idèdque dicitur voluntas illa Dei condonativa, seu remissiva, inductivè, & causaliter; scilicet, ratione formæ, quam infundit: ad modum quo voluntas Dei producendi albedinem in subiecto est voluntas dealbativa: non per se formaliter dealbativa, seu formaliter dealbans, tanquam formalis causa dealbationis, seu albi; sed causaliter, effectivè, & ratione formæ dealbantis, quam efficit, & inducit. Quo sensu dixit scitè

Suprà
disp. 13.
sect. 5.

S. Thom.

S. Thom. *quest. 113. art. 6. ad 2. Eodem enim actu Deus, & largitur Gratiam, & remittit culpam.* Quo non tollitur, quominus ad id subsequatur alius divinus affectus amicabile formaliter etiam remissivus, & condonativus: non tamen, vt novus favor indebitus; sed debitissimus naturæ physicae Gratia.

73 Obijcitur tertio. Impossibilitas qualitatis, quæ ex natura sua physica faciat hominem, amicum, seu Filium adoptivum Principis humani; quæque necessiter Regem ad remittendas iniurias sibi illatas: ergo multò magis implicat qualitas, quæ ex natura sua physica faciat hominem amicum, & Filium Dei: qui quidem minùs quàm homo adstringitur ad diligendas creaturas; & plùs distat ab homine, quàm Rex à Plebe. Respondetur, à multis negari eam im-

possibilitatem, quam saltem in dubium vertit Ant. Perez. Eà tamen permissa, non infertur consequentia: sicut nec ex eo quòd impossibilis sit forma creata, quæ, quia sit intuitio creaturæ, beatificet videntem, infertur impossibilem similiter esse formam creatam, quæ quia intuitio Dei est, beatificet sic videntes: nec ex eo quòd impossibilis sit vnio creata hypostatica ad suppositum creatum, infertur esse quoque impossibilem ad divinum, vt ex S. Thom. Suar. & Vasq. vidimus *disp. 3. de Incarn. sect. 7.* Et pro omnibus ratio sit. Quia divinæ bonitati infinitissimæ, & summè diffusivæ sui, possibiles sunt multi modi sese diffundendi, & communicandi, qui bonitati creatæ finitæ cuiuscumque creati Principis impossibiles sunt. Divinus Pater communicat Filio Naturam suam per identitatem; Filius communicat suam Personam humanitati per physicam vnionem hypostaticam. Quid mirum, si Spiritus Sanctus sese iustis communicet, ac diffundat per Gratiam, & amicitiam intrinsecè, & ex natura sua physica iustificativam; quamvis mirus iste modus sese communicandi, sicut etiam illi duo, non sit possibiles in bonitatibus creatis?

Perez.

Tom. de
Christo,
disp. 3.
S. Thom.
Suarez.
Vasq.

74 Obijcitur quartò. Si Gratia habitualis ex natura sua physica deleteret, aut destrueret peccatum; vel idèd esset, quia ex natura sua physica inducit destructionem peccati, ita vt Deus non posset, illà posità, non remittere peccatum, nisi inferendo violentiam Gratia; sicut & calori, non destruens frigus physicè oppositum; vel quia ipsa infusio Gratia esset deletio, seu destructio peccati: sed neutro ex ijs modis: ergo ex natura sua physica non delet peccatum: atque adeò ex natura sua non iustificat. Probatur minor quoad priorem modum. Quia esset cogi, aut compelli Deum, vt infusà Gratia, ex complacentia Gratia designat displicere inimicabiliter in peccatore: quòd videtur absurdum; cum displicentia divina in peccato, maior sit, quam complacentia in Gratia, eo quòd peccatum sit magis malum, quàm Gratia sit bona. Vndè subsequeretur, Deum necessariò diligere amicabiliter hominem existentem in Gratia. Probatur etiam quoad posteriorem modum. Primò: quia introductio caloris non est ipsa destructio

ctio frigoris physicè oppositi: ergo nec infusio Gratia est ipsa destructio peccati. Secundò, quia peccatum habituale est ipsum actuale physicè præteritum, moraliter perseverans: ergo eius destructio debet esse destructio peccati, vt moraliter perseverantis: sed infusio Gratia nequit esse destructio peccati vt moraliter perseverantis: ergo nec peccati habitualis. Probatur hæc minor: quia moralis illa peccati perseverantia stat in non condonatione divina: quæ non condonatio est actus divinæ voluntatis nolentis condonare: at infusio Gratia nec est actus divinæ voluntatis, nec est destructio actus divini non condonativi.

75 Respondent multi ex Assertoribus nostræ sententiæ, non maiorem oppositionem agnoscentes inter peccatum, & Gratiam, quàm inter frigus, & calorem, admittendo priorem partem maioris: & quoad illam negant minorem. Ad probationem quoad hanc partem, dicunt (mitigato prius rigore illarum vocum, *cogi, & compelli*, præferentium vim Deo nolenti illatam ab extrinseco) verum esse, quòd displicentia divina in peccato maior est, quàm complacentia in Gratia: ex quo solum inferri potest, non remitti peccatum intuitu Gratia, tanquam per æqualem compensationem pro peccato; non verò non remitti, tanquam per physicam exigentiam Gratia, vt potè formæ naturaliter impossibilis cum peccato: quæ quidem diversissima sunt: nam quamvis magis displiceat Deus in peccato actuali, quàm placeat in actu virtutis oppositæ, tollitur illud physicè per istius positionem: non scilicet meritorie, & compensativè; sed ratione physicae oppositionis. Subsequela necessaria dilectionis divinæ erga hominem existentem in Gratia, examinabitur, & ab absurdo purgabitur *disp. 19. sect. 4.*

Infrà
disp. 19.

Infrà
disp. 16.

76 Ex dicendis tamen *disp. 16.* de oppositione essentiali metaphysica Gratia cum peccato, admitto potiùs posteriorem partem maioris, nempe, quòd ipsa infusio Gratia peccatori est deletio peccati. Ad primam huius partis impugnationem, concessio antecedente, negamus consequentiam: calor enim potest esse divinitus in subiecto cum frigore; idèdque pro destructione frigoris non est sufficiens forma introductio caloris;

at infusio Gratia nec divinitus contingere potest essente peccato; idèdque ipsum esse Gratia in subiecto est non esse peccati in eodem, vt prosequemur loco nuper citato. Ad secundam, admissio primo enthymemate, negatur minor subiuncta. Ad eius probationem dico, moralem peccati habitualis perseverantiam vt innuimus *disp. præc.* non utcumque stare in non condonatione divina; sed in non compensatione, & non condonatione, aut non remissione, modò extrinsecà, modò intrinsecà. Vt enim peccatum moraliter perseveret, debet non esse condignè compensatum, nec esse extrinsecè, nec intrinsecè remissum: ad hoc autem, vt desinat moraliter perseverare, sufficit, poni, vel compensationem in actu secundo condignam per modum satisfactionis adæquatæ; vel remissionem extrinsecam, quæ esset extrinseca Dei condonatio; vel remissionem intrinsecam, quæ est infusio Gratia, pulchritudine sua essentialiter delectantis maculam, seu scditatem peccati. Cum ergo non omnis remissio peccati sit solus actus divinæ voluntatis, eo quòd vna remissio importat infusionem Gratia intrinsecam, hac intrinsecè adveniente, desinit peccatum moraliter perseverare; quia iam non est irremissum, eum sit intrinsecè remissum; ac proinde per formam illam creatam intrinsecam deletum, quamvis ea intrinseca Gratia infusio non sit actus divinæ voluntatis formaliter condonativa. Nec ad id opus est, vt malè loquitur obiectio, destructione actus divini non condonativi, cum nullus fuerit, nec potuerit esse in Deo actus nolens condonare pro tempore, quo sit Gratia in homine qui peccaverat; sed inceptio virtuali affectus condonativi, qui quoad hanc denominationem non fuit in Deo nisi ad præsentiam physicam, & exercitam Gratia in tali subiecto, vt ex dictis fusiùs *disp. 14. de Deo, sect. 4. & 5.* resumpsimus supra *disp. præced. num. 66.*

77 Obijcitur quintò. Remissio peccati est effectus æstimabilior, quàm infusio Gratia: ergo nequit contineri in vi, & in natura physica Gratia. Antecedens probatur: quia purus homo iustus potest sibi, vel alteri mereri condignè Gratiam; nõ verò remissionem peccati; cum nequeat condignè satisfacere pro peccato.

Suprà
disp. 13.
sect. 4.

Tom. de
Deo, disp.
num. 66.

14.
Suprà
disp. 13.
sect. 5.

Tom. de
Christo,
disp. 8.

peccato suo, vel alieno, vt diximus *disp. 8. de Incarn. præsertim sect. 13.* Confirmatur: peccatum est maius in genere mali, quam entitas physica Gratiæ sit bona in genere boni: hæc igitur nequit habere vim physicam expellendi, aut delendi malum peccati: atque adeo indiget ad id, & ad iustificandum peccatorem novo favore Dei extrinseco.

78 Respondetur distinguendo antecedens: quam infusio Gratiæ non peccatori, permitto; peccatori, nego antecedens. Nam infusio Gratiæ vbi præcedebat peccatum est etiam remissio peccati. Ad consequentiam dico, effectum formalem remittendi peccatum contineri quidem in vi, & naturâ physicâ Gratiæ infusæ peccatori: vbi non est minus æstimabilis, quam remissio. Ad probationem antecedentis dico cum distinctione, purum hominem iustum posse sibi, vel alteri non peccatori condignè mereri Gratiam; non verò peccatori. Quamvis enim Gratiæ semper contineat vim remissivam, non illam exercet nisi vbi præcessit peccatum: dari autem vbi præcessit peccatum importat in ratione beneficij voluntatem Dei volentis illam tunc infundere: quæ tamen Dei voluntas non est novus favor superveniens, sed antecedens ad infusionem Gratiæ: de quo non est quæstio. Ad confirmationem, concessio antecedente, negatur consequentia: quæ solum procederet, si Gratiæ deleteret peccata per modum obsequij, meriti, aut satisfactionis: ad id enim opus esset tanta bonitas in genere obsequij, quanta est malitia peccati in genere offensæ. At Gratiæ non sic tollit peccatum; sed per modum formalis incompossibilitatis cum illo: in quo genere pugna non attenditur nisi repugnantia formatum inter se. Sic primus gradus frigiditatis, quantumvis minor, & imbecillior, expellit formaliter octavum caloris non minus quam octavus gradus caloris primum frigiditatis.

79 Obijcitur sextò. Peccatum non tollit Gratiam ex natura sua: ergo nec è contra Gratiæ peccatum. Antecedens probatur: Deus enim tollit Gratiam à peccatore demeritoriè in pœnam peccati: sed ablatio Gratiæ non posset esse in pœnam peccati, si peccatum ex natura sua tolleretur Gratiam: ergo non tollit Gratiam ex natura sua. Maiorem multis

probat Ripalda, obiectione istam vehementer extollens. Minor probatur: nam inflictio pœnæ est à iustitia vindicativa, tanquam quid inconnexè superveniens culpæ; atque adeo non tanquam quid subsequutum ex ipsa natura culpæ: sicut nec premium potest esse quid connexum cum merito; sed merito inconnexè superveniens.

80 Respondetur, negando antecedens: de quo *disp. 16. præsertim num. 43.* vbi in strictioribus terminis reponitur hæc obiectio. Nunc ad probationem concedo maiorem. At quod peccatum Gratiæ tollat demeritoriè, non obstat, quominus illam tollat ex natura sua: hoc enim est discrimen inter peccatum, & Gratiam, quod illud, cum sit actus noster liber, demeretur; Gratiæ verò, cum non sit actus noster liber, non meretur: ideòque Gratiæ physicè dumtaxat tollit peccatum; peccatum verò physicè, & demeritoriè Gratiam, vt scitè notavit Vasq. *disp. 220. num. 67.* Vndè est, quod peccatum non solum privet Gratiam pro eo instanti, quo physicè committitur; verum etiam deinceps, & pro casu etiam, ac tempore condonationis extrinsecæ: quandoquidem peccato condonato quo ad culpam, posset adhuc homo in pœnam privari Gratiâ. Negatur autem minor, ex dicendis *disp. 28. de Merito, sect. 1.* Neque enim ad rationem pœnæ requiritur inconnexio cum culpa, vt patet in remorsu conscientie ex natura rei consequuto ad peccatum, & toties in Scripturis interminato peccatoribus in pœnam; nec ad rationem præmij, inconnexio cum merito, vt patet in actibus Fidei, Spei, & veræ Pœnitentie disponētib; merito ad iustificationem, cum quibus tamen necessariò connectitur præmium iustificationis: alioquin falsus fuisset actus Fidei, quo peccator sic se disponens credidisset, & sperasset, se, si verè pœniteat, iustificandum. Ad probationem minoris, negatur, totum id requiri ad rationem pœnæ, & iustitiæ vindicativæ: sufficit enim ad rationem pœnæ, quod sit malum delinquenti pendens à virtute activa iudicis intuitu culpæ, vt docet Esparza *quæst. 11. ad 3. ex Antonio Perez cap. 3.* Quæ posset virgeri contra hoc, expenduntur opportunè *disp. 16. sect. 4. & generalis loc. citat. de Merito.*

Infrà
disp. 16.
sect. 4.

Vasq.

Infrà
disp. 28.


Esparza
Perez.
Infrà
disp. 16.
sect. 4.

Su-

81 Superest obiectio frivola; despicienda potius quam memoranda, nisi ab aliquibus haberetur in pretio. Si Gratiæ, inquit, tolleretur peccatum, & tolleretur à peccato ex natura sua, sese mutuo transcendentaliter respicerent: implicat autem peccatum, quod est ens naturale, respicere transcendentaliter Gratiam supernaturalem: cum supernaturalia superare debeant respectum omnem transcendentalem naturalium. Respondetur, admissio eo transcendentali respectu, falsum mihi esse ex dictis *disp. 18. de Attrib. supernaturalia in eo debere superare na-*

turalia, quod non patiuntur transcendentaliter à naturalibus respici. Quinimò verissimum ibi iudicavi, nullam esse ens naturale sine respectu transcendentali ad multa supernaturalia. Nec quidem quoad connexionem superant; vt ibidem dixi *sect. 11.* Nec capio, quomodo, nisi per antiphrasin, vocari valeat connexio respectus ille mutuos oppositorum: ac si idem esset, vnum non posse esse sine alio, qui est cõceptus connexionis; & vnum non posse esse cum alio, qui est conceptus oppositionis, vt etiam tetigi *disp. 1. de Incarn. à num. 226.*

Tom. de
Christo;
disp. 1.
sect. 7.



DISPUTATIO XV.

DE IUSTIFICATIONE, VEL SANCTIFICATIONE per alias Formas à Gratia Habituali distinctas.

PROPOSITA Gratiâ Habituali, quæ est forma iustificans, superest disputandum: an præter illam sit alia forma intrinseca; qua formaliter etiam iustificetur; seu sanctificetur homo. De Habitu Charitatis constat ex *disp. præced.* quod non. Restat de Actu, de Visione Beatâ, de Vnionē Hypostatica, & de Maternitate Dei: de quibus in hac Disputatione sigillatim.

SECTIO I.

An actus perfectæ contritionis, Charitatis, seu Dilectionis Dei sit Forma iustificans.

Vasq.

2 **C**ELEBRIS est opinio P. Vasquez *disput. 203. & sæpe alibi*, qui, quamvis nobiscum admittat Gratiam habitualem formaliter iustificantem, & contra nos habitum Virtutis Charitatis, qui simul formaliter iustificet; docet præterea, actum ipsum Virtutis Charitatis, perfectæ contritionis, & dilectionis Dei propter se super omnia, esse quoque formas iustificantes. Sic etiam ex antiquioribus Torres, Meratius, Hurtadus Complutensis, Canus, & Ioannes Vincentius. Et è minus antiquis Ripalda latè, & eruditè *tom. 2. disp. 99.* quamvis cum aliqua diversitate; & impensè Ant. Perez *disp. ult. de Charit. & 6. de Iustif.* quibus obiter accedit R. P. N. G. Thyrsus.

Torres.
Merat.
Hurtad.
Canus.
Vincent.
Ripalda.
Perez.
Thyrsus.

tom. 3. disp. 11. sect. 6. §. 2. quamvis cum aliqua etiam limitatione, quam explico *num. 17.*

3 Moventur primò gravissimis Auctoritatibus Scripturæ, Conciliorum, & SS. Patrum adductis *disp. præc. sect. 3.* pro Habitu Charitatis: quas, aliasq; quamplurimas agglomerant eruditè pro Actu Ripalda, & Perez citati, vt evincant, omnia munera formæ iustificantis attribui, si minus habitui, saltem actui Charitatis, & Contritionis: quandoquidem, & nos ibi falsi sumus, sermonem in eis esse potius de actu, quam de habitu. Cæterum, nec id de Actu convincere, vidimus ibidem; cum similes locutiones reperiantur de actibus Fidei, & Spei: quos non esse formas iustificantes falsum fuit nobiscum Vasquez, Perez, & Ripalda. Respondemus itaque, in prædictis sacris locutionibus monera Gratiæ, seu formæ iustificantis attribui actui Charitatis,

Suprà
disp. 14.

Rr 2 Con-

Contritionis, seu Dilectionis Dei propter se super omnia, non formaliter, sed dispositivè: non tanquam formæ per se iustificanti; sed tanquam dispositioni ad formam iustificantem. Quod si aliqua dicuntur specialiter de actibus Charitatis potius quàm de actibus Fidei, Spei, & aliarum virtutum; non idè est quia actus Contritionis, vel Charitatis sit plusquam dispositio ad iustificationem; sed quia inter alias dispositiones ad iustificationem est dispositio vltima, & proxima, quâ positâ certò iam infunditur Gratia formaliter iustificans. Sicque capi debent multa Sanctorum, præsertim Augustini, testimonia super illud Christi ad Magdalenam Luc. 7. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*: quoniam scilicet, diligendo multum, se dignius proximè disposuit ad Gratiam remissionis: iuxta quod ait S. Thom. *hic art. 5. & 8.* motum liberi arbitrij, quo nomine comprehendit generaliter dilectionem Dei, & detestationem peccati, esse id quo homo disponitur ad Gratiam iustificantem, & ad formalem remissionem peccatorum: & per hanc sui ipsius explicationem interpretandus est ipse S. Thom. ex alijs locis allegari solitus pro Vasquez: ne sibi contradictorius habeatur.

4 Ex ijs, dum dixit S. Thom. Charitatem esse vitam animæ, sicut anima est vita corporis: non cum omnimoda paritate intelligendus est de actu Charitatis; cum certum sit animam non esse vitam in actu secundo; actum verò Charitatis sic. Taliter ergo dicitur anima vivere per Charitatem actualem, vt si fuerat mortua per peccatum, vivit iam Deo per actum Charitatis quatenus fert secum infusionem Gratia, cui potius aptatur paritas animæ. Cum verò dicitur iustificata, iungere animam cum Deo, & tollere aversionem à Deo: id intellige, dispositivè. Similiter S. Bernardus dicit, Charitatem maritare hominè cum Deo: & perfectam Charitatem esse perfectam sanctitatem, sive iustitiam; intelligendus est dispositivè. Inflat Meratius sic etiam dici ad posse de actibus Fidei, timoris, ac Spei. Respondetur tamen, aliquantulum posse; sed non æquè ac de actu Charitatis, qui proximè, & vltimè disponit.

5 Non acquiescit huic responsioni Ant. Perez, quasi per illam ania detur

Hæreticis, vt eludant Authoritates, quibus contra illos probamus, iustificationem fieri per formam intrinsecam nobis inhaerentem: putat enim, quod similiter respondere possent, fieri per eiusmodi formam dispositivè tantum; per se verò, & formaliter per acceptationem dumtaxat Dei, aut per extrinsecam imputationem iustitiæ Christi. Hoc tamen effugium præcludit Hæreticis Tridentina Fides, definiens, & in hunc sensum intelligens Scripturarum de Gratia iustificante locutiones, quod vnica formalis causa iustificationis nostræ est de facto Gratia nobis intrinseca, & inhaerens, vt vidimus.

6 Movetur secundo. Quia id, quod mittitur in nos, & nobis inhabitat Spiritus Sanctus, qui Charitas increata est, est sanctitas nostra iustificans nos: hæc enim invisibilis Missio divinæ Personæ est per Gratiam, vt communiter exponitur à Theologis apud Montoyam *disput. 109. de Trinit.* Sed per actum divinæ dilectionis mittitur in nos, nobisque inhabitat Spiritus Sanctus: actus igitur Charitatis est forma sanctificans. Minor est S. Thom. *1. part. quest. 43.* sic explicantis eiusmodi Missionem: *Et qui a cognoscendo, & amando, creatura rationalis suâ operatione attingit ad ipsum Deum, secundum ipsum specialem modum Deus non solum dicitur esse in creatura rationali; sed etiam habitare in ea.* Cavendum in primis est à modo erroneo, quo Magister in *1. dist. 17.* explicat eam Spiritus Sancti Missionem, dicens, esse quidem dilectionem, seu charitatem, quæ est ipsemet Spiritus Sanctus, quæ se diligunt Pater, & Filius, & quæ nos Deum, & proximos diligimus. Deindè, concessâ maiori, distinguatur minor: per actum dilectionis formaliter, nego; dispositivè, concedo. Et sic intelligendus venit etiam S. Thom. sic concludens ibi: *Sic igitur nullus alius effectus potest esse ratio, quod divina Persona sit novo modo in rationali creatura, nisi Gratia gratum faciens: scilicet habitualis.* Sic, inquam, scilicet, missione perfectâ, & completâ: quamvis dispositiones ad Gratiam, quarum præcipua est actus charitatis, vel contritionis, dici possint Missiones Spiritus Sancti inchoatæ, & minus perfectæ.

7 Movetur tertio. Quia actus charitatis, vel contritionis, quo diligit homo Deum

Deum propter se super omnia, reddit per se formaliter hominem dignum, qui diligitur à Deo: ergo facit formaliter Deo gratum, & amicum, atque adeo iustum: quod est esse formam per se iustificantem. Antecedens probatur ex Scripturis attestantibus, Deum diligere diligentes se: Prov. 8. *Ego diligentes me diligo.* Vnde ait Bernardus: *Amor per se sufficit, per se placet, & propter se:* & aiunt alij SS. Patres, homines, diligendo Deum, *amicos fieri Dei, & mutuo amore inviscerari cum Deo:* alijque Theologi, dilectionem Charitatis esse amicitiam cum Deo. Alioquin, sequeretur, quod posset Deus odisse hominem, à quo diligitur super omnia: quod iniquum esset, dicente Augustino: *Si non reciperet confugientes ad se, esset in eo iniquitas.* Probatur autem sequela: quia, si dilectio illa non est forma per se iustificans, posset cum illa sine Gratia compati peccatum: ac proindè odium inimicabile Dei.

8 Respondetur tamen, negando antecedens: non enim id præstat nisi dispositivè iuxta præsentem Dei legem. Ad probationem dico, Deum diligere quidem diligentes se; at hoc iuxta præsentem Dei legem, iuxta quam diligentibus se infundit Gratiam habitualement. Nec vult Bernardus per ea verba, amorem divinæ charitatis per se formaliter iustificare; sed sufficere per se, positâ Dei lege, ad dispositionem ex parte nostra, & propter eximiam eius honestatem valdè placere Deo, magnique à Deo fieri: quin tamen proindè reddat per se hominem formaliter dignum redamari amabiliter à Deo, vt probabimus *sest. seq.* Quod aiunt alij SS. Patres verissimum etiam est: at non nisi dispositivè ex hac lege Dei, amicos suos facientis, sibi que inviscerantis per infusionem Gratia eos, qui, sic eum diligendo, se disponunt. Quod aiunt Theologi, dilectionem Charitatis esse amicitiam cum Deo, intelligendum est cum grano salis adhibendo

Infrà disp. 19. sect. 4. vbi de modo, quo Gratia dicitur amicitia hominis cum Deo. Pro nunc dico, dilectionem esse amicitiam actualem cum Deo, non completam, & adæquatam, cum hæc sit mutua duorum benevolentia; sed inadæquatam ex parte hominis, quæ nec claudit, nec per se infert benevolentiam amicabilem ex parte Dei. Denique ad sequelam subiun-

ctam dico, non esse absurdam, seclusâ præsentis Dei lege; cum iuxta aliam posset homo, quantumvis diligens Deum, manere cum peccato habituali, faciente illum dignum odio Dei. Augustinus rectè dixit iuxta præsentem Dei legem qua posita, Deus infidelis esset, & iniquus, si promissam Gratiam, & dilectionem suam denegaret dilectoribus suis. Vbi notat Esparza in ijs ipsis verbis distinxisse Augustinum, peccatores confugere ad Deum per dilectionem, seu contritionem; & Deus illos recipere in suam amicitiam per Gratiam.

9 Vrgent. Dilectio charitatis habet per se vim formaliter delendî peccata ergo per se facit amicum, & iustificat: contra quod diximus, iuxta aliam Dei legem posse stare cum peccato, & cum odio inimicabili Dei. Antecedens probatur: quia peccatum est aversio à Deo, & conversio ad creaturam; dilectio verò charitatis, seu contritio est aversio à creatura, & conversio ad Deum: conversio autem ad Deum per se formaliter opponitur aversioni. Respondetur, negando antecedens. Ad probationem dico, peccatum esse quidem aversionem à Deo; actualem quidem, si peccatum est actuale; & habitualement, si habituale: quæ habitualitas in eo stat, quod peccatum physicè præcesserit, & non fuerit dignè compensatum, nec remissum. Gratia formaliter iustificans non solum debet opponi cum peccato actuali; sed debet tollere habituale, quo scilicet moraliter habitualiter perseverante, homo manet peccator, ac proindè minimè iustus. At actus charitatis, eo quod sit actualis conversio ad Deum, opponitur dum physicè est cum aversione actuali, ac proindè cum physica commissione peccati physicè præsentis; non verò cum eo quod peccatum, seu aversio physicè præcesserit, & nondum fuerit compensatum, nec remissum: actus enim noster charitatis nec est, nec potest esse condigna satisfactio pro offensa Dei; nec est divina remissio peccati, sicut est Gratia iustificans, vt faciemus manifestum *sest. seq.*

10 Vrgent iterum contra responsionem istam. Pœnitentia est virtus specialis respiciens ad satisfactionem exhibendam à peccatore pro peccato: ergo præcipuum eius obiectum, seu actus imperatus, qui est contritio, debet esse

aliquid formaliter tollens peccatum, etiam habituale: nam Gratia habitualis, cum actus noster non sit, non est actus virtutis penitentia: ergo actus contritionis, qui actus charitatis est, est talis conversio ad Deum, ut tollat etiam peccatum habituale, tanquam sufficiens compensatio illius: sicut formaliter delet venialia etiam habitualia. Confirmatur. Supposita elevatione hominis ad finem, & statum supernaturalem, obligatur peccator iure naturae ad reconciliandum se cum Deo per contritionem: sed non obligaretur, si contritio non esset forma iustificans: ergo talis est. Probatur minor: quia peccator non obligatur, nisi ad actum suum; Gratiae autem habitualis infusio non est actus peccatoris: ex cunctis autem actibus peccatoris, nulli potius quam actui charitatis aptari potest ratio formae iustificantis: ergo huic aptanda est; aut dicendum, non obligari hominem ad se iustificandum; ac proinde ad se cum Deo reconciliandum.

11 Respondetur, dato quod Penitentia sit virtus specialis, de quo non nihil dixi *disp. 14. de Incarn. sect. 9.* nego utramque consequentiam. Quia satisfactio, ad quam exhibendam a peccatore respicere posset virtus penitentiae, nequit esse condigna pro peccato, ut potest impossibilis homini puro, ex *ibidem late dictis disp. 8.* sed ad summum congrua, quae per se formaliter non tollit debitum. Sufficit ergo, quod Penitentia respiciat ad satisfaciendum Deo quantum homo potest; sicque aut eliciat, aut imperet contritionem: non quae formaliter deleant peccatum; sed quae liberè se disponat homo ad Gratiam formaliter deletivam peccati, infundendam ex certa, ac misericordiae lege Dei, homini sic se disponenti, & congruè satisfacienti pro mortali. Illud, quod subditur de venialibus, falsum esse vidimus *disp. 13. sect. 8.* ubi probatum est contra Vasquez, & alios, venialia neque per contritionem, neque per Gratiam habitualement intrinsecam formaliter tolli, seu remitti; sed per extrinsecam Dei condonationem. Ad confirmationem, distinguo maiorem: per contritionem tanquam per formam reconciliationis per se remissivam, & reconciliativam, nego maiorem: nam esset obligari ad sibi impossi-

bile: per contritionem tanquam per dispositionem, cui Deus annexit infusionem Gratiae, per se reconciliativam, ac remissivam, concedo maiorem. Negatur autem minor: nam ad sic se disponendum per contritionem obligatur homo, quamvis contritio non formaliter iustificet. Ad probationem minoris dico, obligari peccatorem ad actum suum, & ad id quod iuxta Dei legem pendet ab actu suo: ideoque obligatur ad reconciliationem: quia, quamvis haec non sit formaliter actus suus; at ex Dei lege annexa est actui suo. Unde falsa est ultima consequentia.

12 Movetur quartò. Quia Donum per se dignum remissione peccati est forma iustificans: sed talis est actus contritionis, & charitatis: ergo est forma iustificans. Minor probatur primò ex Augustino dicente: *Præcedit aliquid in peccatoribus, quo, quamvis non sint iustificati, digni efficiuntur iustificatione.* Id autem præcedens nihil aptius esse potest, quam actus contritionis, vel charitatis. Secundò: quia nullus actus potest esse condignus gloriae sine Gratia sanctificante: sed actus charitatis per se; secus quolibet alio dono, est condignus gloriae: ergo quia ipsemet est sanctitas. Maior contabit ex *disp. 25. de Merito, sect. 1.* Minor videtur esse S. Anselmi, asserentis, nullum esse posse proportionatum præmium dilectionis Dei, nisi beatitudinem. Confirmatur. Ponamus, adultum iustificari, facto actu contritionis; & Parvulum sine illo. Auferat deinde Deus ab utroque omnem habitum: Parvulus non maneret iustus, nec dignus Gloriae; bene verò, Adultus: ergo formaliter ab actu contritionis moraliter perseverante: quia iam non à Gratia; quandoquidem utriusque iam ablata supponitur; quamvis in utroque fuerit: ergo, quia actus contritionis moraliter perseverans habet vim formaliter condignificandi, & iustificandi, & est per se forma sanctificans.

13 Respondetur, distinguendo maiorem ambiguam: donum dignitate physica dignum remissione, cuius nempe formalis effectus sit tollere peccatum, est forma iustificans, concedo: dignum dignitate morali, cuius præmium sit forma iustificans, nego maiorem: & in utroque sensu minorem. Nec enim actus charitatis est forma per se remittens, seu delens

pecca-

peccatum; nec condignè meretur eius remissionem; seu, ut loquimur disputantes de Merito, primam Gratiam; sed tantum de congruo. Unde nulla est consequentia. Prima probatio minoris pro nobis potius facit: ibi namque supponit rectè Augustinus, actum hominis, de cuius dignitate loquitur, non esse, sed præcedere iustificationem formalem: quàm meretur, non de condigno, sed congruè: quod, ut moris est, significat Augustinus nomine digni. Secunda probatio tangit doctrinam exagitantem *disp. 28. sect. 5.* Ex ibi dicendis, concessa nunc maiori, negatur minor. In cuius probatione rectè ait Anselmus, præmium dilectionis esse beatitudinem: quia actus charitatis, vel contritionis, quo ultimo disponimur ad Gratiam, quamvis non nisi congruè mereatur primam Gratiam, meretur de condigno primam gloriam, ut *loc. cit.* dicemus.

Infrà disp. 28.

August.

Infrà disp. 25.

14 Ad confirmationem, do casum antecedentis, & nego consequentiam. Ad cuius rationem dico, quod Adultus maneret in eo casu dignus gloriae: non ut hereditate, qui titularis correspondet Gratiae Filiorum; sed ut præmio, & coronâ, correspondente actui, quem exercuit meritorie in Gratia; non propter sequentes, si aliquos post ablatam Gratiam exercuisset. Ex quo non inferitur, illum actum esse Gratiam sanctificantem; sed factum fuisse ab Adulto habente tunc Gratiam sanctificantem, & condignificantem: quam quia iam non habet Parvulus, cui ablata supponitur, non adipiscitur Gratiam, ut præmium; quia nunquam meruit; nec ut hereditatem; quia non est Filius. Fortè addi posset ex dicendis *disp. 19. sect. 6.* eiusmodi Parvulo conferendam Gloriam ex intrinsecâ promissione Gloriam, quam præferret Gratia semel habita, & peccato non interrupta.

Infrà disp. 19.

August.

15 Insistunt. Sicut Gratia habitualis eminet supra dona alia huius ordinis in honestate physica, sic actus charitatis in honestate morali: ergo, sicut illa est formaliter sanctificans; sic & iste. Probatur consequentia: quia illi etiam propter eminentem suam honestatem competit facere hominem divinæ Naturæ participem: qui solius formae sanctificantis effectus est: *Deum diligis*, ait Augustinus, *quid dicam? Deus eris: non audeo dicere ex me-*

Scripturas additis: Ego dixi: Dñs estis. Et Leo Magnus. *Charitas est omnis summa virtutum, & totius plenitudo iustitiæ.* Et rursus Augustinus: *Sicut radix omnium malorum est cupiditas, radix omnium bonorum est Charitas.* Ecce munera alia formae sanctificantis attributa actui charitatis. Confirmatur. Bonitas suprema moralis, quæ Deus bonificat viatores, debet esse per se sufficiens ad naturam honestandam, & mundandam à culpa; sicut per se malitia moralis ad eam deturpandam: sed ea bonitas est actus charitatis: hic igitur debet esse ad id per se sufficiens; atque adeò ad per se formaliter iustificandum.

S. Leo.

16 Respondetur, concessa antecedente, negando consequentiam: quia ut probabitur *sect. seq.* actus charitatis ex intrinsecis suæ honestatis moralis non habet vim delendi peccatum habituale, sicut habet Gratia habitualis ex perfectione sua physica. Ad probationem negatur actui charitatis effectus ille formalis faciendi participes naturæ divinæ, prout explicandus est *disp. 19. sect. 3.* Verba autem Augustini intelligi possunt; ac debent de dilectione: non formaliter; sed quatenus ultimo disponit ad formam, cui tribuendi sunt illi effectus. Cum verò dicitur charitas à S. Leone plenitudo iustitiæ, & ab alijs plenitudo legis; eatenus dicitur, quatenus dilectio Dei imperat nobilissimè actus aliarum virtutum, & incompatibilis est cum actuali violatione legis: ad hoc autem ut per se formaliter iustificet, deberet etiam per se tollere violationem habitualement. Et ad hunc modum intelligenda sunt posteriora verba Augustini. Sic autem non attribuuntur actui charitatis, nisi dispositivè, munera propria, & quidditativa formae per se iustificantis. Ad confirmationem, negatur antecedens: nimium enim ex illo probaretur; scilicet, quemlibet actum bonum fore sufficientem ad emundandam animam; sicut ad deturpandam quilibet malus.

Infrà disp. 19.

P. N. G. Thyrsuse

17 R. P. N. G. Thyrsus ubi supra, quamvis non omnino velit, actum contritionis, seu charitatis esse formam iustificantem, eo quod ut ait *num. 76.* non constituat hominem in statu permanente Filij adoptivi Dei; nec secum afferat per modum radicis alios habitus virtutum; ait tamen, iustificare formaliter, quatenus præstat effectum formalem delendi

lendi omne peccatum mortale, etiam habituale. Sic a num. 65.

18 Movetur autem singulariter hac ratione, quæ potest esse nova instantia contra aliquas ex nostris supra datis resolutionibus. Actus charitatis titulo suæ perfectionis physice est essentialiter incompossibilis cum omni peccato actuali; cum stare nequeat, hominem perfectissimè diligere Deum super omnia; & tamen scienter aliquid velle, quo scit, Deum graviter offensum iri: ergo est similiter incompossibilis cum omni habituali. Probatur consequentia, quam negamus. Si non esset etiam incompossibilis cum habituali, componi posset cum actuali: ergo, si cum actuali non potest, nec potest cum habituali. Probatur antecedens: eo ipso quod Dei dilectio componi posset cum peccato habituali, componi posset cum dignitate pœnæ æternæ correspondentis peccato habituali: sed eo ipso componi posset cum peccato actuali: ergo posset cum actuali, si posset cum habituali. Maior patet: quia dignitas pœnæ æternæ est prædicatum intrinsecum peccati habitualis. Probatur autem minor. Si posset componi cum dignitate pœnæ æternæ damni, & sensus correspondentis peccato habituali, eo ipso componi posset cum tali pœna: sed si componi posset cum tali pœna, componi posset cum peccato actuali: ergo eo ipso componi posset cum peccato actuali. Ratio maioris est, quia, si cum Dei dilectione stat hominem esse dignum tali pœnâ, stare posset, hominem pati talem pœnam. Probatur autem minor: quia, si componi potest cum tali pœna, componi potest cum eo quod homo sic diligens Deum, tradatur in eo ipso instanti in infernum conscius divini decreti de tali suâ æternâ punitione: totum enim hoc est pœna non excedens dignitatem culpæ, non obstante actu suo charitatis. Atqui status ille damnationis, cadens iam sub experientiam, & notitiam hominis, necessitat moraliter ad actualiter peccandum: ergo, si actus charitatis est composibilis cum eo statu illarum pœnarum, esset eo ipso composibilis cum peccato actuali, sine quo nunquam stat ea necessitas moralis ad illud. Ne igitur hoc dicatur, dicendum est, actum charitatis esse ex intrinsecis suis incompossibilem cum eo statu; ac

proinde cum dignitate talis status; sicque cum omni peccato etiam habituali.

19 Videtur tamen responderi posse, concesso antecedente, negando consequentiam, & antecedens probationis. Ad probationem huius antecedentis, cõcelsâ maiori, negatur minor. Ad cuius probationem, negatur maior, eiusque ratio: qua negatâ, disturbatur totus subsequens discursus, alioquin ingeniosus. Negantur, inquam: quia dignitas pœnæ, & pœna distinctissima sunt, sicut dignitas præmij, & præmium. In præmio autem res est clara: nam Viator per actus Fidei, Spei, & Charitatis fit dignus gloriâ: cum qua dignitate stant actus Fidei, Spei, & Charitatis; incompossibiles tamen cum statu gloriæ, Visionis intuitivæ, & possessionis beatificæ Dei. Et idem procedit in pœna. Viator enim per peccatum actuale fit dignus morte, cum qua dignitate stat actuale peccatum; incompossibile tamen cum morte; cum implicet quod in eodem instanti homo peccet, & moriatur; sicut quod moriatur, & vivat. Patet rursus in utroque: tam enim ad merendum, quam ad demerendum requiritur status viæ: & merens fit dignus Patriâ; peccans verò demerendo fit dignus exilio æterno, & statu damnationis: cum alterutrâ illarum dignitatum componitur status viæ: cum neutrá tamen status Patriæ, aut damnationis. Falsum est igitur vñdecumque, eo ipso quod actus charitatis componi possit cum dignitate omnis pœnæ, debere posse componi cum omni pœna. Si dicas: quomodo ergo fit homo dignus, aut præmio, aut pœna, pro eo etiam instanti quo meretur, aut peccat, si pro eo instanti nequit ei conferri præmium, nec infligi pœna? Respondetur: quia fit dignus absolute pro instantibus sequentibus, & quantum est ex se etiam pro illo, si aliunde non impediretur executio.

20 Quodsi propter hoc mavis dicere, hominem per peccatum habitualiter perseverans cum sit actus charitatis, non fieri absolute dignum detrudi pro eo ipso instanti ad eas pœnas inferni, repugnantes utique coexistere cum actu charitatis, quem tunc supponitur exercere; idem teneberis dicere in exemplis meriti, & peccati, quæ obicimus. Et poteris ex doctrina sic redarguentium respondere ad syllogismum propositum,

per

SECTIO II.

Actum Charitatis, vel Contritionis non esse formam iustificantem, ratione, & auctoritate comprobatur.

22 **H**ÆC est communior, & verâ Theologorum sententia cum Scoto, Suarez, Gabriele, Durando, Montefino, Lorca, Paludan, Coninc, Granad. Tanner. Amico disp. 33. sect. 3. Ovied. contr. 1. punct. 7. Delugo disp. 5. de Incarn. & 8. de Pœnit. Esparza quest. 12. Requesennio disp. 33. Haunoldo contr. 7. & sequuntur ut plurimum Thomistæ.

23 Fundamentum primum est ab Auctoritate gravissimâ Concilij Tridentini sess. 6. Can. 9. Si quis dixerit, sola Fide impium iustificari; ita ut intelligat, nihil aliud requiri, quod ad iustificationis Gratiâ consequendam cooperetur; & nulla ex parte necesse esse, sua voluntatis motu præparari, atque disponi; anathema sit. Et cap. 6. agens de dispositionibus peccatoris, eas enumeraverat, Fidem, Timorem, Spem, Dilectionem Dei, & Detestationem peccati, scilicet actuales. Et cap. 7. dixerat: Hanc dispositionem, seu preparationem iustificatio ipsa consequitur. Ex verbis Canonis constat, prærequiri semper, ut dispositionem ad iustificationem Adulti, motum aliquem liberum voluntatis. At, si actus contritionis esset forma per se iustificans, non semper prærequireretur.

Nam posset homo ferventissimus, propositâ sibi fœditate sui peccati, & bonitate Dei, primò prorumpere in contritionem perfectam, nullo alio actu libero voluntatis præmissa, ut cum S. Thom. art. 7. supponunt alij SS. Patres apud Oviedum num. 113. imò sic insinuant evenisse in Magdalena, & Latrone: quid enim hoc vetet? Tunc autem abs dubio iustificaretur peccator ille. Quodsi contritio esset forma iustificans, iustificaretur per ipsam, quin præcessisset ad eiusmodi iustificationem motus liber voluntatis, per solam Fidei dispositionem; contra mentem, & verba Canonis Tridentini: cuius anathema pertinuisse, idèdque à sententia, quam impugnavimus, recessisse nonnullos, testatur Oviedus. Clarius, ni fallor, adversantur illis doctrina, & verba cap. 6. & 7. eiusdem Sess. sextæ: Si enim ad illas hominis dispositiones, quas inter numeratur actus

permisâ maiori, negando minorem. In cuius probatione falsum videri potest, quod ea compositio actus charitatis cum statu illo damnationis, cum impossibilis sit, & chimerica, possit esse pœna correspondens peccato, aut cuius peccator fiat absolute dignus; cum absolute nequeat dici dignus pœnâ impossibili, sicut nec præmio impossibili: qualis etiam esset dignitas subeundi pœnam mortis in, & pro ipso instanti quo quis peccat; & dignitas præmij resurrectionis exercitæ in, & pro instanti quo quis nondam mortuus est. Sicque nec est dabilis dignitas absoluta ad eiusmodi pœnas chimericas, sicut nec ad eiusmodi præmia chimerica; nec est in Deo dabile, ac proinde nec à Deo notificabile decretum de eiusmodi pœnis sic infligendis; sicut nec de sic cõferendis eiusmodi præmij, utpotè repugnantibus, & chimericis: & hoc modo excedētibus, vel potius falsò supponētibus talem dignitatē culpæ, & cuiuslibet meriti. Atque hinc, concessâ minori subiunctâ, concedo sub sua conditione consequentiam. At conditio non verificatur: atque adeò, quamvis dicatur actus charitatis intrinsecè incompossibilis cum eo statu damnationis, & cum dignitate pœnæ talis status pro eo suo instanti; non sequitur dicendum, esse intrinsecè incompossibilem cum peccato habituali, utpotè non importante absolute dignitatem pœnæ chimericæ.

21 Addo, vim, & formam argumenti similiter probaturam, quod nemini venit in mentem: scilicet, propositum efficax non peccandi, etiam naturale, & non ex motivo charitatis, fore per se formaliter deletivum peccati habitualis. Quia cum illo stare nequit peccatum actuale, ad quod moraliter necessitat status æternæ damnationis, cuius dignitatem importat peccatum habituale. Et, quamvis multa conetur respondere doctissimè ad hanc instantiam citatus Auctor, potest virgeri vsque, & vsque. Novum aliud argumentum pro hac sententia opponam, & solvam opportunè sect. 4.

num. 46.

Scotus.
Suarez.
Gabriel.
Durand.
Montes.
Lorca.
Palud.
Coninc.
Granad.
Tanner.
Amic.
Ovied.
Lugo.
Esparza.
Reques.
Haunold.
Trident.

S. Thom.

Ovied.

89

dile

dilectionis, & dolor etiam perfectus peccatorum, qui est contritio, *iustificatio ipsa consequitur*; iuxta Concilium: ergo dilectio illa, seu contritio non est forma per se iustificans iuxta Concilium; sed dispositio prævia ad formam per se iustificantem, quæ est Gratia habitualis.

24 Respondent aliqui, iustificationem, præter Gratiâ, dicere expulsionem peccati, quæ subsequitur ad infusionem Gratiæ; Concilium autem dum ait, ad illas dispositiones, atque ad actum charitatis, seu contritionis, consequi iustificationem; intelligendum esse, ad iustificationem completam per expulsionem peccati, aut quâ parte dicit expulsionem peccati. Hæc tamen tergiversatio peccat contra Philosophiam, & contra sinceritatem Concilij, scholasticè, & exactè loquentis in puncto doctrinali. Contra Philosophiam: quia, si contritio est forma iustificans, ipsius quoque effectus est expulsio formæ contrariæ, nempe peccati: dissonat autem in Philosophia, introductionem formæ vocari dispositionem ad expulsionem contrariæ. Contra sinceritatem Concilij: quia sic, & ipsam etiam infusionem Gratiæ vocare posset dispositionem ad iustificationem, quâ parte dicit expulsionem peccati. Absit ergo à Patribus Concilij, sapientissimis Philosophis, & Theologis, tam inepta locutio: qui proinde dispositionem ad iustificationem ritè, ac sincerè vocant quod præviè præcedit ad introductionem formæ iustificantis; & talem volunt esse, inter alias, actum charitatis, seu contritionis.

Ripalda.

25 Respondet Ripalda, hos actus, quamvis sint forma per se iustificans, aptè vocari à Concilio dispositiones ad iustificationem: quia, cum de facto iustificent in consortio Gratiæ habitualis per se etiam iustificantis, disponunt ad istam, ut forma imperfectior ad perfectiorem. Contra tamen. Nam sic primè gradus Gratiæ habitualis dici possent dispositiones ad iustificationem, respectu posteriorum, ut forma minus perfecta ad perfectiorem. Deinde, præterquam quod hoc est, assignare duas simul formas per se iustificantes; cum Concilium loquens de infusione Gratiæ dicat expressè cap. 7. quod est *unica formalis causa* iustificationis; Concilium sanè loquitur de dispositionibus ad primam iustificationem

peccatoris: & ad hanc ait, disponi hominem per contritionem: ergo contritio est dispositio ad primam iustificationem: ergo forma primò iustificans est Gratia habitualis, ad cuius infusionem disponit contritio: non autem esset Gratia habitualis forma primò iustificans, si contritio ipsam præcedens per se formaliter iustificaret; ac proinde nec posset dici à Concilio actus ille liber dispositio ad primam hominis iustificationem. Confugit Ripalda ad suam doctrinam, quod neque contritio, nec Gratia habitualis iustificant, nec delent peccata ex natura sua physica; sed ex novo favore, qui non supervenit à Deo intuitu contritionis, donec subsequitur Gratia habitualis, quâ posita, & non antè, impendit Deus favorem remissionis, & iustificatur homo: sicque contritio non dicitur iustificatio ante infusionem Gratiæ. Cæterum eam Ripaldæ doctrinam reiecit satis *disp. præced. sect. 1.* Eâ tamen prætermisâ, si nulla forma intrinseca iustificat, ac delet peccata, nisi ex novo Dei favore extrinseco, & hic favor expectat infusionem Gratiæ habitualis; huic videtur adstrictus ex præsentè Dei lege, & non potiùs actui contritionis, aut charitatis, quàm actui attritionis in Sacramento, quem etiam subsequitur Gratia, habens sibi adstrictum illum favorem: ergo in præsentè Dei lege totum id, quod de actu contritionis docet Ripalda, posset simillimè dici de actu attritionis in Sacramento: quin tamen sit forma iustificans. Auctoritates autem, quas pro actu contritionis, vel charitatis adducit Ripalda, vel nihil probant; vel pro præsentè Dei lege idem contra ipsam probant, ut perpendenti fiet perspicuum.

26 Responderunt alij cum Vasquez, Vasq. Merat. & Meratio, Concilium dilectionem, & contritionem vocans dispositionem, quâ *iustificatio ipsa consequitur*; non loqui de dilectione, & contritione perfectâ ex motivo charitatis; sed de imperfectâ, quæ est attritio ex metu Gehennæ; vel dilectio Dei, ut boni nobis, quod est motivum amoris concupiscentiæ. Fundantur in verbis subiunctis à Concilio: *Videntes, Deum propter Christum propitium fore, illumque tanquam omnis iustitiæ fontem diligere incipiunt.* En, inquiunt, dilectionem concupiscentiæ: quâ non tam perfectè diligunt, quàm *diligere incipiunt*;

ici-

scilicet Deum, ut iustitiæ fontem, hoc est, ut in nos derivat sua bona. Deinde explicans ulterius motus, seu actus, de quibus loquebatur, addit: *Moventur adversus peccata per odium aliquod, & detestationem; hoc est, per eam penitentiam, quam ante Baptismum agi oportet.* En contritionem imperfectam, seu attritionem: hæc enim est quæ requiritur ante Baptismum Adulti: non ergo, nisi dilectionem, & contritiones imperfectas, & inferiores actui charitatis, & perfectæ contritionis, numerat Concilium inter dispositiones, quas *iustificatio ipsa consequitur*. Sicque relinquatur locus, ut actus contritionis, seu charitatis, sit potiùs forma iustificans, quàm dispositio ad illam. Confirmant: quia loquitur ibi Concilium de iustificatione Adulti per Baptismum, ad quem non prærequiritur dispositio dilectionis, nec contritionis perfectæ: non ergo dilectionem, & contritionem perfectas; sed imperfectas numerat ibi Concilium inter dispositiones ad iustificationem.

Trident.

27 Cæterum, falsum in primis est hoc ultimum confirmationis. Concilium enim, proponens sibi de qua iustificatione loqueretur, dixerat cap. 4. *Quæ quidem translatio post Evangelium promulgatum sine lavacro regenerationis, aut eius voto fieri non potest.* Vbi supponit duo: unum, quod ea iustificationis translatio iam fiebat ante Evangelium; sine isto tamen Baptismi requisito; aliud, quod nunc fit per Sacramentum, vel per votum Sacramenti. Undè patet, Concilium non loqui tantum de iustificatione, quæ fit per Baptismum: neque enim quæ fiebat ante Evangelium, nec quæ fit nunc per votum Baptismi, fit per Sacramentum Baptismi. Loquitur igitur in genere: atque ad de illa etiam, ad quam dilectio, & contritio imperfecta non est sufficiens dispositio. Undè corrumpit tota responsio: sic enim necesse est, quod Concilium inter dispositiones iustificationis numeret dilectionem, & contritionem requisitam, & sufficientem, ut disponatur homo ad iustificationem sine Sacramento: ac proinde dilectionem, & contritionem perfectam.

28 Fundamenta, quibus innititur responsio, firma non sunt. Primò namque ex eo quod ea dilectio dicatur à Concilio esse ad Deum, *ut iustitiæ fontem*, non satis

arguitur, esse imperfectam. Deus enim, ut iustitiæ fons, diligi potest propter se ratione suæ bonitatis relucens erga se in ipsa suæ bonitatis derivabilitate. Secundò: quia per eas voces, *diligere incipiunt*, ut rectè observat Suar. non indicatur imperfectio specifica dilectionis; sed inceptio dilectionis quoad tempus. Tertio: quia sub illis alijs vocibus: *per eam penitentiam, quam ante Baptismum agi oportet*: non solum venit attritio; sed æquè perfecta contritio: neutra enim determinatè requiritur ante Baptismum; sed alterutra; nempe sive attritio, sive contritio. Ergo ex ijs verbis potiùs colligitur, utramque numerari à Concilio inter dispositiones ad iustificationem, quàm unam, alterâ exclusâ: ergo utramque pariter distinxit clarè Concilium ab ipsa forma primò iustificante.

Suarez

29 P. Ant. Perez aliam responsionem meditatatus est, alienam, me iudice, à severitate Concilij, illam fundans in illis Concilij verbis: *diligere incipiunt.* Distinguit itaque in dilectione actionem productivam termini vitalis, quo voluntas denominatur formaliter diligens, à receptione talis termini in voluntate: quam receptionem, requisitam; ut voluntas denominetur diligens, præcedit productio dicti termini, quâ nondum denominatur diligens; sed producit dilectionem, & in terminis Concilij, *incipiens diligere.* Ait ergo, nomine dispositionis ad iustificationem non intelligi à Concilio dilectionem formalem, prout receptam in voluntate; sic enim iam est forma sanctificans; sed intelligi præcisè productionem dilectionis, qua productione, quamvis nondum voluntas denominetur, aut intelligatur absolute diligens, denominatur producit dilectionem, & in phrasi Concilij, *incipiens diligere.*

Perez

30 Video ingenium; sed solidam veritatem desidero, Concilij gravitate dignam, & ad eius mentem, potiùs quàm ad nostram, coaptatam. Mihi in primis cum bona parte Philosophorum in Animalisticis, falsum est, quod supponit ista responsio, in operatione vitali distingui productionem, terminum, & receptionem: sunt enim actus vitales instar modorum, qui per se ipsos formaliter fluunt à potentia vitali; eidemque immanent. Nulloque ingenio mihi persuadebit An-

Se 2

tonius

tonius Pérez, sic loquutum Concilium, ut definitione suam alligaverit ad illam Philosophiam de distinctione actionis, termini, & receptionis vitalis: quam nec venisse in mentem tantorum Patrum indubium est; quaque iuxta meliorem Philosophiam facile negata, ruit tota responsio, tueretque, quod caput est, Conciliaris definitio. Non ergo detorqueri licet, nec decet verba illa Concilij, *incipiunt diligere*, ad inceptionem productionis distincta a forma diligendi; nec extrahi ab inceptioe temporanea verae dilectionis, ut solide explicantur a Suarez, & debent ab omnibus intelligi, ne Concilij definitio pendens fiat a tenui filo doctrinae facile negabilis. Praeterea, ineptissima locutio est, actionem productivam formae vocare dispositionem ad formam: sic enim, & productio caloris ad calefactionem, & productio Gratiae habitualis ad Gratiam, vocari posset, ac deberet dispositio. Rursus: vel productio illa dilectionis est absolute dilectio; vel non. Si non est absolute dilectio, quomodo eam dispositionem identidem vocaret Concilium dilectionem, nisi improprie, abusive, & imperite loquendo in re doctrinali? Si est absolute dilectio, & nondum est forma iustificans: ergo quidquid dicunt Sancti PP. & Scripturae aptari potest illi productioni in sensu dispositivo, quin sit forma per se iustificans: quod est exarmari Adversarios praecipua vi, qua nos imperant. Denique, omnes praedictae responsiones impugnantur sequenti ratione a priori, quae est nostrum secundum fundamentum.

31 Fundamentum secundum nostrum est a ratione validissima, & quidem a priori, sic. Actus contritionis, seu charitatis perfectae non est forma per se expulsiua maculae omnis culpae mortalis: ergo non est forma per se iustificans. Consequentia est legitima: quia, quamvis id non sufficeret, requiritur tamen ad rationem verae formae intrinsecae iustificantis. Antecedens autem probatur. Si per se expelleret maculam culpae, aut illam expelleret per modum condignae satisfactionis pro offensa; aut per modum meriti condignae remissionis, & amicitiae; aut per modum physicae oppositionis, & impossibilitatis cum peccato. Sed nullo ex ijs modis: ergo non est forma per se expulsiua maculae omnis

culpa mortalis. Quoad primum modum probatur minor: quia actus ille charitatis, seu contritionis, est actus, & obsequium purae creaturae: nullum autem obsequium purae creaturae posse esse satisfactionem condignam pro offensa Dei, supponimus cum ipsis Adversarijs ex *disp. nostra 8. de Incarn. vbi propterea convenimus in eo quod ad condignae satisfactionem pro gravi peccato necessaria fuerit Incarnatio, & insufficientis purus homo. Probatur etiam quoad secundum modum: nam ut ibidem diximus sect. 13. perinde est mereri peccatorem sibi condignae, aut alteri peccatori Gratiam iustificantem, & remissionem peccati; ac satisfacere condignae pro peccato: ergo eo ipso quod repugnet obsequium puri hominis, quod sit condigna satisfactio pro peccato, repugnat etiam ex iisdem Sanctorum PP. testimonijs, quod sit condignae meritorium gratiae, & remissionis peccati: sicque nequit actus noster charitatis, aut contritionis expellere peccatum per modum meriti condigni. Et ratio est, quia divina dilectio amicabilem erga hominem est estimabilior multo, quam dilectio quaecumque hominis erga Deum: quemadmodum privatus homo, qui graviter Principem offendit, non meretur condignae veniam, multoque minus amicitiam Regis, eo quod diligat Principem propter se, velitque amicitiam inire cum illo, ut ex terminis videtur notum: igitur actus charitatis, aut contritionis hominis, qui Deum graviter offendit, non eo ipso delet offensam, nec assequitur Dei amicitiam, & divinam dilectionem amicabilem per modum meriti condigni.*

32 Restat tertius modus per modum oppositionis physicae: qui maiores patitur difficultates. Primum: quia, si praedicti actus hominis per modum formae physicae oppositae expellerent, & delerent peccatum, necessario etiam exerciti iustificarent; sicut Gratia habitualis sine villo motu libero iustificat Parvulos, & iustificaret dormientem, eo quod non per modum meriti, sed per modum formae physicae id praestet: sicque contingere posset, quod adultus per motum primo primu Charitatis, seu contritionis iustificaretur, nullam praeviam dispositione liberata: quod per absurdum est, & Concilio dissentaneum; nec minus absurdum diceretur,

Tom. de
Christo,
disp. 8.

tur, quod, physice loquendo, minus perfectus est actus charitatis, qui necessario fit in Patria, quam qui liberè fit in via. Secundò: quia natura actus Charitatis, seu contritionis physice spectata, quamvis opponatur peccato actuali, eo quod repugnet, amare Deum super omnia, & simul actu graviter Deum offendere; at non sic opponitur habituali: nam quod homo Deum nunc amet super omnia nullam dicit repugnantiam cum eo quod heri Deum offenderit, & nondum satisfecerit, nec Deus remiserit: in quo stat peccati habitualitas. Atqui forma per se physice iustificans opponi debet cum omni peccato mortali, etiam habituali, eiusque maculam delere: ergo praedicti actus non iustificat hominem per modum formae physicae expulsiuae, & delitiuae omnis maculae peccati. Oppositionem autem, & repugnantiam physicam cum solo actuali, non solum actus charitatis; sed quodlibet propositum efficax etiam naturale non peccandi; non solum perfecta contritio; sed & attritio etiam secum habent; quin tamen formae iustificantes sint apud ipsos Adversarios. Nullum ergo relucet praedictum physicum oppositionis cum peccato in actu charitatis, vel contritionis, quod non reperitur in alijs actibus nostris, qui certo formae iustificantes non sunt.

33 Accedit, quod, ut ex professo probatum est *disp. praec. sect. 5.* forma verè iustificans debet iustificare ex natura sua independenter a novo favore extrinseco: id autem non sic attribui potest actu charitatis, vel contritionis: ergo nec dignitas formae verè, & absolute iustificantis. Minor significatur satis in eo, quod hortatur Deus Ezech. 1. *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos.* Et Isai. 35. *Revertatur ad Dominum, & miserebitur eius:* quas locutiones usurpant identidem Sancti PP. apud Suar. *lib. 7. cap. 13.* Ex quibus intelligere est, quod sit a Deo beneficium remissionis per infusionem Gratiae suae, tanquam novus favor misericordiae suae postquam convertitur homo ad ipsum per amorem, & contritionem. Nec id intelligas de conversione hominis, non per dilectionem, & contritionem perfectas; sed per imperfectas. Certè enim Prophetae loquebantur ante Sacramenta novae legis: ac proinde de conversione extra Sacramentum, cum quo nunc sufficit

dispositio dilectionis, & contritionis imperfectae: ergo de conversione hominis ad Deum per actum charitatis, & contritionis perfectae.

34 Observandus tandem est a Theologo modus loquendi Conciliorum, & Sanctorum Patrum ex Sacris Scripturis circa hoc. Constantè enim, dum loquuntur de dono Gratiae sanctificantis, & habituum, dicunt *infundi*, seu *diffundi* a Deo: id autem in rigore sermonis non tam aptatur formae, quae sit actus noster liber, quam quae nobis merè recipiètibus confertur a solo Deo: ergo non nisi minus aptè detorqueri possunt ad significandam formam iustificantem, quae sit actus noster liber charitatis, seu contritionis. Atque hinc est, quod nos hortantur, ut disponamus nos ad iustificationem, quia dispositiones sunt actus liberi nostri; iustificationem autem ipsam soli Deo specialius attribuant. Quodsi iustificatio ipsa esset etiam actus aliquis noster liber, pariter hortarentur, ut nos iustificaremus, ac, ut nos disponeremus: pariter, ut nos converteremur ad Deum, ac, ut Deus converteretur ad nos: quod minus consonum est. Et quidem formam iustificantem, ut donum nobis permanenter inhaerens praedicant: quod actu charitatis, vel contritionis fluxili, & transeunte nos afficienti, convenire nequit. Nec incommodo vacat, quod transeunte illo actu, sine novo peccato amitteret homo Gratiam, quae fuit primò iustificatus; aut omnino dicendum, in sola habituali physice permanente residere totam vim per se formaliter iustificandi. Haec, & alia expendit dignè D. Eximius citatus.

Suarez

SECTIO III.

An Visio Beatifica, sit forma per se sanctificans.

35 AFFIRMANT Vasquez, Torres, Vasq. Granad. Montefin. Ovied. *con-torres: trov. 4. de Beatitud. punct. 6.* Ripal. *disp. 99. Montef. sect. 2. & Amicus disp. 33. sect. 2.* Quia Visio Ovied. Dei est ipsa formalis Beatitudo; ac proinde Ripald. supernaturalis possessio summi boni, Amic. arcta coniunctio cum ultimo fine, consummata creaturae rationalis felicitas: cui propterea debetur universalis restitudo virtutum, & mundities ab omni macula peccati; non minus; imò potius, quam

Ezech. 1

Isai. 35.

Suarez

quam nostræ Gratia habituali: ergo est per se forma sanctificans: quamvis non sic appelletur iustificans in rigore sermonis, quia supponit expulsum peccatum, hominemque translatum in adoptionem. Si enim sanctificat Gratia habitualis, quia est ius ad hanc hereditatem, & possessionem, ideoque facit amicos Dei; quanto magis Visio, quæ est ipsa possessio hereditatis, & perfectior bonorum communicatio? Hæc consideratio convincit, si supponatur, rationem essentialem Beatitudinis consistere adæquatè in actu visionis Dei. Verùm suppositionem istam, de qua nunc disputamus, negant graves Theologi: qui, præter Visionem, ad essentialem rationem Beatitudinis requirunt fruitionem, quæ sit actus voluntatis.

Suarez. 36 Negant è diverso Suarez, Curiel, *Curiel.* *Ægid.* *Lustitanus*, uterque *Hurtad.* *Lorca*, cum alijs, quos citat, & noviter sequitur *Requesennius*. Primò: quia visio beatifica non est universalis rectitudo; cum nec sit omnes virtutes, nec omnium radix; quinimò præsupponit illas radicitas in Gratia habituali. Secundò: quia ex hac ratione potius habitus luminis Gloriar, quam actualis visio dicendus esset forma sanctificans: cum in ipso radiceatur visio, ut in sui principio, cui inniuntur reliquæ felicitates Status beatifici. Tertio: quia visio residet in intellectu: forma verò sanctificans residere debet in voluntate, quam rectificat ad bene moraliter operandum. Quarto: quia sequeretur, homini post mortem, quæ finitur status viæ, & merendi, augeri Gratiam, cum superveniat visio beatifica. Hæc tamen momenta non convincunt.

37 Ad primum enim respondetur, negando, Visionem beatificam non esse rectitudinem universalem in eo sensu, quo talis est, & dicitur Gratia habitualis: quia nempe Visioni; non minus quam Gratia, ratione sui status debentur habitus virtutum. Nec obest, quòd Visio eos habitus supponat: nam etiam Gratia supponit interdum habitus Fidei, & Spei: & tamen dicitur virtutum omnium radix, ideoque rectitudo universalis; quia ipsi debentur, & ratione sui status est etiam inductiva illorum habituum Fidei, ac Spei, quos supponit, si non præsupponerentur. Sic ergo Visio beatifica ratione sui status, si non præsupponerentur virtutes.

38 Ad secundum, si vera esset doctrina P. Ripaldæ de natura Gratia iustificantis, non nisi ex morali quadam decentia emundatis à peccato, facile esset, id concedere luminis gloriæ, sicut habitui Charitatis, & alijs formis inferioribus. Negandum tamen est id luminis, sicut & alijs, quamvis concedatur Visioni. Quemadmodum enim lumen, quamvis sit principium, radixque Visionis, quæ sit forma beatificans, non est per se formaliter beatificans; ita neque sanctificans, quamvis sit principium, & radix Visionis, quæ esset forma sanctificans. Quia ratio formaliter sanctificandi competit Visioni titulo eximie felicitatis status, quem constituit, & ratione perfectioris conjunctionis cum Deo, incompossibilis formaliter cum materia peccati: quod luminis non competit: ideoque ratio formæ sanctificantis non competit luminis, cum quo, exclusâ visione, stare posset macula peccati; sicut cum habitu Charitatis, exclusâ Gratia. Nec est inconveniens, quòd effectus, nempe Visio, esset quoad hoc perfectior suo principio, nempe lumine. Nam quoad multa solent causæ minus perfectæ habere effectus perfectiores se: ad quos vique producendos iuvantur à Causâ primâ summè perfectâ.

39 Ad tertium respondetur facilius, nec intellectum à voluntate, nec utrumque à substantia animæ realiter distingui, ut est iam in Animalibus communis opinio: iuxta quam tam Visio beata, quam Gratia iustificans immediatissimè resident in substantia Animæ: quæ simul est intellectus, quem Visio illustrat, & voluntas, quæ Gratia rectificat. Et adhuc dato, quòd potentia distinguerentur realiter ab anima, & quòd Gratia, & Visio immediatè reciperentur in potentijs distinctis, non tollit quominus immediatè quoque recipiantur in substantia animæ.

40 Ad quartum respondetur, absurdum fore dicere, post mortem augeri Gratiam, quæ sit ius ad novam, & intensiorem gloriam, quæque apud viatores venit nomine Gratia sanctificantis: at augeri, seu supervenire Sanctitatem, seu Gratiam alterius ordinis, quæ sit ipsa Gloria, sine iure ad gloriam intensiorem, non est absurdum: nec ad id requiritur status viæ, nec merendi; sicut nec

ad

Luc. 7.

ad exercendos plures actus honestissimos. Quinimò sic intelligunt aliqui dictum Christi comparatis Baptistam cum Beatis: *Qui minor est in Regno Cælorum, maior est illo*: quatenus scilicet Ioannes, quamvis Sanctissimus inter Viatores, carebat adhuc Visione Dei, quæ est Sanctitas altioris ordinis.

41 Meum super hoc iudicium esto. Primò: formam essentialiter beatificantem dicere essentialiter conceptum Sanctitatis, seu Gratia sanctificantis: nequit enim essentialiter stare felicitas illa sine conceptu exclusionis miserie peccati, & sine conceptu amicitie divinæ: ut bene pro se expendebat prima sententia n. 35. Secundò: si verum est quod ait communior opinio, Visionem esse totam essentialiter Beatitudinis; in ipsa imbibere debere rationem formæ per se sanctificantis: quia sine ratione sanctitatis formalis, & amicitie divinæ, concipere non possum essentialiter adæquatam Beatitudinis. Tertio: si Visio non est forma per se sanctificans, Beatitudinem essentialiter stare non posse in sola Visione; sed adæquari essentialiter debere ex alijs compartibus; quarum una sit formalis Sanctitas. Undè, si ratio formalis sanctitatis creata vnicè reperitur in Gratia habituali, hæc debet ingredi essentialiter Beatitudinis. Constat ex num. 35.

SECTIO III.

An amor beatificus.

Esparza

42 **A**UTHORES, qui de actu Charitatis in via affirmant, esse formam per se sanctificantem, consequenter id affirmant de amore beatifico Dei in Patria. Ex negantibus nobiscum illud prius, affirmat hoc posterius Esparza *quest. 12. ad 1.* Si autem id negantibus de habitu Charitatis obijcias, quomodo amor Charitatis qui est sanctitas, oriri potest ab habitu Charitatis, qui non est sanctitas; respondent: eo modo, quo dictum est num. 38. actum Visionis, qui sit formalis Beatitudo, oriri ab habitu luminis, qui formalis Beatitudo non est. Nec obest proloquium illud: *nemo dat quod non habet.* Intelligitur enim, non de qualibet causa partiali; sed de causa adæquata dante esse: quæ quidem debet præcontinere illud, quod dat: non formaliter; sed eminenter.

43 Qui verò nobiscum negant actum charitatis viæ esse formam per se sanctificantem, divisi sunt. *Oviædus contr. 2. de Beatitud. punct. 7.* & *Amicus disp. 33. de Grat. num. 66.* negant etiam de amore beatifico, esse formam per se sanctificantem: quia putant, esse eiusdem rationis, ac speciei cum amore Viatorum, qui non est forma sanctificans. *Conine disp. 23. de Charit. Delugo disp. 16. de Fide, nu. 7.* *Ripald. sect. 5. num. 31.* *Martin. Perez disp. 55. de Incarn. sect. 2. & alijs* sentiunt, amorem beatificum esse longè perfectiorem, & diversæ speciei: quia non utcumque amat sicut nos in via Deum propter se; sed etiam ut intuenti præsentem, per modum gaudij de bono sic possessore: quin tamen proinde desinat eiusmodi amor esse perfectæ charitatis: nam hoc ipsum, quamvis, ut bonum nobis, terminet amorem concupiscentiæ, ut tamen est specialis gloria Dei sic possideri, terminat amorem perfectissimæ Charitatis. Undè, quamvis amori viæ specificè imperfectiori non competat ratio formæ sanctificantis, competere potest amori beatifico.

44 Multa in ijs tanguntur, quæ non est præsentis instituti definire. Meum in præsentis iudicium esto consequenter ad resolutionem sessionis præcedentis. Primò: si, ut vult *Ripalda*, amor beatificus est per se quoque forma beatificans seorsim à Visione, etiam per se formaliter beatificantem. Secundò: si, ut volunt *Suar. & Molina*, neuter istorum actuum seorsim; sed complexum ex utroque, est forma per se beatificans; complexum pariter ex utroque erit forma per se sanctificans. Tertio: si, ut vult *Anton. Perez disp. 6. cap. 2. à num. 15.* forma per se beatificans est complexum ex Visione, quæ excluditur miseria erroris, & inscitie; ex amore, quo excluditur miseria peccati; & ex fruitione, seu gaudio, quo excluditur miseria doloris, & tristitiæ; in hoc complexo imbibere debere rationem formæ sanctificantis.

45 Quòd si nec in Visione, nec in Amore, nec in Gaudio, aut Fruitione Beatorum, nec in istorum actuum complexo, relucet ratio formæ per se sanctificantis; nec in eo mihi relucet ratio formæ adæquatè essentialiter beatificantis; sed ad hanc adæquandam debet in

Oviæd.
Amic.Conine.
Lugo.
Perez.
Ripaldæ

Ripaldæ

Suarez.
Molina.

Perez

ea vterius essentialiter includi Gratia habitualis, faciens per se formaliter hominem amicum, & Filium Dei, mundum à peccato, & dignum diligi amicabilem à Deo. Nam, vt incepti dicere *sect. præc.* sine hoc divinæ amicitiae prædicato concipere non possum felicitatem essentialem veræ, & absolutæ Beatitudinis essentialis. Sic fermè P. Amicus *num. 65.*

Amic.

46 Opponitur huic nostro iudicio, simulque toti nostræ doctrinæ sectionis secundæ discursus ingeniosus Professoris Romani apud Haunoldum à *num. 701.* contententis, amorem charitatis, sive diversæ, sive eiusdem speciei in via, ac in Patria; sive sit, sive non sit forma per se beatificans, esse formam per se sanctificantem. Ecce. Actus charitatis in Viatore ex sua intrinsicâ perfectione procedit ab actu Fidei credente, quod Deus diligentes se diligit; & in Comprehenfore, ab actu Visionis id ipsum intuen- te: ergo ex sua intrinsicâ perfectione importat essentialiter redamationem divinam amicabilem; ac proindè & incompossibilitatem cum macula peccati, & formaliter divinam amicitiam. Confirmatur. Amor ille Dei super omnia est volitio vivendi semper cum Deo, & collocatio propriæ beatitudinis in æternâ Visione, gratulatione, & plausu divinæ bonitatis, ac felicitatis: hoc enim est amare Deum super omnia; contemnere nimirum omnia præ bono videndi Deum, semper videndo divinam felicitatem vt amet, semperque amando vt videat. Ergo, si homo sic amans Deum nunquam obrineret videre Deum, ex ipsa sui amoris perfectione, & magnitudine fieret infelix; vt potè frustratus bono, quod omnibus alijs bonis anteposuit. Atqui ex ipsis terminis implicat, vt indignum divina bonitate, hominem donari à Deo amore illo suo, vt præ magnitudine ipsius amoris, quem Deus donat, fiat homo miser, & infelix: ergo talis amor ex ipsa sua perfectione, & magnitudine est intrinsicè incompossibilis cum peccato, etiam habituali, tanquam cum essentiali impedimento humanæ beatitudinis. Confirmatur secundò. Deus donans homini amorem Dei super omnia, nequit illum sic donare nisi ex affectu amicitiae erga hominem: sicque repugnat, quod illum donet inimico: ergo talis amor est

Haunol.

Anon.

ex natura sua intrinsicâ incompossibilis cum omni peccato reddente hominem inimicum Dei; ac proindè etiam cum habituali. Antecedens ostenditur: quia homo per talem amorem amat Deum amicabilem ex parte sua, tradens se perfectè ex parte sua totum Deo: sed Deus, donans homini eum sui amorem, magis amat hominem, quam ametur ab homine: cum ergo ametur tunc ab homine amicabilem, eo ipso magis amicabilem amat hominem.

47 Multa respondet Haunoldus; nos pauca, & firma. In primis pro Viatore, negamus in antecedente, quod actus charitatis debeat semper procedere ab actuali fide de eo quod Deus diligit diligentes se: oblitus enim huius veritatis posset quis diligere propter se Deum, representatum vt summum bonum ex fide de eo quod Deus est, & quod remunerator est, proût requiritur in accedente ad Deum. Deindè pro Comprehenfore fateor, actum Charitatis in eo statu procedere à visione diætæ veritatis. Vndè, permisso antecedente quoad Viatorem, & concessio quoad Comprehenforem, negatur consequentia. Non enim quælibet forma connexa cum amore divino amicabile, & incompossibilis cum peccato est forma sanctificans: alioquin actus fidei, quo quis crederet ex speciali revelatione, se amicabilem diligi à Deo, & esse mundum à peccato, esset potiori iure forma per se sanctificans: quod apud omnes est falsum. Requiritur ergo, quod forma, eo quod hominem informet, & intrinsicè depulchret, reddat per se hominem dignum amore Dei amicabile: hoc autem non facit actus ille charitatis ratione sui, vt evicimus *sect. 2.* nec ratione actus fidei, cui innititur; cum similis actus meus fidei de eo quod alter est mundus à peccato, & dilectus amicabilem à Deo, connecteretur cum munditia, & cum divina dilectione alterius; sed ratione alterius formæ intrinsicæ sanctificantis, quæ est Gratia habitualis: quæ, cum ex Dei lege comiteretur semper actum charitatis, facit diligentes Deum diligibiles, & dilectos amicabilem à Deo. Nec alium sensum habet promissio illa Scripturæ; nec aliud proindè fide credimus, quandò id credimus.

48 Ad primam confirmationem dico in primis, quod, mutatis tantum

ter-

SECTIO V.

An Vnio Hypostatica.

terminis, per eandem arguendi formam probaretur, amorem quoque concupiscentiæ, quo Dei dono amaret homo Deum, vt sibi bonum per actum Spei, esse per se incompossibilem cum peccato, & formam sanctificantem: de illo enim est etiã maxime verum, quod similiter sic amans redderetur infelix, & miser, si non pertingat ad id quod sic concupiscit. Concessio deindè antecedente, distinguitur consequens: in eo casu fieret infelix ex ipsa sui amoris perfectione, tanquam per formam, seu causam suæ infelicitatis nego; tanquam per terminum à quo suæ infelicitatis, in eo stantis, quod postea frustretur bono, quod amaverat super omnia, concedo. Nego autem in minori subsumpta, quod id sic concessum, sit implicatorium, aut inconueniens, Deo; indignum: sicut nec quod qui cadit in peccatum ab altiori gradu sanctitatis, qui donum est Dei, infelicius cadat, & plus amittat, quam qui ab inferiori; quod ingrator sæpè fiat, qui plura, & maiora receperat beneficia. Eritne hoc beneficijs tribuendum, aut imputandum benefactori? Negatur tandem vltima consequentia.

49 Ad secundam confirmationem, negatur antecedens, loquendo de repugnantia ex natura rerum. Quod si eum sui amorem donaret Deus ex affectu amicitiae erga hominem, pro priori iam ad amorem humanum diligeret Deus hominem amicabilem, & deleteretur peccatum reddens hominem Deo inimicum, & odibilem. Ad probationem antecedentis, concessa maiori, distinguo minorem: Deus, donans homini talem amorem, magis amat hominem, quam amatur ab homine, amore benefico, & collativo, quatenus nempe conferens homini eum sui amorem, & cum eo consequenter Gratiam, plus boni confert, quam accipit, concedo: magis amat hominem amore amicitiae, nego: hic enim amor supponit hominem Dei amicum, dignumque amore amicabilem Dei: quo tamen homo non est dignus, nisi per Gratiam habitualem: ad cuius scilicet infusionem in anima subsequitur in Deo affectus amoris amicabilem.

(†)

50 HANC esse formam per se sanctificantem tenui contra alios cum gravissimis Theologis præsertim Recentioribus, *disp. 14. de Incarn. sect. 2.* Quibus nunc addo Patrem Aldrete *disp. 46. de Incarn. sect. 2. 3. & 10.* & Patrem Philippum Aranda in hoc nostro Casar-Augustano Collegio Primarium Theologiae Antecessorem in Opere suo luculentissimo, & locupletissimo de Incarnatione recens evulgato *lib. 5. disp. 1. à num. 33.* Rationem mihi firmam ibi posui: quam hic non repeto; sicut neq. obiectiones, quas ibi dissolvi.

Tom. de Christo, disp. 14.

Aldrete Aranda

51 Non tamen actum agam, si prædicata, per quæ Gratia habitualis nostra, quam præ manibus habemus, fortitur rationem formalis sanctitatis, potiori iure competere Hypostaticæ vnioni respectu Animæ Christi; hoc in loco pensulatius comprobare, & novas obiectiones dissolvere, studero.

52 Porro, si Gratia habitualis est donum supernaturale, constituens statum amicitiae divinæ, quem exornant, vt proprietates debitæ, alia multa dona illum statum integrantia, & Gratia habituali vt radici debitissima, quasi proprietates; Vnio etiam Hypostatica inter dona creata supernaturalia humanitatis Christi est donum per modum radicis cæterorum, constituens statum hypostaticum multò sublimiorem. Si Gratia habitualis est puritas à peccato opposita omni lethali; Vnio Hypostatica est multò purior, opposita non solum omni peccato lethali, & veniali; verumetiam potestati peccandi, reddens humanitatem intrinsicè impeccabilem. Si Gratia est participatio admirabilis divinæ Naturæ per modum consortij amicabilem cum iure ad Gloriam æternæ vitæ; arctior, & admirabilior est coniunctio, quæ per Vnionem Hypostaticam adunatur Humanitas in vnum Suppositum cum Deo, sitque digna Deo frui altius, & sublimius. Si Gratia est in nobis relictio vniversalis per habitus virtutum, quæ ipsam comitantur, ad operandum honestè, & supernaturaliter; Vnionem Hypostaticam comitantur in Christo meliori iure virtutes omnes, & dona ad

At

oper

operandum honestè, & theandricè. Potissimum igitur iure est forma sanctificans.

53 Desideret insuper aliquis in Vnionem Hypostatica, quominus sit forma sanctificans, effectum quem præstat in nobis Gratia habitualis, constituendi nos Filios Dei adoptivos. Hunc tamen effectum nec Gratia habitualis, quæ forma certè sanctificans est, præstat in Christo. Non quidem ex defectu dignitatis, aut perfectionis sanctificativæ; imopotius ex sublimiori modo sanctificandi humanitatem intraneè assumptam in vnitate suppositi Filij naturalis Dei: cum qua intraneitate non stat extraneitas requisita ad adoptionem, vt explicuimus latè *disp. 9. de Incarn.* Quapropter dicemus inferius *disp. 19. sect. 5.* effectum constituendi Filium adoptivum non esse de ratione essentiali formæ sanctificantis.

Tom. de Christo, *disp. 9.*
Infrà *disp. 19.*

54 Nec officit, ea omnia præstari ab Vnionem Hypostatica ratione sui termini, & vt quo; ratione scilicet Sanctitatis divinæ Personæ, quam coniungit humanitati. Hoc enim non tollit, quominus etiam ratione sui, & vt quod, formaliter sanctificet: cum alioquin per se, & ex natura sua intrinseca habeat esse coniunctionem substantialem sui, & humanitatis cum Deo; ideòque rationem essentialem formæ sanctificantis creatæ, & inter creatas eminentissimæ. Sic ipsa Vnio est quo Persona divina vnitur humanitati; & est etiam quod per se formaliter vnitur humanitati, & Personæ divinæ. Sic etiam vnio albedinis ad subiectum est vt quo ratio receptionis albedinis in subiecto, & est etiam quod recipitur in subiecto: erga albedinem quo; erga se, quo, & quod. Illationi, quæ solet obijci, de vnionem Gratia habitualis ad animam, responsum est *loc. cit. de Incarn. num. 22.*

55 Præter ibi obiecta, & soluta, occurrunt duo, quibus sibi persuadent aliqui, Vnionem Hypostaticam non esse per se formam sanctificantem, quia solummodo ratione termini, & nullatenus per se, & ratione sui, habet vim sanctificativam. Primum est: quia, si per impossibile daretur humanitati eadem vnio sine Verbo, nec humanitatem sanctificaret, nec prodesset quidquam: ergo quia per se, & ratione sui nec est sanctitas, nec magnificandi. Secundum: quia, si hæc vnio Hypostatica vniretur per aliam

vnionem humanitati invnitæ Verbo, aut sanctificaret hanc humanitatem; aut nõ. Si primum, quo, precor, titulo, aut quoto in gradu eam sanctificaret? Si secundum: ergo, quia per se, & ratione sui non est forma sanctificans.

56 Respondetur tamen ad primum, negando antecedens: esset enim eadem, quæ nunc, vt chimericè supponitur; ac proindè cum iisdem iuribus, & excellentijs essentialibus. Dicam, si placet per eiusmodi chimeras evagari, quod & tunc etiam vniret humanitatem Verbo; & vt chimericè colludamus, cum Verbo quidem non essente. En aliam chimeram; & ex chimera contradictorium; at non nisi ex alio contradictorio legitime propagatum.

57 Ad secundum, chimericam similiter reputant multi suppositionem: quia ex duobus entibus omninò improprietatis ad se convniendum, nulla vnio potest facere vnum per se: sicut neque ex duabus animabus, quocumque modalit glutine compingantur, & alligentur: de qua vnibilium requisita proportione notavi nonnulla vtilia *disput. 2. de Incarnat. num. 11. & disp. 3. num. 72.* Transmissã tamen suppositione, respondeo ad dilemma per aliud dilemma. Aut enim in eo casu ea Vnio Hypostatica vnita per aliam alteri humanitati, vniret Hypostaticè Verbo hanc alteram humanitatem; aut non. Si dicatur primum, dicam, quod sanctificaret hanc etiam alteram humanitatem. Si dicatur secundum, ne mirere, si dicam, quod nec illam sanctificaret. In tantum enim est forma sanctificans, in quantum est vnio Hypostatica, & consortium physicum cum Deo. Vndè, sicut esset vnio Hypostatica, & physicum cum Deo consortium Humanitatis Christi, & non alterius humanitatis; similiter esset forma sanctificans humanitatem Christi, & non illam alteram: hæc enim est natura sanctitatis modalis: sicut & sanctitatis, seu Gratia entitativa, sanctificare naturam rationalem; non verò lapidem, quamvis lapidi affigeretur.

58 Elige deindè quam malueris partem dilemmatis nobis obiecti. Si priorem, titulus sanctificandi in Vnionem Hypostatica erit pro illa etiam altera humanitate excellentia tanti doni, vt expendimus *num. 52.* Gradum autem talis sanctificationis non ad me pertinet scire;

Tom. de Christo, *disp. 2. sect. 1.*

scire; sed ad Deum, æquum rerum omnium æstimatorem. Si posteriorem, distinguo consequens, ex *num. præc.* per se, & ratione sui non est forma sanctificans humanitatem, quam hypostaticè vnit Verbo, nego; alteram, cui vnitur, & quam non vnit Verbo, nego consequentiam. Quid indè?

SECTIO VI.

An Maternitas Dei.

59 DIGNITATEM Divinæ Maternitatis in B. Virgine esse formam Sanctificantem, adstruendum suscepit eruditissimè P. Ripalda *tom. 2. per totam disp. 79.* quod affirmatiùs postmodum alij cum plausu docuerunt, vt noster Cardenas in opere suo specioso de Gemino Sydere, Mag. Saavedra de Sacra Deipara, pijsque Recentiores. Pro quo sensu ex antiquioribus allegat Ripalda *num. 108.*

Ripalda.

Carden. Saaved.

Albert. Anton.

Bashon.

60 Moventur autem tripliciter. Primum à multiplici testimonio Sanctorum Patrum, id identidem adumbrantium inter elogia Sacra Deipara. Secundò à sublimitate Dignitatis Matris Dei: quæ maior non est inter puras creaturas: consequens ergo est, vt per se sit forma sanctificans multò potius, quàm dignitas Filiorum adoptivorum per Gratiam habitualem ordinariam: quorum vtique dignitas est multò inferior. Tertiò, à doctrina P. Ripaldæ, cuius meminimus *disp. præc.* existimantis, de ratione formæ sanctificantis non esse oppositionem physicam cum macula peccati; sed moralem ex indecentia. Hanc autem moralem indecentiam peccati nemo non agnoscat in sublimi dignitate Matris Dei: cuius dignitatis, & indecentiæ intuitu, debeatur illi moraliter, præcisim etiam à Gratia habituali, mundiciæ à macula peccati: nè scilicet monstrum horrendum ingens cerneretur: quale esset Mater naturalis Dei ex speciali dignitate; & inimica Deo per peccatū, reddens illam dignam odio Dei, & æternis supplicijs. Dicendum est ergo, ipsam Dignitatem Maternitatis Dei esse formam per se sanctificantem.

Ripalda. Suprà *disp. 14.*

61 Debilia tamen videntur hæc motiva ad molem tanti ponderis sustinendam. Ad primum enim respondetur,

Sanctos Patres in illis, & alijs locis loquutos de Maternitate Dei in Virgine, cum gratis, ac prærogativis, quibus de facto illam Dignitatem decoravit Deus: quas inter præcipuum locum habet intensissima Gratia habitualis à primo suæ animationis instanti: eoque vitæ decursu pertingens, vt excedat omnes Gratias hominum, & Angelorum, etiam collectivè sumptas: quod ex doctrinâ Doctoris Eximij *tom. 2. in 3. p. disp. 18. sect. 4.* facile credam. Nec est abs re, dicere, multas Sanctorum Patrum locutiones conditionatorias non debere ad terminos rigoris scholastici trutinari: sæpè namque exaggeratoriè more Rethorum eloquutos legimus.

Suarez.

62 Ad secundum, agnosco libens, & veneror sublimitatem Dignitatis Matris Dei super omnem dignitatè puræ creaturæ: & supererogabo P. Cardenas, esse simpliciter infinitam. Notari tamè oportet, aliam esse Dignitatem honorabilitatis, seu honorificam; aliam, & valdè diversam, Dignitatem sanctificativam, seu perfectivam. Illa potest esse extrinseca subiecto, extrinsecus quasi civiliter reddens illud honorabile, vtpotè constitutum in statu insigniter superiori, benefactorio, & benemeritorio erga alios; in eo dignitatis ordine sibi subditos, aut inferiores. Ista debet esse intrinseca subiecto, quod reddit bonum. Patet in Patre, & Principe minimè bonis; cum certa sit diversitas inter Patrem, & bonum Patrem; inter Principem, & bonum Principem. Principem enim, & Patrem, etiam non bonos, debemus honorare plusquam alios, qui moribus meliores sunt: quia sine dignitate perfectiva, & sanctificativa intrinseca, præminet in illis dignitas quasi civilis honoraria. His sic, vt oportet distinctis, dico, Dignitatem Matris Dei spectatam secundum se, & seiunctim à Gratia habituali, alijsque donis intrinsecis, esse quidem supremam inter puras creaturas, in genere scilicet dignitatis honorariæ; & in hoc genere excedere dignitatem honorariam Filiorum adoptivorum Dei; non verò in genere dignitatis perfectivæ, & sanctificativæ, aliundè petendæ: in quo nimirum genere excederetur à dignitate Filiorum adoptivorum Dei per Gratiam intrinsecè perfectivam, & iustificativam: quæ propterea foret abs dubio eligibilior à

Tt a

pru:

prudentissima Virgine præ Dignitate Matris Dei seiunctim à Gratia habituali, aliisque donis intrinsecis Gratiam comitantibus. Sicque intelligitur vulgatum illud: *Melius est, concipere Deum mentem, quam ventre*: ex Augult. cap. 3. de Virginit. ibi: *Beatior Maria percipiendo fidem Christi, quam concipiendo carnem Christi*. Quò respexit illud Christi Luc. II. vbi extolenti: *Beatus venter, qui te portavit, & vbera, qua suxisti*; respondit: *Quinimò beati qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud*.

63 Ad tertium, doctrinam illam Ripaldæ, vt omninò falsam, & minùs consentaneam Tridentino, & vt dignitati Gratia Christi derogantem, reiecimus *Suprà disp. 14. præced. sect. 5.* Profectò, si sic sentire necesse est de Gratia Dei sanctificante, vt quoquo modo pertingere per se possit Maternitas Dei ad rationem formæ sanctificantis; hoc certè non tam est extollere Dignitatem Matris Dei, quam deprimere dignitatem Gratia, eamque tam infimè constituere, vt dignitatibus multò inferioribus Maternitati Dei, titulo moralis indecentiæ adaptari nullo ferè negotio possit: Dignitatibus scilicet Iosephi, Ioachimi, & Annæ; Præcursoris, & alijs huiusmodi pro cuiuscumque devotione, vt aliter expendebam *loc. citat. à num. 62.*

64 Monstrum illud ingens Matris Dei, & inimicæ Dei, dignæ odio Dei, & æternis supplicijs, horrendum quidem est. At monstrum est etiam horrendum, Apostolus, & inimicus Christi, & persecutor Ecclesiæ Christi; Summus Pontifex Vicarius Christi, & negator Christi. Nec inficiari possumus, huiusmodi monstra non fieri sine magna indecentia morali: & tamen fiunt; quin proindè dicantur huiusmodi dignitates formæ sanctificantis, titulo indecentiæ, & indecoritatis, qua coniunguntur cum sordibus enormium peccatorum. Præterea: vel ea indecentia refunditur etiam in Deum, ita vt Deo sit indecens, & moraliter impossibile, Dignitatem Matris Dei coniungi cum peccato, & cum inimicitia Deo; vel solum est respectu subiecti Matris Dei. Si dicatur primum, non solum dabitur moralis indecentia; sed metaphysica impossibilitas talis coniunctionis: Deo namque metaphysicè repugnat quidquid Deum dedecet.

Nec Deo quidquam est moraliter impossibile, quin eo ipso physicè, & metaphysicè impossibile sit: cum Deus quidquid potest facile possit, vt in simili me dixisse memini *disp. 7. de Incarn. à num. 23.* vbi *sect. 4.* dissolvi quidquid huic doctrinæ opponi solet. Si verò dicatur secundum; ergo nihil obstat, quominus posset Deus abique vlla sua indecentia sinere, quòd coniungatur dignitas illa Matris Dei, seiunctim à Gratia habituali, cum inimicitia Dei, & sordè peccati; essetque casus monstri horreni ingentis. Consultius ergo sine dubio foret, illam indecentiam moralem ponere in eo, quòd Dignitas Matris Dei foret abique eximia Gratia habituali, essentialiter incompossibili cum peccato. Sic enim saluaretur eodem modo Dignitas diuinæ Maternitatis, quin deprimeretur dignitas Gratia Christi.

65 Conclusio ex ijs omnibus sit, Dignitatem Maternitatis Dei, quantumvis supremam inter creatas honorarias, non esse formam per se sanctificantem. Rationem satis dedimus inter respondendum ad motiva contraria. Addo à priori, quòd forma per se sanctificans debet ex natura sua physica opponi cum macula peccati: alioquin non tam naturæ talis formæ, quam supervenienti novo favori extrinsecæ condonationis tribueretur formalis effectus sanctificandi, vt multis probavimus *disp. præced. sect. 5.* & ab obiectionibus defendimus *sect. 6.* Id autem non convenire Dignitati Matris Dei, quantumvis elevatissimæ, fatentur nobis Adversarij. Accedit, quòd Maternitas Dei in Virgine stat formaliter in actione productiva vnionis humanæ, simulq; Hypostaticæ Christi: quæ productio non manet intrinsecæ in Virgine producente; sed in Humanitate Christi producta, vt est nobis, & Adversarijs in Philosophia commune: atque adeo nequit formaliter intrinsecè afficere, nec sanctificare Beatissimam Virginem. Quo satis concluditur, Maternitatem Dei non esse formam per se sanctificantem, quamvis sit Dignitas honoraria inter creatas suprema.

66 Per hæc non negamus in re Dignitati Matris Dei quidquam gloriæ, quòd alij illi attribuunt. Convenimus enim in eo quòd decetissimum sit, eam ab omni peccato segregari: differimus in eo quòd alij

Tom. de Christo, disp. 7.

Suprà disp. 14.

alij volunt, indecentiam istam moralem, quæ esset coniungi peccatum cum ea Dignitate, seiunctim etiam à Gratia habituali, esse formalem sanctitatem: quòd nos negamus: quippè nec in Gratia habituali putamus id ad rationem formalis sanctitatis sufficere. Sicq; rationem istam sanctitatis, quam nos Gratia habituali attribuimus, ipsi quoque negant Maternitati Dei. Vnde nomen tantum formæ sanctificantis illi adaptant sine re: & id quidem habituali Gratia veram verè

sanctitatis rationem detrahentes sine operæpretio. Qua arte perfacile est vim sanctificativam Maternitatis Dei exequare Gratia habituali; sicut & lineam bipalmarem tripalmari, detrahendo à tripalmari palmum. Laudatores equidem, & amatores Marianos laudo, & amo in Domino, & in Domina: memor tamen monitiunculæ devotissimi Bernardi: *Honoranda valde Mater Domini; sed honor Regina iudicium diligit.*



DISPUTATIO XVI.

DE OPPOSITIONE GRATIAE HABITUALIS Iustificantis cum peccato mortali.

MORTALI, dico. Quia cum venialibus, sive habitualibus, sive actualibus, non opponi Gratiam nostram habitualement ordinariam, quæ de facto est, vidimus *disp. 13. sect. 8.* vbi egimus de venialium remissione; & de forma, qua de facto remittuntur. Circa oppositionem autem Gratia cum mortali duo controversantur. Quanta scilicet, & Qualis sit. Prior controversia realissima est, & magni momenti; posterior magna ex parte vocibus laborat.

Suprà disp. 13.

SECTIO I.

Improbatur opinatio Magistri Lorca circa coniunctionem Gratia cum peccato pro instanti physico.

Lorca. 2 **D**EFENDIT audacter hic Author *tom. 2. in 1. 2. disp. 40.* oppositionem Gratia cum peccato tantam non esse, vt simul per vnum instans non commorentur in eadem anima: in instanti nimirum, quo actu committitur à Iusto mortale. Id quòd de cunctis alijs formis physicis contrarijs docuisse prius Bachonium, testatur Amicus *disp. 32. num. 19.*

Bacch. Amic.

3 Pro hac, à cunctis ferè alijs derelicta, doctrinam afferri solent duo argumenta. Primum: quia verè dicimus, quòd iustus peccat: sed iustus habet Gratiam: ergo habens Gratiam peccat: ergo in instanti, quo peccat, coexistunt in anima Gratia, & peccatum. Secundum: quia iusto peccanti auferatur demeritorie Gra-

tia: ergo prius natura peccat, quam in pœnam peccati auferatur illi demeritorie Gratia. Sed ad id opus est, quòd pro priori naturæ præexistat Gratia, & pro posteriori naturæ peccatum in eodem instanti temporis: ergo in vno instanti physico coexistunt. Probatur hæc minor: quia Gratia non auferatur in instanti, quo est: ergo in instanti reali ante ablationem Gratia erant Gratia, & peccatum; illa pro priori naturæ; & istud pro posteriori demerens existentiam Gratia propterea auferendæ in instanti sequenti.

4 Nihilò tamen minùs sentiendum, & dicendum omninò est, in nullo instanti reali temporis commorari Gratiam, & peccatum mortale. Nec desunt qui contrariam opinionem censent. Primum: quia Propositiones Baianæ 31. 32. & 43. ab Ecclesia damnatæ proferebant, quòd *Charitas perfecta, quæ est plenitudo legis, esse potest sine remissione peccatorum: & quòd datur vera iustificatio; separata tamen à remissione peccatorum.* Quibus

Baianæ

dogmatibus sese immiscere videtur qui Gratiam, ac per consequens Charitatem Individuam eius comitem, simul coexistere, vel per vnum instans, patitur cum peccato, ac proinde sine remissione peccati: unde inferetur, dari veram iustificationem separatam à remissione peccati. Secundò: quia posset evenire, quòd homini lethaliter peccanti nunquam auferretur Gratia: si nempe in instanti immediato ad commissionem peccati perfectè contereretur, nunquam deinceps lethaliter peccaturus. Tunc enim non auferretur Gratia, iuxta Lorcam, in instanti, A, quo actu peccat: at nec in sequenti, B, quia iam est perfectè contritus, sicque denuò dispositus ad Gratiam in eo ipso instanti suscipiendam. Quanam autem esset rerum inversio, hominem sic dispositum spoliari Gratia, quando Gratia infusionem pro tunc ex lege saltem Dei promeretur?

5 Ratio verò à priori est. Quia repugnancia coniunctionis diuturnæ Gratia cum peccato pro reliquis instantibus est propter formalem eorum oppositionem, & propter effectus formales, aut contrarios, aut contradictorios, quos in eadem simul anima causarèt. At eiusmodi oppositio, & formales effectus eodem iure militent pro primo, ac pro reliquis instantibus: ut in omnibus formis oppositis videre est. Si igitur pro vno non repugnant coniungi; nec pro reliquis; aut, si pro reliquis repugnant; similiter & pro vno instanti.

6 Respondet Lorca, id esse verum in formis physicè tantum oppositis; non verò sic in Gratia erga peccatum, quo demeritoriè expellitur. Contra tamen: Tum quia peccatum actuale non solum demeritoriè; sed ex natura etiam sua physica expellit Gratiam ob intrinsecam incompossibilitatem suæ sceditatis cum illius pulchritudine. Tum quia, dato etiam, quòd tantum demeritoriè, certum est, hominem per peccatum non solum demereri Gratiam pro sequentibus instantibus; imopotius pro primo: sicut, quando perfectè conteritur, meretur Gratiam etiam pro ipso primo instanti, quo conteritur. Si ergo qui sic contritus meretur Gratiam, recipit Gratiam in eo ipso instanti, quo conteritur; cur qui per peccatum demeretur Gratiam non spoliabitur Gratia in eo ipso instanti,

quo peccat? Recurrit Lorca ad implicancias suorum argumentorum: quibus facile solutis, paritas nostræ rationis manebit indisoluta.

7 Ad primum ergo argumentum nobis oppositum num. 3. respondeo, maiorem esse veram solummodò ampliatiè, ut docemur in Summulis: sicut eum dicimus: *homo vivus moritur*: id est, *qui erat vivus*. Sic autem, & non aliter, dicimus verè: *homo iustus peccat*; scilicet ampliatiè ad tempus proximè præcedens: quo sensu dicitur iustus qui proximè antecederet habebat Gratiam. At in eodem sensu ampliatiè non solum dicitur iustus qui habet; sed etiam qui proximè habuit Gratiam: sicque minor loqueretur verè in sensu non ampliatiè. At variatur suppositio termini, *iustus*: quippe supponit ampliatiè in Maiori; & non ampliatiè in Minori. Et nulla est consequentia ex vitio præmissarum, iuxta regulam Summularum.

8 Ad secundam, concessò enthymemate, negatur minor subsumpta. Ad eius probationem, concessò antecedente, negatur consequentia. In instanti reali ante ablationem Gratia, erat quidem Gratia: peccatum autem ad quid? ponitur itaque peccatum in instanti reali post ultimum instans reale existentia Gratia: & in hoc eodem primo instanti reali positionis peccati auferitur Gratia, quantumvis demeritoriè auferatur; sicut in primo instanti reali perfectæ contritionis confertur Gratia, quamvis merito-riè conferatur. Ad quid tandem, aut quomodò componi necesse est Gratiam, & peccatum in eodem instanti reali, Gratiam pro priori natura, & peccatum pro posteriori? Præterquam enim quòd sibi invicem repugnant in eodem subiecto. Gratia certè non causat peccatum, nec peccatum nascitur à Gratia: per quam ergo Philosophiam constituitur à Lorca Gratia pro priori natura ad peccatum, quamvis esset in vno instanti reali? Certè enim prioritas naturæ prioritas causalitatis est, & posterioritas naturæ est posterioritas nativitatis.

9 Dices: quia peccatum est causa expulsionis Gratia: atque adeò positio peccati est naturà prior expulsionem Gratia: inducta demeritoriè à peccato. Importunè tamen. Quia, peccatum esse causà expulsionis Gratia, facit quidem, quòd

quòd sit in vno instanti reali cum expulsionem Gratia, pro priori natura ad expulsionem Gratia demeritoriè inductam; non verò, quòd sit in vno instanti reali cum Gratia pro posteriori natura ad Gratiam, à qua vtrique non inducitur. Quinimò indidem evincitur oppositum: nam, si peccatum inducit demeritoriè expulsionem Gratia, & est in eodem instanti reali expulsionis Gratia, ad modum quo contritio, & infusio Gratia per illam merito-riè inducta; sicut nequeunt esse simul in vno instanti reali Gratia, & expulsio Gratia; ita nec Gratia, & peccatum.

10 Urgebis. Quando iustus peccat pro eo priori natura, quo peccat, non datur expulsio Gratia demeritoriè inducta per peccatum: ergo pro illo priori natura datur Gratia: hæ enim sunt propositiones contradictoria, impotes esse simul falsa. En ergo coniunctionem peccati cum Gratia in vno instanti reali. Importunius. Concessò enim antecedente, negatur consequentia. Nam illæ duæ propositiones non sunt contradictoria, cum vtrique sit affirmativa: est autem regula Dialectica Tyronibus nota, quòd oppositio propositionum contradictoriarum non versatur, nisi inter negativam, & affirmativam. Itaque nihil vetat, quominus vtrique falsa sit. Contradictoria quidem essent istæ: *pro eo priori natura non datur: pro eo priori natura datur expulsio Gratia demeritoriè inducta per peccatum*: prima negativa vera; secunda affirmativa falsa; & similiter istæ: *pro eo priori natura datur: pro eo priori natura non datur Gratia*: prima affirmativa falsa: quia si Gratia deest iam pro toto illo instanti reali, quomodò esset in eo instanti reali, nec pro priori, nec pro posteriori natura? Secunda negativa vera: quia, cum verum sit, Gratiam non esse in illo instanti reali, verissimum est, non esse pro priori natura, sicut nec pro posteriori natura in illo instanti reali. Inter has legitime contradictorias non est dare medium; ideoque ex eo quòd vna sit vera, benè sequitur aliam esse falsam. Inter illas verò affirmativas, quæ scilicet contradictoria non sunt; ex eo quòd vna sit falsa, non sequitur, aliam esse veram: cum vtrique possit esse falsa: & est facile dare medium inter illas, nempe neutram esse veram. Nec enim pro eo priori

natura, quo quis peccat, datur expulsio Gratia; cum non detur expulsio inducens peccatum: nec pro eo priori datur Gratia; quia non datur Gratia causans peccatum; dari autem pro priori est dari, exercendo id quòd est causalitatem in natura posteriori. Quinimò nec datur Gratia in eo instanti reali: implicat autem dari pro priori natura in eo instanti reali quòd non datur in eo instanti reali. Datur ergo in eo instanti quo quis peccat, peccatum, & expulsio Gratia demeritoriè inducta per peccatum; illud pro priori; quia inducit; ista pro posteriori; quia inducitur. Gratia, neutro modo; quia nec datur, nec inducit, nec inducitur. Sicque nihil video veri in vitima consequentia. Hæc oportet ob oculos haberi: ex insufficienti enim, aut sinistra harum veritatum intelligentia vidi sæpè multos irretitos in terminis prædictarum prioritatum.

11 Lenire putans doctrinæ acerbiter Lorca, incidit in errorem Philosophicum peiorem priori. Quippe dixit, se non voluisse, quòd Gratia, & peccatum vtrumque tempore coniungantur; sed in vno priori natura: quatenus peccatum est causa expulsionis Gratia. Cæterum nec video, quomodò Gratia, & peccatum sunt simul natura, quando tempore non sunt simul: nec huius doctrinæ rationem satis intelligo. Nam quòd peccatum sit natura prius expulsionem Gratia, nequit esse ratio cur Gratia, quæ non est causa expulsionis Gratia sit pro priori natura, quo est peccatum.

12 Dices: Gratiam esse quoque principium quodammodò expulsionis Gratia: quatenus scilicet est terminus à quo mutationis, quæ fit quando iustus peccat: ad eum modum, quo dici solet in Physicis, privationem formæ esse principium mutationis: sicque Gratia est pro priori, quo sunt principia suæ exclusionis; ac proinde pro priori peccati. Contra tamen: quia hoc ipso convincitur, quòd, sicut privatio formæ præcedens tempore positionem formæ, constituit mutationem successivè dicentem privationem in vno tempore, & formam pro altero, sine ordine prioritatis, aut posterioritatis natura inter privationem, & formam, quia neutra alteram causat, & quia vtrique in vno temporis instanti

Lorca.

coexistat; sic igitur Gratia præcedens tempore expulsionem Gratia per peccatum, constituit quodammodo sui expulsionem sine ordine prioritatis, & posterioritatis naturæ inter Gratiam, & peccatum, cum nec Gratia causet peccatum, nec causetur à peccato, quin nec per vnicum instans temporis coexistat peccatum, & Gratia: de quo erat quæstio. Reliqua nihil faciunt ad rem, quomodoque vtamur doctrinis de principijs entis naturalis.

13 Difficilius disputari posset pro coexistentia, saltem instantanea, Gratia cum peccato, argumento, quod nos in simili nobis obiecimur contra condonationem Dei purè extrinsecam *disp. 13. num. 65.* & solvimur *num. 68.* Ecce. Homo peccans spoliatur Gratia in pœnam, à qua absolvit eum liberè Deus, quando liberè eum iustificat infundens Gratiam: ergo pro temporis instanti, quo liberè Deus infundit Gratia, & absolvit à pœna privationis Gratia, coexistunt in homine Gratia, & peccatum. Probat hęc consequentia: nam pro eo instanti, quo Deus liberè infundit Gratiam, & absolvit hominem à pœna privationis Gratia, est verè liber ad infundendam, vel non infundendam Gratiam, ac proinde ad absolvendum, vel non absolvendum hominem à pœna privationis Gratia: quomodo enim hęc liberè tunc faceret, si tunc non esset ad vtrūque liber? Atqui eo ipso quod sit liber tunc Deus ad vtrūlibet, est tunc in homine peccatum: ergo coexistunt in eo tunc temporis in homine Gratia, & peccatum. Probat minor: quia, si Deus est tunc sic liber, est indifferenter potens pro libito, sive ad infundendam Gratiam, & absolvendum hominem à pœna privationis Gratia; sive ad non infundendam Gratiam, & ad non absolvendum hominem à pœna privationis Gratia: ex ijs enim duabus potestatibus coalescit illa libertas: sed eo ipso quod Deus sit tunc potens ad non absolvendum hominem à pœna privationis Gratia, coexistunt in eo tunc temporis Gratia, & peccatum: ergo. Probat hęc minor: nam in primis existit in eo tunc Gratia, quia tunc, vt supponimus, liberè infunditur à Deo Gratia: deinde in eodem tunc temporis existit peccatum. Probat hęc pars. Quia pro eo tunc est in Deo vera potestas non

absolvendi hominem à pœna privationis Gratia, ac proinde puniendi hominem privatione Gratia: nam sine vera potestate non esset Deus verè potens: sed eo ipso pro eodem tunc temporis existit in homine peccatum: ergo peccatum simul tempore cum libera infusione Gratia; atque adeo cum Gratia. Probat hęc vltima minor, in qua est difficultas: quia non est in Deo vera, & iusta potestas puniendi hominem in eo instanti pœnâ privationis Gratia, quin homo sit in eo instanti dignus tali pœnâ: non enim Deus verè, & iuste potest punire hominem pœnâ, quâ non est dignus: sed, si tunc temporis esset homo dignus tali pœna, esset tunc temporis in homine peccatum: non enim sit homo dignus pœnâ privationis Gratia, nisi per peccatum: ergo eo ipso in eodem tunc temporis existeret peccatum; ac proinde coexistens cum Gratia.

14 Captiosus discursus, qui facile seducet minus peritos iurium veræ libertatis. Concedo ego antecedens, & nego consequentiam. In eius probatione vera est tota maior, & falsa minor. Ad eius probationem, concessâ maiori, nego aliam minorem. Ad huius tertiæ minoris probationem, concessâ priori parte, nego posteriorem, quod nempe in eodem tunc temporis existat peccatum. Ad huius partis probationem distinguatur sedulo maior: pro eo tunc infusionis Gratia est in Deo potestas non absolvendi hominem à pœna privationis Gratia, & puniendi hominem privatione Gratia, coniungendo non absolutionem, seu eiusmodi punitionem cum libera infusione Gratia, nego; ad huiusmodi enim coniunctionem vtpotè repugnantem, nec tunc est, nec vquam fuit in Deo potestas; nec potest Deus ad id implicatorium esse potens: *seimpendo* non absolutionem, seu eiusmodi punitionem à liberâ infusione Gratia, concedo maiorem: cum enim liberè infundat Gratiam, & absolvat hominem à pœna, & punitione privationis Gratia, eadem libertate, qua cum liberè infundit Gratiam, potest non infundere, potest non absolvere, & punire; scilicet non infundendo Gratiam. Nego deinde minorem, in qua est difficultas. Ad cuius probationem, distinguatur maior: si non esset tunc in potestate libera Dei relinquere hominem in pri-

na

stina dignitate talis pœnæ, concedo maiorem; si est hoc tunc, vt verè est, in potestate libera Dei, nego maiorem. Quamvis enim verum sit, quod Deus non possit verè, & iuste punire hominem pœnâ, quâ non est dignus, coniungendo punitionem cum non dignitate pœnæ; potest tamen verè, ac iuste pro libertate sua relinquere hominem cum dignitate talis pœnæ, non infundendo Gratiam; sicque hominem pro libito Dei dignum punire. Sic potest Deus, omnes homines resuscitare: non quidem resuscitare non mortuos; quia hoc implicat; sed, illis prius inferendo mortem, resuscitare: quod verissimum est: & ad id datur in Deo vera potestas. Hinc, concessâ minori, nego vltimam consequentiam. Quomodo enim quod homo sit potens ponere peccatum, quando non ponit, non facit illum peccatorem, nec ponit in homine peccatum; sic quod Deus sit potens punire hominem quando infundit Gratiam, & absolvit à pœna, non relinquit hominem dignum pœnâ, nec cum peccato: sicque stat, Deum in eo instanti reali esse potentem punire, quin homo in eodem instanti sit dignus, & in peccato: quæ erat tota difficultas argumenti.

SECTIO II.

Quanta sit oppositio Gratia Habitualis cum peccato moriali.

Vasq.
Torres.
Granad.
Lugo.
Becan.
Montes.
Amic.
Caspens.
Perez.
Esparza
Rhodes.
Aunol.
Reques.
Scotus.
Ripalda.
Suarez.
Bellar.
Curiel.
Ovied.

15 SÆPE insinuavi, tantam esse, vt de nullâ potentia componi possint. In qua sententia pedem, & animum figo cum Sapientissimo Vasquez. Eum sequuntur Torres, Granad. Delugo, Becanus, Montesinus, Amicus, Caspens, Ant. Perez, Esparza, Rhodes, Haunoldus *conr. 6.* & Requesenn. *disp. 36. sect. 2.* & est communis opinio Thomistarum. Contra Scotum, Ripaldam, & alios, existimantes, Gratiam non iustificare ex natura sua physica: & contra Suar. *lib. 7. cap. 19. & 20.* & *disp. 9. de Pœnit. sect. 3.* Bellarm. Curielem, Oviedum, Arriagam, & Martinonum *disp. 41. sect. 5.* qui, quamvis nobiscum sentiant, Gratiam iustificare ex natura sua, ideoque ex natura sua physica opponi cum peccato, sicut calor cum frigore; non tamen taliter, vt de potentia Dei absolutâ nequeant coniungi,

R.P.N.G. Thyrsus *tom. 3. disput. 10. sect. 4.* nobiscum tenet, Gratiam habitualement de nulla potentia componi posse cum peccato habituali; contra nos verò tenet *sect. 1.* posse de absoluta cum actuali. Eius rationes discutiemus seorsim *sect. 5.*

16 Probari solet nostra sententia satis communiter hac ratione. Gratia nequit esse cum peccato naturaliter: ergo nec de potentia Dei absoluta. Antecedens conceditur à maiori parte Adversariorum cum P. Suarez. Adversus Scotum tamen, & Ripaldam probanda fortiter est ex dictis contra ipsos *disp. 14. sect. 5.* si enim Gratia ex natura sua physica iustificat, & expellit peccatum, saltem sicut frigus calorem, saltem naturaliter cum peccato coniungi non posse, necesse est. Consequentia verò probatur: quia, si cum repugnantia physica naturali, mutuo coniungerentur divinitus, Deus esset causa specialis Gratia, & peccati: sed Deum esse specialem causam peccati, prorsus repugnat: ergo, & Gratiam coniungi de absoluta Dei potentia cum peccato, si naturaliter coniungi non possunt. Negant maiorem Adversarij: quia, inquiunt, sufficeret, quod ad eam coniunctionem naturaliter repugnantem, esset Deus causa specialis Gratia, & merè permitteret peccatum: scilicet conservando tunc Gratiam contra exigentiam naturalem Gratia in præsentia peccati, quod dumtaxat permitteretur à Deo.

17 Contra tamen, & probatur illa nostra maior. Non minus opponitur peccatum cum Gratia, quam Gratia cum peccato: ergo, sicut Gratia naturaliter exigit non coexistere cum peccato, pariter peccatum exigit non coexistere Gratia: id quod videtur non posse negari, nisi negatâ mutuâ oppositione naturali vtriusque. Ergo, sicut concurrens Deus ad productionem, vel conservationem Gratia in præsentia peccati, concurreret contra exigentiam Gratia; ideoque vt causa specialis Gratia; pariter, concurrens ad peccatum in præsentia Gratia, concurreret ad peccatum contra exigentiam peccati; ideoque, vt causa specialis peccati. Ex eo namque tunc concurreret specialiter ad Gratiam, quia in præsentia peccati concurreret ad Gratiam naturaliter inexigentem, & repugnantem esse cum peccato. At similiter concurrens

Arriag.
Martin.

P.N.G.
Thyrsus.

Suprà
disp. 14.

Vt

ad

Suprà
disp. 13.
sect. 5.

ad peccatum in presentia Gratia, concurreret ad peccatum naturaliter inexistens, & repugnans esse cum Gratia. Pariter ergo concurreret, ut causa specialis ad peccatum, atque ad Gratiam: quod tamen Deo metaphysicè repugnat.

18 Confirmatur, disturbando ordinem quemdam inordinatissimum prioritatis, & posterioritatis, ad quem aliqui confugiunt. Si peccatum posset divinitus coniungi cum Gratia, vel esset, infundente Deo simul Gratiam homini habenti peccatum; vel esset, permittente Deo simul peccatum homini habenti Gratiam. Sed neutro in casu, quin Deus esset specialis causa peccati: ergo repugnat omninò. Probatur minor de primo casu: quia, quamvis in eo casu peccatum præcesserit tempore Gratiam, in eo tamen instanti infusionis Gratia nulla est prioritas naturæ inter Gratiam, & peccatum: neutrum enim alterum causat: ergo tunc titulo prioritatis, & posterioritatis miraculum coexistentiæ Gratia, & peccati non se teneret potius ex parte Gratia, quam peccati; sed æquè ex parte utriusque: sicque non esset minor ratio cur esset Deus causa specialis peccati, quam Gratia. Probatur similiter de secundo casu: quia, quamvis in eo casu Gratia præcesserit tempore peccatum, in eo tamen instanti permissionis, & cõmissionis peccati, nec habent inter se ordinem prioris, & posterioris naturæ, cum neutrum alterum causet: nec titulo villo prioritatis naturæ alterum alteri coexistit sine utriusque violentia; cum mutuo ad invicem opponantur. Ergo in utroque casu tam actio dans tunc esse peccato, esset indebita peccato, & causis ordinarijs peccati, quam actio dans esse Gratia est indebita Gratia, & causis, aut dispositionibus ordinarijs Gratia: ergo utriusque pariter esset Deus causa specialis, utpotè agens indebitè, & ultra exigentiam causarum, aut dispositionum. Quamvis enim causæ peccati petant actionem in peccatum, expellendo Gratiam; non tamen, non expulsâ Gratia, nec pro casu, seu pro instanti, quo est Gratia: id enim esset causas naturales exigere miraculum, aut miraculum ipsis deberi: quod nequit dici. Ad nullius ergo causæ naturalis exigentiam permitteretur, aut committeretur peccatum in, & pro instanti existentiæ Gra-

tia: sicque fieri non posset, nisi concurrente Deo, specialiter ad peccatum.

19 Hæc ratio mihi placebat olim. Nunc verò non fatis, ad intentum præfens plenè probandum. Quamvis enim convincat, meo videri, inconiungibilitatem Gratia cum peccato actuali, dum physicè causatur, & committitur; non tamen cum peccato habituali, dum, tractato influxu physico causarum, moraliter tantum perseverat. Ratio mihi est. Quia peccatum habituale nihil est aliud, quam actuale præteritum moraliter perseverans, eo quòd nec sit remissum, nec fatis compensatum: perseverat autem moraliter per easdem causas, per quas accepit esse physicum pro tunc, & morale pro tunc, & pro deinceps in æternum, nisi aliquando fatis compensetur, aut remittatur. Homo enim heri peccans reddit se Deo inimicum, & odio Dei dignum, non solum pro heri, sed pro heri, & pro hodie, & in posterum, donec, aut plenè satisfaciatur, quod ipse non possit; aut donec Deus remittat, quod Deus misericorditer potest; sicque remissione suâ tollere peccatum habituale. Nec proinde dicas, quòd sicut Deum remittere peccatum, est Deum tollere peccatum; Deum non remittere peccatum, est conservare peccatum. Non enim est, nisi, non tollere peccatum: valde autem diversa sunt ponere, conservare, & non tollere; sicut ponere rem, & non impedire. Peccator physicè peccatum posuit permittente, seu non impediante Deo; & idem peccator moraliter illud conservat, non tollente Deo.

20 Hinc sic coarguo. Vel Deus conservans Gratiam stante peccato habituali, esset specialis causa peccati physica; vel moralis. Non physica; quia peccatum habituale non est quid physicè existens: ac proinde nec specialis, nec generalis causa physica illius esset Deus. Non moralis: quia Deus, nec illud vellet, nec causaret, nec præciperet, nec suaderet, nec consuleret, nec approbaret; sed tantum nollet tollere, nolendo remittere: hoc autem specialissimè posset facere Deus, quin hoc esset specialiter causare peccatum: ac proinde sine inconvenienti specialis causalitatis in peccatum, ut ea ratio probare contendit. Nec est inconveniens, quòd tunc faceret Deus contra exigentiam Gratia ex natura sua peten-

petentis remissionem peccati. Nam facere contra exigentiam Gratia utcumque, non est inconveniens dedecens Deum, utpotè potentem decentissimè Gratiam producere, & conservare sine subiecto, quod ex natura sua physica exigit. Quid hoc, precor, ad specialem causalitatem in peccatum habituale? Aliundè ergo probanda est metaphysica connexio Gratia cum remissione peccati, ac proinde inconiungibilitas plusquam naturalis Gratia cum peccato, etiam habituali, quam ex speciali causalitate peccati: ut tam pro habituali, quam pro actuali teneat argumentatio.

20 Ex hac doctrina, si aliud non obstaret, posset aliquis existimare, Gratiam de nulla potentia coniungi posse cum peccato actuali, quamvis posset cum habituali; extremè sese opponens iudicantibus, posse coniungi cum actuali, & non cum habituali. Sententia verò nostra, cum utroslibet coniungibilem negans, aliter probanda nobis est.

Haunol.

21 Probat Haunoldus à num. 683. ex eo quòd Gratia iustificans sit quasi divinum sigillum, signaculum, signumve supernaturale divinæ remissionis, inscriptum cordibus nostris, quo quasi testatur factò Deus, se remittere peccatum, nosq; adoptare in Filios, & instituere hæredes. Quemadmodum ergo implicat omninò, actum supernaturalem esse falsum, & characterem Sacramentalem, qui est signum supernaturale Sacramenti suscepti, imprimi, quin Sacramentum sit in re susceptum; sic etiam implicat dari signum supernaturale divinum remissionis peccati sine remissione; ac proinde cum peccato. Nec valet dicere, Sacramenta quoque esse signa supernaturalia Gratia, quæ non semper confertur suscepto valide Sacramento. Est enim manifesta disparitas, ex eo quòd Sacramenta sunt signa ad placitum, non causantia Gratiam ex instituto Dei, nisi sub certis conditionibus, & dispositionibus, quæ sapè desunt in suscipientibus. At character Sacramentalis est signum Sacramenti, & Gratia signum, seu signaculum divinæ remissionis ex naturis suis, à nulla prorsus ulteriori conditione, seu dispositione penderi: cum ex parte nostra dispositio peccatoris, quæ sufficit ad infusionem Gratia, sufficiat eo ipso ad remissionem peccati; sicut quæ sufficit ad

impresionem characteris, sufficit ad validum Sacramentum.

SECTIO III.

Universalior, & solidior probatio Theologica veræ sententia.

22 **G**RATIA, & peccatum tam actuale, quam habituale habent indispensabiliter effectus formales omninò metaphysicè impossibiles: ergo sunt formæ, quæ in eodem subiecto divinitus non possunt componi. Antecedens probatur: nam peccatum indispensabiliter, & essentialiter facit hominem peccatorem, iniustum, immundum, & divinæ hæreditatis indignum; Gratia ex opposito facit iustum, Sanctum, mundum, dignumque divinæ hæreditatis. Peccatum ita facit inimicum, ut omninò nequeat Deus non odisse inimicabiliter peccatorem cum peccato, ut videbimus *disp. 19. sect. 4.* Gratia verè ita facit amicum, ut nequeat Deus non diligere amicabiliter hominem cum Gratia, ut ibidem videbimus. Atqui in ipsis terminis implicat, hominè esse simul iustum, & iniustum; mundum, & immundum; dignum, & indignum hæreditatis; amicabiliter dilectum, & inimicabiliter odio habitum à Deo: Ergo Gratia, & peccatum habent effectus indispensabiles metaphysicè impossibiles: atque adeò nec divinitus possunt in eodem subiecto componi: ijs enim ad invicem compositis, eiusmodi effectus omninò impossibiles simul etiam componi necesse esset.

23 Responso communis est, Gratiam essentialiter, & primariò non tribuere subiecto effectus illos formales iusti, mundi, amici, &c. sed effectum informandi, ac decorandi taliter animam, ut hos effectus formales, seu has denominationes ipsi tribueret, si aliundè non haberet obicem ad illas, quale foret peccatum. Sicut non tribuit Christo effectum, seu denominationem Filij adoptivi propter obicem Filiationis naturalis. Itaque, coexistentibus Gratia, & peccato, homo quamvis haberet Gratiam, non fieret absolutè iustus, mundus, Dei amicus, nec sanctus, quoad effectum negativum puritatis à peccato, quem important illæ denominationes; sed quoad

Suprà
disp. 19.

effectum dumtaxat positivum habendi iustitiam, mundiciem, amicitiam, & sanctitatem, vi cuius fortiretur absolute predictas denominationes, si non adesset obex peccati, quo sit earum incapax. Unde in eo casu ex coexistentia Gratia, & peccati in eodem homine non resultarent effectus formales essentialiter oppositi, & ex terminis implicantes. Hæc responsio multos sefellit. Qui, si opinantur cum Scoto, Gratiam non iustificare ex natura sua physica, loquuntur consequenter: impugnati tamen satis sunt *disp. 14.* Si verò nobiscum ibi sentiunt, Gratiam ex natura sua physica iustificare, non satis, vt arbitror, sibi constant.

Suprà
disp. 14.

24 Impugnantur sic. Gratia habitualis nobis intrinseca, vt sæpè vidimus ex Trident. est adæquata iustitia nostra, & *unica formalis causa* nostræ iustificationis: ac proinde formalis eius effectus est, reddere nos iustificatos: cum autem esse iustificatum sit, esse translatum ab statu peccati ad statum Gratia, quia iustificatio ex ipso Trident. est *translatio ab statu peccati*: eius effectus formalis debet esse, reddere nos translatos ab statu peccati. Ex quo deducuntur manifestè duo. Primum, involvi etiam in eius effectu formali expulsionem peccati, ac proinde mundiciem, iustitiam, & puritatem quoad negativum: non enim est translatus ab statu peccati, qui manet in statu peccati. Secundum, non aliter salvari bene quod ait Concilium, Gratiam intrinsecam esse *unicam formalem causam* nostræ iustificationis. Quod sic monstrò. Iustificatio ex Trident. est *translatio ab statu peccati*: ergo nequit esse *unica formalis causa* iustificationis, nisi id quod est *unica formalis causa* translationis ab statu peccati. Atqui iuxta doctrinam datæ responsionis, Gratia nobis intrinseca non esset *unica formalis causa* translationis ab statu peccati: ergo neque iustificationis: quomodo ergo stat doctrina Concilij? Probatur minor: quia translatio ab statu peccati dicit essentialissimè expulsionem peccati. At iuxta doctrinam responsionis causa formalis expulsionis peccati non tam esset Gratia intrinseca, cum qua scilicet peccatum componi posset; quam voluntas Dei remissiva, cum qua nec divinitus peccatum potest componi; ergo hæc potius extrinseca voluntas Dei esset formalis expulsio peccati, ac proin-

dè translatio ab statu peccati, quam Gratia nobis intrinseca: aut saltem ex utraque, ex Gratia scilicet intrinseca, & ex remissione extrinseca coalesceret formalis nostra iustificatio, sicut formalis nostra translatio ab statu peccati. Quomodo ergo staret quod ait Concilium, Gratiam nobis intrinsecam esse *unicam formalem causam* nostræ iustificationis? Vt ergo sincere teneamus sententiam Concilij, dici necesse est, Gratiam nobis intrinsecam præstare formaliter effectum iustificandi: non solum quoad positivum, vt aiunt, informandi hominem; sed quoad negativum etiam transterendi illum ab statu peccati, ac proinde expellendi peccatum: cum quo effectu stare nullatenus potest peccatum.

25 Nec iuvat exemplum, quo vtuntur, denominationis, seu effectus formalis constituendi Filiū adoptivum: quini modo indidem roboratur præcedens impugnatio. Quamvis enim Gratia conveniat facere Filium adoptivum; quia tamen illi convenit sub conditione sibi accidentali, quod subiectum sit capax huius denominationis, per accidens est ad naturam Gratia, & ad eius effectus formales essentielles, subiectum esse, vel non esse capax adoptionis: non enim est natura Gratia, quod subiectum, cui infunditur, sit, aut non sit intraneum Deo: alioquin contra naturam Gratia esset infundi Christo. At certè respectu denominationum iusti, sancti, mundi, & amici Dei non possumus sic loqui, aut sentire de natura Gratia; cum ex natura sua physica habeat non esse nisi in subiecto capaci istarum denominationum, & effectuum formalium: alioquin non magis ex se haberet non esse in anima simul cum peccato, quo redditur incapax earum denominationum, quam non esse in Christo simul cum Filiatione naturali Dei, qua redditur incapax denominationis Filiij adoptivi. Quorsum igitur hæc adoptionis paritas?

26 Ratio ergo disparitatis perspicua est, quod natura Gratia, quæ quidem sanctitas, & iustitia est, non se habet indifferenter ad præstandos, vel non præstandos effectus iusti, sancti, & mundi: quamvis enim ad eos præstandos necesse sit, subiectum esse sine peccato, hanc tamen ipsam conditionem, seu quasi conditionem exigentissimè præfert ipsa natura

natura Gratia: alioquinde per accidens illi esset poni vbi est, aut vbi non est peccatum: atque adeo exigentia, quam habet faciendi subiectum Sanctum, iustum, & mundum à peccato absolutissima est; quia non est sub conditione, quæ non exigat ipsa natura Gratia; sicut exigentia, quam habet denominandi informatam, pulchram, & gratam animam cui infunditur absolutissima est, quia, quamvis sit sub conditione quod anima sic informetur, depulcretur, & gratificetur; hanc tamen ipsam quasi conditionem exigit eadem essentialitate natura ipsa Gratia, vt infundatur. At conditio extraneitatis, quam requirit Gratia, vt denominet adoptivum; non est conditio, quam exigit natura Gratia, vt infundatur: alioquin non infunderetur connaturaliter animæ Christi vnite Verbo: ideoque exigentia faciendi Filium adoptivum non est absoluta, sed conditionata in natura Gratia, æquè indifferenter se habentis ad faciendum Filium adoptivum Dei, si subiectum est Deo extraneum; aut non faciendi, si intraneum.

27 Respondent ulterius, se quidem agnoscere hanc disparitatem: ad hoc tamen sufficere, quod Gratia ex natura sua exigat non esse cum peccato; quamvis divinitus posset peccatum non expelli: hoc enim sufficit vt dicatur Gratia causa formalis expulsionis peccati, quando expellitur. Quemadmodum, quando ad introductionem caloris expellitur frigus, dicitur calor causa formalis expulsionis frigoris, cum quo connaturaliter componi non potest, quamvis possit divinitus. Hæc est medulla sententiæ contrariæ, satis sibi visa tribuere intrinsecæ perfectioni, ac puritati Gratia habitualis, si effectum formalem iustificandi hominem, & expellendi peccatum tribuat Gratia ea ratione, qua calori effectum formalem expellendi frigus: cum quo tamen componi posset de absoluta.

28 Contra tamen vrgentius, & ob oculos pono insufficienciam responsionis, & soliditatem nostræ doctrinæ. Effectus formalis iustificandi, ac proinde expellendi peccatum strictius multò, & essentialius est à Gratia infusâ peccatori, vt à causa formali, quam effectus expellendi frigus sit à calore: ergo insufficientis est, nec satis quoad hoc tribuit Gratia iustificanti prædicta responsio;

sicque falso nixa fundamento corrui. Antecedens probatur. Gratia intrinseca est iuxta Concilium *unica formalis causa iustificationis*: quæ iustificatio definitur à Concilio: *translatio ab statu peccati, &c.* ergo est *unica causa formalis* huius translationis: est enim argumentum à definito ad definitionem. Sed translatio ab statu peccati dicit essentialissimè expulsionem peccati ex ipsis terminis: ergo Gratia, iuxta sinceram intelligentiam Concilij, est *unica formalis causa* effectus essentialiter involventis expulsionem peccati: ac proinde & ipsius expulsionis. At certè calor non sic est *unica formalis causa* expulsionis frigoris, quamvis sit *unica formalis causa* calefactionis; cum calefactio non involvat essentialiter expulsionem frigoris, quidquid ad eam connaturaliter subsequatur, vt scitè animadvertit Granadus. Ergo multò strictius, & essentialius est Gratia causa formalis expulsionis peccati, quam calor expulsionis frigoris: atque adeo, quod non obstante sua causalitate formali, possit divinitus cum calore componi frigus, non valet pro eo quod possit cum Gratia peccatum. Aut rogo: si, vt docemur à Philosophia, calorem esse formalem causam calefactionis, doceremur à Philosophia, calefactionem esse definitivè, & essentialiter translationem ab statu frigidi ad statum calidi, nonne diceremus, non esse dabilem calorem calefacientem non expulso frigore, & nullâ ratione componi posse? Abs dubio. At circa Gratiam docemur à Concilio, esse *unicam formalem causam* iustificationis, & docemur ab eodem Concilio iustificationem esse translationem ab statu peccati. Quid ergo restat, quominus doceamur ab eodem Concilio, esse causam formalem translationis ab statu peccati, & expulsionis peccati, multò strictius, & essentialius, quam calor expulsionis frigoris?

29 Aliter. Gratia iustificans est causa formalis reddens subiectum iustificatum, ac proinde definitivè, translaturum ab statu peccati, sicut calor reddit calidum: sed calor multò strictius, & essentialius est causa formalis reddendi subiectum calidum, quam expellendi à subiecto frigus: ergo Gratia multò strictius, & essentialius est causa formalis reddendi hominem translaturum ab statu peccati,

Granad.

ac proinde expellendi peccatum, quam calor expellendi frigus. Consequentia tenet in forma. Minor patet: calor enim taliter est causa formalis calidi ut hoc præstet ex præcisa sua informatione omnino indispensabiliter: non verò sic est causa expulsionis frigoris; cum possit frigus non expelli, informante calore subiectum capax. Maior autem probatur, quia Gratia non minus est Gratia, sanctitas, & iustitia, quam calor sit calor: ergo reddit formaliter subiectum gratum, sanctum, iustum, seu iustificatum, sicut calor calidum: si nempe subiectum est capax: si enim esset incapax nec calor redderet calidum: ergo strictius, & essentialius, quam calor reddat expulsus frigus. Unde ruit molimen speciosæ reflectionis.

30 Hinc tene disparem rationem inter calorem respectu purificandi subiectum à frigore, & inter Gratiam respectu purificandi animam à peccato. Calor est unica formalis causa calefactionis, non involventis essentialiter translationem, seu purificationem à frigore: nec subiectum esse calidum est esse translatum ab statu frigiditatis. Gratia verò nobis intrinseca, cum essentialiter sit iustitia nobis inherens, & unica formalis causa iustificationis, reddit formaliter, & essentialiter subiectum iustum, seu iustificatum, quod est idem ac translatum ab statu peccati: cum iustificatio definiatur à Concilio: *translatio ab statu peccati, &c.* Quis autem definiat unquam calefactionem: *translatio ab statu frigiditatis, &c.* cum conveniamus in eo, quod stare possit divinitus sine eiusmodi translatione, manente frigore in eodem subiecto?

31 Præterea ex conceptu Sanctitatis. Nam Gratia intrinsecè, & essentialiter est sanctitas, non secus ac calor est calor: ergo non minus essentialiter facit subiectum sanctum, quàm calor calidum. Atqui sanctitas, ut ex S. Dionysio convenimus Theologi, essentialiter est, *Puritas immaculata, & à scelere libera*: ergo essentialiter facit purum à peccato: alioquin non faceret formaliter sanctum: ergo multò essentialius, & strictius, quam calor faciat non frigidum. Non est igitur comparanda puritas subiecti à peccato, seu expulsio peccati respectu Gratia, sicut puritas à frigore, seu expulsio frigoris

respectu caloris: imopotius, sicut effectus formalis essentialis calefactionis. In quo elucet abs dubio excellentia Gratia multò magis, quam in sententia nobis contraria, denegante Gratia intrinseca, quæ per Christum iustificamur, & sanctificamur, hanc essentialem puritatem, & repugnantiam metaphysicam cum peccato.

32 Et tandem nemo Adversariorum negabit nobis, non repugnet speciem aliquam Gratia habitualis, quæ nullatenus esse posset cum peccato: ergo talis asserenda est quæ de facto datur per Christum. Redarguit super hoc Arriaga: non repugnat Gratia habitualis, cum qua stare possit divinitus peccatum: ergo talis est quæ de facto datur. Sed rursus insigniter. Permissio namque, & non concessio, suo antecedente de possibili, non bene infert suam consequentiam, sicut nos nostram: quia de possibili ad de facto non valet consequentia nullis administriculis communita pro de facto; valet verò, si pro de facto adsint administricula. Pro nostra autem consequentia stant pro de facto locutiones Tridentini supra expressæ: stat auctoritas multorum Patrum extollentium excellentissimam presentis Gratia puritatem: stat dignitas summi Reparatoris Gratia, Christi Domini, ex cuius meritis confertur nobis Gratia sanctificans nos: quæ, quò purior sit, dignior videtur tanto Reparatore. Contra consequentiã tamen ex adverso P. Arriagæ stat, quòd si possibilis est Gratia habitualis ita excellens, sicut nos contendimus, cui digniori Reparatori illam ipsi, & nobis donandam asservaret Deus inter purè possibilis? aut, ut bene Haunoldus, ad quid deserviret imperfectio illa compossibilitatis cum peccato in Gratia habituali presenti; cum nunquam sit ad factum deducenda?

33 Claudant doctrinam nostram sacra verba ex 1. Ioan. 3. ibi: *Omnis, qui natus est ex Deo, peccatum non facit: quoniam semen eius in eo manet: & nec potest peccare; quoniam ex Deo natus est.* Quæ, cum nequeant intelligi de impotentia peccandi seiunctim à Gratia, eo quòd Gratia non faciat nos impeccabiles; veniunt intelligenda de impotentia peccandi coniunctim cum Gratia habituali, quæ ex Deo nascimur Filij, & quæ est semen Dei in nobis fructificans vitam æternam.

Aper-

Apertè igitur, & absolutissimè significant, cum Gratia, qua nascimur Filij Dei, coniungi non posse peccatum: quo scilicet nascimur Filij Diaboli iuxta illud Christi Ioan. 8. ad inimicos suos: *Vos ex patre Diabolo estis.* Quænam enim, ut loquitur Paulus *convenio Christi ad Belial?* Gratia cum peccato; iustitia cum iniquitate; puritatis cum immundicia; consortij divinitatis cum exitiali divor-
tio?

SECTIO III.

Argumenta contraria.

Ioan. 8.

2. Cor. 6.

Arriag.

Suprà
disp. 14.

34 **M**VLTA, & graviora proposita sunt, & soluta *disp. 14. sect. 6.* Cum enim faciant contra vim physicam iustificativam Gratia, ex natura sua conaturaliter expulsivæ peccati; à fortiori faciunt contra metaphysicam, & essentialem oppositionem Gratia cum peccato, talem, ut nec divinitus possint in vno subiecto componi. Recolantur ibi dicta, & veniamus ad specialiora presentis puncti.

35 Arguitur sic. Quæ coniungi nullo modo possunt, aut sunt ad invicem contradictoria; aut in suis effectibus inducunt essentialiter contradictionem. Gratia, & peccatum nec sunt ad invicem contradictoria; nec in suis effectibus inducunt essentialiter contradictionem: ergo non est cur divinitus nequeant in vno subiecto coniungi. Minor quoad priorem partem probatur. Primò: quia formalis contradictio stat inter formam, & sui carentiam: ergo non inter Gratiam, & peccatum, quæ duæ formæ positivæ sunt. Secundò: quia Gratia, quamvis exigat non esse peccati in suo subiecto; ipsa tamen non est non esse peccati: ergo non opponitur contradictoriè cum peccato: solum enim sic opponitur esse peccati, & non esse peccati. Tertio: quia magis opponuntur Gratia, & carentia Gratia, quàm Gratia, & peccatum: ergo, quia Gratia, & peccatum non opponuntur contradictoriè. Quoad posteriorem verò partem probatur eadem minor. Primò: quia Gratia, & peccatum coniunctim non inducerent contradictionem in suis effectibus formalibus primarijs: ij enim non distinguuntur ab ipsa forma communicatà debite subiecto: unde, si in formis ad invicem non est

contradictio, neque erit in effectibus formalibus primarijs. Et aliundè patet: quia primarius effectus formalis Gratia iustificantis est, reddere hominem iustum, hoc est, habitualiter, & radicaliter dispositum ad rectè, iustèq; operandum; effectus verò formalis primarius peccati est, reddere hominem actu maiè, & non rectè, ac iustè operantem: quamvis autem sit contradictio, actu non rectè, & actu rectè operari; non tamen sic, actu non rectè operari, & in actu primo esse habitualiter dispositum ad rectè operandum: sicut in aqua non repugnant contradictoriè esse actu calidam, & esse exigentem frigus. Secundò: quia, quamvis in effectibus secundarijs sit contradictio, non inde sequitur inter formas: quia possunt esse divinitus sine effectu secundario. Et hinc est, quòd non sit inter calorem, & frigus, quamvis detur inter secundarios eorum effectus, nempe inter expulsionem frigoris, qui est effectus secundarius caloris, & inter conservacionem frigoris. Nullo igitur ex capite apparet contradictio in coniunctione Gratia cum peccato, impedita divinitus pro tunc expulsionem peccati, quæ est effectus secundarius Gratia.

36 Responso communis, & sufficiens est, concessa maiori, negare minorem quoad posteriorem dumtaxat partem de effectibus. Ad probationem quoad effectus primarios, negatur, in illis non dari contradictionem. Nec utcumque verum est, effectum primarium non distinguatur à forma: quamvis enim non distinguatur adequatè, sicut distinguitur à causa efficiente; bene verò inadæquatè nam effectus formalis est compositum resultans ex ipsa forma, ut ex causa materiali, & ex subiecto ut ex causa materiali, quas includit, & ex quibus essentialiter constituitur; est enim ab illis constitutivè; non efficienter: in quo genere causandi effectivo causa non constituit causatum, & distinguitur adequatè ab effectu. Cum ergo, rectè loquendo, effectus formalis formæ non sit ipsa forma, utcumque; sed potius constitutum ex forma, & ex subiecto, bene posset esse contradictio in effectibus formalibus, quin esset immediatè in formis, à quibus nempe effectus formales inadæquatè distinguuntur. Negatur deinde, in effectibus formalibus primarijs Gratia, & peccati.

peccati non dari contradictionem. Nam effectus formalis primarius Gratia iustificantis non solum est, reddere hominem habitualiter rectum ad bene operandum; verumetiam, reddere sanctum, hoc est, ut vidimus, purum à peccato; iustificatum, id est, translatum ab statu peccati: qui effectus contradictorie pugnant, ut patet ex terminis, cum sordibus, & statu peccati. Iam ad probationem primæ minoris, quoad effectus secundarios, respondetur, contradictionem in illis arguere impossibilitatem formarum, quando ille effectus, quamvis secundarij sint, omninò indispensabiliter sequuntur ex primarijs. Sic assensus, & dissensus de eodem repugnant, quia indispensabiliter sequeretur ex eorum coniunctione, Deum, qui causare non potest actum falsum, fore causam specialem utriusque; cum tamen alter illorum falsus sit. Similiter ergo ex coniunctione Gratia cum peccato sequeretur, Deum amare amicaliter, & odisse inimicaliter hominem: in quo manifesta contradictio est, sufficientissima quidem ad repugnantiam coniunctionis Gratia cum peccato, quamvis illi affectus divini non sint effectus formales primarij illarum formarum. Sicque ad exemplum caloris, & frigoris dicitur, disparem esse rationem: quia expulsio unius non est effectus indispensabilis introductionis alterius. Et negatur vltima consequentia.

37 Respondeo facilius ego iuxta meam Philosophiam, non omnibus placituram, concessã maiori, negando priorem partem minoris: quòd nempe Gratia, & peccatum non sint ad invicem contradictoria versus idem subiectum. Ad triplicem huius partis probationem triplici serè verbo respondeo. Ad primam, negando consequentiam; ad secundam, & tertiam, negando antecedens. Quorum vna mihi ratio est: quia Gratia, & peccatum, quamvis formæ positivæ sint, vna est positiva carentia alterius, & est non esse alterius: Gratia scilicet, verum non esse peccati; & peccatum verum non esse Gratia in eodem subiecto. Undè falsum est, quòd magis opponantur versus idem subiectum, Gratia, & carentia, ut aiunt, Gratia, quàm Gratia, & peccatum.

38 Durus est hic sermo nonnullis, qui iugum entium negativorum verè

existentium distinctorum ab omni positivo nondum excusserunt. Eos exagitavi *disp. 2. de Attrib. sect. 2. & disp. 16. sect. 1. & disp. 1. de Incarnat. à num. 222.* Contra responsionem tamè nostram insiliunt quadrupliciter. Primò: quia, non essente peccato in subiecto, posset non esse Gratia; si nempe poneretur homo in purâ naturâ: & non essente Gratia, posset non esse peccatum; si nempe peccatum extrinsecè condonaretur: ergo non esse, sive carentia peccati distinctum quid est, & separabile ab esse Gratia in subiecto; & similiter non esse Gratia ab esse peccati: ergo neque Gratia est carentia, sive non esse peccati; nec peccatum est non esse Gratia in subiecto. Secundò: quia esse peccati, & non esse peccati sunt contradictoria: ergo eo ipso, quòd non datur esse peccati, debet dari non esse peccati: sed non eo ipso datur Gratia; cum posset peccatum desinere esse per purè extrinsecam condonationem: ergo Gratia non est carentia, sive non esse peccati. Tertio: quia essentia peccati non est, non dari Gratiam; nec essentia Gratia est, non dari peccatum: ij enim sunt conceptus negativi, ac proinde extrinsecas formarum positivarum: quarum scilicet essentia est afferre subiecto aliquod esse; non verò auferre esse: ergo nec peccatum est non esse Gratia; nec Gratia est non esse peccati in subiecto. Quarto: quia expulsio peccati est effectus secundarius Gratia: ergo distinctus à primario identificato cum Gratia: sed expulsio peccati est formaliter carentia, sive non esse peccati: ergo carentia, sive non esse peccati non est ipsa Gratia; sed quid distinctum à Gratia. Hi tamen insultus retunduntur facili negotio.

39 Ad primum enim respondetur, concessio antecedente, distinguendo consequens: omne non esse peccati distinctum quid est ab esse Gratia, & è contra, concedo: aliquod non esse peccati, nego consequentiam: non autem dicimus Gratiam esse omne non esse peccati, sed aliquod: nec peccatum esse omne non esse Gratia, sed aliquod. Itaque, stante Gratia in subiecto, est aliquod non esse peccati in subiecto, nempe ipsa Gratia: quã tamen non stante, posset dari à parte rei, quamvis extra subiectum, aliud non esse peccati in subiecto, nempe aut decretum Dei nunquam permittendi pecca-

Tom. de Deo, disp. 2.

De Christo, disp. 1. sect. 17.

peccatum; aut extrinseca condonatio peccati permisi, & commissi. Quodlibet enim istorum est vnum non esse peccati in subiecto; quin tamen quodlibet sit omne non esse. At quid, inquis, si per impossibile, non essente Gratia, nullum aliud à parte rei daretur ens? Dicam, quòd tunc non daretur non esse peccati. Infers: ergo daretur peccatum. Negatur consequentia. Est enim contra suppositionem, quòd tunc per impossibile nullum daretur ens à parte rei. Insistis: tunc deficeret peccatù: ergo daretur à parte rei defectus, carentia, sive non esse peccati. Concedo antecedens, cuius nempe sensus sanus negativus est æquipollès huic: *tunc non esset peccatum.* Et nego totam consequentiam, in sensu, quo illas voces per abusum usurpant affirmativè: qua enim arte in suppositione, quòd nullum ens esset, affirmari verè potest de obiecto aliquo, quòd est? Hæc tam clara sunt, ut pudeat toties inculcare: sed aliquid dandum tempore pro Tyronibus. Tempore, & more Magni Augustini, cuius acria verba dedi *loc. cit. de Incarnat.* admitterem totam illam consequentiam in sensu, quem amat, negativo: per illas enim voces nihil verè affirmatur dari à parte rei; sed diversis phrasibus negatur, peccatum dari. Quid igitur, ais, tunc daretur à parte rei? Hæc tamen interrogatio est contra suppositionem: procedebamus enim, factã suppositione, quòd nullum ens daretur. Dicis, suppositionem solum fuisse de nullo ente positivo. Fateor: at hoc est suppositio de nullo omninò ente; dum non probatur dari ens, quod non sit positivum. Si non acquiescis, supponamus æquè chimericè, nullum dari ens, nec positivum, nec negativum: & rogo, quid tunc daretur. Expecto responsum, ut indè discamus omnes philosophari.

40 Ad secundum, concessio antecedente, concedo quoque consequentiam, saltem per locum extrinsecum: quia, non dato peccato, daretur in Deo aliquod prædicatum positivum scientiæ, vel voluntatis, essentialiter oppositum cum esse peccati: sicque intelligo, quòd daretur aliquod non esse peccati. Concessã deindè minori, distinguo vltimum consequens: Gratia non est omne non esse peccati, concedo: non est aliquod, nego. Id quod dicere tenentur Adversarij de qualibet sua carentia particulari respectu

formæ: quælibet enim carètia formæ, non est omnis carentia, nec est omne non esse formæ; sed est aliqua carentia, & aliquod non esse formæ: quod non tollit, quominus formã non opponatur contradictorie cum qualibet particulari carentia formæ, & cum quolibet non esse formæ. Itaque opponi contradictorie esse, & non esse peccati, nihil est aliud veri, quàm, aut omninò sibi repugnare esse peccati, & esse cuiuslibet alterius entis quod essentialiter sit non esse peccati; aut non posse simul verè dici de peccato esse, & non esse, propter repugnantiam positivam, quæ ad id simul verificandum inest essentialiter ipsi peccato, sicut & cuiilibet enti: ideòque eo ipso, quòd hæc enunciatio: *peccatum est*: non sit vera, debet esse vera hæc alia: *peccatum non est*: logicè illi contradicens. Ad hanc tamen veritatem præcisè non requiritur per locum intrinsecum, quòd aliquid, præter ipsam propositionem, sit à parte rei; cum ipsa nihil affirmet esse; sed sufficit, quòd peccatum non sit: quamvis alioquin evenire nequeat peccatum non esse, quin datur à parte rei aliquid positivum essentialiter oppositum cum peccato: & hoc est quod dixi supra, *per locum extrinsecum*: per locum enim intrinsecum, & præcisè ad salvandam veritatem propositionis dicentis: *peccatum non est*: non requireretur, quòd aliquid præter ipsam propositionem daretur à parte rei: ut est luce clarius.

41 Ad tertium, negatur absolute antecedens in sensu reali, & idem tico: quidquid sit in sensu metaphysico quoad primariò concipi in re prædicatum, quo constituitur penes id quod est; & secundariò penes non esse illius, quod ipsi repugnat. Hoc enim non tollit, quominus res ipsa realiter sit esse quod est, & non esse illius, quod ipsi repugnat: sicut in qualibet re idem est realiter esse quod est, & esse distinctam ab omni alia; quamvis hoc dicatur prædicatum secundariũ, aut proprietativum; & illud, primarium, ac essentialiter. Neque quòd essentia formæ sit afferre aliquod esse, obstat, quominus auferat simul realiter aliquod esse: non enim auferit esse, quod affert; sed esse, cui repugnat: ut potè, quæ simul realiter est esse sui, & non esse alterius eo modo, quo cum altera repugnat. Dixi, *eo modo, quo cum altera repugnat.* Quocirca qua-

druplex distinguenda venit rerum oppositio, seu correpugnancia. Vna est distinctiva: & hæc est in omni re, quatenus vna repugnat esse alteram. Alia est localis: & hæc est in quantitatibus, quatenus vna quantitas repugnat penetrari loco cum altera. Alia est subiectiva: & hæc est in formis, quatenus vna repugnat esse in subiecto cū altera. Alia est incoexistiva, quatenus vna res repugnat esse in rerum natura, existente alia. Per primam vna res excludit aliam à sui identitate, seu constitutione: per secundam à suo loco: per tertiam à suo subiecto; per quartam à rerum natura. Et quælibet facit, quod vna res essentialiter opposita alteri, sit non esse alterius iuxta genus suæ oppositionis: scilicet iuxta primum, quod quælibet res sit non esse identicè aliam: iuxta secundum, quod vna quantitas sit non esse alterius naturaliter in suo loco: iuxta tertium, quod vna forma sit non esse alterius, cui essentialiter opponitur, in suo subiecto; iuxta quartum, quod aliqua res sint non esse aliarum in rerum natura: vt decretum Dei de non condendo secundo mundo, essentialiter per se repugnans existentie secundi mundi à parte rei. Diximus autem, & dicimus, Gratiam esse non esse peccati; & peccatum esse non esse Gratia in suo subiecto: habent enim mutuam oppositionem essentialiter subiectivam; sicque infusionem Gratia in subiecto esse realiter non esse peccati in eodem subiecto, & expulsionem peccati à subiecto, si præcesserat.

42 Ad quartum negatur antecedens ex dictis *sect. præc. à num. 28.* & in præsentibus *num. 36.* cum Granado, & Montefino. Effectus enim primarius Gratia iustificantis non solum est, informare, & quomodocumque elevare, aut decorare animam; verum etiam, cū iustitia sit, iustificare peccatorem; quod ex Concilio est, illum transferre ab statu peccati: & cū sanctitas sit, sanctificare animam; quod est illam à fordibus peccati depurare: qui formales effectus essentialiter imbibunt expulsionem peccati, si præcedebat, vt ex ipsis terminis convincitur. Falsum ergo est, expulsionem peccati non esse realiter effectum primarium formalem Gratia infusæ peccatori. At quid ad communem locutionem, qua expulsio peccati dici solet effectus secundarius Gratia? Respondeo, vel intelligendam

esse non de expulsionem, seu remissione peccati intrinsicè, quæ realiter est ipsa infusio Gratia; sed de affectu Dei amicabile, & condonativo realiter distincto, & subsequuto, qui est alia remissio, seu expulsio formalis peccati: & potest dici secundarius Gratia effectus. Vel, si mavis id totum intelligere de infusione intrinsicè Gratia, corrigendus est potius, quam amplectendus ille modus loquendi. Non enim dicenda est expulsio, seu remissio intrinsicè peccati effectus physicus secundarius Gratia; cū sit realiter infusio ipsa Gratia; sed conceptus metaphysicus secundarius effectus primarij: qui ex modo nostro concipiendi quodammodo dicit primario prædicatum positivè significatum infundendi Gratiam; & secundario prædicatum negativè significatum expellendi peccatum: quamvis idem sit vtrumque istud prædicatum in iustificatione peccatoris adæquatè realiter accepta. Vnde iterum in forma, loquendo de expulsionem, seu remissione extrinsicè, quæ est affectus divinus amicabile, & remissivus; concessio enthymemate, distinguo minorem subiunctam: hæc expulsio est aliqua carentia, seu aliquod non esse peccati, concedo: omnis nego; nam infusio Gratia, quæ est remissio intrinsicè, est etiam aliud non esse peccati in subiecto. Consequenter vera est de omni non esse peccati; non de aliquo: datur enim vnum non esse peccati; quod est intrinsicè infusio Gratia; & datur aliud distinctum ab infusione Gratia, quod est affectus ille Dei subsequutus formaliter extrinsicè condonativus, & remissivus. Loquendo autem de expulsionem, seu remissione intrinsicè peccati, quæ est ipsa infusio Gratia, absolute est falsum antecedens; & ex falso falsum totum argumentum.

43 Obijcies denud: Si infusio Gratia esset realiter ipsa expulsio, & ablatio peccati; commissio peccati esset similiter expulsio, & ablatio Gratia: sed hoc nequit esse: ergo nec illud. Probat minor: quia ablatio Gratia est pœna commissionis peccati; Deus enim peccanti aufert Gratiam in pœnam peccati, vt vidimus *disp. 14. num. 79.* Adhuc autem dato quod ibi diximus, posse esse pœnam connexam cum culpa; at debet saltem esse distincta à culpa: ergo, si ablatio Gratia esset ipsa commissio peccati, non

Suprà
disp. 14.
sect. 6.

posset

posset esse pœna, aut in pœnam peccati: essent enim realiter idem pœna, & culpa. Confirmatur: quia Deus neminem deserit, nisi prius ab homine deseratur: deseritur autem per peccatum, & deserit per ablationem Gratia: ergo præcedit commissio peccati ad ablationem Gratia. Respondetur, argumentum benè concludere de expulsionem, seu ablatione intrinsicè Gratia, quam fatemur esse realiter idem cum commissione peccati, eadem ratione, qua falsi sumus, expulsionem, seu ablationem intrinsicè peccati esse realiter idem cum infusione Gratia. At, sicut diximus subsequi ad infusionem Gratia, aliam ablationem essentialiter peccati extrinsicè, quæ est affectus divinus amicabile, & formaliter remissivus; sic dicimus, ad commissionem peccati, quæ realiter est intrinsicè ablatio Gratia, subsequi aliam quoque ablationem Gratia nobis extrinsicè, quæ est odium divinum inimicabile, quod etiam est formaliter ablatio Gratia: & hæc ablatio Gratia distincta realiter à commissione peccati, quantumvis connexa cum peccato, est pœna, & in pœnam peccati: quia ad rationem pœna non obstat connexio cum culpa, vt vidimus remissivè *loc. cit.* In forma, concedo maiorem, & nego minorem. Ad probationem, concedo totum: ex quo nihil sequitur contra id quod dicimus, ablationem illam Gratia, quæ realiter distinguitur à commissione peccati, esse verè pœnam peccati. Ad confirmationem dico, aut id intelligi satis aptè de prioritare negativa; scilicet, quod non prius deseritur homo à Deo, quam deserat Deum: & sic est verum, quamvis sermo sit de ablatione Gratia intrinsicè, quæ realiter est ipsa commissio peccati: aut intelligi etiam posse de prioritare positivè, loquendo de desertione per extrinsicè ablationem Gratia, quæ ablatio est voluntas Dei inimicabile, & punitiva.

SECTIO V.

Recens Obiectio; & reliqua de hoc puncto.

P.N.G. 44 **R.** P.N.G. Thyrsus pro mediâ suâ sententiâ essentialis oppositionis, & incompatibilitatis Gratia cū peccato habituali; quamvis non cum actua-

li, contendens acutissimè, posse divinitus componi cum actuali; obijcit nobis sic à *num. 3.* Res, quæ in sui existentia à solius Dei voluntate pendent, Deoque determinante producuntur, destrui non possunt, nisi Deo ipso decernente destructionem; seu liberè suspendente concursum conservativum earum: ex terminis enim ipsis absurdum est, quod Deus ab extrinsecò cogatur, vt destruat effectum, quem liberè produxit: non minus, quam si ab extrinsecò cogatur, effectum illum producere. Atqui Gratia habitualis in sui existentia à solius Dei voluntate pendet, Deoque determinante producit: ergo nequit destrui, nisi Deo decernente eius destructionem.

45 Modò sic. Sed, si Gratia esset essentialiter incòpossibilis cum peccato actuali, quo expellitur, destrueretur, Deo non decernente eius destructionem: ergo non est essentialiter incòpossibilis cū actuali. Probat minor: quia si esset essentialiter incòpossibilis cum peccato actuali, quo expellitur, homine actu peccante, necessariò, & non liberè destrueretur à Deo Gratia: sed homo peccat, Deo non decernente peccatum: ergo destrueretur Gratia, Deo non decernente liberè eius destructionem.

46 Confirmat. Homo peccat absque vlla Dei voluntate determinante ad existentiam peccati; imò nec villo modo volente peccatum, vt multis firmavimus *disp. 9. de Attrib. præsertim sect. 10. & 12.* sed iuxta nos, qui asserimus, Gratiam, & peccatum actuale essentialiter, & omninò incòpossibiliter opponi, hominè peccare, esset Gratiam Dei destrui, aut saltem esset aliquid necessariò connexum cum destructione Gratia: ergo Gratia destrueretur absque vlla liberâ Dei voluntate determinante ad destructionem Gratia. Sed implicat, rem, quæ ponitur à Deo liberè determinante eius existentiam, destrui Deo non liberè determinante liberè eius destructionem. Ergo.

47 Confirmat secundò *num. 7.* Implicat, necessitari Deum per existentiam peccati ad aliquid producendum: ergo & ad Gratiam destruendam. Nam ad perfectionem divini dominij non minus spectat potestas libera destruendi, quam producendi: quippe sicut quidquid Deus producit, pro suo beneplacito producit, quin ab alio necessitetur; sic quidquid

destruit, pro suo beneplacito destruit, quin ab alio necessitetur. Antecedens autem probatur. Primò: quia implicat creatura essentialiter indestructibilis: ergo multò magis, quòd peccatum involubile à Deo extorqueat à Deo necessariò alicuius rei productionem. Secundò: quia nullius rei productio potest necessitare Deum ad alterius rei productionem: ergo multò minus existentia peccati, quæ non est à Deo illud volente, sed à creatura causatur.

48 Confirmat tertio *num. 21.* Implicat, Gratiam à Deo destrui, nisi ex vi decreti Dei volentis Gratia destructionem; sed, si necessariò destrueretur peccante homine, non destrueretur ex vi decreti Dei volentis Gratia destructionem: ergo implicat sic destrui. Maior patet: quia nequit Gratia destrui, quin Deus, à quo sola in fieri, & in conservari effectivè pendet, suspendat concursum suum effectivum: quem tamen nequit Deus suspendere, quin velit suspendere. Minor probatur. Si Gratia necessariò destrueretur, peccante homine, destrueretur ex vi decreti permittendi peccatum; sed hoc nõ: ergo. Probatur ista minor: quia decretum permittens peccatum nõ vult destructionem Gratia: non enim illam vult absolute; quia decretum permittens peccatum, componi potest absolute cum evitacione peccati, atque adeò cū conservacione Gratia: nec illam vult conditionatè, si nempe homo peccet: quia esset ineptè decernere destrui, si destrueretur; cum dictum à nobis sit, ipsam commissiõnem peccati esse destructionem Gratia. Prætereo multa: quia non tam sunt contra nostram conclusionem, quam contra aliorum responsiones, quibus nec non utimur.

49 Si autem discere cupis à tanto Doctore, cur ob hanc rationem sibi persuadeat Gratiam, quæ non est essentialiter impossibilis cum peccato actuali; non sit cum habituali; respondet *sect. 4.* præsertim *num. 35.* quia cum habituali non militat eadem ratio. Nam actuale fit, non volente Deo eius productionem: implicat autem, Gratiam necessariò à Deo destrui ex positione rei, quæ ponitur non volente Deo. At habituale perseverat, volente Deo eius perseverantiam, scilicet eius à Deo irremissionem; & non desinit habitualiter perseverare

necessariò ex positione rei, quam Deus liberè non velit: vult enim liberè infusionem Gratia essentialiter connexam cum destructione peccati habitualis. Dispar igitur est ratio, cur ex actuali productione Gratia habitualis à Deo liberè volita, sequi necessariò, & essentialiter possit absque absurdo destructio peccati habitualis; & ex productione actuali peccati, minimè volita à Deo, non possit necessariò, & essentialiter sequi absque absurdo destructio Gratia habitualis. Si objicias, quòd ijs non obstantibus Vnio hypostatica est essentialiter impossibilis cum peccato, etiam actuali; occurrit dicens, id verum esse, quia est etiam impossibilis cum potestate proximè peccandi; ideòque implicat casus, quo per peccatum destruitur; cum verò Gratia habitualis componatur cum potestate peccati, dandus, aut dabilis esset casus, quo per peccatum necessariò, & essentialiter destrueretur: & in hoc casu ait, sequi prædictas implicantias.

50 Peracuta sunt hæc, nec levia. Videtur tamen posse responderi ad argumentum in *num. 44.* totum primum syllogismum esse verum: dummodò ratio destructionis non contrahatur, ut ex vi terminorum non contrahitur, ad destructionem Gratia homini peccanti intrinsecam, quæ ut vidimus *sect. præc.* est ipsa positiva commissio peccati: ultra quam est & alia homini extrinseca, quamvis cum illà intrinsecà necessariò connexa: quæ est voluntas divina nolens ulterius conservare gratiam in inimico, iusta, sancta, à Deo volibilis, & amabilis, ut etiam vidimus ibidem.

51 Hinc distinguo minorem subsumptam *num. 45.* destrueretur Gratia, Deo non decernente eius destructionem intrinsecam, quæ mala est, & est ipsum esse peccati, concedo; extrinsecam, quæ distinctissima est, honestissima, & iustissima, nego minorem, & consequentiam: hanc enim destructionem Deus decrevit, decernens ab æterno ex absoluta prævisione peccati, odio inimicabili affici in tempore erga peccatorem: qui affectus inimicabilis, divinitus est formaliter destructio amicitia inita cum homine per Gratiam, & involvit nolitionem conservacionis Gratia. Ad probationem minoris nego maiorem: quia totum id est liber-

berimum Deo. Quamvis enim, ut verè dicitur in minori, peccet homo, Deo non decernente peccatum, non peccat, Deo non permittente liberè peccatum, quòd utique posset multis modis pro libito impedire; cum liberè noluerit. Undè, quamvis ex positione peccati, quæ Deus non vult, nec potest villo modo velle, necessariò sequatur destructio Gratia: etiam extrinseca, eiusmodi necessitas nihil derogat divinæ libertati Dei circa non impeditiõnem peccati, & circa destructionem Gratia, etiam extrinsecam: quamvis enim necessitet, nè sit positio peccati sine tali destructione Gratia, sitque; propterea Deus per se necessitatus ad non conservandam, sive ad destruendam Gratiam præsentem peccato, sicut ad non existentiam cuiuscumque chimera; non tamen necessitat Deum, nè liberrimè sit absque utroque; cum liberum illi sit impedire peccatum, & conservare Gratiam. Sicque salvatur immediatissima Dei libertas ad utrumque, quamvis vnum sit essentialiter connexum cum alio: cum pro libito facilè possit utroque carere, scilicet, & positione peccati, impediendo peccatum; & destructione Gratia, non impediendo peccatum. Ad hunc modum defendemus *disp. 25. de Merito, sect. 8.* cum P. Suarez, immediatissimam libertatem nostram ad actum imperatum, non obstante essentiali connexione imperantis. Undè consequentia falsa est.

52 Ad primam confirmationem, concedo libentissimè præmissas, & distinguo consequens: Gratia destrueretur absque Dei voluntate determinante ad destructionem Gratia intrinsecam homini, quæ destructio est ipsa productio peccati, concedo; hanc enim Deus nec determinat, nec vult: ad extrinsecam, quæ est prædicta voluntas libera Dei; nego consequentiam: ad hanc enim se determinat Deus liberrimè; quin obstat, ut diximus, huic libertati connexio essentialis cum destructione intrinseca antecedente, quia hæc ipsa est à Deo liberè impedibilis, & evitabilis, quamvis nullo modo à Deo volita, nec volibilis, ut est certum. Hinc distinguo minorem subiunctam: implicat, rem, quæ ponitur à Deo, liberè determinante eius existentiam, destrui, Deo nullam eius destructionem determinante, concedo; si, quamvis ad vnam non determinet creaturam, se ad

aliam liberè determinat, nego minorem, & consequentiam. Sic autem res evenit, ut vidimus in nostro casu. Nec obest, quòd ad destructionem istam, ad quæ Deus se determinat, præsupponatur quodammodò naturà illa alia destructio eiusdem Gratia, quæ est commissio peccati ex determinatione hominis, & non Dei: hæc enim ipsa præsuppositio est liberè impedibilis à Deo determinante se liberè ad illam non impediendā, ut facile posset; atque adeò nihil obstat immediatissimæ libertati alterius destructionis determinabilis à Deo.

53 Ad secundam, concedo ex dictis primum entimema: quo factum rectum manet Dei dominium in omnem creaturam. Nec, quòd propter connexionem vnius rei cum alia sit Deus necessitatus ad positionem alterius, si existit altera, cuius existentiam potest Deus liberrimè impedire, est necessitari ab existentia vnius; sed est, per se, & antecedenter ad alicuius creaturæ existentiam, esse necessitatum ad ponendam vnam, si ponit aliam essentialiter connexam cum illa; sicut est Deo prorsus impossibile, ponere vnam sine alia; & sicut est per se necessitatus ad non coexistendum chimera, qualis esset poni peccatum à iusto, non destructā Gratia; & poni assensum, non destructo dissensu; & poni actum fidei de remissione peccati, non destructo peccato. In prima probatione antecedentis falsum mihi est, repugnare creaturam essentialiter, & intrinsecè indestructibilem; quamvis repugnet intrinsecè, & essentialiter indefectibilis, & æterna: de quo me vide *disp. 13. de Attrib. sect. 10.* Tom. de præsertim à *num. 126.* Secundam probationem totam concedo, iuxta explicationem nuper datā. Quemadmodum enim diximus, quòd necessitari Deum ad vnam rem destruendam, si existit alia essentialiter opposita, non est ad id necessitari ab existentia vnius, sed à se ipso, sicut ad non coexistendum chimera; pariter dicimus, quòd necessitari Deum ad productionem vnius rei, si producit aliam essentialiter connexam, non est ad id necessitari à productione contingenti vnius; sed à suo divino esse necessario essentialiter impossibili cum chimera, qualis esset produci vniõnem, non productis extremis. Quomodo autem per hæc nihil prorsus derogetur di-

Infrà
disp. 25.
Suarez.

Tom. de
Deo, dis.
13.

Tom.de
Christo,
disp.13.

vino dominio, vidimus astatim disp.13.
de Incarn. sect.4.

54 Ad tertiam distinguo maiorem. Implicat, Gratiam destrui, nisi ex vi decreti Dei volentis eius destructionem, homini extrinsecam, concedo; intrinsecam, nego id implicare: sicut non implicat, peccatum poni sine vlla volitione peccati. Et, negatâ minori de destrutione extrinsecâ peccati Deo libertatâ, nego consequentiam. Probatio maioris vera est: at velle Deum suspendere suum concursum effectivum Gratia; nihil est aliud, quam nolle ulterius conservare Gratiam: quod est velle liberrimè destructionem Gratia; homini extrinsecâ, quæ est actus Dei; non verò intrinsecam, quæ est ipsum peccatum. In probatione minoris, minor est mihi falsa: quippè iudico, decretum ipsum permittendi peccatum esse decretum absolutum destruedi Gratiamposito peccato. Ad probationem huius minoris, dico, apud me, qui præilluminante omni Scientia Mediâ Dei, non nisi vnicum, ac indivisibile virtualiter etiam, decretum in Deo admitto disp.8. de Attrib. sect.4. & disp.6. de Incarn. à sect.7. falsum esse, quòd decretum permissivum peccati actu commissi, vel committendi debeat posse componi cum peccato, aut nequeat esse simul volitio absoluta, & liberrima destructionis extrinsecâ Gratia. Quomodo autem cum hoc stet in homine libertas peccandi, negotium est satis à me discussum in locis citatis, & ulterius, Deo dante, discutiendum in Disputationibus de Prædestinatione.

55 Addam his solutionibus duo verba in sensu meo circa rationem suæ doctrinæ, quam adhibet sapientissimus Pater, & Magister, cui conamur impares respondere, prout ex ipso retulimus num. 49. In primis benè percipio disparitatem inter peccatum actuale, & habituale quoad concursum Dei, satis conformem ad ea quæ diximus sect.2. à num.19. Non tamen ita facile percipio, quomodo ex paritate impossibilitatis peccati habitualis cum Gratia non infringantur magna ex parte rationes pro compossibilitate cum actuali. Nam quidquid sit de dispari influxu, conservatio moralis, in quocumque ista consistat, peccati habitualis in homine, est essentialiter, & omnino, iuxta hunc Authorem, incompossi-

biliter repugnans infusioni Gratia; & è contra; quin tamen aut infusio Gratia; obstet libertati divinæ relinquendi, seu non relinquendi peccatum in homine; & quin voluntas Dei remittendi peccatum habituale obstet libertati divinæ, aut absolutissimo dominio infundendi, aut non infundendi pro libito Gratiam: in quo stat veritas nostrarum responsionum: quia nempe Deo liberrimum est decernere, seu non decernere vtrumque, vel neutrum, scilicet destructionem peccati habitualis, & infusionem Gratia;, quamvis non vnum sine alio. Deinde benè quoque percipio disparitatem inter Unionem hypostaticam impossibilem cum peccato, & cum peccabilitate; & inter Gratiam habitualem impossibilem cum peccato, non verò cum peccabilitate. At hoc non minuit oppositionem, & inconiungibilitatem vtriusque cum peccato mortali: sicut quod Unio hypostatica opponatur etiam incompossibiliter cum venialibus, quod non habet Gratia, non minuit essentialem oppositionem Gratia; cum mortalibus habitualibus; sed quoad hoc pares sunt. Ergo ex illa disparitate non fit satis obiectioni sumptæ ex Unione hypostaticâ. Præterea: oppositio essentialis Unionis hypostaticæ cum peccantia, & cum peccabilitate Christi non minuit divini dominij libertatem circa productionem Unionis hypostaticæ, & circa decretum delendi peccata, quæ præcessissent in humanitate postmodum assumptâ; cum vtrumque hoc præstare posset liberrimè Deus, quamvis non illud sine isto. Frustra ergo ex essentiali oppositione Gratia; cum peccato fit argumentum contra divinum dominium, & libertatem destruedi Gratiam quando homo peccat. Nec valet recurrere ad involubilitatem peccati à Deo; hoc enim non tollit Dei libertatem ad volendum, vel nolendum illud impedire. Sed de ijs satis.

56 Nunc pro complemento doctrinæ traditæ in hac, & præcedenti sectione de destructione, sive expulsionem Gratia; homini antea iusto intrinsecâ, quæ est, ut sæpè diximus, ipsa commissio peccati; restat respondere ad rationem, quam nobis obijcit Arriaga ex S. Thom. & Suarez: quòd nempe in iustificatione impij sunt duæ mutationes: vna à non iusto in iustam; alia à peccatore in non peccatorem;

Arriag.
S. Thom.
Suarez.

S. Thom.

Trident.

Esparza
Vajq.

Caietan.

Suprà
disp.14.
sect.6.

rem: illa prior, est infusio Gratia; ista posterior est remissio, seu ablatio peccati. Non autem sic esset, si ipsa infusio Gratia; peccatori esset remissio, ablatio, destructio, seu expulsio peccati. Confirmat ex eodem S. Thom. 1.2. q.113. art.6. dicente, remissionem peccati esse finem respectu infusionis Gratia;: non autem, sic esset, si realiter essent idem. Confirmat rursus ex Tridentino sess.6. cap.7. dicente, quòd *iustificatio non est sola peccatorum remissio; sed & sanctificatio, & renovatio.* Et mox: *Vnde in ipsa iustificatione cum remissione peccatorum, hæc omnia simul accipit homo, &c.* Distinguit ergo sanctificationem, seu Gratia; infusionem, in qua stat mutatio à non iusto in iustum, à remissione peccati, quæ est mutatio à peccatore in non peccatorem: quas tamen nos vnum fecimus.

57 Respondetur tamen ex Esparza cum Sapientissimo Vasquez, in iustificatione impij dari quidem duas illas mutationes, non realiter, sed ratione tantum distinctas, & identificatas realiter cum ipsa infusione Gratia; peccatori. Quamvis enim posset dari transitus à peccatore in non peccatorem, sine transitu à non iusto in iustum, ut si per condonationem purè extrinsecam tolleretur à Deo peccatum in alia lege; & è converso transitus à non iusto in iustum sine transitu à peccatore in non peccatorem, ut si homini præexistenti in pura natura sine peccato, infunderetur Gratia; in præsentem tamen Dei lege, in qua versamur, infusio Gratia; peccatori, quæ est iustificatio impij, realiter est vterque ille transitus, ratione dumtaxat distinguibilis. Quemadmodum potest dari sensitivum non intellectivum, ut Leo; & intellectivum non sensitivum, ut Angelus; at in homine coidentificatur realiter sensitivum, & intellectivum, cum solâ distinctione rationis.

58 Ad primam confirmationem ex S. Thom. respondet benè Caietanus, S. Thom. ibi non distinguere realiter in iustificatione impij, prout de facto contingit, illas duas mutationes. Quando autem distinguit infusionem Gratia; ut medium, à remissione peccati, ut à fine; non loquitur de remissione intrinsecâ, quæ, ut ex eodem S. Thom. vidimus disp.14. num.72. realiter est ipsa infusio Gratia; sed de extrinsecâ, quæ est

actus divinæ voluntatis realiter distinctus tam ab infusione Gratia;, quam à remissione peccati intrinsecâ peccatori. 59 Ad secundam ex Trident. dico, salvari rectè locutiones illas Tridentini. Sicut enim optimè dicimus, hominem non solum esse sensitivum, sed etiam intellectivum, quamvis vtrumque id sit idem realiter in homine; sic ait optimè Tridentinum iustificationem impij non solum esse remissionem peccati, sed etiam sanctificationem, renovationem, & infusionem Gratia; inherens, quin exinde arguatur inter hæc distinctio plusquam rationis. Secunda locutio Tridentini potius favet nostræ sententiæ: ibi namque sub illis verbis, *cum remissione peccatorum*, significat infusionem Gratia; iustificantis, ad quam subsequuntur alia dona tunc homini infusa, de quibus ibi distinctim Concilium.

SECTIO VI.

Qualis sit oppositio Gratia; habitualis cum peccato.

60 **V**IDIMVS, quanta sit; tanta videlicet, ut nec divinitus componi possint. Quærimus, qualis sit: an contraria; an contradictoria; an physica; an moralis; an mixta? In quo multum, ut credo, disputatur de vocibus. Cui logomachia; accessit imperita quorundam omonomia, hic, & alibi sæpè æquivocantium oppositionem logicam propositionum cum oppositione physica formarum: quæ tamen duo toto celo distant. Nam oppositio contradictoria formarum est circa idem obiectum, quavis in diversis subiectis sint; oppositio verò physica formarum est circa idem subiectum: illa est penes veritatem, aut falsitatem; ista penes coexistentiam? Quæ haberi præ oculis oportet: solent enim non præ oculis esse, quamvis ob oculos sint, & ab omnino dumtaxat cæcucientibus possint non videri. Legi possunt Ovid. contr.4. punct.2. & Arriaga disp.49. sect. vlt.

Ovid.
Arriag.

61 Ratio dubitandi potest esse alia obiectio postrema contra impossibilitatem, quam defendimus, Gratia; cum peccato. Non enim habent oppositionem contrariam; quia non sunt sub eodem genere; non contradictoriam; quia

quia sunt entitates positivæ: non physicam; quia peccatum habituale non est quid physicum actu existens: non morale; quia Gratia qualitas physica est; & quia quæ moraliter tantum opponuntur, physicè, & metaphysicè componi possunt: ergo nullam.

62 Dixertunt aliqui, esse oppositionem moralem: id est, per modum meriti, aut demeriti. Sed contra est, quia ex parte Gratiæ nequit hoc esse; cum non sit actus meritorius; sed habitus. Ex parte verò peccati, quamvis verè demereatur conservationem Gratiæ; est præterea, ut vidimus, physica Gratiæ expulsio: ergo non solum per modum demeriti.

63 Alij stant etiam pro oppositione morali: illamque explicant per modum indecentiæ, & non plusquam indecoritatis coexistentiæ Gratiæ cum peccato. Sic Ripaldà allegatus disp. 14. sect. 5. ibidem tamen impugnatus, dum ostendimus, Gratiam ex natura sua physica iustificare, atque adeò pellere peccatum, saltem sicut frigus calorem.

64 Alij voluerunt, opponi effectivè: quasi Gratia producat aliquid in subiecto contra peccatum; & peccatum aliquid contra Gratiam. Sicque videtur loquutus S. Thom. 2. 2. quæst. 24. art. 10. quatenus ait peccatum tollere charitatem effectivè. Sed exponit Caietanus, intelligendum id esse, non tam de peccato, quam de peccatore. Exponit Sotus in 4. distinct. 15. quæst. 1. solum dici à S. Thom. effectivè, contrapositè ad purè demeritorid; non verò contrapositè ad formaliter; cum sæpè doceat, opponi oppositione formali. Sic etiam exponit Vasquez. Quidquid sit, modum loquendi non approbat Suarez, apud Oviedum cit.

65 Alij dicunt, oppositionem Gratiæ cum peccato actuali esse physicam, quia est inter formas physicas; cum habituali verò esse moralem, saltem inadæquatè; ex parte scilicet peccati: quia habituale non est quid physicè existens. Viden, quomodò ij oppositionem moralem vsurpant in sensu diversissimo ab alijs? Res igitur est plena vocibus. Sensum verum sequentibus conclusionibus declaro.

66 Prima. Gratia, & peccatum opponuntur formaliter: hoc est ad instar qualitatum seic formaliter excludentium; non verò physicè effectivè. Nam inter

illos effectus, quos mutuò contra se producerent in subiecto, aut daretur oppositio per se formalis, aut similiter effectiva. Si effectiva, idem interrogo de istis alijs effectibus, & sic in infinitum. Si formalis; cur potius hæc non ponatur potius quam effectiva inter Gratiam, & peccatum?

67 Secunda. Opponuntur non solum moraliter, ut explicabatur num. 62.

63. sed ex natura intrinseca, & physica Gratiæ, & peccati. Constat hoc ex disp. 14. sect. 5. ubi probatum est Gratiam ex natura sua physica iustificare, & sanctificare; ac proindè pellere peccatum à subiecto, in quo præcesserat. Opponuntur ergo physicè, prout oppositio formalis physica contraponitur illis duobus modis oppositionis moralis.

68 Tertia. Oppositio ista physica, non est æquè purè physica ex utraque parte. Nam ex parte Gratiæ, quæ quidem qualitas physica est, & non actus meritorius, purè physica est; ex parte verò peccati actualis est physica, & moraliter demeritoria: & ex parte peccati habitualis, purè moralis: quia peccatum habituale nec est quid physicum existens, nec est novum demeritum.

69 Quarta. Oppositio Gratiæ cum peccato est essentialis, & metaphysica. Quia taliter sibi repugnant ex intrinsicis suis in vno subiecto, ut nec de potentia Dei absoluta componi possint, prout hæcenus vidimus. Vndè repugnantius opponuntur, quam calor, & frigus in genere causæ formalis. Sic evitantur multæ locutiones æquivocationibus expositæ: resque sanius ad mentem explicatur.

70 Quinta. Hæc oppositio vocari aptè potest contradictoria; aptèque quoque contraria. Contradictoria, quia, quamvis sit inter duas formas positivas: hæc sunt tales, ut esse vnius in subiecto sit ipsum non esse alterius in eodem, ut diximus sect. 4. contradictoria autem oppositio explicari solet per esse, & nò esse: non sic se habent frigus, & calor. Contraria; quia est inter duas formas positivas. Nec dicas, non esse sub eodem genere. Respondetur enim, iam esse sub eodem genere logico accidentis: aut circa idem subiectum, quod est quasi genus physicum. Nec item dicas, formas contrarias posse divinitus in subiecto componi. Respondetur enim, id esse verum de contrarijs,

non

non aliundè oppositis essentialiter metaphysicè. Per hæc fiet cuique facilis responsio ad rationem dubitandi positam num. 61.

71 Sexta. Oppositio Gratiæ cum peccato non est localis; quia possunt esse in eodem loco, ut quando Dæmon penetratur cum anima sãcta. Nec est incoexi-

tiva; quia Gratia, & peccatum possunt esse simul in rerum natura; Gratia in vno subiecto, & peccatum in alio. Neque est solum distinctiva; sic enim vnaquæque res opponitur alteri. Sed est subiectiva; quia in eodem subiecto commorari nullatenus possunt. Hos terminos explicuimus sect. 4. num. 41.



DISPUTATIO XVII.

DE CONNEXIONE GRATIÆ HABITUALIS cum Virtutibus; & oppositione cum Virijs.

VIRTUTES, quæ quidem sunt habitus ad actus moraliter bonos exercendos, aliæ vocantur *Theologales*, ut Fides, Spes, & Charitas: eo quòd immediatè versantur specialius circa Deum, habentes pro motivo formali aliquam perfectionem divinam.

Aliæ vocantur *Morales*, ut Temperantia, Religio, Humilitas, &c. quæ non ira versantur immediatè circa Deum; sed habent pro motivo suo formali honestatem aliquam creatam. Theologalium existentiam esse de Fide monstrat Ripaldà disp. 120. Moralium etiam existentia certa est; sed non ira certò de Fide; cum de illa dubitent aliqui Catholici apud ipsum sect. 8. Tam Theogales, quam Morales, aliæ sunt *per se infusæ*, quæ non comparantur per actus repetitos: aliæ *per se acquisitæ*, quæ per actus repetitos comparantur. Istarum habitus, cum supponant potentiam iam potentem ad actus, sunt ad *facile*, id est, ad actus facile in posterum exercendos. Habitus verò per se infusarum sunt ad *simpliciter*, id est, ad absolutè posse exercere suos actus: cum enim non supponant potentiam iam per se potentem exercere earum actus, infunduntur supernaturaliter instar potentiarum ad illos. Legantur contra paucos Amicus disp. 29. sect. 6. & Ripald. sect. 3. Gratiam non connecti necessariò cum Habitibus Virtutum acquisitarum, constat ex eo quòd istæ manere solent in peccatore; & sæpè non sunt in iusto: illo sese facilem ex antiqua consuetudine; isto ex non vsu sese difficilem interdum experiente ad exercitium actuum virtuosorum. Disputatio nunc nostra est de connexione Gratiæ cum Habitibus Virtutum supernaturalium per se infusarum, quæ non infunduntur ad facile, sed ad posse: & significantur à Trident. sess. 6. nomine donorum, quæ in Iustificatione Gratiam committantur, veluti proprietates suam quasi Naturam, seu Supernaturam.

SECTIO I.

An, & quomodò connectatur Gratia cum Virtutibus per se infusis, quo ad primò infundi.

LOQVIMVR iuxta præsentem Dei legem. Non enim dubitamus, quòd iuxta aliam potuisset Deus de ab-

solutà, infundere Gratiam sine habitibus Virtutum, & è contra: sicut & naturam aliquam producere sine proprietatibus physicis.

3 Certum etiam iam nobis esse debet, quidquid dubij in hoc iuerint aliqui Veteres apud Ripald. disp. 128. sect. 3. nunquam infundi Gratiam habituatam

Ripaldà

Amic: Ripaldà

Trident

Ripaldà

sive Adultis, sive Parvulis, de facto iuxta præsentem Dei legem, quin tunc adsint habitus omnes Virtutum, tam Moraliū, quam Theologicalium: modò aliqua tempore præcesserint; modò cunctæ comitentur, aut subsequantur pro posteriori naturæ primam infusionem Gratia. Absurdum enim esset ac indecorum, adesse naturam, seu quasi naturam, sine suis proprietatibus.

4 Difficultas est non modica: an aliquando habitus supernaturales aliorum virtutum per se infusarum primò infundantur antecederet tempore ad infusionem primæ Gratia habitualis. Affirmant id de Habitibus Fidei, ac Spei Suarez, Vasquez, Valentia, Amicus *sect. 9. Oviad. controv. 6. punct. 10.* Hurt. *disp. 56. de Fide*, alijque graves Theologi. Moventur autem non leviter.

5 Primò. Quia, casu dabili, quo Adultus suscipit Baptismum validum, quamvis informem sine fructu Gratia habitualis, infunduntur sic validè baptizato habitus Fidei, & Spei: sed non Gratia: ergo infunduntur sine Gratia; & deficit connexio aliquarum saltem Virtutum per se infusarum cum Gratia, quoad primò infundi. Antecedens probatur: quia sic baptizatus constituitur Fidelis: præsertim, si credens Fidei doctrinam, quamvis impœnitens, baptizatus est. Respondetur tamen, negando antecedens. Nam per Baptismum præcisè solum constituitur homo caractere, & professione Christianus, quasi politicè Fidelis, particeps, capaxque Sacramentorum, signatus internè in Spiritualem Christi ovem, & subditus Ecclesie; non verò absolute Fidelis, susceptione videlicet habitus Fidei, sicut nec Spei: ut patet in multis Hæreticis validè baptizatis; infideles tamen, utpotè sine habitu Fidei. Quòd si credens baptizatus est, sed informiter propter alium obicem, constituitur præterea quodammodò Fidelis externè per Fidei professionem, & internè per actus Fidei tunc physicè existentes, & deinceps moraliter perseverantes; non verò per habitum Fidei physicè permanentem. Ad modum, quo Religiosus post emissã professionis in peccato manet Religiosus: non ab habitibus Virtutum Religionis per se infusis; cum ij apud omnes non infundantur absque Gratia; sed ab actibus earum vir-

tutum physicè præteritis, & moraliter perseverantibus.

6 Secundò. Quia Habitus Fidei, ac Spei per se infusi conservantur sine Gratia in peccatore fideli: ergo primò etiam infunduntur aliquando sine Gratia. Nam ad primò infundi non magis requiritur, quam ad conservari. Nec est, cur ad primam infusionem habituum Fidei, ac Spei requiratur tanta dispositio in homine, quanta ad infusionem Gratia. Sed respondetur, concessio antecedente, negando consequentiam, & probationem. Gratia enim ipsa conservatur hodie in homine, qui heri fuit peccator, absque actuali dolore; sine quo tamen non primò infunditur. Et in physicis quoque formæ conservantur sæpè in subiectis sine multis dispositionibus, sine quibus non introductæ fuissent. Illud, quòd additur de Gratia, patitur instantiam manifestam ab Adversarijs innegabilem in habitibus per se infusis virtutum moralium: ad quos primò infundendos requiritur tanta hominis dispositio, quanta ad infundendam Gratiam. Cur sic? quia taxa dispositionum moralium tam pro Virtutibus Moralibus, quam pro Theologicalibus, & pro Gratia quoad primam infusionem, sic fuit ex lege, ac voluntate Dei satis nobis manifestatã.

7 Tertiò. Quia Fidelis per hæresim amittit habitum Fidei: ergo per actum Fidei, quo postea omnia credit, illum restaurat: cum enim sic tunc convertatur ad Deum credendo; congruum est, Deum ad illum converti infundendo habitum Fidei, quem amiserat discredendo: iuxta illud: *convertimini ad me, & convertar ad vos.* Atqui per id solum non restaurat Gratiam: ergo tunc infunditur illi iam credenti habitus Fidei, quin infundatur Gratia. Confirmatur: quia Fides est fundamentum Charitatis, & Gratia: oportet ergo, ut eius infusio præcedat infusionem Charitatis, & Gratia. Sed respondetur, negando primam consequentiam: quam similiter negare tenentur Adversarij in virtutibus moralibus per se infusis: non enim dicet, habitum virtutis religionis amissum per peccatum irreligionis, restaurari ante Gratiam per solos actus Religionis. Locus ille sacer adductus non bene in probationem consequentiæ, intelligitur abs dubio de conversione peccato-

Zach. 12

ris per actus sufficienter disponentes ad iustificationem, & infusionem Gratia. Ad confirmationem verum est antecedens de Fide actuali, quatenus eius actus disponunt, & præcedunt in peccatore ad infusionem Gratia, & Charitatis; non tamen de habitu Fidei.

8 Quartò. Quia Fides, & Spes habituales sunt virtutes inconnexæ cum Gratia: ergo non est cur aliquando non infundantur ante Gratiam. Antecedens probatur. Primò: quia in peccatore fideli reperiuntur sine Gratia. Secundò: quia propter similem inconnexionem actus Fidei, & Spei præcedunt tempore infusionem Gratia: ergo similiter & habitus. Tertio: quia quamvis primus gradus caloris sit proprietas ignis, præcedit tempore formam ignis: ergo habitus Fidei, & Spei Gratiam, quamvis sint proprietates Gratia. Respondetur tamen, quidquid sit de inconnexione ex natura rei, de qua infra, permisso antecedente, falsam esse consequentiam: sufficit enim ad id connexio inter illos habitus, & Gratiam, quoad infundi, ex lege Dei, satis deductã ex Regulis Fidei, ut videbimus. Ad primam probationem dico, ex eo quòd Fides, & Spes maneant sine Gratia solum argui, non connecti ex lege Dei quoad destrui, sicut quoad infundi: imò stat contraria Dei lex nobis ex Concilijs manifesta. Ad secundam dico, pro actibus Fidei non stare similem Dei legem. Undè nulla est consequentia. Ad tertiam dico, procedere ad summum ex naturis rerum: ubi non obstat divina lex. Undè negatur etiam consequentia.

9 Verosimilior mihi videtur opposita sententia: scilicet, nullum habitum virtutum per se infusarum primò infundi ante Gratiam: atque adeò quoad primò infundi connecti infusionem omnium Virtutum cum infusione Gratia habitualis saltem ex lege Dei. Sic Card. de Lugo *disp. 16. de Fide, sect. 2.* P. Ripalda *tom. 2. disp. 128. sect. 2.* & P. Oxea *disp. 9. de Fide, sect. 2.* Sicq; videtur sensisse S. Thom. *1. 2. quest. 62. art. 4.* docens, quòd, *quamvis inter actus Fidei, Spei, & Charitatis detur prioritas; non tamen sic inter earum habitus: & loquitur quoad primò infundi.*

10 Fundamentum Theologicum est. Quia, quando Adultus credit ante Baptismum, & contritionem, non illi infunditur habitus Fidei: ergo nunquam

ante Gratiam iustificantem: hic enim est casus, in quo præsertim est difficultas. Probatur antecedens. Si in eo casu infunderetur, ideò deberet esse, quia ex Dei lege est ad id sufficiens dispositio actus ille credendi: sed hoc nec constans est, nec verum: ergo in eo casu non infunditur. Probatur minor: nam impotius constat oppositum, ex eo quòd Baptismus debite susceptus est, & omnium ore dicitur ex lege, & institutione Christi, *ianua Fidei*: & supponit in Adultis actum credendi: ergo quia in ipso infunditur per se, & ex institutione sua habitus Fidei. Antecedens supponitur idem tamen ab August. apud Ripaldam, & Delugo: & patet ex usu Ecclesie catholicantis Adultos ante Baptismum iuxta illud Christi Marc. ult. *euntes docete omnes: & postea: baptizantes eos.* Undè sic arguimus. Baptismus Adultorum ex institutione Christi supponit actum Fidei; sed ex institutione sua non supponit habitum Fidei. Si enim ex institutione sua supponeret non solum actum, verum etiam habitum Fidei; quo iure Baptismus ritè susceptus diceretur, *ianua Fidei*? constans igitur est, ex lege, & institutione Christi actus illos Fidei Cathecumenorum non esse sufficientem dispositionem ad infusionem habitus Fidei.

11 Præterea in cap. *Maiores*, de Baptismo habetur, quòd Parvulis per Baptismum infunditur Fides cum alijs virtutibus, quia ex se hanc efficacitatem habet: *ex se*, scilicet ex institutione sua, quæ est lex Christi: ergo, quia ex institutione suã, & lege Christi non supponit virtutem Fidei habitualis, ut per se liquet: illam autem ex institutione sua supponeret in Adultis, si actus Fidei, quos ex institutione sua supponit, essent dispositio sufficiens ad infusionem habitus Fidei, ut patet ex terminis. Nec satisfacit Amicus, respondens, quòd in eo etiam casu Adultus credentis præinfunditur habitus Fidei ex virtute Baptismi, non in re suscepti, sed in voto: sicque Baptismus est semper *ianua Fidei*, & ex se habet eam efficacitatẽ. Reijcitur enim manifestè: quia contingere posset, quòd aliquis omnia credens nollet omninò baptizari; sicque nec in voto haberet Baptismum: tunc ergo aut infunderetur habitus Fidei sine Baptismo etiam in voto; aut dicendum est, actus illos credendi

August. Ripalda Lugo. Mar. vi.

Cap. Maiores.

Lugo. Ripalda Oxea. S. Thom.

dendi non esse ex lege Christi dispositionem sufficientem ad infusionem habitus Fidei: sicq; Fidem habitualem nunquam primò infundi ante infusionem Gratia: cum qua nempe connectitur, sicut & habitus per se infusi aliarum virtutum ex Dei lege, quoad primò infundi.

12 Accedit absurditas ex contraria sententia. Si enim habitus per se infusi Fidei, ac Spei primò infunderentur ante Gratiam, eo quòd actus Fidei, & Spei præcedentes essent dispositio sufficiens ad illos; auferentur deinceps per vteriores suos actus exercitos à peccatore ante Gratiam: cur enim isti non essent etiam sufficiens dispositio ad augmentum suorum habituum? Exindè autem sequeretur necessariò, quòd Gratia habitualis postea infusa, & deinceps aucta, nunquam esset in eodem gradu illorum habituum; sed in dispari: nūquam enim auferentur postea Gratia, quin simul auferentur habitus virtutum: si ergo aliqui istorum præcessissent iam infusi, & aucti, semper essent in maiori intensio- ne, & nunquam in debitâ, ac rationabili proportione cum Gratia: quæ videtur non tabilis deordinatio.

13 Dicendum ergo est, saltem ex præ- senti Dei lege connecti mutuò quoad primò, infundi Gratia habitualem cum habitibus omnium virtutum per se in- fusis. Loquendo autem ex naturis rerum, benè video, quòd Gratia infundi non posset sine habitibus virtutum, qui sunt ipsius proprietates connaturales. Non tamen video, cur, quamvis non omnes, aliqui tamen habitus per se infusi virtu- tum non possent connaturaliter infundi sine Gratia. Sic videmus in naturalibus, quòd quamvis formæ substantiales ne- queant primò produci connaturaliter in subiecto sine suis proprietatibus, nec omnes proprietates, aut dispositiones, quin producat forma; benè tamen aliqua: v.g. calor vt quatuor sine forma ignis. Sicque dicerem, loquendo ex natura rerum, quòd habitus Fidei, ac Spei possent primò infundi sine Gratia; sicut de facto conservantur sine Gratia in peccatore Fidei.

* * *
* * *
* * *

SECTIO II.

Quoad destrui.

14 **D**E connexione Gratia: cum virtutibus per se infusis quo ad destrui possumus etiam loqui, vel ex lege Dei, vel ex naturis rerum, factò debito discrimine inter Virtutes per se infusas Theologicas, à Moralibus; & inter virtutes Fidei, ac Spei, à virtute Charita- tis, & à Moralibus.

15 Loquendo iuxta præsentem Dei legem, certum nobis est, Gratiam mutuò connecti cum virtute Charitatis Theolo- gica: quoad destrui, sicut quoad primò infundi. Certum etiam est tanquam de Fide, non mutuò connecti quoad destrui cum virtutibus Theologicis Fidei, ac Spei: quamvis enim Gratia in Viatori- bus non maneat sine illis; manent tamen illa, destructâ Gratia, in peccatore Fidei. Constat id de habitu Fidei ex Tri- dentino sess. 6. Can. 28. *Si quis dixerit, amissa per peccatum Gratia, simul & Fidem semper amitti, anathema sit* Dixit, semper; & nos diximus, *in peccatore Fidei*: quia, si homo peccat peccato desperationis, amittit etiam cum Gratia habitum Spei; & si peccato infidelitatis, amittit cum Gratia habitum Spei, & Fidei per se in- fusos. De habitu verò Spei ait Ripald. *disp.* 128. non esse ita expressè certum sicut de habitu Fidei. Supponitur tamen ab om- nibus Catholicis, vt indubitatum: quia Trident. *cap. 6.* eodem modo dat ratio- nem pro Spe, ac pro Fide, quibus præpa- retur peccator lapsus ad iustificationem. Quæ contra veritates istas certas mo- liuntur Hæretici dissolvunt eruditè, ac strenuè Bellarm. *lib. 1. de Iustif. cap. 15.* & Suar. *lib. 11. de Grat. cap. 5.*

16 De virtutibus Moralibus per se infusis dubitarunt aliqui apud Ripaldam *num. 45.* an maneat in peccatore cum Fide, ac Spe, destructâ Gratia. Ita tamen certum est, non omnes manere, vt opposi- tum censeatur temerarium à Ripalda. Pereunt enim, pereunte Gratia, illarum radice, saltem demeritoriè pro peccato; cum alioquin de illarum permanentia in peccatore indignissimo nullibi constet. Dixi, non omnes: quia de aliquibus est specialis ratio, & difficultas.

17 De habitu piæ affectionis ad cre- dendum, quæ virtus moralis est, com- munis

Suarez. Granad. Ripalda: munis sententia cum Suar. Granad. & Ripalda ait, manere in peccatore Fidei cum habitu Fidei. Quia, quamvis sit vir- tus voluntatis, pertinet tamen specia- lius ad negotium Fidei: & nomine Fidei subintelligi videtur, quando dicimus manere Fidem.

18 De virtute Prudentia: per se in- fusæ idem videtur affirmare Raynaudus *lib. 2. de Virtut. num. 53.* quatenus existi- mat, iudicium credibilitatis quo move- tur animus ad piam affectionem creden- di, spectare ad habitum Prudentia: in- fusæ: atque adeò debere manere in peccato re fidelium Habit prudentia: ad actum talis iudicij, sicut manet habitus piæ affec- tionis ad actum piæ affectionis: totum enim hoc est negotium Fidei manentis in pec- catore. Consentit, nec immeritò, Ripal- da, si verum est quòd iudicium illud sit à Prudentia infusa; secus si ab habitu speciali intellectus ad sic iudicandum in rebus Fidei: sufficeret enim iste habitus in peccatore Fidei, quin propterea ma- nere deberet habitus generalis Pruden- tia: infusæ.

19 De virtute Pœnitentia: dicunt aliqui, eius habitum per se infusum ma- nere cum Fide in peccatore. Quia est vir- tus propria peccatoris: ac proindè man- sura in peccatore in adiutorium resipis- centia: alioquin nunquam exerceretur hic habitus in expellendo re ipsa pecca- to; cum semper comitans Gratiam, sem- per supponere peccatū expulsū. Com- munitè tamen Theologi cum S. Thomæ id negant apud Meratium *tom. 3. tract. 3. disput. 6. sect. 1.* quia nulla favet Dei lex, excipiens ab expulsiōne habitum pœni- tentia: cum Gratia, sicut habitum Fidei, ac Spei. Ad rationem autem respondent, actus pœnitentia: esse proprios peccato- ris; non sic habitum. Ad eos autem actus exercendos à peccatore adsunt auxilia Gratia: actualis. In Iustis autè iam exer- cetur habitus pœnitentia: per actus mul- tos detestativos peccati, quantumvis iam remissi. Nec reputant inconveniēs, quòd per habitum per se infusum virtu- tis pœnitentia: nunquam re ipsa expel- latur peccatum.

20 Mihi quidem, si virtus pœniten- tia: est habitus specialis, non est omni- nò inverisimile, manere in peccatore cum Fide, ac Spe, ob rationes supra posi- tas pro hac parte. Cæterum valdè inclino

in sententiam, quam proposui *disp. 14. de Incarn. num. 91.* dicentem, pœniten- tiam non esse habitum virtutis specia- lis; sed esse complexum ex habitibus omnium virtutum; quatenus vnaquæque ex eodem motivo formali propter quòd amat honestatem sui obiecti, detestatur peccatum sibi oppositum, vt ibi expli- cui. Iuxta hanc verò sententiam, dicen- dum hic esset, quòd, cum ex lege Dei aliqua: virtutes per se infusæ destruan- tur, destructâ Gratia; & aliqua: non; ali- qua: partes integrantes virtutem sic complexam pœnitentia: destruantur; & aliqua: non. Hæc de lege Dei.

21 Loquendo iam ex naturis rerum, Cardinales de Lugo, & Pallavicinus, ille *disp. 16. de Fide, nu. 29.* iste *lib. 3. Sum. n. 51.* & cum multis Recentioribus Ripalda *disp. 128. sect. 4.* docent, ex naturis rerum ita connecti Gratiam, omnesq; virtutes per se infusas, ut destructâ Gratia: omnes essent destruendæ, nisi Deus misericor- diter voluisset, manere in peccato Fidei Fidem, & Spem. Si obijcias, sic quo- ties Fidelis peccat fieri miraculum in earum conservatiōe, concedit conse- quentiam Ripalda; Lugo verò negat: non ex alia ratione, nisi quia id frequen- ter contingit; cum ad rationem mira- culi requiratur raritas.

22 Contra tamen est; quia sequere- tur ulterius, quòd, si habitus Fidei non posset esse naturaliter sine Gratia, non posset esse naturaliter cum peccato: cum enim peccatum, & Gratia naturaliter, imò & essentialiter opponantur, eo ipso modo, quo Fides dicit necessitatem essendi cum Gratia, dicit necessitatem essendi sine peccato; seu nō essendi cum peccato, ut ex terminis videtur patens: sicut eo ipso quòd forma non potest esse sine subiecto, dicit necessitatem essendi cum subiecto, seu non essendi cum de- structioni subiecti: si ergo Fides nō pos- set naturaliter esse sine Gratia, non pos- set naturaliter esse cum peccato destru- ctivo Gratia:; sicut nec naturaliter for- ma cum destructivo sui subiecti. Vndè fieret, quòd quories Fidelis peccat, non nisi miraculosè, aut saltem non natura- liter peccaret, retentâ Fide, sicut agens naturale non posset naturaliter introdu- cere calorem in subiectum conservatum cum frigore. Fieretque tandem, quòd Deus deberet esse causa specialis peccati reten-

Tom. de Christo, disp. 14. sect. 9.

Lugo, Pallavicinus, Ripalda

Suprà retentâ Fide, ut in simili arguebamus
disp. 16. *dis. 16. a num. 16.*
sect. 2. 23 P. Suarez *lib. II. cap. 5.* absurdum
Suarez. fortè reputans id quod ab iltis concedi-
tur, docet, cum cæteris virtutibus con-
necti Gratiam ex natura rei, quoad de-
strui; non verò cum Fide, & Spe. Vndè
est, quòd ista, & non alia, tam ex lege
Dei, quàm ex natura rei, sine miraculo
maneant in peccatore, destructâ Gratia.
Mihî tamen, ut verum fatear, nulla af-
fulget ratio solida, nec Theologica, nec
Philosophica, pro isto discrimine inter
Fidem, ac Spē, & reliquas virtutes. Dices:
in Beatîs stat Gratia sine habitu Fidei.
Fateor: at stat melius cum lumine Glo-
riæ, & visione intuitiva Dei. Dùm tamen
ista deest, ut in viatoribus, exigit ut pro-
prietatē habitum Fidei, æquè ac habitus
aliarum virtutum: & non est cur alia
virtutes debeant connaturaliter destrui,
destructâ Gratia, prius quàm Fides, ac
Spes, inspectis naturis rerum: ergo ex
natura rei non est cur non æquè, aut
connectantur, aut inconnectantur cum
Gratia quoad destrui virtutes morales
per se infusæ, ac Fides, & Spes.

Hurtad. 24 Idcirco Petr. Hurt. Salas, & alij
Salas. apud Ripald. cit. universaliter docent,
nullum habitum virtutum, siue Mora-
lium, siue Theologicalium connecti ex na-
tura rei cum Gratia quoad destrui. Vndè,
quòd destructâ Gratia, destruantur alia
virtutes, est ex lege Dei in pœnam pec-
cati: & similiter possent destrui Fides, ac
Spes: quamvis Deus illas conservet, hac,
inter alias multas, volens uti misericor-
diâ cum peccatore; sine miraculo tamen
utpotè minimè necessario: sicut non est
miraculum, quòd tunc nō puniat mor-
te peccatorem; quamvis id quoque me-
ruerit per peccatum. Nec obstat, quòd
habitus virtutum per se infusarum sint
Gratiæ proprietates. Multæ namque pro-
prietates derivatæ à forma substantiali
manent sæpè in subiecto, abeunte for-
mâ, quæ fuerat earum radix: & quidem
sine miraculo in naturalibus.

25 Verosimilior mihi videtur ista
sententia. Quam tamen non erit abs re
dupliciter limitare, seu declarare. Pri-
mò: non esse necesse sub hac generali-
tate intelligere habitum charitatis: hæc
enim virtus connectitur fortè specialius
mutuò cum Gratia, ut proprietates physi-
ca quarto modo: at quæ deò, nec Gratiam

sine illa, nec illam sine Gratia, aut in-
fundî, aut destrui posse ex natura rei ci-
tra miraculum. Id enim habent aliqua
proprietates physicae in naturalibus: nec
est cur in supernaturalibus Gratiæ, &
charitati virtutum nobilissimæ denegetur.
Secundò: nec esse necesse, adhuc se-
posito habitu charitatis, id intelligere
de collectione omnium aliorum habi-
tuum virtutum: fortè namque inter Gra-
tiam, & istam collationem datur eadem
mutua connexio ex natura rei quoad
esse, & quoad destrui: sicut in naturali-
bus inter formam substantialem, & cer-
tam collectionem accidentium, seu pro-
prietatum, sine qua non posset citra mi-
raculum stare forma, nec sine forma illa
collectio. Cum quo tamen stat optimè,
quòd citra miraculum stent, destructâ
Gratia, Fides, & Spes, quamvis, non
certa maior collectio virtutum nobis nō
satis nota. Id quod videmus in natura-
libus ex rerum naturis.

SECTIO IIJ.

Quoad intendi.

26 **C**OMMUNIS, & vera sententia
mutuam in Gratia, & virtuti-
bus per se infusis agnoscit connexionē,
saltem pro de facto ex lege Dei, quoad
intendi: ita nimirum, ut nunquam au-
geatur Gratia, quia pariter augeantur
habitus omnium virtutum per se infusa-
rum; nec habitus aliquis virtutis per se
infusæ, quin pariter augeatur, aut in-
tendatur Gratia. Prior pars defenditur à
Suarez *cap. 4. Pallavicino lib. 5. num. 56.*
& Ripald. *sect. 6.* contra Valquez, Ara-
gon, & Torres apud ipsum. Posterior de-
tenditur ab eodem Ripalda, & alijs
contra Valentiam, Suarez, & alios.

27 Vtraque pars tradi videtur à S.
Thom. apud Ripaldam: & infertur ex
Trid. *sess. 6. cap. 10.* pariter loquente de
incremento Gratiæ, ac Virtutum, ibi:
Iustitia incrementum petit Sancta Ecclesia,
cum orat: Da nobis, Domine, Fidei, Spei, &
Charitatis augmentum. Et ratio est: quia
infusionē Gratiæ comitatur infusio vir-
tutum, ut vidimus *sect. 1.* ergo intensio-
nem intensio. Quandiù enim manent
in peccatore habitus per se infusi Fidei,
ac Spei, non intenduntur, donec restau-
ratur, & simul augetur Gratia. Præterea:
quia

Suarez.
Pallav.
Ripalda
Vasq.
Aragon
Torres.
Ripalda
Valent.
Suarez.
S. Thom.
Trident.

quia vel augetur Gratia ex opere opera-
to per Sacramenta: & tunc iam nobis
concedunt Adversarij, augeri cum Gra-
tia omnes virtutes per se infusas: Vel ex
opere operantis per actus virtutum me-
ritorios: & tunc, cuiuscumque virtutis
sint, non solum augetur illa virtus; sed
simul etiam Gratia in præmium boni
operis: non est autem cur, auctâ Gratiâ,
non augeantur pariter in præmium om-
nes virtutes per se infusæ Gratiæ comi-
tes. Hoc enim augmentum non est per
modum causalitatis physicae actus tunc
exerciti in Gratiam, & virtutes infusas;
sed per modum causalitatis moralis me-
riti in præmium.

28 Contra priorem partem opponi
solet: quòd per quemlibet actum virtu-
tis meritorium iusti, augetur Gratia: sed
non per quemlibet augetur omnes vir-
tutes: ergo intenditur Gratia, quin pa-
riter intendantur virtutes. Probatur mi-
nor: quia per actus repetitos misericor-
diæ augetur in homine facilitas ad mi-
serendum, manente difficultate ad ab-
stinendum, orandum, & ad alias virtu-
tes: ergo quia non augetur habitus alia-
rum virtutum. Respondetur tamen ne-
gando minorem de virtutibus, ut loqui-
mur, per se infusis. Ad probationem,
concesso antecedente, negamus conse-
quentiam de alijs etiam virtutibus per
se infusis. Nam illa facilitas specialis,
quam post actus alicuius virtutis expe-
rimur ad alios similes, non est habitus
per se infusus talis virtutis, nec eius
augmentum, quia non datur ad faciliè,
sed ad posse; sed est habitus eiusdem vir-
tutis acquisitus, qui datur ad faciliè: de
cuius natura, productione, & intensione
dicemus *sect. seq.*

29 Contra posteriorem partem op-
poni potest primò: quòd Virtutes Fidei,
ac Spei manent in peccatore cum sua
intensione; Gratia verò tunc destructa,
si postea reviviscit, non reviviscet cum
tota intensione, quam simul cum Fide,
ac Spe habebat ante peccatum: ergo tunc
superabunt intensione Gratiæ ista vir-
tutes: sicque non æquiparantur, & con-
nectantur cum illa penes intensiōnem.
Secundò: quia peccator manens sine
Gratia cum habitibus Fidei, ac Spei,
istos auget per actus Fidei, ac Spei, quos
exercet in illo statu: sed tunc non auget
Gratiam, quam non habet: ergo inten-

dantur ista virtutes, quin intendatur
Gratia. Probatur maior: quia actus illa-
rum virtutum tunc exerciti gene. aut in
peccatore facilitatem ad similes actus:
ergo auget, & intendunt earum habi-
tus.

30 Respondetur ad primum, con-
cessa maiori, negando minorem ex di-
cendis *disp. ult.* de reviviscencia merito-
rum, & Gratiæ in tota intensiōne, in qua
mortua fuerat. Ad secundam, negatur
maior. Ad eius probationem, concesso
antecedente, distinguo consequens: au-
gent earum habitus per se infusos nego;
alios earundem virtutum acquisitos,
qui sunt ea facilitas generata per actus;
concedo consequentiam: ex qua nihil
contra nos, dum fuit sermo de per se in-
fusus.

31 Si dicas: quid igitur boni præ-
stat augmentum, siue intensio habituum
per se infusorum pariter cum intensiōne
Gratiæ, si non præstat facilitatem ad
similes actus? quandoquidem simplici-
ter posse iam præstabant in gradu re-
missio. Respondetur, præstare maius posse
simpliciter ad actus intensiores, ut cum
minori conatu potentia naturalis, mi-
noriq; impendio præcedentium vitium,
valeant exerceri.

SECTIO III.

*Quid de connexione, vel inconnexione Gra-
tia cum Virtutibus acquisitis.*

32 **A**LIVORVM fuit existimatio,
quod facilitas illa, quam ex-
perimur post frequentiam actuum su-
pernaturalium virtuosorum, non gene-
rat habitum specialem physice perma-
nentem: facilitatem autē illam reducunt
ad providentiam Dei specialius assisten-
tis per vberiora auxilia Gratiæ ad actus
similes, homini, qui sese diù in virtuti-
bus exercuit. Hoc tamen nec philoso-
phicè dicitur, nec Theologicè. Quia præ-
bet ansam negandi omnes habitus vir-
tutum acquisitos per actus, reducendo
facilitates, quas experimur, ad specialem
assistentiam providentiæ Dei. Secundò:
quia nulla est ratio, cur actus super-
naturales virtutum non generent habitum,
cuius sit ea facilitas ad actus similes.
Ratio namque posset esse difficultas de-
cernend., an tales habitus acquisiti sint
natu-

Infrâ
disp. ult.

naturales, an supernaturales: quod statim præstabitur.

33 Dicendum ergo pro certo est cum communi sententia: eos actus virtutum supernaturales repetitos generare suos habitus acquisitos, distinctos à per se infusis: ad quos spectet facilitas illa ad similes actus, quam experiuntur illi, qui se diu in actibus virtutum exercuerunt, præ alijs, qui se non sic exercuerunt. Nulla enim apparet ratio, cur actus supernaturales boni non generent habitum, qui sit facilitas ad similes. Cur enim actus naturales suos generent in potentijs suis habitus facilitantes ad similiter deinceps operandum; & non sic actus supernaturales?

34 Ratio opposita posset esse: Quia talis habitus sic acquisitus nec esse posset naturalis; cum generetur ab actibus supernaturalibus: nec posset esse supernaturalis; cum superfluus esset, existens simul cù supernaturali per se infuso: ergo nullus. Hinc ortum dissidium inter Authores veræ sententiæ circa naturam prædictorum habituum acquisitorum.

35 P. Vasquez, vterque Hurt. & Arriaga *disp. 9. de Anim. sect. 1. & disp. 16. de Fide, sect. 1.* respondent, eiusmodi habitus acquisitos per actus supernaturales virtutum esse supernaturales; sicut naturales qui acquiruntur per actus naturales earumdem virtutum. Nec propterea esse superfluos in consortio habituum per se infusorum earumdem virtutum: quia per se infusi deserviunt ad simpliciter posse instar potentiarum supernaturalium; acquisiti verò, ad facilitè.

36 P. Suarez *lib. 6. cap. 8. & 14.* Molina, & Salas, eosque citans Ripalda *disp. 52.* respondent meliùs, esse naturales. Quamvis enim effectus supernaturales sint supra activitatem causarum purè naturalium; non tamen naturales supernaturalium; alioquin, cum Deus supernaturalissimus sit, & summa Supernatura, nihil posset efficere non supernaturale. Itaque, quamvis illi actus supernaturales sint, possentq; quod negat Ripalda, generare habitum acquisitum supernaturalem; possunt tamen à fortiori naturalem, & de facto non nisi naturalem generant: propter sequentes rationes.

37 Primò. Quia habitus acquisiti virtutum manent in peccatore, destructa

Gratia, vt patet experimento facilitatis etiam in eo statu peccatoris ad opera virtutum similia ijs, in quibus sese antea exercuerat: absurdum autem est, quamvis ab aliquibus devoretur, quòd in peccatore manent habitus supernaturales virtutum, præsertim charitatis, amissionè Gratia: præsertim cum ex Trident. indefinitè doceamur, non manere in peccatore Fidei, nisi habitus Fidei, ac Spei. Dicendum similiter esset, in Hæretico, qui diu benè credidit, manere habitum supernaturalem Fidei divinæ. Scio, responderi, Tridentinum loqui de per se infusis; non de acquisitis. Cæterum, si acquisiti sunt entitativè supernaturales, derogari non parùm videtur per id indefinitè locutioni Tridentini.

38 Respondent alij, nec eiusmodi habitus acquisitos supernaturales manere, destructa Gratia; facilitatem autem illam, quam in statu peccati experiuntur multi, non esse ab habitu supernaturali acquisito per actus supernaturales; sed ab alio naturali acquisito per naturales. Sed contra est: quia, dato quòd fiant de facto actus virtuosos vnde quaque boni, qui non sint supernaturales; posset certè contingere, quòd iustus solos exercuerit supernaturales: tunc autem abs dubio factus peccator eandem facilitatem experiretur: sed non ab habitu naturali: quippè non generatus fuit ab actibus naturalibus in eo casu: ergo à supernaturali acquisito: qui propterea manere deberet in peccatore: & absurdum sit inevitabile. Satiùs igitur est dicere, non generari per actus sive naturales, sive supernaturales, nisi habitum naturalem acquisitum, qui citra absurdum maneat in peccatore.

39 Secunda ratio sumitur à superfluitate. Quia posse iam dant habitus per se infusi; facile, darent sufficientissimè habitus acquisiti naturales: elevati scilicet à comprincipio supernaturali ad facilitandos actus supernaturales; sicut potentia naturalis ad posse illos producere. Ad quid ergo, præter habitus per se infusos, & habitus naturales acquisitos, alij habitus acquisiti supernaturales, nisi ad multiplicandos habitus sine necessitate, & utilitate?

40 Huic doctrinæ non obstat supernaturalitatem actuum, iam satis vidimus. Nec enim obstat supernaturalitas actuum

actuum præcedentium, per quos generatur habitus naturalis: quia nihil vetat, causam supernaturalem producere effectum naturalem, vt vidimus, sicut nec imperium supernaturale imperare actum naturalem. Nec obstat supernaturalitas actuum subsequendum, ad quos facilitat: id enim facit obedientialiter, sicut potentia naturalis; per elevationem scilicet à comprincipio supernaturali: quod est habitus per se infusus, si adest; & si deest, auxilium Gratia actualis. Ad hunc modum dixi *disp. 6. sect. 6. & 7.* imperium naturale elevatum à comprincipio supernaturali posse imperare actum supernaturalem.

Suprà
disp. 6.

41 Dices. Actio, qua habitus ille naturalis acquisitus generatur ab actibus supernaturalibus repetitis, vel esset naturalis; vel supernaturalis. Si naturalis, quomodo connectitur cum principio supernaturali, à quo per se fluit? Si supernaturalis, quomodo connectitur cum termino naturali, quem generat? Vtrumque enim hoc videtur adverstari communibus doctrinis de Ente supernaturali. Respondeo, actionem illam esse naturalem: & quidquid sit de communibus doctrinis, cum quibus componere præsentem doctrinam, negotium erit P. Ripaldæ, negantis omnem connexionem naturalium cum supernaturalibus; dico ex ijs, quæ docui *disp. 18. de Attrib. sect. 11.* non esse contra rationem entis naturalis connexionem cum supernaturali. Vndè facili negotio defendo, non obitare prædictæ actioni naturali connexionem cum suo principio supernaturali.

Tom. de
Deo, disp.
18.

42 Iam circa connexionem, vel inconnexione Gratia habitualis cum habitibus acquisitis virtutum, sive naturalibus, sive supernaturalibus, dico, nec connecti quoad produci, nec quoad destrui, nec quoad intendi. Non quoad produci: quia in Parvulis primò infunditur Gratia cum habitibus infusis, sine acquisitis; cum nullos actus virtutum exercuerint: & in adultis peccatoribus, qui in statu peccati aliquas virtutes exercuerunt, generantur interdum habitus acquisiti, nondum infusa Gratia. Non quoad destrui: quia habitus acquisiti manent in peccatore, destructa Gratia; & in Iusto quandoque, non destructa Gratia, minuuntur, & possunt omnino

destrui habitus acquisiti virtutum per non usum, aut per actus oppositos venialiter malos. Non quoad intendi: quia per Sacramenta augetur Gratia cum virtutibus infusis ex opere operato: virtutes autem acquisitæ non augetur, nisi per actus ex opere operantis: è contra verò in peccatore, nullo facto Gratia incremento, augetur, & intenduntur habitus acquisiti virtutum respectivè per actus multos illarum, quas in eo statu exercent.

SECTIO V.

Quid consequenter de inconnexione, seu de Oppositione Gratia habitualis cum Vitijs.

43 QVEMADMODVM Virtus acquisita est habitus facilitans ad actus honestos; à contrario vitium est, habitus facilitans ad peccata, sive ad actus pravos. Vitium itaque, sicut nec concupiscentia, nec fomes peccati, nec tentatio peccandi, non est peccatum; sed est quid physicum facilitans ad peccatum, physicè remanens in anima ex repetita peccatorum commissio: sicut è contra ex repetitione operum virtutis manet habitus acquisitus facilitans ad virtuosè deinceps operandum.

44 Dicendum autem extra controversiam est, Gratiam habitualem nec connecti, nec opponi cum vitijs: sicut nec cum tentationibus, nec cum fomite peccati. Prior pars de inconnexione non eget probatione. Posterior de non oppositione probatur experimentis. Multi namque post diuturnas peccandi consuetudines iustificati, experiuntur adhuc propensionem, & facilitatem veterem ad reincidendum: cui tamen operosè resistentes conservant Gratiam. E contra verò, homo iustus, ac benè diu moratus, & deindè graviter tentatus semel peccans, quamvis statim amittat Gratiam; non statim experitur propensionem, & facilitatem sæpè peccandi: ergo quia Gratia, quamvis opponatur cum peccatis; non ita cum vitijs, sicut nec cum fomite.

45 Et ratio à priori est. Quia vitium est propensio, seu facilitas ad peccatum; Gratia verò habitualis, nec per se est facilitas ad actus virtutum, nec illam im-

SECTIO VI.

An connexio Gratia habitualis cum habitibus Virtutum infusarum sit per modum influxus physici in illos.

portat per habitus virtutum per se infusos ipsam comitantes; cum non sint ad facile; sed ad posse: habitus autem acquisitos, qui sunt ad facile, non secum per se importat Gratia, ut vidimus. At, quamvis opponantur facilitas ad actus pravos, & facilitas ad actus bonos oppositos; non verò facilitas ad actus pravos, quæ vitium est; & potestas ad actus bonos etiam contrarios, quæ vel per se, vel per virtutes infusas importatur à Gratia habituali.

46 Id intelligo de Gratia habituali, quantumvis intensa, qua de facto sancti, & iusti efficiuntur. Non enim iudico impossibilem Gratiam aliam habitualem nobiliorem, quæ non solum cum peccato mortali; sed etiam cum venia li; imò & cum vitijs opponeretur: ut de sanctitate Unionis Hypostaticæ; & cœlestis Beatitudinis dici solet, & nos tetigimus disp. 15. de Incarn. sect. 4. & 5.

47 Dicendum secundò: nec Virtutes per se infusas opponi cum vitijs; bene verò acquisitas in gradibus intensis. Prior pars sequitur ex ratione à priori num. 45. Secunda probatur. Habitus enim virtutum acquirarum sunt facilitates ad actus virtuosos oppositos peccatis: facilitas autem ad actus peccaminosos, quæ est vitium, quamvis non opponatur cum potestate ad actus virtuosos, quæ est virtus per se infusa; opponitur cum facilitate ad eisdem, quæ est virtus acquisita. Hoc tamen intellige vtrinque, penes gradus intensos: quia penes remissos non sibi repugnant, ut de qualitatibus contrarijs dicimus in Philosophia. Hæc, & alia pertinent otiosius ad Tractatus de Virtutibus, & Vitijs.

48 Infero: Virtutes per se infusas cum peccato eatenus tantum opponi, quatenus connectuntur cum Gratia peccato opposita, iuxta dicta sect. 2. & 4. Virtutes verò acquisitæ, sicut non connectuntur cum Gratia, ita nec per se opponuntur cum peccato. Interdum enim manent naturaliter sine Gratia cum peccato: quando nempe lapsus experitur adhuc facilitatem ad actus virtutum, in quibus sese exercuerat. Interdum, sive Gratia, sive peccatum sine illis: quando nempe, sive iustus, sive peccator non frequentaverat opera virtutum.

Piura Ripalda disp. 131.

(*†*)

Tom. de Christo, disp. 15.

Ripalda.

49 CUM habitus virtutum infusarum sint proprietates Gratia habitualis, habentis se ad illos instar naturæ, cui ad connaturalem suam statum debentur, oritur quæstio à paucis discussa: an Gratia præcisè exigat illos secum habere à Deo tantum productos, an etiam physicè in eos influat, ad eorum productionem effectivè cum Deo concurrens.

50 Communiter dicitur, aut supponitur, Gratiam non influere physicè effectivè in habitus virtutum per se infusos; sed exigere ut à Deo efficiantur, veluti ipsius proprietates: ut videre est apud Oviedum contrav. 3. punct. 1. Multæ namque sunt rerum proprietates, quæ non efficiuntur à formis, quas efficiunt: ut unio, quæ non efficitur à forma, cuius est unio, & proprietates. Cur ergo tribuatur Gratia influxus iste in habitus virtutum, quamvis sint eius proprietates? Præsertim, cum Gratia sit in Beatis, quin in eis sibi producat habitum Fidei. Sic Amicus disp. 15. num. 56.

51 Nihilominus minus P. Granadus tract. 4. disp. 3. & P. Oxea disp. 9. de Fide, sect. 1. docent oppositum, attribuentes, & meritò, physicum influxum Gratia in habitus sui comites virtutum infusarum: quod videtur insinuasse S. Thom. dicens virtutes fluere à Gratia, sicut potentias ab Anima: à qua scilicet eas distinctas supponit, contra quod nos alibi opinamur. Sic enim videtur conformius nostræ Philosophiæ. Quippè in naturalibus hunc influxum effectivum concedimus substantijs presentibus in suas proprietates phisicas: igni in calorem, aquæ in frigiditatem, & sic de multis alijs: ubi specialis ratio eiusmodi influxum non prohibet. Nulla autem, vel mediocri assignatur ratio, cur id Gratia in suos habitus infusos denegetur.

52 Ad rationem contrariam fatemur, esse naturas, quæ aliquas suas proprietates non sibi efficiant ob speciales rationes. At sunt alia, quæ efficiunt. Ad hoc autem ut Gratia sit potius ex istis, quam ex illis, nulla datur ratio.

Nec

Ovied.

Amic. Granad. Oxea.

Nec prodest quod de habitu Fidei opponit Amicus. Nam Gratia nec sibi efficit, nec sibi exigit habitum Fidei pro statu

beatifico, qui loco Fidei affert in Patria lumen gloriæ, & evidentiam Mysteriorum, quæ Fides obscurè credit in via.



DISPUTATIO XVIII.

DE INFLUXU PHYSICO GRATIAE IUSTIFICANTIS in actus Virtutum infusarum.

1 IXIMVS de influxu Gratia in habitus; dicendum nunc de eiusdem influxu effectivo in actus virtutum. Et ut à certò ad incertum progrediamur, pro certò hoc ipso in limine habendum est; quòd Authores, qui Gratiam habitualem identificant cum habitu Charitatis, aut cum habitibus aliarum virtutum, dicere debent, Gratiam physicè influere in actus earum virtutum, cum quarum habitibus eam identificant: quin propterea dicere debeant influere in alios. Nos ex æquo distinximus Gratiam habitualem à quibuslibet habitibus virtutum particularium, ut ex æquo se habeat ad omnes, utpotè Rectitudo universalis in omni genere virtutum. Et iuxta hanc doctrinam superius constabilitam, & communior, disputamus.

SECTIO I.

An Gratia habitualis physicè influat simul cum singulis habitibus in actus virtutum.

2 NEGAT sententia comuniore cum Patre Suarez; non tamen improbane contrariam affirmativam. Et videtur esse S. Thom. 2. 2. quæst. 110. art. 2. dicentis: Gratia, secundum quod est qualitas, dicitur agere in animam non per modum causa efficientis; sed formalis. Et idem repetit alibi apud Amicum disp. 29. sect. 9. Fortè tamen S. Thom. loquitur non quoad actus virtutum; sed quoad effectum formalem iustificandi, & expellendi peccatum: apponit enim exemptum: sicut albedo facit album, & iustitia iustum. Quid quid tamen de hoc sit.

3 Verisimilior est mihi pars affirmans, Gratiam influere effectivè physicè in omnes actus virtutum infusarum, qui stante Gratia in anima eliciuntur à singulis virtutibus. Id quod, ut dixi, non omnino displicuit Patri Suar. tom. 3. lib. 6. cap. 13. num. 4. & arrisit Magistris ap. primè doctis.

Suarez. P. Gual. de i. q. Rio.

4 Moveor. Quia, supposità verà doctrinà distinctionis Gratia ab habitibus singularum virtutum, sic discurritur conformius, & consequentius ad eos, qui substantiam animæ distinguunt à potentijs. Ex quibus Pater Suarez, & alij prædocti, non propterea negant animæ physicum influxum effectivum in actus singularum virtutum; imò aiunt, cum intellectu influere in actus intellectus; & cum voluntate, in actus voluntatis; utpotè principium universale, ex quo & potentia, & actus potentiarum emanant. Sic ergo discurrendum videtur de Gratia, distinctà ab habitibus virtutum, in ordine ad actus virtutum: ut strictius dicatur, & sit, Rectitudo universalis. Quòd facit loquutio familiaris Patribus, & Theologis, Gratiam vocantibus veluti animam in ordine supernaturali, respectu habituum infusorum virtutum, qui sunt veluti potentia.

5 Hinc innui disp. 14. de Incarn. n. 91. actus sine dubio virtuosos prosequuntur vos honesti ut sic, nullam virtutis specialis honestatem præferentes, cum ad nullam præ alia virtutem pertineant, habere pro principio physicè effectivo

De Incarnat. disp. 14. sect. 9.

222

Grat.

Gratiam habitualem, quæ est rectitudo univversalis: quin necesse sit, aut omnes habitus virtutum ad illos influere; aut pro illis infundi præter Gratiam, & speciales virtutes, alium habitum profectivum honesti ut sic.

6 Dices. Superfluerent virtutes, si Gratia ab illis distincta haberet seorsim vim etiam physicè effectivam in actus virtutum. Negamus tamen, sicut negant multi ex Adversarijs cum P. Suarez, superfluerent potentias distinctas ab Anima, quamvis anima physicè efficienter influat in actus potentiarum. Non enim est superfluitas; sed maxima congruentia, quod principio univversaliori subseruiant multæ concausæ ad determinatas species operationum: sicut neque, quod concedatur varijs concausis secundis vis effectiva ad varios determinatos effectus, quos sine illis posset efficere sola Causa prima univversalior. Est & alia congruentia, ut in simili philosophabamur

Suprà
disp. 5.
sect. 2.

7 Addendum, quod Gratia sine virtutibus nõ ageret connaturaliter actus specialium virtutum: quia id ageret sine suis proprietatibus, quæ sunt speciales virtutes, exigentes elevare quoque potentias, & influere in actus sibi correspondentes. Nec liberè dicimus, aut supponimus speciales virtutes distingui à Gratia: id enim iam supra probatum est

Suprà
disp. 14.

SECTIO II.

An posset etiam in actus virtutum preceptos pro instanti determinato, illas à libertate.

8 DE hoc olim in ea suppositione non erat dubiũ. Neque nunc, ut ingenuè iudico, deberet esse; sed laborandum in superandâ difficultate subortâ contra veritatem aliundè notam.

Multæ namque suboriuntur quotidie difficultates cõtra veritates certissimas: quas proindè non reddunt dubias; sed studiosius, ac impentius protegendas à novis difficultatibus. Averte spinas, & lege florem: nec tantis spinis nobis sint, ut propter illas florem oderimus, aut minùs amemus; imò avidius appetamus, & legamus. *Dicit piger: Leo est foris: cui Dominus, ut imperterritus coneris, & progrediare: Appone, inquit, cor ad doctrinam. Prover. b. 22.*

Prover
22.

9 Facta est contentio inter Discipulos, & inter Magistros Societatis: an, suppositis incompossibilitate Gratiæ cum peccato, & influxu effectivo Gratiæ, saltem de possibili, in actus virtutum infusarum, posset Gratia physicè influere in actum virtutis, casu etiam quo talis actus præciperetur pro instanti determinato, salvâ libertate.

10 Gravis, & acris dubitandi ratio duplex est. Prima. Quia omne antecedens actum, essentialiter intrinsecè connexum cum actu, & incommuniabile cum omissione actus, est contra libertatem actus: sed in eo casu Gratia esset quid antecedens actum præceptum, utpotè principium immediatè physicè effectivum actus: essetque essentialiter intrinsecè connexum cum actu, & incommuniabile cum omissione actus sic præcepti: ergo esset contra libertatem actus; atque adeò stare nequit, quod in eo casu actus præceptus evadat liber, & quod Gratia physicè influat in illum, ut principium effectivum. Maior videtur non egere probatione, sed quasi axiomaticè supponi debere in Schola Societatis. Non enim aliter dicitur physica prædeterminatio esse contra libertatem actus, nisi quia est quid antecedens actum, essentialiter connexum cum actu, & incommuniabile cum omissione actus. Minor est ex terminis suis manifesta; cum supponamus, Gratiam fore principium effectivum immediatum actus præcepti: taliter exigens ad sui cõservationem, & consistentiam actum præceptum, ut sine illo posito conservari non possit; sitque cum omissione actus præcepti, utpotè graviter peccaminosâ, incommuniabilis, sicut cum alio quocumque peccato mortali. Consequentia verò currit in bona forma.

11 Secunda ratio dubitandi acrior est.

est. Quia in prædicto casu pro instanti urgentis præcepti, aut homo conservat Gratiam; aut non conservat. Si conservat, eam conservat eliciendo actum præceptum; si enim non eliceret peccaret; & cum peccato non conservaretur Gratia. Vndè daretur mutua prioritas inter actum, & Gratiam: actus enim esset prior Gratiâ, quia esset causa conservationis Gratiæ pro eo instanti. Gratia autem esset prior actu; quia in eo instanti esset principium influens in actum. Huiusmodi autem mutuas prioritates detestamur, ut sibi repugnantes, in Philosophia, & Theologia. Si verò dicatur secundum, scilicet, pro eo instanti urgentis præcepti non conservari Gratiam: ergo quia in eo instanti omittitur peccaminosè, atque adeò liberè, actus præceptus: non enim aufertur Gratia semel infusa, nisi propter peccatum; nec peccatum est dabile, nisi liberum. Atqui in eo casu omisio actus præcepti non esset libera pro eo instanti, ac proindè nec peccaminosa: qua ergo lege desineret pro eo instanti conservari Gratia? Minor subiuncta probatur: quia non est libera omisio, quæ habetur sine potestate ad actum oppositum: ergo non esset libera. Maior constat; quia libertas dicit potestatem ad utrumque extremum exercitij liberi voluntatis. Minor probatur clarè: quia in eo casu in instanti, quo est omisio, iam non est potestas ad actum oppositum; cum iam non sit Gratia, quæ est vnum ex comprincipijs per se constituentibus potestatem ad actum præceptum, qui est actus oppositus omissioni. Vndè secundum præsentis quas habet vires, tunc voluntas non potest exercere actum præceptum. Dicere autem, quod homo obligatur ad opus impossibile sibi secundum præsentis quas habet vires; aut, quod peccat per omissionem actus, quem secundum præsentis quas habet vires, exercere non potest, est accedere ad propositionem primam Iansenianam damnatam ab Alexandro VII. anno 1653.

Alexã.
VII.
Lugo.
Hurtad.
Arriag.

12 His difficultatibus succubere multi post Cardin. de Lugo disp. 6. de In carnat. num. 49. Hurtad. disp. 127. de Charit. sect. 11. Arriagam disp. 33. de Charit. sect. 3. & ferè Oviedum contr. 2. de Merito, pun. 7. propterea negantes, Gratiam, cum peccato incommuniabilem, influere posse physicè in actum liberum Charitatis, seu

alterius virtutis præceptum pro instanti determinato: cuius utique omisio esset eo ipso graviter peccaminosa.

13 Dicam ingenuè quod iam dudum in hac difficultate concepi, quodquæ post diuturnum studium affirmatiùs in dies sentio. *Primo*, mihi nunquam vel in mentem venisse dubium de veritate influxus Gratiæ in actus præceptos pro instanti determinato. *Secundo*, quod nemini, ut arbitror, id in mentem venisset, si viam invenisset solvendi, aut evadendi difficultates prædictarum rationum dubitandi. Quod adducere liceat verba S. Thom. *quæst. 6. de Malo*, aliò ibi directè: *Ad huiusmodi propositiones inducti sunt aliqui, partim propter aliquas rationes sophisticas, quas solvere non potuerunt. Tertio* propterea solvendo non fuisse, quia sibi non satis maturè statuerunt quasi innegabiliter aliqua principia circa constitutionem libertatis: à quibus dimoveri ægrius ferunt, quam multas pessumdare veritates. *Quarto*: id provenire potissimum à non satis penetratâ naturâ veræ libertatis ex firmis, solidisque Scholæ nostræ doctrinis. *Quinto*: me, si quid in pernecessaria veræ libertatis Philosophia, & Theologia pro mea tenuitate adeptus sum, id exactiori huius difficultatis examini præcipuè debuisse. Quæ omnia cuicumque ingenio benè morato in sequentibus comprobanda relinquo.

S. Thom.

SECTIO III.

Pars affirmans eligitur, & probatur.

14 **E**AM nec in dubium verterunt antiquiores Nostri. E minùs antiquis, post subortas, & obiectas rationes dubitandi superiùs positas retinuerunt constanter P. Ripalda tom. 2. *disp. 123. Ant. Perez disp. 5. de Grat. Sanct. nu. 30. Elparza quæst. 6. de Virtut. Theolog. ad 5. & quæst. 11. ad 2. Compton. tom. 1. *disp. 114. Requesenn. lib. 4. de Iustif. disp. 37. à num. 116. Borrull disp. 10. de Scientia Media, sect. 7. & P. Oxea disp. 6. de Charit. ea, quæ pollebat ingenij maturitate, & ingenuitate non immeritò confessus num. 15. id sibi evidens apparere. Sequunturque selectissimi Provinciæ nostræ Magistri.**

Ripalda.
Perez.
Elparza
Compt.
Reques.
Borrull.
Oxea.

15 Ratio mihi firma est. Quia Gratia sanctificans, si minùs de facto, saltem de possibili, potest physicè efficienter influere

fluere cum habitibus in actus virtutum non sic præceptos: ergo in præceptos etiam pro instanti determinato. Antecedens non nobis negatur. Et, quamvis negaretur de Gratia distincta à Virtutibus, concedi necesse est de habitibus virtutū connexis cum Gratia, atque adeò saltem connaturaliter incompossibilibus cum peccato mortali: in quibus propterea lubeunda est præsens difficultas: ut videamus, quàm sit generalis, quàmque proficuum sit eius examen ad tenendam veram Theologiam de Gratia, & Virtutibus.

16 Probatur verò consequentia, in qua res vertitur. Et primò quidem ab incongruenti. Incongruum enim est, & vel hoc ex capite, prorsus incredibile, quòd Gratia, & habitus virtutum infusarum, quæ sunt principia per se instituta ad exercendos actus virtutum, & in illos influxura pro tempore præcepti non urgentis, pro instanti, quo maximè præceptum urget, sese ab eo influendi munere subtrahant, & in eo casu maioris, ac præsentioris necessitatis, ibi dumtaxat adessent sine physica efficientia in actum, quem alioquin efficerent. Pro me Magnus Augustinus in simili lib. 1. de peccat. mer. cap. 36. *Dicant ista qui ausi fuerint; audiant qui voluerint; credant qui poterint.*

August.

17 Probatur secundo consequentia: & itur obviam communibus evasionibus: simulque discutiantur, & concutiuntur doctrinæ, quibus inniti vidimus in oppositum rationes dubitandi positæ *sect. 2.* Si quid obstaret, maximè, ut fidentissimè præsumunt Adversarij, aut quòd omne antecedens actum essentialiter connexum cum actu est contra libertatem actus; aut quòd in eo nostro casu, dum exerceretur per influxum Gratia actus præceptus, daretur mutua prioritas inter actum præceptum, & Gratiam; aut, quòd, dum omitteretur actus præceptus, omitteretur sine potestate non omittendi; atque adeò sine libertate. Sed nihil horum trium obstat: ergo non est cur in actum etiam sic præceptum influere non posset effectivè Gratia, quantumvis inconiungibilis cum peccato. Et idem est à fortiori de habitibus virtutum. Consequentia procedit liquidò. Minor, quam hætenus defensivo dumtaxat Marte propugnabam, offensivè

iam persuadere aggredior per suas partes, ut totum robur adversantium funditus comminuat.

18 Quoad primam ergo partem probatur minor. Primò ex doctrinis tritis Scholæ nostræ. In primis enim libertatem immediatissimam actus imperati, supponentis imperatorem intrinsecè efficacem, antecedentem, & connexum cum imperato, tuentur Eximius Doctor *tom. 3. de Grat. lib. 12. cap. 11.* Cardin. Pallavicinus *1. 2. disp. 6. quest. 2. art. 9.* P. Ribaden. *disp. 6. de Prædest. nu. 15.* Coninc *1. 2. disp. 2. num. 13.* alijque non vulgares è nostris Magistri: & nos ex professo tuebimur inferius *disp. 25. de Merito, sect. 8.* ubi videbimus, quàm immane sit absurdum illam negare. Deinde: decreta Dei intrinsecè efficacia actuum nostrorum liberorum, admissa cum eodem Eximio communiter in Societate, antecedentia quidem sunt ad consensum nostrum absolutum, & intrinsecè cum illo connexa; & tamen salvant eius libertatem: ut in Disputationibus de Prædestinatione tuto defendimus. Nec tanti unquam fecimus nostras pro influxu Gratia rationes, ut adigere quemquam possent ad defendendam doctrinam divinarum Præfinitionum. Coegit tamen ad id aliquos consequentia vis: cum gloria haud modicà nostræ doctrinæ. Præterea: quamvis alioquin negent aliqui cum Vasquez possibiles divinas Præfinitiones; at directio stricta Scientiæ Mediæ negatur ferè à nemine Societatis; nec tuto negari potest. Ibi autem in coniuncto Scientiæ Mediæ dirigentis, & collationis auxiliij, quia prævisi efficacis, invenies completum certò antecedens consensum absolutum, cum eo essentialiter connexum, & intrinsecè impossibile cum dissensu; stans tamen cum libertate absoluti consensus. Propter hæc autem negare possibilem strictam directionem Scientiæ Mediæ, est ferè de medio tollere Scientiam Mediæ, & nobis concedere, doctrinam nostrā de influxu Gratia negari non posse, quin consequenter, cum ingenti huius doctrinæ victoria, negetur quod in via nostræ Scholæ innegabile est. Insuper: adhuc negatā directione stricta Scientiæ Mediæ; at saltem, non nisi negatā prorsus Scientiā Mediā, negari potest coniunctum ex decreto conferendi auxilium, quod per Scientiam

Suarez.
Pallav.
Ribad.
Coninc.Infrā
disp. 25.

Me-

Mediam prævisum est efficax, & ex Scientia Mediā id prævidente: at eiusmodi coniunctum antecedere necesse est plusquam tempore ad consensum nostrum absolutum; aliter ac scientia visionis, quæ solum tempore antecedit; & est essentialiter connexum cum consensu, & omninò impossibile cum dissensu; illas tamen plenā libertate nostri consensu: ut est nostris omnibus in confesso. Non igitur omne antecedens actum, essentialiter connexum cum actu obstat libertati actus, ut falso falsius sibi generaliter usurpant Adversarij contra tritisimas Scholæ nostræ doctrinas.

De Incarnat.
disp. 13.
sect. 6.

19 Hæc omnia examinanda sigillatim venient in Disputationibus nostris de Prædestinatione. Nunc eadem ex alijs doctrinis communio. Solenne quidem est in Tract. de Incarnatione, prout ibi expendimus *disp. 13. præsertim à num. 65.* Animā Christi videre ex vi beatificæ visionis, qua videt Deum, cunctos suos actus liberos, ac proinde actum suum misericordiæ, ad quem movetur visione miseriam Petri Undè Visio beatificæ miseriam Petri, & actus sui gratiarum actionis pro visione, ad quem movet ipsa visio liberæ misericordiæ Christi, præcedit, ut necesse est, ad actum liberum misericordiæ, ad quem movet: & visio suæ visionis beatificæ ad actum actionis gratiarum pro illa. Cum autem eiusmodi visiones sint ex intrinsecis suis connexis cum actibus Christi liberis, quos vident, sunt quid connexum cum actu, antecedens actum, & stans cum libertate actus. Rursus: notitia, qua Christus se novit obligatum præcepto, ut urget rectissimè R. P. N. G. Tyrus *tom. 3. disp. 31. sect. 2. & 3.* quid antecedens est ad actum liberum obedientiæ; cum compleat ex parte actus primi libertatem obediendi: & est quid intrinsecè connexum cum actu obediendi; cum omninò repugnet Christum agnoscere, se sic proximè obligatum, & non obedire; stat tamen cum liberrimā, ac insigniter meritoria obedientiā Christi. Demum: pone hominem cum habitu vitioso intemperantiæ intenso, ut quatuor, & cum habitu adquisito temperantiæ intenso similiter ut quatuor, qui quidem gradus mutuo componuntur; sunt tamen respectivè incompossibiles cum novo actu, aut intemperantiæ, quo scilicet acquireretur

P. N. G.
Tyrus.

quintus gradus habitus intemperantiæ incompossibilis cum quarto temperantiæ; aut cum novo actu temperantiæ, quo scilicet acquireretur quintus gradus habitus temperantiæ incompossibilis cum quarto intemperantiæ. Quo casu dici necesse est ab Adversantibus, aut non posse habitus illos secundum quatuor suos gradus influere in novum actum suum liberum, sive præceptum, sive non præceptum, quod inauditum est, & non patienter audiendum; aut posse influere, quin obstat libertati novi actus antecedentia, & connexio habitus, ut quatuor, cum novo actu, & impossibilitas cum actu contrario intendente habitum contrarium. I nunc, & iacta illud quasi principium ex tot capitibus respuendum, quòd omne antecedens actum connexum cum actu obstat libertati actus.

20 Ago deinde pro eadem prima parte nostræ minoris à paritate urgentissimā. Gratia physicè effectivè non influens, sed tantum condignificans actum meritorium non obstat libertati actus meritorij: ergo neque physicè effectivè influens. Antecedens non venit in dubium: quamvis id mihi negare aggressus sit non nemo, veritus vim consequentia: sed magis vereri debuit absurdum negati antecedentis: quo scilicet negato, negare omninò necesse est, posse Deum præcipere homini iusto actum vllum condignè meritorium pro instanti determinato; cum non sit meritorius, nisi liber: & hoc quidem sive Gratia physicè influat; sive non.

21 Consequentia verò probatur: quia sive Gratia physicè influat, sive non, est certè principium condignificativū actus meritorij, antecedens actum, ut condignè meritorium, sive concretum actus condignè meritorij: & est essentialiter connexum cum actu condignè meritorio præcepto pro illo instanti, ut potè intrinsecè inconiungibile cum omissione, scilicet graviter peccaminosā, talis actus condignè meritorij. Si ergo hæc non obstant, quominus actus condignè meritorius à Gratia non physicè influente evadat liber; similiter neque, quominus evadat similiter liber à Gratia physicè influente: aut saltem hinc etiam falsificatur propositio illa ab Adversarijs indiscriminatim decatissima, quòd omne antecedens actum, essentialiter con-

nexum

nexum cum actu obstat libertati actus. Mihi sanè indubium est, quòd physica prædeterminatio tollit omninò libertatem, sive asseratur physicè effectivè influens in actum; sive asseratur non physicè influens per modum principij effectivi, sed aliter movens voluntatem, ut influat. Robur, & soliditas huius rationis percipietur clariùs inter respondendum ad obiectiones: quæ quidem retorquentur, & infringuntur facilè in Gratia condignificante, quamvis non physice influente.

22 Probatur denique eadem prima pars nostræ minoris per rationè à priori doctrinæ hætenus traditæ, sumptam ex P. Suarez num. 11. & 17. Quia connexio quantumvis essentialis, & intrinseca unius cum alio, qualis est Gratia cum actu præcepto in eo casu, facit quidem quòd non possit unum seiungi ab alio: ad id enim, cum impossibile sit, nulla datur potestas; non verò facit, quòd aliquod tertium nempè voluntas se possit seiungere ab utroque, evitando videlicet utrumque, quocumque ordine prioritatis, & posterioritatis sese mutuo respiciant inter se; possitque unum evitare, & se ab illo seiungere eadem potestate, qua potest non ponere aliud. Undè connexio illa est necessitas unius ad aliud, necessitans unum, ne sit sine alio; non verò necessitas in voluntate, necessitans illam ad se coniundum cum utroque, sed reliquens factam tectam potestatem, aut se coniungendi cum utroque, ponendo unum posito alio; aut seiungendi se ab utroque, amovendo scilicet, aut evitando unum, non posito alio. Sic autem habent se Gratia sive influens, sive non influens, & actus præceptus in nostro casu: connexissimè quidem ad invicem inter se; sed non cum voluntate: quæ propterea potest se ab utroque expedire liberrimè, quamvis nequeat ab vno retento alio; & se pro libito cum utroque coniungere, quamvis non cum vno sine alio. Non est igitur undè ea connexio Gratia, sive influentis, sive non influentis cum actu præcepto, noceat libertati voluntatis ad actum præceptum. Legatur, precor, Eximus Doctor citatus, sic defendens immediatam libertatem actus imperati, adhuc ex suppositione imperantis cum illo connexi: quam nos similiter defendemus *disp. 25. sect. 8. & 9. vbi*

Suar.

Suar.

Infrà
disp. 25.

exhibebimus quæ hic desiderari possent.

23 Ratio autem fundamentalis totius datæ doctrinæ est in promptu. Quia, quamvis principia cuncta actus liberi debeant esse indifferentia; non tamen eodem indifferentiæ modo; sed aliter, & aliter. Voluntas est indifferens *activè*: sic nempè, ut in utramlibet partem exercitij liberi influat: in actum, si sit actus; in omissionem, si omittitur liberè. Alia verò comprincipia, qualia sunt auxilia, & habitus boni ex vna parte; & ex alia tentationes, habitus vitiosi, & utrinque similia, non sic: non enim sunt *activè* indifferentia: cum non influant in utramlibet partem; quin potius in alteram influunt, & ab altera retrahunt: sed sunt, indifferentia *passivè*, ut ita dicam; hoc est, aut coniungibilia cum utralibet parte exercitij liberi, aut pro libito voluntatis amovibilia, seu evitabilia. Habent se quasi duo brachia dextrum, & sinistrum: & voluntas in utramque partem *activè* indifferens, unum secum extendit in unam partem; & aliud secum in aliam. Atque hinc ducitur P. Ribad. *disp. 17. de Act. Hum.* ut acutè dicat, & verè, ut opinor, voluntatem esse debere naturam priorem ad utramlibet partem quam eligit; quia quæcumque eligitur, causatur à voluntate *activè* indifferente: alia verò comprincipia *passivè* indifferentia debent esse prius natura ad partem, quam cum voluntate causant; non verò sic ad partem à qua retrahunt. Taliter itaque debent esse *passivè* indifferentia, ut pro libito voluntatis possint, aut coniungi cum utralibet parte exercitij voluntatis; aut amoveri, seu evitari pro eiusdem voluntatis libito, si aliquod est inconiungibile cum exercitio, quod eligit voluntas. Quod post P. Suarez notatum denuò videbis à P. Oxea *disp. 6. de Char. ad finem.*

Ribad.

Suarez.
Oxea.

SECTIO IV.

Absolvitur com probatio veræ sententiæ.

24 PRO secunda parte minoris assumptæ num. 17. disputo sic. Non obstat influxui Gratia in actum præceptum prioritas mutua, quæ nec ex illo sequitur; nec est: sed nec sequitur ex illo, nec est: ergo non obstat. Reliqua patent. Minor probatur: quia ex influxu Gratia in actum sequitur quidem, prioritas

ritas Gratia ad actum; non verò actus ad Gratiam; cum nullus sit titulus, cur actus debeat esse pro priori ad Gratiam: connexioni enim essentiali sit satis per coexistentiam in eodem instanti temporis cum prioritate naturæ Gratia, quæ est causa efficiens actus, & cum posterioritate naturæ actus, qui est effectus Gratia. Undenam ergo, aut quo titulo prioritas actus ad Gratiam?

25 Titulo, inquit, dispositionis ad conservationem Gratia pro eo instanti: nam Gratia conservatio pro eo instanti urgentis præcepti pendet à positione actus præcepti: quo scilicet non posito, peccaret homo, & expelleretur Gratia. Contra tamen apertissimè. Non enim omnis dependentia est à priori; eum solennis sit in Philosophia divisio dependentiæ in unam à priori, ut pendet effectus à causis; & aliam à posteriori, ut pendet causa ab effectibus, naturæ à proprietatibus, actiones à terminis, sine quibus esse non possunt: ergo ex ratione dependentiæ, utcumque inventæ, non satis arguitur prioritas: aut actum esse de dependentijs à posteriori.

26 Specialiter verò, quòd dependentia illa Gratia à positione actus præcepti non sit tanquam à priori, probatur. Quia, si esset tanquam à priori, maxime, ut aiunt, quia esset tanquam à dispositione ad conservationem Gratia pro eo instanti: non enim alius titulus excogitatus est, nec est excogitabilis. Sed non est tanquam à dispositione: ergo nullatenus à priori. Probatur hæc minor. Num in eo casu actus ille præceptus positus duo præstat: scilicet conservationem Gratia præcedentis, & augmentum novæ: ad augmentum novæ, à qua ipse non efficitur, habet se ut dispositio positiva, ac proinde pro priori, titulo dispositionis, cuius intuitu, ac merito acquiritur augmentum novæ Gratia. Atqui, non sic se habet actus dispositivè ad conservationem Gratia præcedentis, à qua efficitur: ergo dependentia conservationis Gratia ab illo non est tanquam à dispositione; ac proinde nullo titulo à priori.

27 Hæc etiam minor, in qua hæere solent Adversarij, convincitur. Quia, statutâ Dei lege non auferendi Gratiam semel collatam, nisi propter peccatum,

ad conservationem Gratia non requiritur nisi non peccare; & dispositio, quæ præcessit ad collationem, est dispositio ad conservationem: quandoquidem collata fuit Gratia ea Dei lege, ut conservetur donec committatur peccatum: ut est omnibus indubitatum. Undè est, quòd homo iustificatus, dormiens, & amens retinet Gratiam, quia non peccat: & sui compos tentatus ad peccatum, quocumque actu, sive supernaturali, sive naturali, sive etiam venialiter malo, evitet peccatum mortale, retinet Gratiam: quippe eam habuit ex lege eam retinendi quantumdiu non mortaliter peccet: at certè dormitio, amentia, actus naturalis, multoque minus actus venialiter malus, nequeunt dici dispositiones ad conservationem Gratia, quæ quidem supernaturalissima est: ergo neque eo titulo actus præceptus est dispositio ad conservationem gratia antiquæ: quamvis ad augmentum novæ Gratia, à quo non efficitur, verè dicatur positiva dispositio, ideòque naturam præcedens.

28 Et ratio horum est. Quia ad conservationem Gratia, à qua efficitur, eateenus tantum requiritur actus præceptus in eo casu, quatenus requiritur, ne ponatur peccatum exclusivum Gratia, seu quod prohiberet conservationem Gratia; atque adeò non requiritur, ut positiva dispositio præcedens conservationem Gratia: sed ut removens prohibens: ut removès, inquam, peccatum, quo prohiberetur conservatio Gratia: quo pacto requireretur similiter actus naturalis præceptus: qui tamen dici nequit dispositio ad Gratiam, ut pro certo supponendum est. Ut autem positio actus præcepti removeat prohibens conservationem Gratia, impediendo scilicet peccatum suæ omissionis, quo Gratia expelleretur, sufficit; si in eo instanti reali temporis ponatur, sive pro priori, sive pro posteriori naturæ: nam cum actu, in quocumque signo ponatur, dummodò in eo instanti ponatur, componi nequit eius omisio in eodem instanti temporis, quæcumque signa prioritatis, vel posterioritatis nature, vel rationis multiplicentur, aut constringantur. Quæ omnia ita mihi videntur esse in aperto, ut nullus apparere possit titulus prioritatis naturæ in actu præcepto respectu conservationis Gratia in eo instanti. Ex influxu

Aaa

ergo

ergo Gratia in actum sequitur quidem prioritas naturae Gratiae ad actum; non vero actus ad Gratiam: ac proinde non mutua prioritas.

29 Restat probanda tertia pars nostrae minoris positae *num. 17.* quod nempe casu quo tunc omitteretur actus praecipuus, non omitteretur sine potestate non omittendi; ac proinde, quod liberissime omitteretur. Quod sic probo. Si omitteretur sine potestate non omittendi, maxime, quia pro eo instanti omissionis, utpotè peccaminosae, iam non adesset in homine Gratia requisita ad faciendum actum praecipuum, ac proinde ad non omittendum: sed hoc non obstat potestati sufficientissimae ad liberissime omittendum: ergo non est vnde sequatur, quod tunc omitteretur sine potestate non omittendi, & sine libertate. Consequentia valida est. Maior, fundamentum contrariorum. Minor, quae nostra est, probatur.

30 Et primo quidem exemplo lucis, luce ipsa clariori. Lux enim, aut saltem potentia visiva, praerequisitissima est, ut obligatus hic & nunc ad videndum, seu ad legendum, videas, & legas: quis hoc neget? At certe, si hic & nunc obligatus extinguas lucem, aut eruis tibi oculos, liberissime omittis lectionem; quoniam enim te necessitas compulit ad sic omittendum? Sicut ergo sine luce, & sine oculis praerequisitis ad legendum stat abs dubio potestas sufficientissima ad liberè tunc omittendam lectionem; similiter nec obstat in nostro casu potestati sufficientissimae ad liberissime omittendum actum praecipuum, quod iam in eo instanti omissionis non adesset homini Gratia habitualis requisita, aut etiam praerequisita ad faciendum actum praecipuum: quandoquidem pro libito sibi homo tunc eripit Gratiam, sicut in exemplo posito lucem, aut oculos. Si dicas, hominem iam tunc in eo instanti carentem luce, aut oculis, non esse proxime indifferentem, & potentem ad actum videndum, seu legendum; hoc ipsum est quod volumus, & contendimus; scilicet, sine potestate proxima tunc praesente ad actum legendum, stare quamoptime sufficientissimam potestatem liberè omittendi lectionem: sicque non obstat in nostro casu potestati sufficientissimae omittendi liberè actum praecipuum, quod

tunc iam praesens non adsit Gratia habitualis, quae deberet fieri actus praecipuus: quandoquidem pro libito, & culpa hominis deficit tunc Gratia habitualis, sicut in nostris exemplis lux, & oculus. Quis in hac luce caliget?

31 Secundo proximiùs ad rem nostram, à conitantissima paritate ipsius Gratiae sanctificantis, sive influentis, sive non influentis physicè in actum praecipuum; illum tamen omnium suffragio condignificantis. Certum enim est, hominem obligatum hic & nunc ad exercendum actum condignè meritorium, ut obligatur de facto quilibet iustus, dum obligatur ad actum bonum supernaturalem, peccare, si eum omittit, ac proinde liberè eum omittit: non enim peccaret omittendo, si liberè non omitteret. At aequè certum est, quod in casu omissionis graviter peccaminosae non adest illi praesens Gratia habitualis, utpotè incompatibilis cum peccato: quae quidem Gratia, sive effectivè influat, sive non, est principium condignificativum actus, essentialiter requisitum ad hoc ut actus praecipuus evadat condignè meritorius. Stat igitur tunc temporis potestas sufficientissima ad liberè omittendum actum condignè meritorium, quin tunc adsit praesens principium condignificativum requisitum, ut fiat actus condignè meritorius. Et quidem non ex alia ratione, nisi quia, non adesse tunc tale principium, est pro libito, & culpa hominis tunc omittentis. Ea tibi parem difficultatem, Gratiam non effectivè influente in actum praecipuum.

32 Tertio. In sententia ab Schola Societatis innegabili, Deus praesciens, quod homo consentiet huic auxilio, si ei conferatur, decernit illud conferre: ex qua praescientia, & ex decreto coniunctum, sequitur collatio huius auxilij antecedentis consensum liberum. At quid si homo, ut verè potest, dissentiret? certe in eo casu non adesset praesens tale coniunctum decreti collativi, & praescientiae de consensu: quod tamen coniunctum ita praerequisitum est ad actum consentiendum, ut omnino implicet, talis consensus hominis sine tali coniuncto Dei. En, secluso etiam additamento praecipui, liberum hominis dissentium, non praesente omni requisito ad consentiendum. Quia nempe ex libito, & culpa hominis

nunc

nunc dissentientis est, quod non adsit praesens in Deo tale coniunctum: defectu videlicet praedictae Scientiae Mediae de consensu, quae adesset, si homo, ut potest, consentiret.

33 Non igitur obstat libertati omissionis peccaminosae actus praecipui, quod in eo instanti deficiat aliquod essentialiter praerequisitum, scilicet Gratia habitualis, ad exercendum actum praecipuum: quandoquidem, statuta Dei lege non auferendi Gratiam, nisi propter peccatum, non aliter tunc deficit Gratia habitualis requisita ad exercendum actum praecipuum, nisi pro libito, & ex culpa hominis tunc omittentis.

34 Hinc implicari necesse est Adversarios hoc dilemmate. Vel in eo casu omissionis actus praecipui peccat homo, vel non peccat. Si non peccat, non auferitur Gratia, conservanda nimirum ex lege Dei, quando homo non peccat. Si peccat omittendo; ergo liberè omittit: implicat enim peccatum sine libertate. Id quod mihi profectò tam patens est, ac est omnibus patens, quod voluntas tunc omittens potest quidquid potest: sequeretur enim, quod non potest quidquid potest, si tunc omittens non omitteret liberè; siquidem non posset non omittit, quod tamen posset eo ipso quod peccaminosè omitteret. Non est ergo neganda in eo casu libertas; sed studendum in ea dignoscenda, & solidè salvanda pro hac, & alijs difficultatibus.

35 Modus, quem tetigimus, & prosequemur in solutionibus argumentorum sumitur ex P. Suarez *lib. 12. de Grat. cap. 11. num. 11. & 17.* defendente immediatam libertatem actus imperati, non obstante connexionione imperij efficaciae antecedentis, quod est essentialiter impedimentum omissionis actus imperati. Quia nempe tale impedimentum sic connexam cum actu imperato ponitur pro libito voluntatis, & pro eiusdem libito est amovibile. Et in toto Opere Posthumo de Vera intelligentia Auxilij efficaciae, reijcimus ex professo Auxilia Praedeterminativa ex capite laesa libertatis, idem tamen insitit in eo quod sunt intrinsecè connexa cum consensu voluntatis, & nec comparabilia, nec conservabilia, nec eluctabilia pro libito voluntatis: & incidens saepèpiùs in responsiones aliquorum, qui videntes soli-

ditatem huius rationis, tentarunt, si forte possent, suas praedeterminationes constituitur ponibiles, aut auferibiles pro libito voluntatis creatae, id ex multis capitibus efficaciter repellit: nunquam tamen ex eo quod id, si Praedeterminatae forsàn obtinerent, non satis consuleret libertati. Et, quod caput est, in oculatissimo Decreto Innocentij X. contra Iansenium, prima è quinque Propositionibus damnatis sic legitur: *Aliqua Dei praecipua, hominibus iustis voluntibus, & conantibus secundum praesentes, quas habent vires, sunt impossibilia: deest quoque illis gratia, qua possibilia fiunt.* Quasi supponat, quod quamvis secundum praesentes vires essent impossibilia, si tamen adesset homini potestas habendi pro libito praesentes vires illas, quibus ipsi possibilia fierent, non essent homini absolute impossibilia, sed liberè adimplebilia, & non nisi culpabiliter inexplenda.

SECTIO V.

Aliquorum responsiones ad rationes dubitandi supra oppositas.

36 **R**ATIONES dubitandi in oppositum adductae *sect. 2.* momenti quidem cum sint, varias à varijs responsiones extorserunt videndas apud Ripaldam cit. Quas inter repellenda prorsus est quae ex doctrina, quam ex Lorca retulimus, & reiecimus *disp. 16. sect. 1.* diceret, omnem hanc difficultatem evacuari, admittendo possibile confortium Gratiae, sive influentis, sive non influentis, cum mortali peccato pro vno instanti. Turpis evasio, & impingens in impossibile.

37 Alij leniri putant difficultatem, si saltem de potentia Dei absoluta asseratur Gratia compositibilis simul cum peccato. Sed immeritò. Praterquam enim quod eam quoque compositibilitatem reiecimus *disp. 16. sect. 3.* quid, precor, prodesset potestas illa Dei absoluta ad libertatem hominis non gaudentis tali potestate absolutà; sed potestate ordinarià, quam Deus de facto posuit in eius manu? Obstat praeterea Lex Dei praesens nunquam coniungendi Gratiam cum peccato; cum qua lege incompositibilis esset ea compositio, quidquid esset ex naturis rerum. At casum nostrae quae-

Inno. 24

Ripald.

Suprà
disp. 16.Suprà
disp. 16.

stionis evenisse forsan de facto in Angelis viatoribus colligitur ex multorum doctrinis apud Ripaldam cit. Atque hinc perspicies, difficultatem hanc de libertate actus præcepti pro instanti determinato subeundam ab omnibus esse in habitibus virtutum infusarum; effectivè apud omnes influentibus in earum actus, & propter connaturalem saltem connexionem cum Gratia impossibiles ex natura rei, & ex Lege Dei (demptis Fide, ac Spe) cum ommissione peccaminosa talis actus præcepti: ut quanti præsens interfit doctrina dignoscatur.

38 Alijs visum est, expediri posse difficultatem, asserendo, deficiente Gratia habituali effectivà actus præcepti in instanti ommissionis peccaminosa, adhuc manere tunc vires præsentis ad efficiendum actum; nempe per auxilia Gratia actualis, vel per extrinsecam assistentiam Omnipotentia specialiter applicata. Vrgentur tamen multipliciter. Primò: quid enim, si præciperetur hic numero actus, & hæc numero actio, per se essentialiter determinatissima ad non fluendum, nisi ab his numero principiis effectivis, quorum unum est Gratia? Secundò: quid etiam, si casum statuamus, quo nec adesset aliud principium effectivum supernaturale effectivum actus præcepti, nisi Gratia habitualis; nec vellet Deus aliter applicare Omnipotentiam? Tertiò: quia iuxta Philosophiam mihi verosimiliorum, hic numero actus est ipsamet hæc numero actio vitalis: hæc autem numero actio non est indifferens, ut fluat ab hoc, vel ab alio principio effectivo; cum sit per se, & essentialiter, ac determinatissimè fluxus ipse ab his principiis, à quibus fluxit; & esset eo ipso alius, si fluere ab alijs. Undè ad hunc actum præceptum faciendum per effectivam Gratia influentis, nequit reddi potens voluntas per illa alia comprincipia effectiva, quibus redderetur potens ad alios actus.

Perez. 39 Alij, quibus opem tulisse videtur P. Ant. Perez disp. 5. de Grat. num. 30. ponunt pro casu actus præcepti duas actiones productivas simul eiusdem actus: unam à voluntate, & à Gratia habituali; aliam à voluntate, & ab auxilio actuali. Dicunt itaque, salvari tunc libertatem actus præcepti, quia ut procedit per actionem fluentem à voluntate, & ab auxilio actuali, efficitur à principiis

coniungibilibus cum ommissione peccaminosa; quamvis Gratia habitualis, à qua per aliam actionem fluere, esset cum illa inconiungibilis. Cæterum, præterquamquod ea actionum duplicitas gratis, & liberè assumitur, nunquam mihi placuit, solidas Theologiae sacrae doctrinas ab his Philosophia tenuitatibus pendulas facere. Deindè, quid si præciperetur actus condignè meritorius? Talis certè non evaderet, deficiente pro eo instanti Gratia; nec condignificaretur per alia principia, à quibus forsan effici posset. Præterea: vel auxilium Gratia actualis est cum voluntate sufficiens, ad æquatumque principium actus præcepti; aut non. Si est, ad quid actio alia totalis ab alio adæquato principio? Effingitur certè, non nisi ad effugium difficultatis. Si non est: ergo satis non est, ut actus præceptus sit in potestate libera voluntatis, in instanti quo iam est sine Gratia habituali; cum sine ista non habeat per id sufficientes vires ad actum præceptum.

40 P. Borrull disp. 10. de Scientia Media, sect. 7. alium respondendi modum aggreditur, iam parvi factum à Ripalda num. 5. salvare tentans libertatem actus præcepti in eo casu, per libertatem ad actum imperantem non præceptum. At, quid, si imperium quoque à Deo, ut potest, præciperetur pro eodem instanti determinato? Quid, si præciperet Deus, ut potest, actum fieri sine imperio reflexo? Cur tam ergo doctrinam asserit responsio pro magnitudine difficultatis. Præterea: vel imperium illud reflexum est necessarium, ut fiat actus præceptus liber; vel non est necessarium. Si non est, ad quid ponitur, nisi ad effugium inutile? Si est; ergo præceptum de actu obligat etiam ad imperium: cuius propterea ommissio esset etiam peccaminosa, & inconiungibilis cum Gratia: sicque non erit actus præceptus imperatus liber ratione actus imperati non præcepti.

41 P. Ripalda à num. 22. post reiectas aliorum responsiones, suam ponit, recurrens, pro salvanda libertate actus præcepti in eo casu, ad præsidium Scientia Media: qua scilicet præcivit Deus, quod liberè fieret actus ille à virtutibus infusis, & auxilijs Gratia actualis, præcivissimè in ea hypothese à comprincipio Gratia habitualis; & ad divinam prædeterminationem, qua post illam præscientiam Media

diam decerneret, talem actum sic conditionatè prævisum fieri absolute, quamvis inter comprincipia accedat Gratia habitualis; cum ex se sit intrinsecè indifferens, ut fluat ab alijs comprincipijs cum Gratia; sive ab alijs sine Gratia. Sed profectò hoc est unam magnam difficultatem multis, & planè maioribus obvolvère; & in omnibus, & per omnia asyllum Scientia Media implorare sine operæpretio. Legisse memini apud Scriptorem Chymicophysicum, illum dumtaxat absolute Medicum vocandum esse, qui morbos omnes uno medicamine sanare didicisset, & in id se impensissimè, ac diutissimè studuisse. Alijs visum est, opus ad id fore, quod eiusmodi medicamentum hanc quoque sanaret insaniam hominis, qui hæc, & similia studio iactaret ihani. Nollem equidem, quod perutilis, nobisque perquam grata doctrina Scientia Media, quasi medicamen ad omnia generale, applicaretur, nisi opportunissimè, & cum fructu.

42 Seorsim quidem à Præscientia illa conditionata disquirendum est, an coefficientia illa Gratia habitualis obstat libertati actus præcepti. Si enim obstat, hoc ipsum videbit scientia; & oppositum, si non obstat. Itaque, vel scientia illa conditionata considerat sub hypothese suà Gratiam habitualement influentem in actum; vel illam non considerat. Si illam considerat, videbit, quod sub illa hypothese actus evadet liberè, si Gratia non obstat; & non liberè, si obstat libertati. Si verò illam non considerat sub sua hypothese, considerandum restat, quid dicendum sub hypothese illam involvente: & sub hac hypothese præciet Deus obstat, si reipsa obstat; & non obstat, si non obstat libertati. Veniendum ergo est ad punctum obstandi, vel non obstandi seorsim à præscientia illa conditionatà, sive Media, sive non Media, ut in simili longius prosequutus sum disp. 16. de Incarn. sect. 5 & redibit ad incudem rom. seq. de Prædeterminatione. Ex quibus mihi indubium est, frustra pro libertate actus præcepti recurri ad præsidium Scientia Media: sine quo certè, aut salvari potest libertas actus præcepti; aut per illud salvari non potest. Scientia enim agnoscit libertatem creatam ubi est; non agnoscit, nec constituit ubi alioquin non est. Deficit insuper prædicta responsio in eo

Tom. de
Incarn.
disp. 16.

quod supponit, actum præceptum esse ex se intrinsecè indifferens, ut idem effectivè fluat, sive non fluat à Gratia habituali. Vidimus enim num. 38. actum, ipsum esse sui actionem: atque adeò per se determinatissimum ad fluendum ab alijs determinatis principiis, à quibus effectivè fluat.

SECTIO VI.

Plena, & plana responsio ad primam rationem dubitandi.

43 I AM ergo ad primam rationem dubitandi oppositam num. 10. respondeo, negando maiorem generaliter, & indistinctim usurpatam: cuius utique falsitatem multis ostendimus sect. 3. à num. 18. quod scilicet omne antecedens actum, essentialiter intrinsecè connexum cum actu, & inconiungibile cum ommissione actus, sit contra libertatem actus. Tota eius probatio est, quod debeat id quasi axiomaticè supponi in Schola Societatis contra Prædeterminatistas: quod totum absolutissimè nego. Sicque, concessa minori, negatur facilè consequentia.

44 Explicationis tamen, & doctrinae causà, maiorem distinguam. Omne antecedens actum, connexum cum actu, & inconiungibile cum ommissione actus, est contra libertatem actus, si non sit pro libito ipsius voluntatis evitabile, aut auferibile cõcedo: si sit, nego maiorem, eiusque probationem: ut ex doctrinis, ac exemplis probatissimis, & familiarissimis conspicuum fecimus sect. 3. Ad minorem autem, eiusque probationem dico, veram illam esse; falsamque consequentiam; quia Gratia taliter est principium effectivum actus præcepti, & taliter etiam condignificativum, taliter connexum intrinsecè cum actu, taliterque impossibile cum ommissione actus in casu præcepti, ut sit pro libito hominis sic constituti evitabilis, & auferibilis, eà ipsa potestate, & libertate, qua potest homo peccare. Id quod applicare neutiquam possunt Prædeterminatistæ suis Prædeterminationibus: quæ scilicet pro libito solius Dei infigi dicuntur creatæ voluntati, & non sunt pro libito hominis electivo auferibiles, amovibiles, aut eluctabiles, iuxta decantatum illud: Non est

Ripal.
Oxea.
Compt.
Reques.
Perez.

est volentis, neque currentis, &c. Hunc respondendi modum tetigit, & reliquit P. Ripalda à num. 15. Eum amplexi dilucidè sunt PP. Oxea, Comptonus, & Requiescennius, & substantialiter in re suas inter subtilitates P. Antonius Perez vbi supra.

45 Reclamant alij obrudètes, actum non exerceri liberè, dum exercetur per aliquod comprincipium inconiungibile cum eius omisione; voluntas enim non aliter operatur indifferenter, atque adeo nec liberè, nisi potens se pro libito coniungere cum alterutro extremo libertatis, & cum omnibus comprincipijs ad utrumque: hoc enim sonat discrimen illud potentia liberæ à necessitate: quod nempe illa præ ista, positis omnibus requisitis; potest operari, & non operari. Atqui in eo casu voluntas nequit se coniungere indifferenter cum omnibus comprincipijs ad utrumque: quia si pro sua indifferentia se exercet omittendo actum præceptum, nequit se sic peccaminosè omittentem coniungere cum Gratia, quæ est vnum ex comprincipijs: ergo cum tali comprincipio non manet in eo casu libera.

46 Respondetur tamen, totam maiorem esse falsam, dum tale comprincipium actus, quantumvis inconiungibile cum omisione actus præcepti, est pro libito voluntatis creatæ evitabile, aut à se feiungibile, & amovibile. Nec indifferentia voluntatis in eo stat, quod possit se, suumque in quamlibet partem exercitium, pro libito coniungere cum omnibus comprincipijs ad utrumque extremum; sed in eo quod possit pro libito, se cum utrolibet extremo coniungere, utpotè activè indifferens ad utrumlibet; & utriusque extremi comprincipia, utpotè non activè, sed passivè indifferentia, aut secum, & cum quolibet extremo suæ libertatis pro libito suo coniungere, aut pro libito evitare, & à se amovere, si incompatible sic cum exercitio quod eligit: ut post doctrinas cuique obvias explicuimus num. 23. Undè, concessâ libenter totâ minori, negatur consequentia. Quia Gratia, quamvis connexa sit cum actu in eo casu præcepti; utpotè impedimentum essentialiter inconiungibile cum omisione peccaminosa; est pro libito voluntatis auferibilis per omisionem in actu secundo,

& per potestatem omittendi in actu primo. Id quod necesse est dicant adversarij pro casu actus condignè meritorij præcepti, siue Gratia sit principium effectivum, siue non; quia negare nequeunt, esse principium condignificativum, connexum cum eo quod fiat tunc actus condignè meritorius, & inconiungibile cum eius omisione: nec enim influxus effectivus auget istam inconiungibilitatem, nec illam connexionem, ut est perspicuum.

47 Urgent: quod Gratia, quæ sit principium effectivum, debet habere se pro priori naturæ ad exercitium, seu ad libitum voluntatis: quomodo ergo intelligi potest, quod sit principium evitabile pro libito voluntatis: implicat enim id quod est naturâ prius evitari per id, quod est naturâ posterius. Sed urgentur à me, ut dicant, quomodo per libertatem creatam, quæ in statu absoluto est in tempore, naturâ, & tempore posterior ad præfinitionem divinam, & ad Scientiam Mediam æternam ex cuius directione ponitur, evitari potest divina præfinitio, & Scientia Media de consensu posterius se habente in statu absoluto ad illas. Certè non nisi in actu secundo evitacionis, per dissentium; & in actu primo evitabilitatis, per potestatem dissentendi: per quam voluntate dissentiente, ut potest, nec staret præfinitio, nec scientia illa media de consensu: quamvis si stant, voluntate consentiente, pro priori ad consensum stant; si verò voluntate dissentiente non stant, nec pro priori, nec pro posteriori naturæ stant: quia nullatenus stant.

48 Hinc in forma pro omnibus respondeo, distinguendo antecedens: Gratia debet habere se pro priori ad exercitium, seu ad libitum voluntatis, quod ipsa Gratia causat, & efficit, concedo: ad exercitium, seu ad libitum voluntatis, quo Gratia tollitur, amovetur, & evitatur, nego antecedens. Ad hoc enim libitum, seu exercitium, quod esset omisio, peccaminosa actus præcepti, Gratia non se habet pro priori naturæ, nec ea omisio pro posteriori naturæ ad Gratiam: quia eiusmodi prioritas, & posterioritas dicit coexistentiam duorum in instanti temporis, & causalitatem vnus in aliud. Quomodo ergo Gratia esset pro priori, nec pro posteriori naturæ ad omisionem

nem actus, si pro instanti temporis, quo actus præceptus omittitur, non est Gratia; sed potius eius libera expulsio, quæ est omisio? Undè ad interrogationem consequentiæ facile intelligo modum, quo principium aliquod, siue condignificativum, siue etiam effectivum alicuius exercitij, seu libiti voluntatis sit evitabile pro libito voluntatis, & per potestatem illius: non utique pro illo libito voluntatis, quod efficitur à tali principio; sed pro libito eiusdem voluntatis non causato à tali principio, sed ab alijs, quibus instructa est voluntas ad aliud extremum suæ libertatis efficiendū. Quamvis enim verisimè dicatur implicare, id quod est naturâ prius evitari per id quod est naturâ posterius; dicitur tamen extra rem. Nobis enim non venit in mentem, quod principium illud, siue condignificativum, siue etiam effectivum actus præcepti, nempe Gratia, evitetur, aut evitari possit per actum præceptum, quem pro vno libito voluntatis causat, & ut naturâ sibi posteriorem respicit; sed, quod evitetur per omisionem actus præcepti, & possit evitari per potestatem omittendi, quam omisionem Gratia non efficeret; sed voluntas pro alio suo libito per comprincipia in alterum extremum suæ libertatis. Gratia ergo non est pro priori naturæ ad omisionem peccaminosam, cum qua nec tempore coexistit; nec est pro priori ad comprincipia omittendi, quæ quidem à Gratia non causantur. Quid hoc planius?

49 Restat sedandus clamor ille de physica Prædeterminatione, quasi solida, & indubitabilis harum responsionum doctrina viam paret ad defendendam cum illa libertatè. Sed, bone Deus, quantum chaos interest hinc, & inde! Scio, non defuisse cordatos Prædeterminationistas, qui hanc viam inire tentaverint, ut salvarent libertatem cum suis Prædeterminationibus, prout videre est apud P. Suarez tom. posth. de Vera intellig. Auxil. effc. & in Opusc. lib. 3. de Auxil. cap. 8. à num. 5. in quo plenam exhibet, ac genuinam Scholæ nostræ doctrinam. Dicebant utique quoquomodo, imprimi à Deo voluntati prædeterminationem dependentem à libito voluntatis. Legatur ibi Eximius Doctor eos graviter insequens: nunquam tamen ex eo quod, si id obtinerent Adversarij, non satis con-

staret libertas; sed certè ex eo quod id, nec à se, nec à nobis obtinere possunt iuxta sua principia fundamentalia: à quibus prorsus deficere necesse est, si prædeterminatio, quam plenis buccis iactant, non esse volentis, neque currentis, sed Dei misericordis, ut per eam Deus discernat vnum ab alio; & non potius vnus se ab alio discernat pro libito suo; acquiri, retineri, aut repelli possit à nobis pro libito nostro. Hoc, quod illi dicere tutò nequeunt de physicis suis Prædeterminationibus; dicimus nos inoffensè ex statuta Dei lege, de Gratia habituali, siue sit principium dumtaxat condignificativum, siue etiam effectivum actus præcepti: retineri scilicet, aut expelli posse pro libito cuiuscumque iusti. Quis ergo non cernat inter hæc plusquam palmarem disparitatem?

50 Insistat aliquis. Quid si talis constitutur prædeterminatio, quæ similiter pro libito voluntatis creatæ acquiri, retineri, aut repelli possit? actum certè foret de tota nostra doctrina. Respondetur tamen, quod sic actum esset potius de tota doctrina Prædeterminationistarum. Id enim esset invenisse qualitatem, aut quidpiam aliud connexum cum determinatione voluntatis conciliabile cum libertate; non tamen prædeterminationem conciliabilem cum libertate: illud enim, quidquid esset, certè non esset prædeterminatio: aut si in alicuius phrasi, aut mente, esset prædeterminatio; esset quidem prædeterminatio, quæ non esset prædeterminatio, & non nisi per chimericam terminorum implicantiæ prædeterminans. Ratio est in comperto: quia in eo casu voluntas creata, pro cuius libito esset tunc temporis ea qualitas determinatissima ad non essendum nisi pro libito voluntatis, esset potius quæ pro libito etiam suo determinaret ad positionem talis qualitatis, & se cum illa ad consentiendum, ad modum quo determinans ad actionem determinat ad terminum.

51 Discas hoc ab Eximio Doctore, sic expeditius defendente immediatam libertatem, liberamque determinationem ad actum efficaciter imperatum tom. 3. de Grat. lib. 12. cap. 11. num. 11. Quippè, loquutus eximie de immediatâ libertate, ac merito actus efficaciter imperantis, & imperati, concludit, utrumque esse verè,

Suarez.

Suarez.

& immediatè liberum: quia, licet amor necessario sequatur positã illa voluntate ut natura priori; nihilominus necessario antecedit cogitatio utriusque actus, & connexio unus cum alio: & ita quando voluntas se determinat ad unum, simul se liberè determinat ad utrumque, quamvis cum ordine eorum inter se: & idè semper manet integra libertas utriusque: quia licet secundus videatur necessarius ex suppositione; tamen suppositio est libera; & non est liberè voluta, nisi ut habens connexionem cum altero actu. Atque ita ex parte libertatis, semper in utroque actu sufficiens ad proprium meritum invenitur. Est quidem illa necessitas antecedens, necessitans vi connexionis intrinsecæ, unum actum ne ponatur sine alio; non verò necessitans voluntatem ad aliquem eorum ponendum: cum possit pro libito neutrum ponere, utpotè cum utroque inconnexa: idèque non est necessitas inimica libertati voluntatis ad utrumque: quia necessitas tollens libertatem, & indifferentiam voluntatis, non est quæcumque necessitas necessitans actum, nè sit sine alio; sed quæ afficeret, & necessitaret voluntatem ad illos, ne posset pro libito esse sine illis.

52 Oportet quammaximè, in hac soliditate pedem figere ad rectè progrediendum in puncto libertatis, & ad discernendum inter nostras, & Prædeterminatarum doctrinas; potiùs quam in nescio quibus signorum antecedentibus, aut posterioritatibus: quarum certè ad instar facilè cuique fuerit, alias sibi constituere ubi vult, aut ubi eas non vult faciliùs denegare. Id quod post diuturnam disputationum experientiam assequutus sum: & sæpè demiratus in eo multos infudantes, ut graviora Theologiæ sacræ momèta sustineri velint ab eiusmodi cogitacionibus, quasi à tenui pendenti filo.

SECTIO VII.

Ad secundam.

53 **S**ECUNDA ratio dubitandi sita num. II. duos opponit nobis casus in suo bicorni dilemmate, impetens ex utroque nostram sententiam. Primo, casu quo homo sic cum præcepto constitutus conservaret Gratiam, & poneret actum præceptum. Secundo, casu quo omitteret actum, & repelleret Gra-

tiam. Occurremus seorsim ad primum casum in hac sectione; ad secundum in sequenti: ut pro utroque casu facta recta maneat veritas, & tota hæc gravis controversia utiliter resoluta.

54 Do casum conservatæ Gratia, & positi actus præcepti: & omninò nego sequelam mutæ prioritatis, quam ubique detestor. Conservat tunc homo Gratiam eliciendo actum, quo scilicet omisso eam minimè conservaret. Ad id tamen sufficit, quòd tunc temporis ponatur actus, & conservetur Gratia: sic enim retinet tunc homo Gratiam eliciendo actum, & non omittendo actum. Quo autem ordine prioritatis, seu posterioritatis naturæ inter conservari Gratiam, & elici actum in eo instanti temporis, aliundè discernendum est ex vera Philosophia, & Theologia. Est quidem tunc Gratia prior naturà ad actum, quia causat, & efficit actum: titulus enim causalitatis importat prioritatem naturæ causæ in effectum. Quod autem tunc actus debeat esse mutuo prior naturà ad Gratiam, quo, precor, titulo? Nullo certè nisi conficto, ut evicimus *sect. 4.* ubi rationem dedimus, quia nec est dispositio ad Gratiam à qua efficitur; sed solù ad illius retentionem requisitus à posteriori tanquam removens prohibens: id est ut removens peccatum omissionis, quod Gratia retentionem impediret. Ad hoc autem ut actus removeat eius omissionem peccaminosam pro toto instanti reali, sufficit, quòd actus sit in eo instanti temporis, quamvis non pro priori naturæ ad Gratiam: ut est per se clarum.

55 Hanc tamen claritatem, si minùs impugnare, obscurare saltem studuerunt nonnulli. Quia conservatio Gratia in illo instanti pendet à positione actus præcepti: ergo hic debet esse pro priori ad conservationem Gratia. Sed distinguimus antecedens: dependentià à priori, nego: quia non pendet ab illo ut à causa, nec ut à dispositione ut monstravimus à *num. 26.* dependentià à posteriori, concedo: sic naturæ pendere solent à proprietatibus: sic causæ ab effectibus: sic actiones à terminis. Et nego consequentiam: quia ex ratione dependentiæ utramque, velle inferre prioritatem in omni à quo sic dependetur, est cæcutire in luce Philosophica: quin etiam & in Dialectica: divisã enim dependentiã ex

com-

communi calculo in unam à priori, & aliam à posteriori, velle postea ex ratione communi divisi, inferre unum membrum divisionis, est ex ratione corporis divisa in inanimatum, & animatum, inferre animatum. Est etiam in ipsis terminis implicare: quomodò enim staret dependentia à posteriori, si ratio dependentiæ ab aliquo præferret istius prioritatem? Est insuper, ex eo quod naturæ pendeant in sui existentia à proprietatibus, multæ causæ ab effectibus, & actiones à suis terminis, arguere peregrinè, proprietates illas esse priores naturis, effectus causis, & terminos actionibus.

56 Insistant. In eo prioritatis ordine se habet positio actus præcepti ad conservationem Gratia, quo se haberet eius omissio peccaminosa ad expulsionem Gratia; sed omissio haberet se pro priori ad expulsionem: ergo & positio ad conservationem. Maior probatur: quia sicut voluntas expelleret Gratiam per omissionem, & mediã omissione, ita eam retinet per actum, & medio actu. Respondetur tamen maiorem, eiusque probationem esse falsissimas. Fallunt in physicis: non enim ex eo quod actus imperans, & imperatus, dum fiunt, fiant cum ordine prioris, & posterioris, bene inferitur, quòd, si omittantur, eorum omissiones servent ordinem prioris, & posterioris. Deindè do rationem: quia expulsio Gratia, si non est formaliter ipsa omissio peccaminosa, inducitur ab illa, & causat illam in genere demeriti; at positio actus præcepti, nec meritorie, nec dispositivè causat existentiam Gratia, à qua efficitur; sed augmentum maioris Gratia, ut notavimus, & probavimus *sect. 4.* atioquin, ut ibi opposuimus, & actus naturalis, imò & venialiter malus dici posset dispositio, & meritorius Gratia. Nec quidem voluntas retinet tunc Gratiam per actum, aut medio actu; sicut eam expelleret per omissionem, & mediã omissione: hæ enim voces significant aliquam causalitatem saltem dispositivam, quæ, ut vidimus datur in omissione respectu expulsionis Gratia; & nequit dari in actu præcepto respectu Gratia, à qua efficitur. Verum quidem est, quòd tunc non conservatur, aut retinetur Gratia nisi posito actu, aut nisi simul tempore cum positione actus, utpotè tunc requisiti per modum removeantis

prohibens. At hoc non est medio actu, neque per actum: quod sonat causalitatem, & prioritatem actus in Gratia. Sic actio non ponitur nisi posito termino; non verò per terminum; nec medio termino; sed requisito termino pro posteriori.

57 Mirum est quod super hoc obicit quidam. Per omissionem actus in eo casu præcepti impediretur conservatio Gratia antecedentis actum: ergo omissio impediens esset prior conservatione Gratia. Subintulit: ergo actus præceptus debet esse quoque prior conservatione Gratia. Subillatio in primis aberrat, ut vidimus: cum enim non causet actus omnia, quæ causat eius omissio, non debet esse naturà prior ad omnia, ad quæ prior esset omissio. Deindè post verum nostrum antecedens, videre, & horrere debuit primam suam illationem. Quomodò enim omissio, quæ in toto instanti reali conservationis Gratia non est; & si esset, non esset in eo temporis instanti conservatio Gratia, dici potest natura prior, aut posterior conservatione Gratia. Fuit forsitan præceptus æquivocatio ardentis impugnatoris. *Supercecidit ignis, & non viderunt solem.* *Psal. 37.*

58 Anxios insuper aliquos vidi in disquirendis causis conservationis Gratia in illo instanti actus præcepti, si actus ipse præceptus causã non est. Me tamen pro præsentis controversia nunquam hæc cura momordit. Satis nobis fuerit ostendisse actum ipsum præceptum nec esse, nec dici posse causam, aut dispositionem conservationis Gratia, à qua efficitur; sed acquisitionis augmenti novæ Gratia. Hoc enim sufficit ad evitandam mutuam prioritatem nobis obiectam. De cætero, dicant nobis curiosiores arguentes, quæ sit causã conservationis Gratia, dormiente iusto? Gratia tamen, & facilè respondeo, causam physicè effectivam conservationis Gratia pro quovis instanti, sicut & primæ productionis esse solum Deum; moralem, Sacramenta si erat Gratia Sacramentalis; dispositivam, aut etiam moralem meritoria, Christum, & hominem ipsum, qui se ad illã proprijs actibus disposuit. Quippè horum intuitu illam primo infudit Deus pro tunc, & pro in æternum, si homo illam per peccatum non demereatur. En tibi facile causas, & dispositiones conservationis Gratia; eadem

bbb

dem

dem videlicet, ac primæ productionis.

59 Dices altiora petens. Deus conservans Gratiam pro eo instanti positionis actus præcepti, habet decretum tunc conservandi Gratiam: sed tale decretum dirigitur à scientia visionis de positione actus præcepti: ergo hæc scientia visionis, ac proinde positio actus præcepti debet se habere pro priori ad decretum conservationis Gratia, ac proinde ad conservationem Gratia. Miror probatur. Primò: quia non est alia scientia, quæ ad id dirigi possit. Secundò: quia si non videret Deus poni actum præceptum, non videret, non poni tunc eius omissionem peccaminosam: nequit autem discernere pro tunc conservationem Gratia, quin videat, hominem tunc non peccare, ac proinde non omittere: ergo nec quin videat poni actum præceptum. Subiungunt: ergo *decernit Deus conservationem Gratia, quia videt poni actum præceptum*: ergo quia ponitur actus præceptus: ergo positio actus præcepti est pro priori ad conservationem Gratia pro eo instanti.

60 Respondetur tamen in primis, eodem argumentandi filo potuisse duci sic arguentes ad probandam prioritatem temporis in positione actus ad conservationem Gratia, sicut est in scientia Dei dirigente ad eandem conservationem. Fallit igitur in multis hæc forma per transitum ab actibus intentionalibus ad objecta: quæ quidem illorum ordinem prioritatis sequi non solent: prius sæpè naturam cognoscimus fumum, quam ignem; sed non nisi falsò cognoscimus esse naturam prius: cum re vera non sit pro priori, sed pro posteriori ad ignem. Deinde concessam maiori, nego minorem, & totam consequentiam. Ad primam probationem minoris, dici potest, antecedenter ad omnem scientiam visionis de positione actus, & de non positione omissionis peccaminosæ posse sufficientissimè dirigi Deum ad absolutum decretum conservandi tunc Gratiam, per scientiam Mediam qua præsciverit, quod si homo constitueretur in ea libertate omitteri, & non omitteri actum, quam pro casu etiam, quo omitteret, exponemus *sect. seq.* non omitteret, sed poneret actum, quo removeret omissionem peccaminosam prohibitive, seu impeditivam conservationis

Gratia: ea enim notitia conditionata scientia Mediam sufficit ut securissimè dirigatur Deus ad absolutè decernendam collationem talis libertatis, & ad præfinitum actum præceptum, & decernendam conservationem Gratia. Non certè aliter, ac dicimus cum P. Suarez, Deum ante absolutam prævisionem meritorum directum satis per Scientiam Mediam, decernere absolutissimè Gloriam ut coronam, præfinito simul merita, citra iacturam libertatis: de quo nos *tom. seq. de Prædestinat.*

61 Si majoris, dic aliter, dirigi quidem Deum ad decretum de conservatione Gratia pro eo instanti per scientiam visionis: non quidem affirmativam de positione actus; sed negativam de non positione omissionis peccaminosæ: quæ scientia diversa suo modo sunt; cum una sit affirmativa, alia negativa; una habens pro objecto positionem, alia omissionem actus. Supposita enim certam Dei lege non auferendi Gratiam nisi propter peccatum re ipsa positum; sufficit scientia certò negans positionem peccati ad sustinendum decretum conservandi Gratiam.

62 Atque hinc tandem in secunda probatione eiusdem minoris, totus syllogismus est verus: aut, ne quis Deum fingentem sibi coningat, distinguatur consequens: nec quin videat actum præceptum naturam priorem conservatione Gratia, nego; natura posteriorem concedo: Deus enim res videt uti sunt. Sicque tota syllogismi veritas salvatur per coexistentiam utriusque illius scientia; quin opus sit, quòd utraque dirigat ad decretum conservationis Gratia: cum ad id, supposita notitia legis non suspendendi conservationem Gratia, nisi propter peccatum, sufficientissima sit scientia videns in eo instanti non dari peccatum, ac proinde nec omissionem peccaminosam actus præcepti. Sic, stante decreto dandi hoc auxilium congruum, debent omninò esse in Deo Scientia Media de consensu si daretur; & scientia visionis de decreto, & de consensu; non tamen utraque dirigens decretum. Sic etiam nequit Deus discernere citra miraculum productionem, seu conservationem Solis, quin habent scientiam simplicis intelligentia de Sole, & scientiam visionis de luce, quin tamen propterea scien-

scientia visionis de luce dirigat ad decretum de conservatione Solis, aut lucis.

63 Quocirca subillatio distinguenda est, & explicanda. *Decernit Deus conservationem Gratia, quia videt poni actum præceptum*, arguitivè à posteriori, concedo: causaliter à priori, nego subillationem, & omninò ultimam consequentiam. Explico. Decernit, inquam, tunc Deus conservationem Gratia, quia videt poni actum: quatenus nempe si non videret poni actum præceptum pro suo posteriori ad Gratiam, videret poni peccatum destructivum Gratia: qua etiam arguitivè dici potest conservare naturas, quia conservat proprietates, & Solem, quia lucem: quatenus nempe, stantem naturam legibus, arguitur, quòd non conservaret pro priori naturas, si non conservaret pro posteriori proprietates; nec pro priori Solem, quin pro posteriori lucem: similes enim arguitiones significamus sæpè per vocem *quia*: utpotè non tam adstrictam rerum causalitibus, quam nostris arguitivibus. Dicimus enim indifferenter utroque Sol lucet, quia dies est: dies est, quia Sol lucet: arguimus dari naturas, quia dantur proprietates; & è converso dari proprietates, quia dantur naturæ. Quo nihil frequentius, nihilque clarius, ut ex sensu utriusque vero illius propositionis: decernit Deus conservationem Gratia quia videt poni actum præceptum; non inferatur prioritas actus præcepti ad conservationem Gratia; magis quam fumum esse in re priore igne, ex eo quod noscamus ignem, quia novimus fumum.

64 Vidi multos plura contra nos in hoc puncto supponentes, quæ potius oporteret probare. Quinque hic summam perstringam, ut quinque reddam verba in sensu meo; & ut sub brevibus noverint universi, quid à nobis palam negetur, quidque impugnatoribus egregijs probare incumbat. Supponunt primò: non esse peccati in eo instanti reali positionis actus præcepti præcedere pro priori naturam ad positionem actus. Negamus: quia non esse peccati, quo de loquimur, cum sit evitatio libera peccati, est positio ipsa actus præcepti. Secundò: actum præceptum debere esse in eo instanti pro priori ad conservationem Gratia, cum impediatur ne peccatum sit pro priori. Negamus: quia, ut

impediatur esse peccati pro toto instanti reali, ac proinde pro priori, sufficit, actum poni in eo instanti reali, pro quocumque signo ponatur. Tertio: non se habere in eo instanti positionem actus, & conservationem Gratia, sicut se habent conservatio connaturalis Solis, & productio lucis in hoc instanti: non enim dicimus conservari Solem, quia ponitur lux, sicut dicimus, conservari Gratiam, quia ponitur actus: atque adeò ponitur pro priori. Negamus: quia neutrum verè sic dicitur causaliter à priori: utrumque arguitivè à posteriori. Quarto: omne id quod impedit, he Deus prævideat poni peccatum in eo instanti, habere se pro priori ad conservationem Gratia. Negamus; sicut & quòd omne quod impedit requisitum constituens actum primum expulsionis Gratia debeat esse pro priori ad conservationem Gratia: nam scientia visionis de conservatione Gratia impedit certè illud ipsum requisitum, scilicet prævisionem peccati; quin proinde sit pro priori ad conservationem Gratia. Quintò: in eo casu scientiam visionis videre non esse peccati positum pro priori ad positionem actus præcepti. Negamus: quia ea notitia non est in Deo affirmativa terminata ad non esse peccati: falsò namque affirmaretur, non esse peccati, quod est positio ipsa actus præcepti, esse pro priori ad positionem actus; sed est negativa terminata ad peccatum, rectè, verèque negans peccatum esse pro priori: cum nullatenus sit.

SECTIO VIII.

Complementum Responsionis, & Doctrina.

65 **T**RAHIMVR, & quidem vgeritius, ad alterum casum secundæ partis dilemmatis positi *num. 11.* quo scilicet non conservaretur Gratia, nec poneretur, sed potius omitteretur actus præceptus. Quo casu admisso, respondeamus primò, concedendo primam consequentiam, scilicet in eo instanti, & casu, non conservari Gratiam: quia nimium peccaminosè omitteretur actus. Negamus verò minorem subiunctam. Ad eius probationem, negamus antecedens, quòd nempe in eo casu pro instanti omissionis, quamvis non addit iam præfens Gratia, non sit in voluntate quæ

omittit, potestas ad actum oppositum, quantum sufficit ad veram, & absolutissimam libertatem. Quia, quamvis non adit iam prærens habitualis Gratia requisita ad efficientiam actus præcepti, utpotè incompatibilis cum omisione peccaminosâ; adsunt homini præsentem vires ad illam habendam sibi præsentem pro libito suo. Id quod sufficere ad libertatem omisionis probavimus rationibus, & exemplis innegabilibus *sect. 4. d. num. 29.* & satis indicatum vidimus ab Innocentio ipso X. in damnatione primæ propositionis Iansenianæ: quam utique cum illo addito damnat: *deest quoque illis Gratia, qua possibilia fiunt: ut expendimus num. 35.* Quasi non sufficeret ad damnationem, non adesse præsentem vires ad reipsa præstandum id quod Deus iubet, nisi accedat, neque adesse homini vires, nec præsentem potestatem ad illas sibi præsentem habendas: tunc enim, si illas non habet, sibi imputet, utpotè pro libito suo id non habenti. Id quod exemplo extinguentis lucem, aut eruentis, tunc sibi oculos requisitos ad lectionem sibi præceptam, conspicuum fecimus *num. 30.* Et habet instantiam luce clariorem in eo, cui præciperetur actus condignè meritorius, sive Gratia sit, sive non sit principium physicè effectivum: quia reverà in instanti omisionis non adesset omittenti præsens Gratia condignificativa requisita ad actum condignè meritorium.

66 Hanc soliditatem impetunt aliqui cæco Marte. Sed nihil addunt, præter paginas, ad ea quæ ipse mihi primitus obieci: nec ad responsiones meas quidquam adderem, nisi ab alijs, qui pro hac utilissima veritate doctè, ac feliciter collaborarunt, in modo tradendæ, & tuendæ veræ doctrinæ, pro meo semper addiscendi studio proficere libuissent.

67 Obijciunt autem sic. Non omittit liberè qui non habet libertatè proximam ad omittendum: sed hanc non habet homo in eo casu omittens actum præceptum: ergo non liberè omittit. Probat minor: quia libertas proxima omittendi actum præceptum dicit potestatem proximam omittendi, & potestatem proximam exercendi actum præceptum: sed homo tunc peccaminosè omittens, iam non haberet potestatem proximam exercendi actum præceptum:

ergo nec libertatem proximam illum omittendi. Minor hæc patet: quia iam non haberet Gratiam habitualement, quæ, utpotè principium effectivum actus præcepti est de constitutivo potestatis proximæ ad ipsum. Patitur instantiam obiectio citra influxum etiam effectivum Gratia. Quamvis enim effectivè Gratia non influeret, homo omittens actum condignum præceptum careret eo ipso in eo instanti suæ omisionis peccaminosæ principio proximè condignificativo, nempe Gratia; & tamen liberè omitteret actum condignum præceptum; atque adeò cum libertate proximâ omittendi.

68 Respondetur, negando primam minorem: & in eius probatione maiorem. Libertas enim proxima omittendi actum dicit quidem potestatem proximam omittendi actum; non vero potestatem, nec libertatem proximam exercendi actum; sed vel proximam, vel remotas exercendi actum, pro libito eiusdem voluntatis futuras proximam, si voluntas tunc vellet. Hoc enim est satis superque ad sufficientissimam libertatem omittendi, & ut omisio imputetur ad culpam sic omittenti. Exemplo fit res clarissima, ut arguebamus *sect. 4. num. 30.* Ut enim quis liberrimè, quantum sufficit ad imputationem omisionis, dicatur omittere lectionem præceptam, non requiritur quòd in instanti quo omittit legere, habeat eandem libertatem, & potestatem proximam legendi, qualem habet proximam omittendi, si omittit; aut qualem haberet proximam legendi, si legeret; cum certum sit, quòd si in eo instanti extinguat lucem, aut oculos sibi eruat, liberrimè, & imputabilissimè omittit, ac proindè cum libertate, & potestate proxima omittendi; carens tamen iam potestate proximâ ad legendum, cum careat luce, aut etiam oculis. De quo non est alia ratio dabilis, nisi quia pro libito suo eâ potestate proximâ caret, eamque possit retinere, si vellet. Et ad eandem doctrinam recurri necesse est pro libertate, & imputabilitate actus condignè meritorij præcepti, sive Gratia sit, sive non sit principium physicè effectivum illius.

69 Insiliunt tamen sciscitantes, quid dicat physicum, & reale, aut in quo stet eiusmodi potestas remota hominis tunc omitt-

omittentis actum, ad exercendum actum, quæ foret proxima, si homo vellet? Dicimus, in eo physicè, ac realiter stare, quòd homo tunc omittens, sic omittit, ut nihil habeat, quòd ipsum antecederet cogat ad omittendum: eo enim ipso non ex necessitate omittit, atque adeò potens non omittere, si vellet: si autem non omitteret actum, non peccaret; sed faceret actum præceptum retinens Gratiam, quæ est de constitutivo potestatis proximæ ad ipsum exercendum. Similiter assignent nobis Adversantes, quid est tunc temporis, quòd hominem cogat ad omittendum? & succumbemus. Enim verò non illum cogit omisio ipsa: quæ quidem actus ipse secundus est, atque adeò libitè ipsum hominis omittentis, & quidem positivum, non enim puras omisiones voluntarias admitto: unde, sicut ineptè diceretur, quòd actus, sive præceptus, sive non præceptus cogeret antecederet voluntatem ad exercendum actum; sic & quòd ad omittendum omisio actus, sive præcepti, sive non præcepti. Non item cogit antecederet absentia Gratia: nam Gratia expulso, aut est ipsa omisio peccaminosa, ut vidimus *disp. 16. sect. 4.* aut stante Dei lege nunquam auferendi Gratiam, nisi propter peccatum, est effectus subsequutus in pœnam, ac proindè non cogens antecederet ad omittendum. Non denique defectus præparationis divini concursus, aut alterius antecederet requisiti ad non omittendum. Nam quoad præparationem divini concursus, ea stat quantum est ex parte Dei ad non omittendum eo ipso quòd Deus constituat voluntatem potentem omittere sine aliquo cogente ad omittendum; eo enim ipso est Omnipotentia paratissima concurrere ad actum, quo voluntas nollet omittere: quemadmodum enim Deus parat concursum suum ad unum exercitium causæ necessariæ eo ipso quòd illam constituat cum omnibus alijs requisitis, & nolit agere miraculosè; sic ad duplex causæ ex se liberæ, eo ipso, quòd illam constituat potentem ad unam partem, nullo ad illam cogente, seu necessitante; eo enim ipso iuxta naturam suam habet simul paratum concursum ad alteram. Quoad defectum autem alterius antecederet requisiti, si aliquid deficeret ad non omittendum actum præ-

ceptum, maximè Gratia habitualis antecederet requisita ad efficiendum actum præceptum. At Gratia non deficit iuxta præsentem Dei legem nisi propter peccatum, & in eo casu propter omisionem peccaminosam, ac proindè liberâ actus præcepti, ut iam vidimus: sicque defectus Gratia, aut supponit, aut saltem non antecedit omisionem liberam. Quomodo ergo defectus Gratia obstat libertati omittendi, quam supponit, supponens utique omisionem peccaminosam, & ex hoc ipso conceptu liberam; nisi per patetissimam contradictionem, quam vidimus *num. 34.* Expectamus igitur post annos aliquot, quòd assignetur nobis, quid illud est, quòd voluntatem tunc omittentem antecederet cogat ad omittendum.

70 Opponunt nobis petitionem principij in hac nostra responsione: quasi nihil aliud dicamus, nisi per circuitum, voluntatem in eo casu omittentem liberè omittere, quia potest non omittere; posse autem non omittere quia liberè omittit, utpotè peccaminosè. At certè non sic dicimus; sed liberè omittere, quia potest non omittere; posse autem non omittere, quia taliter omittit, ut nihil sit quòd illam antecederet cogat ad omittendum: aut, si est, petimus assignari: quòd non est petere principium, sed responsionem.

71 Vigent, resumendo tesum ex P. Ripalda, quòd iam repulimus *num. 56.* Non omittere actum præceptum est ipsum facere actum præceptum: sed homo tunc omittens secundum præsentem vires, nec potest facere actum præceptum, cum iam tunc temporis præsentem non habeat Gratiam, quæ est principium omninò requisitum ad actum; nec potest habere sibi Gratiam, qua id fieret sibi possibile; quia non potest habere sibi Gratiam nisi per actum, & medio actu; & actum, ut vidimus secundum præsentem vires non potest habere: ergo omninò nequit non omittere actum: atque adeò non liberè omittit. Hæc est tota vis: tota tamen ab omnibus sustinenda, ut sæpè animadvertimus, ut defendatur actus condignè meritorius, cuius utique Gratia est principium condignificativum omninò requisitum, sive sit quoque, sive non sit physicè effectivum.

Ref.

72 Respondetur, concessâ maiori, negando minorem: vtrumque enim id potest tunc temporis homo sic omittens: non quidem potestate ad faciendum talem actum sine Gratia influente; nam ad id nec est, nec fuit, nec est possibilis potestas; sicut neque apud omnes ad faciendum actum condignè meritorium sine Gratia condignificante; sed potestate tunc temporis præsentem faciendi talem actum cum Gratia: non quidem proximâ ad faciendum actum, cum iam non adsit præsens Gratia; sed remotâ ad faciendum actum, quæ pro libito bono voluntatis esset proxima, & cum Gratia, si voluntas pro libito suo malo tunc non omitteret, nullo, vt patefecimus, ad id cogente, nec necessitante. In probatione secundæ partis minoris frustra obtruditur falsum illud, quod homo tunc omittens non potest habere sibi Gratiam nisi per actum, & medio actu: ac si æquè falsò diceretur, non posse haberi actionem nisi per terminum, & medio termino, vt expendimus à num. 56. dic, nisi cum termino, & habito etiam termino; sicq; dicimus verè, ac ritè: nisi cum actu, & habito etiam, seu facto actu. Ex qua veritate ritè dictâ non rectè infertur cõsequentiâ, quod omniò nequeat tunc homo non omittere actum; atque adeò quod tunc non liberè omittat. Quia illa eadem potestas præsens non omittendi, quam habet homo sic omittens, quando nihil est assignabile quod illum antecedenter cogat, aut necessitet ad omittendum, est potestas retinendi Gratiam, ex lege Dei non tunc defuturam, nisi homo peccaminosè, atque adeò liberè omittet; & est potestas exercendi per Gratiâ, & mediâ Gratiâ actum præceptum, potius certè quam retinendi Gratiam medio actu.

73 Itaque potestas illa tunc præsens non omittendi in homine, qui nullo ad id antecedenter cogente, aut necessitante, omittit, non constituitur per Gratiam, quæ quidem tunc præsens non est; sed per præsentem Dei legem non auferendi Gratiam nisi propter peccatum, & per constitutionem voluntatis potentis tunc omittere, & reipsa omittentis, cum exclusione etiam præsentis omnis antecedenter cogentis, aut necessitantis ad omittendum. Hanc potestatem, innegabilem dum nihil assignetur antecedenter

ter cogens, seu necessitans ad omittendum, dicimus esse potestatem remotam ad exercendum talem actum præceptum, futuram proximam pro libito voluntatis, si nollet omittere: non quidem ad exercendum talem actum præceptum sine Gratia, quia ad hanc chimeram nulla est potestas, nec proxima, nec remota; sed ad exercendum talem actum cum Gratia, & per Gratiâ, quæ præsens esset, casu quo exerceretur actus; & tunc non est præsens, quia pro libito, & culpa voluntatis exercetur omisio. Vno verbo: est potestas sine Gratia habituali, non ad talem actum præceptum exercendum sine Gratia habituali, sed ad exercendum cum Gratia habituali. Sic in omnium sententia, negato etiam effectivo Gratiæ influxu, actu peccans, iam tunc non habens præsentem Gratiam condignificantivam, est sine illa potens exercere actum condignè meritorium; non tamen potens hunc exercere sine illa. Sic liberè nunc extinguens lucem, & omittens peccaminosè recitationem, habet potestatem recitandi, scilicet remotam quantum sufficit vt liberrimè omittat recitationem, alioquin nõ peccaret omittens; & tamen non habet potestatem proximam recitandi cum careat luce prærequisitissimâ ad recitationem: ea verò potestas remota tunc præsens recitandi sufficientissima ad omisionem recitandi peccaminosam, est quidem potestas sine luce tunc præsentem, sed non ad recitandum sine luce. Sic in mille alijs exemplis obvijs, & innegabilibus, quæ conglobare tedium pareret.

74 Respondeo aliter secundò ad totam obiectionem num. 65. & ad sequentes corroboraciones, negando absolutiùs, voluntatem in eo casu omittentem, secundum præsentem quas habet vires, non habere potestatem, & quidem proximam, ad non omittendum. Ad illud autem, quod contra hoc vrgebat num. 69. distinguo maiorem: omne non omittere actum præceptum est ipsum facere actum præceptum, nego; aliquod non omittere, concedo maiorem: & explico. Aliqua, inquam, non omisio actus præcepti est ipsum facere actum præceptum: quia effectio ipsa actus præcepti procedentis à Gratia est illum non omittere, vt ex terminis claret. Sunt tamen alij etiam actus, qui, quamvis non essent

esse.

effectio ipsa actus præcepti, quia non sunt actus ipse præceptus procedens à Gratia, essent etiam per se quoddam voluntarium non omittere talem actum; quippè per se sunt formalis exclusio voluntaria omisionis actus præcepti procedentis à Gratia. Talis est quilibet actus voluntatis, qui foret nolitio omittendi actum præceptum; siue naturalis; siue etiam supernaturalis processurus ab auxilijs actualibus: cum neutra namque earum nolitionum omittendi stare posset omisio actus præcepti, vt est per se certum. Hinc, concessâ minori, de potestate proximâ faciendi actum præceptum; nego consequentiâ de potestate proximâ illum non omittendi secundum præsentem vires.

75 Quamvis enim præsentem, quas tunc, absente iam Gratiâ, haberet vires voluntas omittens, non sint potestas proxima faciendi actum præceptum, qui scilicet esset aliqua non omisio ipsius; sunt tamen potestas proxima ad aliam nolitionem omittendi, naturalem, si desint, aut supernaturalem, si adsint alia comprincipia supernaturalia. Quælibet autem harum nolitionum omittendi esset aliud non omittere actum præceptum, ad quod, absente etiam Gratiâ, adesset voluntati tunc omittenti potestas proxima non omittendi: sicq; omitteret tunc voluntas, proximè potens non omittere, quamvis non iam proximè potens facere actum præceptum. Ad libertatem autem absolutissimam omisionis, sufficit abs dubio omittere cum potestate proximâ non omittendi, quodcumque foret suum istud voluntarium non omittere: quod, cum non admittamus omisiones puras voluntarias, esset positiva nolitio omittendi.

76 Sed dices. Quid in re sit ea proxima potestas ad istud nõ omittere actum præceptum? Respondetur, quod non esset ipsum non omittere, seu nolitio omittendi actum præceptum: hæc namque nolitio esset actus secundus; ea verò potestas est actus primus; sed esset voluntas taliter constituta tam ex parte sui, quam Dei, vt nihil illam antecedenter cogat, & necessitet ad omittendum: eo enim ipso, iuxta naturam causæ liberæ, per præsentem quas haberet vires posset proximè non omittere, seu nollet omittere: scilicet, si adesset Gratia habitualis,

per Gratiam habitualement; si actualis, per actualement; si virtus dumtaxat naturalis, per vires præsentem naturales. Effect enim nolitio omittendi; casu quo nolitio omittendi exerceretur, exercitium viriù, quas præsentem tunc haberet voluntas.

77 Dices iterum. Quid casu quo voluntas, vt potest, exerceret potestatem illam proximam non omittendi, seu nolendi omittere, per actum non procedentem à Gratia habituali? Respondetur, quod eo casu permisso, quem tamen non eventurum videbimus statim, efficeret simul voluntas nolitionem aliâ omittendi, quæ esset actus ipse præceptus. Cum enim prior illa nolitio omittendi actum præceptum sit efficax, stare nequit, quin non omittatur, atque adeò quin reipsa efficiatur actus præceptus. Nec mirum id deberet videri P. Ripaldæ, admittenti de facto in consortio cuiuscumque actus boni naturalis alium supernaturalem, aut è contra, circa idem obiectum. In quam tamen sententiam à nobis derelictam disp. 7. sect. 3. non incidimus: quia Ripaldæ id admittit sine necessitate pro de facto; nos id dicimus de possibili: quod negabitur à nemine. Nec item incidimus in aliorum responsiones relatas nuper sect. 3. num. 38. & 40. Nam illæ responsiones requirunt alios actus à Gratia habituali non procedentes in consortio actus præcepti, vt iste evadat liber, casu quo iste sit. Nos verò non ita; sed potestatem ad illos, casu quo non fit.

78 Porro nos iam non pugnamus pro libertate actus præcepti, casu quo fit: quam vtique factam testam aliunde reliquimus sect. 5. quamvis solus fiat; sed pugnamus, vt est facile discernere, pro libertate omisionis actus præcepti, casu quo actus non fit: ad quam non requirimus, fieri illos actus, qui essent nolitio omittendi, vtpotè cum illa potius incompossibiles; sed requirimus, adesse voluntati potestatem proximam ad aliquè illorum, sufficientissimam, vt voluntas sic omittens liberrimè omittat. Quandoquidem liberè omittit qui omittit proximè potens non omittere: potens autem est proximè non omittere, qui secundum præsentem quas habet vires, habet potestatem nolendi omittere, quæcumque foret efficax ista nolitio; quamvis nõ habeat potestatem proximam ad omnes nolitiones omittendi, vt est per se certum,

Di-

Ripaldæ

suprà
disp. 7.

79 Dices tertio. Quid si Deus non pararet concursum suum ad alios actus nisi ad actum præceptum, & ad eius omissionem? Respondetur primo, casum esse diversum à nostra controversia. Secundò, pro eo casu prodesse satis posse priorem nostram responsionem. Tertio, si prior responsio sufficiens per se non sit ad salvandam libertatem omissionis, casum istum repugnare. Implicat namque, Deum sic parare concursum suum causæ liberæ, ut nihil sit illam antecedenter cogens, & necessitans ad unum actum; quin simul parat ad oppositum etiam liberum, quo nempe possit pro libito causa libera nolle actum, quem vult, ut dixi *disp. 9. de Deo, num. 181.* Quemadmodum enim eo ipso quod Deus instruat causam necessariam cum requisitis ex parte actus primi, nolens inferre violentiam, sed illam naturæ suæ relinquens, parat illi suum concursum ad unam partem; sic instruens causam liberam cum requisitis ex parte actus primi, nolens illam antecedenter cogere, & necessitare ad unum, sed illam suæ naturæ relinquere; parat illi suum concursum ad duas partes: hæc enim est eius natura à differentia causæ necessariæ. Unde fit liquidò, quod in eo casu omissionis actus præcepti, aut adest potestas ad actum præceptum liberum sufficiens ad libertatem omittendi, & sic habemus intentum; aut, si illa non adest, adest eo ipso præparatio divini cõcurfus ad alium actum, qui esset libera nolitio omittendi: & hoc est, quod nunc dicimus, & ruemur. Non quidem (& est sedulo notandum) quã talis actus fiat; sed, quã cum potestate præfente ad ipsum, qui, si fieret, esset aliqua nolitio libera omittendi, liberè omittatur, dum omittitur, actus præceptus, prout opus est.

80 Dixi: non, quã talis actus fiat. Quia talis actus re ipsa non fit, casu quo fit omisio, cum ille sit nolitio omittendi; casu verò, quo nõ fit omisio, adest Gratia habitualis, utpotè non defutura ex lege Dei, nisi commissio peccato, & per Gratiam præsentem fit, non ille alius actus, sed actus ipse præceptus procedens à Gratia habituali. Non enim res ista venit intelligi, ut prius quodammodo conetur, & prodeat voluntas in illum alium actum; & posteriùs per Gratiam eliciat actum præceptum; cum superfluat

ista duplicitas; sed ita potius, ut ille ipse bonus conatus, qui iam est exercitium voluntatis eo ipso non omittetis actum præceptum, sit formalis elicentia actus præcepti per Gratiam habitualem ad id paratissimam. Ad modum scilicet quo *disp. 12. sect. 12.* explicuimus Axioma: *facienti quod est in se, &c.* non quòd prius faciat homo quod est in se, & posteriùs adsit auxilians Gratia; sed ita, ut ad ipsum primum conatum bonum faciendi quod est in se adsit ex lege Dei præveniēs gratia, qua homo incipit bene agere. Ad modum etiam, quo dicimus, Deum cooperari, seu concurrere cum qualibet causa secunda operante, si operetur: non quod prius conetur, seu operari incipiat causa secunda, & posteriùs ingerat se Deus ad concurrendum; sed ita potius, ut præparatus sit Deus cooperari, seu concurrere ad quemlibet conatum causæ secundæ, utpotè incipientis, Deo non concurrente, omnino nihil.

81 Dices tandem. Talis ergo potestas ad illum alium actum nolitiois omittendi non procedentem à Gratia habituali otiosa est, & superflua: siquidem nunquam exercetur. Nego totam consequentiam. Non enim otiosa superfluit; cum maximè proffit, ut voluntas casu quo omittit actum præceptum, illum omittat liberrimè cum potestate proximã præfente non omittendi. Nec verum est, quòd nunquam exercetur: quia casu, quo fit actus præceptus licet non exercentur ea potestas per illum alium actum non præceptum, exercetur ea ipsa in eodem casu per actum ipsum præceptum procedentem à Gratia habituali ipsam simul elevante. Sic potentia naturalis voluntatis, quæ secundum se est potens ad actus bonos naturales exercetur etiam per supernaturales: elevata nimirum per comprincipia supernaturalia, ut explicuimus opportunè *disp. 7. sect. 3.*

82 Nec obstaculi esse potest: quòd potestas illa naturalis omittendi, habeat sibi annexum hic, & nunc, non prodire in actum nisi supernaturalem. Hoc enim nõ habet ex natura sua; sed ex lege Dei: ad modum quo sine absurdo potentia naturalis aliunde instructa habet annexum prodire in actum supernaturalem, & verba sacramentalia in effectum supernaturalem.

(.t.)

DISPV.

DISPUTATIO XIX:

DE PRÆDICATIS EXIMIIS GRATIÆ HABITUALIS Iustificantis.

I A sunt præcipuè, esse *Iustitiam*, seu *Rectitudinem universalem*; esse *Sanctitatem*: esse *Participationem* divinæ Naturæ: esse *Amicitiam* hominis cum Deo: esse *Filiationem* Dei adoptivam: esse *Ius ad hereditatem* Gloriæ vitæ æternæ: esse *Ens supernaturalis*. *simum* supra naturam universam. Quæ omnia, & alia ijs affinia partim explanatione, partim discussione seorsum indigent: quod in præfenti præstabimus;

SECTIO J.

Quomodo Gratia habitualis sit Iustitia, & Rectitudo universalis.

2 **G**RATIA non dicitur *Iustitia*, prout iustitia est specialis virtus moralis, una ex Cardinalibus, *tribuens unicuique quod suum est.* Non enim est magis ista specialis virtus, quàm sit virtus misericordiæ, aut humilitatis, aut alia quæcumque.

3 Sed dicitur *Iustitia* in Scripturis passim, & in Concilijs, universaliter in alio sensu laxiori: quatenus nempe *Iustum* est idem, ac æquale, seu conforme rectæ rationi. Sicque quilibet actus virtutis dici potest iustitia, quatenus est peculiaris æqualitas, seu conformitas regulæ rectæ rationis erga speciale suum obiectum: & ex adverso quodlibet peccatum est iniustitia, quatenus est inæquale, ac difforme regulæ rationis. Quo sensu quilibet habitus virtutis potest eadem ratione dici iustitia habitualis secundum quid, & partialiter.

4 Quoniam verò Gratia habitualis, ut vidimus, opponitur cum iniustitia, & cum irrectitudine omnis peccati mortalis, estque radix universalis habituum omnium virtutum; dicitur universaliter, & absolute Iustitia habitualis. Sub quo prædicato duo includuntur. Vnum, impossibilitas cum omni peccato, quod sit gravis iniustitia, & offensio Dei. Aliud, facultas ad honestè, & iuxta rationem operandum supernaturaliter

in omni genere virtutis, seu iustitiæ. Illud prius præstat Gratia habitualis per se formaliter; quia per se opponitur cum peccato. Istud posteriùs, præstat per habitus virtutum infusarum, qui ipsam comitantur, & in ipsa, tanquam proprietates radicanter: ac proinde per se, radicaliter dumtaxat id habet: quatenus nempe eos habitus secum affert ad bene operandum in omni genere virtutum supernaturalium.

5 Quinimò, quã parte, sicut diximus *disp. præc.* Gratia est etiam virtus activa, cum habitibus subordinatis, actu omnium habituum; dicit etiam formaliter, esse facultatem universalem ad honestè operandum in omni genere virtutis: & dicitur quodammodo formaliter *Iustitia universalis habitualis.*

6 Ad hunc quoque modum dicitur etiam Gratia, *Rectitudo universalis.* Quo nomine eadem etiam duo continentur prædicata: scilicet oppositio cum irrectitudine peccati: quam oppositionem habet Gratia per se formaliter; & rectitudo in omni genere virtutum: quam habet habitualiter per habitus infusos singularum virtutum, qui Gratiam comitantur, & in Gratia radicanter. Cum enim singuli singularem suæ virtutis rectitudinè respiciant; Gratia, quæ universaliter est omnium radix, universalem omnium rectitudinem præfert. Et sic est, ac dicitur *Rectitudo universalis habitualis.*

7 Hinc elucet aliud Gratiæ prædicatum frequens apud Sanctos PP. Gratiam appellantes *Anima pulchritudinem.* Dicit *Tullius*

ccc

folet

Solet ex Tullio pulchritudo: *apta parium concordia*: quod Gratia habituali mirifice aptatur. Nam praterquamquod excludit foeditates peccati; per illam, quatenus iustitia est, & rectitudo vniversalis, concordant mirifice voluntas cum intellectu, & recta ratione; pars inferior cum superiore; & inter se ad invicem virtutes. Quam nulla in nobis est spectabilior divinis oculis pulchritudo: *Quis enim, inquit Tullius, non miretur splendorem, pulchritudinemque virtutis: Vnde pulchre Augustinus 15. de Trin. 8. Natura, cum a suo Conditoris iustificatur, a deformi forma formosam transierit in formam.*

Tullius.
August.

SECTIO II.

Quid, & quomodo sit in Gratia habituali predicatum Sanctitatis.

8 **S**ANCTUS Dionysius lib. 12. de Div. Nom. explicuit, quod Sanctitas est: *Ab omni immundicie libera, & incontaminata mundicies*: vel vt ex illo concisus alij: *Puritas immaculata, & ab omni scelere libera*. Non quod sufficiat ad sanctitatem, aut sanctum, puritas a peccato pure privativa, aut negativa: sic enim, & homo in pura natura, aut etiam lapis sanctus esset; quia scelere carent. Sed debet hoc esse a perfectione positiva formae, ex propria pulchritudine habentis, non posse esse in subiecto non puro ab immundicia, sordibus; & maculis peccati mortalis.

Supra disp. 13. in limine.

9 Sanctitas igitur erit: *Perfectio supernaturalis, ex natura suae coniunctionis cum Deo reddens subiectum, cui inest, purum a sordibus peccati mortalis*. Hic conceptus comprehendit omnem formam sanctificantem. Neque ad hoc requiritur, praecessisse peccatum; sicut ad effectum formalem iustificati strictius dicti, vt claret ex terminis; & monuimus *disp. 13. num. 1.* Verum est, esse aliquas sanctitates ita perfectiores, vt nec peccatum veniale, nec potentiam peccandi patiantur in subiecto. Sed hoc est prater conceptum sanctitatis in genere, & constituit alias species sanctitatis perfectioris, & purioris. Tales sunt Unio Hypostatica, & forma beatificans; non vero Gratia habitualis secundum se.

10 Hinc omnis increata Dei perfectio est per se formaliter sanctitas, de quo dis-

serui *dis. 16. de Attrib. sect. 4.* Nec obest, quod non omnis perfectio divina sit radix rectitudinis vniversalis. Respondetur enim, quamlibet esse realiter, quod magis est, rectitudinem ipsam vniversalem. Conceptus autem ille radicis solum requiritur ad rationem sanctitatis formalis, vbi deest realis identitas cum vniversalis rectitudine formali.

Tom. de Deo, disp. 16.

11 Hinc dixi quoque supra *disp. 15. sect. 3. 4. & 5.* formam beatificam, & Unionem Hypostaticam esse formas per se sanctificantes. Nam illis convenit perfectius, quam Gratia habituali, conceptus essentialis sanctitatis.

Supra disp. 15.

12 Dices: si verum hoc est, etiam id conveniret vnioni, quam Gratia habitualis affigitur Anima: cum sit perfectio supernaturalis sui subiecti, & essentialiter incompossibilis cum peccato. Et cur non dicatur similiter convenire luminis Gloriam? Bernal *disp. 29. de Incarn. sect. 4.* non reputat absurdum illud de vnione Gratiae. Negatur tamen communiter: quia id non habet ea vnio ratione suae perfectionis; sed ratione perfectionis sui termini, nempe Gratiae, quam vnio subiecto: de quo plura Ant. Perez *disp. 1. de perfect. Christ. cap. 12.* Si dicas, idem ita dici posse de Vnione Hypostatica; respondetur, non ita: quia Vnio Hypostatica est per se vnio ad Deum, ideoque nobilissimum cum Deo consortium, quod est conceptus formae sanctificantis; at vnio Gratiae non est coniunctio immediata animae cum Deo, sed cum Gratia, quae est consortium cum Deo. Ad rationem autem sanctitatis non sufficit quaelibet oppositio cum peccato; sed fundata in propria perfectione formae, quae sit positiva coniunctio, seu consortium cum Deo.

Bernal.

Perez.

13 Illud de lumine gloriae negatur communius, & bene: quia nec est essentialiter oppositum peccato, nec est perfectior forma beatificante, nec formaliter beatificat, quamvis efficiat visionem beatificantem: sicque nec sanctificat, quamvis efficiat formam sanctificantem. Et quamvis sit quodammodo ius ad gloriam fundatum in exigentia physica gloriae, cuius est principium; non tamen ius hereditarium, fundatum in formali participatione per se divinae naturae, & in constitutione Filij adoptivi: quae requiruntur in perfectione formae per se sanctifi-

ficantis. Nec est necesse, quod causa praesertim inadaequata dicat in se formaliter omnem perfectionem sui effectus.

14 Obijcies insuper. Possibilis est actus supernaturalis, quo quis iudicaret, sciret, aut crederet, se esse sine peccato, participem divinae naturae, & a Deo dilectum amabiliter. Atqui talis actus, vt potest essentialiter verus, esset essentialiter ex perfectione sua oppositus peccato; & tamen non esset sanctitas: ergo non satis explicuimus conceptum sanctitatis. Respondetur, concessis praemissis, negando consequentiam. Quod diximus est, conceptum sanctitatis in eo stare, quod sit forma ex se sic perficiens subiectum, cui inest, vt eo ipso quod illud informet, reddat purum a peccato. At actus ille non id praestat subiecto, cui inest, quia illud informat; sed quia id de illo dicit: quippe de quocumque subiecto, cui non inestet, id diceret, id erga illud praestaret. Itaque non praestat eos effectus ex perfectione suae coniunctionis cum Deo: nec propterea est per se maior participatio, & consortium divinitatis, quam alij assensus supernaturales alia iudicantes infallibiliter.

Supra disp. 13.

15 Posset hic disputari: an, sicut sine forma intrinseca diximus *disp. 13.* posse condonari a Deo peccata, posset similiter homo formaliter sanctificari sine forma intrinseca sanctificante, per actus dumtaxat divinae voluntatis homini extrinsecos. Sed hoc disputabitur opportunius in simili de Amicitia divina *sect. 4.* ex qua colligemus, respondendum esse negativè.

SECTIO III.

Quomodo Gratia habitualis sit participatio, & consortium divinae Naturae.

16 **E**XPONUNT Sancti PP. de Dono Gratiae, nos per Christum iustificantis, illustria illa verba 2. Petri 1. *Per quem maxima, & pretiosa nobis promissa donavit, vt per hac efficiamini divinae consortes naturae: fugientes, &c.* Vnde in confesso debet esse apud omnes, haec naturae divinae participatio; donata nobis per Gratiam Christi. Difficultas est in eius explicatione. De quo Ripalda *disp. 7. sect. 7.*

2. Pet. 1.

Ripalda.

17 Generaliter loquendo, quaelibet

creata perfectio, sive naturalis, sive supernaturalis est quodammodo participatio Dei; cum omne creatum dicatur ens per participationem Entis per essentiam. Non loquimur in hac generalitate; sed in specialiori modo divinae participationis, proprio Gratiae sanctificantis, praeter alijs creatis perfectionibus, etiam supernaturalibus.

18 Quibusdam placuit, sic eam participationem explicare, quod sicut Natura divina suis exornatur proprietatibus; sic a Gratia emanant proprietates sui ordinis, scilicet habitus virtutum infusarum, quibus exornatur. Hoc tamen est dicere ferè nihil ad rem: hunc enim modum participationis, seu imitationis quaelibet substantia creata etiam naturalis habet, suas exigens, secumque inducens proprietates, quibus perficitur. Non ergo haec est specialis, & excellens participatio divinae Naturae propria Gratiae.

Vincenz. Albeld.

19 Ioan. Vincentius, & Albelda specialem istam divinae naturae participationem ponunt in eo quod Gratia participet Naturam Dei, prout condistinctam ab Attributis, secundum omnia eius praedicata, prout sunt immediatè formaliter in Deo, etiam vt infinito, independente, & imparticipato. Non tamen nobis, vel mediocriter explicant, quomodo Gratia, ens creatum cum sit, finitum, ac dependens, participet rationem increati, independentis, & imparticipati, vt talis. Nec video nisi inintelligibilia, nè dicam contradictoria, sub involucris magnarum vocum.

Lessius.

20 P. Lessius ait, Gratiam esse participationem divinae naturae, quatenus est vinculum, & quasi vnio, quam Divinitas extrinsecè nobis inhabitat, velut forma constituens Filios Dei. Ego tamen, aut penitus non calleo mentem sapientissimi Lessij; aut per hanc explicationem non mihi viderer satis discedere ab illorum exiltimatione, qui dicunt contra Trident. *sess. 6. cap. 7.* nos iustificari extrinsecè per iustitiam increatam, quam Deus iustus est, tanquam per causam formalem nostrae iustificationis; cum Gratia non dicatur nisi quasi vnio, vel quasi causalitas illius formae extrinsecè: nec a censuris, quibus inuritur a reliquis Theologis Magister sent. in 1. dist. 17. eo quod dicat, charitatem nostram, quam Deum diligimus, esse ipsam charitatem

Trident.

Magist.

in creatam, qua Deus se diligit, & nos. Fundamentum Lelsij ponam, adhibitâ perutili, ac pernecessariâ explicatione, *sect. 5. num. 53.*

Suarez. Curiel. Torres. 21 P. Suarez *lib. 7. cap. 1.* Curiel, Torres, & alij, specialem illam Dei participationem per Gratiam in eo ponunt, quod Gratia conveniat cum Natura divina in debito Visionis beatæ. Arriaga *disp. 44. num. 6.* paulò aliter, in eo quod Gratia exigat visionem, qua Deo assimilatur. Ripalda, hæc impugnans *sect. 9.* in eo ponit, quod Gratia sit imago expressa ad referendam divinam Naturam. Ego certè nec acquiescere possum ali- quibus doctrinis, quas prædictæ tres explicationes supponunt; nec, illis adhuc suppositis, solidum quidquam rei percipio pro mea tenuitate in terminis horû Authorum in puncto tanti momenti.

Esparza. 22 Vt meum proferam sensum, triplicem hic discerno usurpationem Naturæ ex Esparza *quæst. 2.* Primò, *Physicè;* pro principio operationum, seu proprietatum, sive ut in *Physicis* dicimus, *motûs, & quietis.* Secundò, *Metaphysicè;* pro constitutivo rei. Tertiò, *Ethicè;* pro indole, seu certâ dispositione naturæ rationalis ad mores, seu ad operationes morales: *vt de pravâ delatoribus dicitur* Esther *17. ex sua natura alios astimantes:* id est existimantes, alios eiusdem esse pravæ indolis, ac ipsi sunt.

Suarez. Tom. de Deo, disp. 5. 23 Porro Natura Dei, seu, iuxta hanc tertiam acceptionem, indoles Dei duo dicit: nempe repugnantiam quidquam inhonestè operandi; & promptitudinem ad sanctè, & honestè in omni virtutum genere operandum. Sive istæ duæ perfectiones sint extra conceptum essentiae metaphysicè Dei; sive in illo essentialiter includantur, vt cum P. Suar. adstruximus ex professo *disp. 5. de Attrib. præsertim à sect. 6.* Non enim id facere iudico ad rem præsentem.

24 Opinor ergo, quod cum dicitur Gratia esse participatio divinæ Naturæ, & efficere nos *divinæ consortes Naturæ,* sumi Naturam divinam *ethicè,* quoad mores, prout in tertia usurpatione. Eiusmodi autem participationem, sive consortium esse per imitationem Naturæ, sive indolis divinæ, seu morum divinorum quoad illa duo: nempe quoad fugam; seu aversionem peccati; & quoad amorem virtutis: in quo stat conforma-

tio morum nostrorum, quos habemus per Gratiam, cum moribus divinis, quos Deus habet per naturam.

2. Pet. 1. 25 Id quod mihi maximè persuadeo ex ipso S. Petri contextu. Dixerat enim: *vt per hæc efficiamini divina consortes naturæ;* & continuo se explicans subiungit: *fugientes eius, quæ in mundo est, concupiscentiæ corruptionem:* en aversionem à peccato: & immediatè pergit ulterius: *Vos autem curam omnem subinserentes, ministrare in Fide vestra virtutem; in virtute autem scientiam; in scientia autem abstinentiam; in abstinentia autem patientiam; in patientia autem pietatem; in pietate autem amorem fraternitatis; in amore autem fraternitatis charitatem.* En mores hominis iusti, & sancti, ad quos exhortatur nos Textus facer in imitationem morum divinæ Naturæ, cuius consortes dixerat nos effici per Gratiam. Quo videtur concludi totum intentum.

26 Hæc autem imitatio per Gratiam in eo stat: non quod eadem perfectione, qua Deus, ea duo habeamus: hoc enim solius est Dei, & repugnat limitationi creatæ: sed per specialem imitationis modum beneficio Gratiæ præ alijs donis creatis non formaliter sanctificantibus; quod nempe cum pulchritudine, & puritate Gratiæ repugnet in nobis fœditas, & immundities peccati mortalis; & cum Gratia habente se ad instar naturæ, seu supernaturæ, donentur nobis permanenter ad instar potentiarum supernaturalium habitus infusi virtutum omnium, quibus reddimur habitualiter intrinsecè potentes honestè supernaturaliter operari, imitando mores divinos. Hic enim est modus specialis participandi imitative divinam Naturam proprius Gratiæ habitualis, & formarum, quibus per se competit ratio sanctitatis: quamvis aliquibus, vt Vnioni Hypostaticæ propter maiorem perfectionem, & puritatem ex proprijs differentijs conveniat perfectior puritas, scilicet, à peccatis etiam venialibus: quia perfectiores participationes divinitatis sunt.

27 Obiectioni, quæ hic fieri posset, de actu supernaturali credenti ex revelatione, nullum in subiecto adesse peccatum, & omnes adesse habitus virtutum, occurrimus satis *sect. 2. num. 14.* Nostram explicationem tenent Esparza cit. & Haunol. *tract. 3. cap. 1. contr. 7. 3.*

Esparza. Haunol.

SE-

SECTIO III.

Quomodo Gratia habitualis sit Amicitia cum Deo: & an hæc esse possit sine Gratia intrinseca.

Trident. 28 **T**RIDENT. *sess. 6. cap. 7.* docet, hominem per Gratiam iustificantem fieri de inimico amicum Dei: & est phrasis obvia in Scripturis. Vndè Theologi Gratiam idemtidem compellant Amicitiam hominis cum Deo. Quod indiget explicatione.

Aristot. 29 Obstare videtur in primis Aristoteles, dicens, amicitiam non esse nisi inter æquales: quomodo ergo inter Deum, & hominem infinitissimè inæquales. Sed respondetur, Philosophum loquutum purè philosophicè, & prout in plurimū ex humanis: vbi, altiōres dedignantur amicitias infimorum: quamvis & in humanis possit etiam quandoque intercedere inter inæquales amicitia: vt à priori ostendit Arriaga *num. 4.* Vndè in Deo benignissimo, ac benevolentissimo Principe non pugnat cum infinitâ superioritate amicitia vera erga homines infinitè inferiores.

Arriag. 30 Obstare videtur secundò ratio creatæ servitutis ad Dominum supremum: quia inter servum, & Dominum repugnat amicitia. Sed respōdetur, quod, quamvis concedatur repugnare cum servitute legali, conditionali, ac vili inter homines: quippè eo ipso, quod verè diligenter servum, eum manumitterent; nõ tamen cum servitute naturali, essentiali, & ingenua Iustorum erga Deum; à qua nequeunt manumitti.

31 Obstet denique difficultas explicandi verum modum, quo Gratia dici potest, & est amicitia hominis cum Deo. Quocirca certa sunt duo. Primum, ad amicitiam non sufficere, quod duo habeant potestatem diligendi se propter se: hoc enim præcisè nõ est esse; sed posse esse amicos: & propter hoc habitus charitatis Dei non sufficit ad amicitiam cū Deo: quia solum importat eiusmodi potestatem. Secundum, nec requiri, quod actu se diligant propter se: homines enim vocamus amicos, etiam quando actu non se diligunt: non enim est semper amicitia in actu secundo amandi, & redamandi. Vndè, quod Gratia habi-

tualis, quæ per modum habitus est, nec sit dilectio, qua diligimus Deum, nec qua diligimur à Deo, non tollit, quominus dicatur, & sit amicitia hominis cum Deo.

32 Est ergo, verèque dicitur Gratia, Amicitia hominis cum Deo, quia ex vna parte repugnat cum offensa Dei; & ex alia parte constituit hominem in statu, quo est potens amare Deum propter se, & dignus amari à Deo amicabilem ob pulchritudinem, & perfectionem, quæ ipsi per Gratiam inest. Hoc enim est, quod desiderabatur ex parte hominis, & complet amicitiam: nam ex parte Dei iam præcedit summa amabilitas propter se; & propensio ad bene volendum, & bonum optandum homini. Per omnia enim ista intelligitur vtrinque, homo bene dispositus erga Deum; & Deus erga hominem ad reciprocã benevolentiam amicabilem.

33 Hoc autem sufficere ad rationem veræ amicitiae habitualis, patet ex humanis. Quamvis enim ad amicitiam duorum non sufficiat, quod alter possit alterum diligere propter se; cum tamen non requiratur, quod actu semper se diligant; sufficere debet, quod vterque possit alterum amare propter se, sitq; bene moraliter habitualiter dispositus animo ad alterum sic amandum; dignusque sit, qui similiter ab altero redametur; optando, & procurando alteri bonum, quia alteri bonum est: vndè oritur mutua bonorum ad invicem communicatio iuxta illud: *Amicorum bona sunt communia.* In hac bonorum communicatione datur magis, & minus, secundum circumstantias morales, sicut in ipsa amicitia. Præter hæc requirunt alij ad veram amicitiam, mutuam amicorum notitiam de alterius animo, sic bene erga se disposito.

34 Quæ diximus de mutua duorum amicitia constare videntur ab experientia inter homines. An verò dari possit amicitia non mutua; ita scilicet, vt vnus amet amicabilem alterum, ex parte sui non amicum; sunt qui affirmant; sunt qui negent, apud Coninc *dispnt. 41. de Charit. num. 89.* De re videtur, dari posse in vno benevolentiam illam amicabilem erga alterum, non sic reciprocè benevolentem; nec dispositum ad sic benevolentem; de nomine; an hoc seorsim

Coninc.

me

mereatur nomen amicitia. Et videtur absolute quod non : quia absolute amicitia dicit mutua duorum benevolentiam, saltem habitualement, modo explicato.

35 Inferuntur tria confectionaria. Primum, hanc cum Deo amicitiam per Gratiam habitualement inesse quoque dormienti Iusto, sicut & infanti : ad modum, quo agnoscimus veram amicitiam inter homines, illosque proprie vocamus amicos, etiam dum nec se actu amant, nec de se cogitant. Quod autem Deus semper actu diligat amicos: est supra rationem amicitia, & ex speciali perfectione Dei. Secundò, perfectius multo quam inter duos homines dari inter hominem, & Deum amicitiam : hæc enim est donum physicè homini inhaerens, eumque intrinsecè decorans, & eximie depulcrans: quod non secum affert amicitia humana, nixa sæpè in extrinseca dumtaxat moralitate actuum benevolentia præteritorum, & non retractatorum. Tertium, quod si per possibile, vel impossibile infunderetur Gratia bruto, seu petra, non denominaret amicum; quia essent subiecta incapacia huius denominationis: amicitia namque non est nisi rationalium.

36 Suboriuntur totidem dubia. Primum: an volitio illa antecedens, qua vult Deus infundere Gratiam homini, sit iam amor, & dilectio amicabilem Dei erga hominem. Secundum: an liber sit Deus ad se iungendam dilectionem suam amicabilem ab homine habente Gratia. Tertium: an sine infusione Gratia posset dari amicitia inter hominem, & Deum, sicut diximus disp. 13. posse iuxta aliam Dei legem dari remissionem peccati per condonationem Dei extrinsecam sine infusione Gratia.

37 Circa primum legantur Suarez lib. 6. cap. 1. Valquez disp. 205. cap. 2. Amicus disp. 32. sect. 3. Ripald. disp. vlt. sect. 37. & Ovied. contr. 3. punct. 4. ex quibus componere vellem in re dissidium, quod videtur esse de nomine. Aliud est, aliquem actum pertinere ad aliquam virtutem entitativè sumptam; aliud est, absolute, & ethymologicè sortiri denominationem talis virtutis: ut in multis actibus virtutum Spei, & Pœnitentiæ distinximus Tom. de Christo, disp. 14. de Incarnat. sect. 8. & 9. Facile concedam, volitionem illam infusionis

Gratia, præcedentè ad infusionem Gratia, pertinere aliquomodo ad virtutem ipsam amicitia; cum sit iam velle homini benevolentissimè bonum, quo fiat Dei amicus: virtutes autem, ut ex Scoto benè probat Ripalda, respiciunt suum obiectum pro diversis statibus, desiderando absens, & gaudento præsentem, procurando fieri, & fruendo in facto esse: hæc enim statuum differentia non solent diversificare specie virtutes. Secundum hanc ergo latitudinem potest illa divina volitio infundendi amicitiam dici, pertinere iam ad virtutem amicitia, & dici initiative amicitia. Cæterum dilectio amicabilem Dei erga hominem, quæ absolute est, & dicitur actualis amicitia, non est illa volitio infundendi Gratiam; sed est affectus divinus subsequutus ad infusionem Gratia: cuius intrinsecè dignitatis intuitu complacet sibi Deus in homine, quia sic digno; illumque amicabilem benevolentia affectu prosequitur. Sic intelligendum existimo P. Suarez ubi supra.

38 Circa secundum, Scotus, & quotquot aiunt, Gratiam non iustificare ex natura sua, docent, ex natura rei posse Deum liberè, stante entitate Gratia habitualis in homine, non diligere hominem amicabilem; secus de lege Dei. Arriaga, & alij id indicant possibile de potentia absoluta. Iudico tamen, nec de potentia absoluta id esse possibile, cum Amico, Ant. Perez, Caspensi, Ribaden. & alijs communius, quos in hoc sequitur R. P. N. G. Thyrsus disput. 11. num. 50. quamvis è contra doceat posse Deum non odisse hominem odio inimicabili, stante peccato: de quo molitur acutum disparitatem: quæ tamen nos non egeamus. Imò sumimus à paritate rationem. Nequit Deus se iungere ab homine cum peccato odium suum inimicabile: ergo neque dilectionem suam amicabilem ab existente in Gratia. Vtrumque enim provenit non tam à creatâ bonitate, & pulchritudine Gratia, quam ab increata, & infinita reatitudine divina voluntatis, per se, & ex propria bonitate ad id necessitatissimæ. Antecedens colligitur ex verbis Sap. 14. similiter odio sunt Deo impius, & impietas eius. Similiter inquam, id est ex æquo, ut vertit ex Græco Cornelius: cum discrimine tamen, quod Deus odit peccatum propter se odio abominationis,

Scotus. Ripald.

Suarez.

Scotus.

Arriaga.

Amic. Perez. Caspen. Ribad. R. P. N. G. Thyrsus.

Sap. 14.

Alap.

S. Thom. Vasq. P. N. G. Thyrsus.

Suprà disp. 18.

Ripalda.

Arriaga.

nis, nullo admixto amore peccati, peccatorem verò odit propter peccatum, non quidem odio abominationis, de quo est illud: nihil odisti eorum, quæ fecisti; ut explicat S. Thom. quest. 28. de Verit. art. 2. & cum Valquez R. P. N. G. Thyrsus disp. 8. num. 53. sed odio inimicitia: cum quo stare nequit amor amicitia, & certa communicatio bonorum; benè tamen amor aliqualis benevolentia, aliqua adhuc bona volens peccatori. Odiū igitur suum inimicabile nequit Deus se iungere à peccatore, ratione scditatis peccati; sicut nec odium abominationis, à peccato: sic ergo nec dilectionem amicabilem à iusto ratione pulchritudinis Gratia; sicut nec complacentiam à Gratia. Nec proinde quidquam derogatur libertati divina. Potens enim manet semper liberrimus Deus, non sic odisse peccatorem, aut tollendo, aut non permittendo peccatum: aut non sic diligere iustum, auferendo Gratiam permissio peccato, ut explicuimus disp. præc. sect. 5. Nec obstat, sic necessariò affici Deum infinitum erga bonitatem, & pulchritudinem Gratia creatam, & finitam. Nam hoc non tam est, sic necessitari à bonitate creata finita, quam ab infinita bonitate sua: sicut necessitatur Deus non amare peccatum, & non odisse virtutem, non obstante earum finitate: ad quæ tamen non sic necessitatur homo: quia non ita bonus est. Dices: ergo non posset Deus velle annihilare hominem iustum: quod videtur adversari absolutissimo dominio Dei. Negatur communiter consequentia, ex Ripalda tom. 3. disp. 12. sect. 13. num. 151. quia hoc non esset coniungere malum illud destructionis exercita cum existentia hominis in Gratia. Fortè dici posset id non posse Deum, nisi permittendo peccatum: salvari autem perfectissimè Dei dominium per libertatem divinam absolutissimam permittendi, vel non permittendi pro libito suo peccatum.

39 Circa tertium P. Arriaga, quem graves Neotherici facile nimis sequuti sunt, respondet affirmativè, loquendo iuxta aliam Dei providentiam. Primò: quia posset Deus per extrinsecam condonationem remittere peccatum: ergo per alios actus suæ voluntatis posset facere iustum, & amicum: aut cur non ita? Secundò: quia per peccatum Adami, ne-

bis physicè non inhaerens, efficitur mali, verèque peccatores: ergo possemus fieri iusti, boni, & amici Dei sine forma physicè nobis inhaerente. Tertio: quia inter homines datur amicitia, sine forma physicè intrinsecè habituali, in qua consistat: ergo posset sic dari inter Deum, & homines. Quarto, & præcipuè à priori: quia ad amicitiam hominis cum Deo non requiritur actu diligere Deum, ut patet in Parvulis: sufficit ergo carere peccato, & habere ius ad hereditatem aeternæ vitæ, & hominem esse potentem diligere Deum, & exercere actus supernaturales omnium virtutum: in quo stat ratio reatitudinis universalis. Sed totum hoc est dabile sine forma homini intrinseca: ergo sine hac, ac proinde sine Gratia habituali dabilis esset amicitia supernaturalis hominis cum Deo. Minor probatur: quia in primis à peccato immunis esse posset homo, aut per decretum divinum non permittendi peccatum, aut per extrinsecam condonationem peccati commissi. Deinde per decretum, & promissionem divinam Gloriam, habere posset ius ad Gloriam, & ad communicationem summi boni. Præterea per decretum ipsi applicans extrinsecè specialiter Omnipotentiam in actu primo ad actus supernaturales omnium virtutum, donec eiusmodi assistentiam per peccatum demereretur, fieret non minus quam per habitus infusos, potens in actu primo supernaturaliter operari, & incompossibiliter cum peccato iuxta naturam talis decreti. Nihil enim horum repugnat ex natura rei, præsertim iuxta nostras doctrinas de remissibilitate peccati absque forma intrinseca Gratia habitualis. Nihil ergo deesset, quo minus talis homo sic extrinsecè constitutus absque infusione Gratia habitualis, diceretur, & esset iustus, & amicus Dei, dum non peccaret. Alias rationes omitto, quia leviores, & solutu faciliores.

40 His tamen non obstantibus Ant. Perez fusè id exagitant disp. 4. cum P. Suarez, & alijs, quos ibi citat, stat pro communiore sententia: cum qua impossibile quoque iudico, hominem fieri iustum, sanctum, & amicum Dei absque Gratia intrinsecè infusâ. Sic enim magis discendimus à dogmatibus Hæreticorum, magisque adhæremus doctrinis Tridentini de iustificatione impij reddente de inimico

Perez. Suarez.

mico amicum Dei per Gratiam nobis inherens; cum nec possibile afferamus oppositum. Et ratio mihi est: quia, quamvis vnus, vel alter effectus Gratiae intrinsecæ, reddentis hominem de peccatore iustum, & de inimico amicum, posset præstari per quid extrinsecum, vt bene præstant seorsim rationes contrariæ; at hominem esse absolute iustum, & amicum Dei in sensu verè Theologico, Scripturis, Concilijs, & Sanctis PP. familiariter, aliquid essentialiter importat, quod non nisi per formam homini intrinsecam haberi potest, nec posset: ergo amicitia hominis cum Deo in nulla lege stare posset absque Gratia intrinsecâ.

41 Ratio antecedenti est: quia ad conceptum verè iusti, & amici Dei, nec sufficit, non habere peccatum, vt patet in pura natura; nec sufficit, esse potentem operari supernaturaliter actum amicitiae, seu charitatis perfectissimæ, vt expendimus *disp. 15. sect. 2.* nec sufficit Deum decreuisse, aut promississe homini Gloriam: omnibus enim prædestinatis illam decrevit, & aliquibus expressius, & absolute promissit, qui postea peccaverunt facti iniusti, & inimici; & tandem illam consequuti sunt: sed requiritur ulterius, quod homo ex natura sua non ita bonus, nec pulcher, nec ob suam bonitatem, & pulchritudinem dignus amabili Dei dilectione, taliter positivè bonificetur, ac depulchretur, vt verè dignus fiat diligi à Deo amicabilem. Hoc autem sine forma intrinsecâ depulchrante, bonificante, & dignificante prorsus implicat: sicut & parietem dealbari sine albedine, quamvis sine albedine posset carere nigredine; & hominem depulchrari per alterius pulchritudinem sine pulchritudine in se recepta, quamvis nihil in se recipiens posset carere foeditate: & sicut fieri bonum per alterius bonitatem, sine bonitate, aut secum identificatâ, aut secum intrinsecâ coniunctâ. Sic ergo implicat, hominem, qui per se, nec ita iustus, nec pulcher, nec bonus est, vt dignus sit diligi à Deo amicabilem, effici talem absque formâ, & pulchritudine Gratiae sibi superfusa.

42 Ad primam rationem contrariam negatur consequentia. Sicut ex eo quod ad reddendum non frigidum sufficiat extrinsecâ tolli frigus; non inferatur, ad reddendum calidum non requiri

in esse intrinsecâ calorem: hæc enim est denominatio positiva, requirens, poni formam in subiecto: & talis est denominatio iusti, & amici Dei; illa verò est denominatio negativa, ad quam sufficit quomodocumque tolli formam. Dices, esse quoque denominationes positivas, vt esse cognitum, & visum per formas extrinsecas. Fateor: at sunt etiam aliquæ non nisi per formas intrinsecas, vt esse pulchrum, calidum, album. Si autem quæras, cur esse iustum, & amicum Dei sit potius ex istis, quam ex illis? quæram eodem iure à te, cur potius ex illis, quam ex istis? Ratio sumenda est ex naturis rerum: & mihi sufficit quod iustitia, & amicitia Dei est animæ bonitas, & pulchritudo: & quoad intrinsecitatem naturæ sunt imitari potius pulchritudinem, & bonitatem materialem: nemo autem dicitur pulcher, & bonus, & propterea dignus amicabilem amari per pulchritudinem, & bonitatem extrinsecam, & alienam.

43 Ad secundam dico, per peccatum Adami nos fieri malos, & peccatores non physicè, sed moraliter: moraliter autem, quamvis non physicè iam est nobis intrinsecum, vt potè actus moraliter noster, peccatum Adami: quatenus nostræ voluntates fuerunt moraliter constitutæ in Adamo peccante, tanquam in capite. Hoc autem modo concedâ, quod similiter possemus reddi boni moraliter ab actu bono obedientiæ Adamicæ similiter nobis intrinsecâ moraliter, quatenus esset moraliter actus noster. At bonitas, & pulchritudo, reddens nos sanctos, dignosque amari à Deo amicabilem, est bonitas, & pulchritudo physica, non sic denominans nisi subiectum, cui physicè inest. Sicut, si post obedientiam Adami, ipsi soli infunderetur Gratia, ipse solus esset sanctus, iustus, & amicus Dei; non verò nos, nisi nobis quoque Gratia similis physicè infunderetur.

44 Ad tertiam, concessio antecedente, negatur consequentia: ob discrimen amicitiae divinæ, & humanæ, quod tetigimus supra. Do nunc rationem: quia homines ex naturis suis sunt capaces mutuae amicitiae, ideòque non requiritur illud physicum habituale, vt vnus alteri proportionetur. Homo tamen, & Deus infinite distant; ideòque homo, ex natura

SECTIO V.

Quomodo Gratia habitualis sit Filiatio Dei adoptiva.

natura sua ineptus, & non dignus diligi à Deo amicabilem, indiget elevari ad hanc dignitatem per pulchritudinem supernaturalem Gratiae, quæ est supernaturalis participatio divinæ naturæ. Ad modum, quo corpus exanime ineptum est sicut brutum, diligi amicabilem ab homine: nec reddi potest dignum, & aptum, nisi per animam intrinsecè informetur. Sic ergo anima sine Gratia est quasi spiritualiter, & supernaturaliter exanimis iuxta illud, quod sicut anima est anima corporis, sic Gratia est velut anima animæ. Vnde respectivè ad dilectionem amicabilem Dei, nec est apta, nec digna, sed veluti cadaver, donec vivificetur, habilitetur, & dignificetur per Gratiam physicè illi unitam, sicut anima corpori.

45 Ad quartam, concessio antecedente, negatur consequentia. Ad amicitiam enim cum Deo requiritur præterea, quod amicus propter bonitatem, & pulchritudinem in eo relucens aptus, dignusque sit amari amicabilem à Deo: quod nec habet homo ex natura sua, vt supponimus; nec habere posset per ea decreta Dei sibi extrinsecâ; quia nõ reddunt hominem pulchrum, bonum, dignumque sic amari; sed Deum, cui insunt: ac proinde nõ nisi per pulchritudinem, bonitatem, & dignitatem physicam Gratiae ipsi homini inherens. Vnde, concessâ minori subsumptâ cum omni sua probatione, nego consequentiam. Monendo tamen, quod illud ius ad gloriam nixum decreto, & promissione divinâ, non esset sicut ius proprium Gratiae: istud enim est physicum fundatum in intrinsecâ dignitate, & pulchritudine Gratiae, & facit hominem intrinsecè dignum, & aptum amicabilem amari à Deo; illud verò est homini prorsus extrinsecum, nullam refundens in hominem pulchritudinem, & bonitatem, qua reddatur dignus amari amicabilem à Deo: nam præcisè promissio divina non facit bonum promissarium, sed promissorem; & tamen fundat aliquod ius ad rem promissam.

(†)



46 **I**USTIFICATIO ex Trident. sess. 6. cap. 7. est, translatio ad statum adoptionis Filiorum Dei. Vnde certum esse debet, & apud Suarez. lib. 7. cap. 2. tanquam de Fide, per Gratiam fieri nos Filios Dei adoptivos; ac proinde Gratiam erga nos esse Filiationem adoptivam Dei. De hac adoptione dixi multa *disp. 9. de Incarn. sect. 4.* Ex ibi dictis, Adoptio, vt declarat Sanchez lib. 7. de Matrim. *disp. 63.* est, Extranea Persona in Filium assumptio.

47 Generalius, & largo quodam modo omnes homines dicuntur Filij Dei: quem vtique omnes, etiam peccatores, invocant: *Pater noster*: quatenus Deus Paternâ quadam providentiâ curat, & omnes homines vult salvos fieri. Non loquimur de hac laxissima Filiatione, communi etiam peccatoribus; sed de specialiori, & propria Iustorum. Cuius varias explicationes referunt Ripald. *sect. 10.* & Amic. *disp. 31. sect. 1.*

48 Placere nobis non potest explicatio P. Lessij allegati *sect. 3. num. 20.* qui ad modum, quo ibi explicabat participationem divinæ naturæ per Gratiam, explicat hæc specialem rationem Filiationis adoptivæ Dei per eandem Gratiam: quasi Gratia non sit, nisi velut vinculum; forma autem denominans nos Filios Dei adoptivos sit ipsa Dei Natura nobis per Gratiam coniuncta. Inconvenientia huius doctrinæ dedimus ibi. Nunc dabimus eius fundamentum cum nostra responsione.

49 Fundamentum autem est. Quia homini, dum iustificatur, donatur non solum Gratia; verumetiam ipsa Natura Spiritus Sancti, & aliarum Personarum, vt habet S. Thom. 1. part. *quæst. 45. art. 3.* iuxta promissum Christi Ioan. 14. *ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus* ergo quia ipsa Dei Natura, & Persona Spiritus Sancti est quæ denominat nos Filios adoptivos per Gratiam, tanquam per unionem, & non tanquam per formam tantæ denominationis. Respondetur tamen, concedendo antecedens eum debitâ explicatione, quæ non coincidat eum Magistro sententiarum in 1. *dist. 17.* & negando consequentiam. Nam, vt

Ddd expli-

Trident.

Suarez.

Tom. de Christo, disp. 9. Sauch.

1. Tim. 3.

Ripald. Amic.

Lessij.

S. Thom. Ioan. 14.

Magist.

explicat ipse S. Thom. illa donatio Spiritus Sancti per Gratiam non est utcumque vno ad Personam Spiritus Sancti, vel ad Naturam divinam, tanquam ad formam, quâ denominemur Filij Dei: sed est affectiva cum Deo coniunctio: non in actu secundo affectivo, cum Gratia habitualis, nec sit formalis ipsa dilectio divina, nec nostra; sed habitualiter in actu primo, quatenus facit nos Deo diligibiles, & dilectores, seu dilectivos. Vt cuius coniunctionis, quæ est forma nos denominans amicos, & Filios, donatur animæ Spiritus Sanctus; non ut forma, nec per modum informationis; sed ut terminus formæ sanctificantis, & per modum specialis inhabitationis Dei in anima iusti: quo videlicet speciali titulo esset in ea tanquam in domo amici, quamvis titulo generali suæ immensitatis non esset ubique. Non igitur donatur animæ iustæ per Gratiam Spiritus Sanctus, ut forma informans, & nos formaliter sanctificans; sed ut amicus inhabitans ratione Gratia, quæ est forma nos formaliter sanctificans, sicque nos Deo specialiter affectivè habitualiter coniungens amicabiliter, & filialiter. Ad hunc modum, ut rem explicem, prout ad evitandam sensum Magistri maximè oportet, amor qui est forma amandi est coniunctio affectiva actualis amantis ad amatum: non quidem ad amatum ut ad formam, sed ut ad terminum formæ sic formaliter coniungentis amantem cum amato, ut eo titulo specialiter adhæreat amanti: sic cognitio, quæ est forma cognoscendi, est coniunctio repræsentativa cognoscentis cum obiecto cognito, non ut cum forma, sed ut cum termino formæ sic coniungentis cognoscentem cum cognito, ut eo titulo fiat illi specialiter prærens.

50 Vera igitur intelligentia Filiationis, quæ per Gratiam constituimur formaliter Filij adoptivi Dei, fundatur in participatione, & consortio divinæ Naturæ explicato *sect. 3.* Quatenus nempe per id homo, alioquin Deo extraneus, assumitur à Deo voluntariè, ac benivolenter per donum Gratia desuper infusa ad elevatissimam illam similitudinem, & participationem divinæ Naturæ cum intrinseco iure ad Paternam hereditatē vitæ æternæ, quæ est Dei possessio. Idcirco infusio Gratia vocatur identidem in

Scripturis spiritualis hominis *Regeneratio*: qua scilicet homo renascitur Filius Dei adoptivus, & Hæres vitæ æternæ.

51 Utium constituere Filium adoptivum habeat Gratia ex natura sua physica; an ex favore extrinseco Dei, resolvendum est per id quod discussimus *disp. 14. sect. 5.* Diximus ibi cum communiore sententia, Gratiam ex natura sua iustificare. Sicque dicimus nunc consequenter, ex natura etiam sua esse Filiationem Dei, & constituere Filium adoptivum subiectum capax huius denominationis. Dixi: *subiectum capax*: quia, si subiectum sit incapax denominationis Adoptivum, ut Christus, qui, cum non sit Persona Deo extranea, sed intranea, nec est, nec dici potest Filius adoptivus Dei; in eo casu, quamvis Gratia habitualis infundatur tali subiecto, ut infusa fuit Christo, non denominat Filium adoptivum, ut vidimus *loc. cit. de Incarn.*

52 Dices. Si Gratia est ex se Filiatio adoptiva: ergo est in Christo Filiatio adoptiva. Non conceditur illatio absolutè, ne videamur Christum asserere adoptivum, cōtra quod ex Francofurtensi tenuimus latè *loc. cit. de Incarnat.* Loquerer itaque cum distinctione: datur in Christo filiatio adoptiva, denominans ibi Filium adoptivum, nego: quæ alibi denominaret filium adoptivum subiectum capax talis denominationis, concedo. Sic nec lapidem denominaret Filium, nec amicum: quia non est subiectum rationale.

53 Occurrit hic difficultas similis alteri, quam agitabamus *sect. præc.* circa amicitiam: an scilicet iuxta aliam Dei legem posset homo constitui Filius adoptivus Dei absque Gratia intrinsecâ, per solam scilicet extrinsecam adoptionem divinæ voluntatis; sicut in humanis homo hominem legaliter adoptat? Consequenter ad dicta de amicitia respondendum iudico negativè. Quia, quavis verum sit, quod Deus sine infusione gratia posset hominem destinare ad hereditatem Gloriam; non tamen hoc sufficit ad adoptionem: cum etiam apud homines separabilia sint esse hæredem, & esse Filium. Requiritur ergo, quod ius ad hereditatem fundetur in Filiatione, aliquid amplius dicente præter ius ad hereditatem præcisè. In ter homines dicit specialem voluntatem adoptantis munitam legibus: quin requiratur infusio

Suprà
disp. 14.

Franco:
furt.

ho qualitatis intrinsecæ in adoptatum: eo quod ab intrinsecis suis sunt iam similes in natura: cuius similitudinis defectu non posset homo adoptare feram; nec fortè Angelus hominem. Cum autem Deus, & homo sint ex intrinsecis suis dissimillimæ naturæ, ut homo fiat adoptabilis à Deo, debet supernaturaliter consimilari Deo per participationem: & hoc præstat Gratia, quatenus est participatio supernaturalis, & consortium divinæ naturæ. Quoniam verò hæc participatio per modum naturæ haberi nequit sine Gratia habituali, aut sine alia forma intrinseca sanctificante, & elevante hominem ad consortium divinæ naturæ; idè sine huiusmodi formâ intrinsecâ per nullam voluntatem purè extrinsecam constitui posset homo Filius adoptivus Dei, quamvis posset constitui hæres Dei cum iure ad gloriam ex divina promissione.

54 Objici potest, quod ait Concil. Francofurtense in Epist. ad Episcopos Hispaniæ: *Quid est adoptio, nisi charitatis copulatio, quâ Pater adoptione sibi copulat Filium, quem per generationem non habet.* Ergo adoptiva Filiatio Dei stat potius in affectu voluntatis extrinsecæ acceptantis, quàm in infusione intrinsecæ Gratia. Non est ergo, cur absque Gratia intrinseca non posset Deus constituere sibi Filios adoptivos per voluntatem suam nobis extrinsecam. Respondetur, negando utramque cōsequentiam. Quavis enim præcedat voluntas Dei ad infundendam Gratiam intrinsecam, quæ infusio est adoptio; & subsequatur Paternalis Dei affectus erga Filium sic intrinsecè adoptatum; formalis tamè adoptio est formalis Gratia infusio; illa verò voluntas præcedens est formalis volitio adoptandi; non verò formalis adoptio; sed causalis: nec est formalis adoptio affectus ille Paternalis subsequens; quippè illam supponit, quando hominem ut Filium amat. Omnia, inquam, hæc importat Dei adoptio: sed infusionem Gratia de formali; voluntatem infundendi præsuppositivè, & affectum Paternalem subsequutum de consequenti. Et quia hæc omnia secum importat hominis adoptio in Filium Dei, dixit optimè Concilium, esse *copulationem charitatis*, quia à voluntate benevola Dei procedit, & Paternum Dei amorem erga Filium

per infusionem Gratia adoptatum importat: quin proindè negat Concilium, Filiationem adoptivam Dei consistere formaliter in infusione Gratia intrinsecæ in Personam Deo extraneam.

SECTIO VI.

Quomodo Gratia sit Ius ad hereditatem Gloriam vitæ æternæ.

55 **G**RATIAM constituentem nos Filios adoptivos Dei, ac proindè hæredes vitæ æternæ, quæ est Dei possessio, esse aliquomodo ius ad Gloriam, non dubitamus. Sed est dubium, quale sit istud ius?

56 Certum est, non esse ius condignitatis meritoria ad Gloriam, ut præmium, & coronam, quale est in illis iustis, qui propria merita exercuerunt: nam in Parvulis quoque datur Gratia cum iure ad Gloriam; non tamen, ut coronam, cum nihil meruerint; sed ut hereditatem intuitu Filiationis adoptivæ. Certum est etiam, non esse ius ex sola extrinseca promissione Dei: quia sola promissio non est titulus iuris ad Gloriam, ut hereditatem: sed, ut ex fidelitate debitam.

57 Est ergo Gratia ius ad Gloriã, ut hereditatē Dei, titulo Filiationis adoptivæ, quæ est Gratia habitualis, transfrens nos in iustificatione *ab statu peccati in statum Gratia, & adoptionis Filiorum Dei*, ut loquitur Trident. *sess. 6. cap. 4.* dicente Apostolo Rom. 8. *Si autem Filij, & hæredes: hæredes quidem Dei; cohæredes autem Christi.* En quomodo ex Filiatione adoptivâ per Gratiam, quam multis adstruit in eo capite, infert ius ad hereditatem: non quidem possidendam, sicut inter homines, post mortem Patris; cum hic sit immortalis; sed è converso post mortem filij temporalem. An verò ius istud sit ius strictæ iustitiæ; an iustitiæ laxæ, & improprie dictæ, pendet à thesi de iustitiâ strictâ Deum inter & homines, quam in genere discussimus *disp. 10. de Attrib.*

58 Ius istud ad Gloriam, ut hereditatem conferendam perseveranti in Gratia ad finem vsque vitæ, sive viæ, potest dupliciter intelligi. Vno modo de iure dumtaxat connaturalitatis; quatenus nempe ea sit proportio inter Gratiam, &

Trident.

Rom. 8.

Tcm. de
Deo, dis-
put. 10.

Gloriam, ut nequirit Deus connaturaliter agendo, & de potentia ordinaria denegare Gloriam perseveranti in Gratia; bene verò divinitus per potestatem absolutam. Alio modo, de iure connexionis essentialis, taliter, ut nullatenus posset Deus Gloriam sic perseveranti denegare, coniungendo perseverantiam in Gratia, cum omnimodâ denegatione Gloriæ. De quo Ripald. *sect. 10.* & Amicus *sect. 4.*

Ripald.
Amic.

59 Communiore sententiæ placet primus modus. Aliquibus verò apud Amicum non satisfacit nisi secundus modus: quippe magis commendat dignitatem Gratiæ. Cui paucorum sententiæ non parum favet discursus Haunoldi *cap. 1. contr. 6. à num. 683.* & facile adherere. Quia Gratia sanctificans est veluti promissio Dei ex intrinsicis suis de Gloria conferenda: & divinum sigillum, seu signaculum spirituale, & supernaturale Gratiæ conferenda: ut ex Haunoldo dicebamus *disp. 16. num. 21.* Gratiam esse quasi sigillum, & signaculum animæ intrinsicè impressum divinæ remissionis. Omnino autem, & ab intrinsicis implicat, eiusmodi sigillum à Deo Authore summo Gratiæ impressum falsificari; non minus quam falsificari actum nostrum supernaturalem; aut extrinsecam Dei promissionem: ergo omnino implicat, hominem in Gratia perseverare, & nunquam pervenire ad hæreditatem Gloriæ: sicque ius istud ad Gloriam, ut hæreditatem, est intrinsicum, & essentialiter connexionem cum hæreditate Gloriæ aliquando possidendâ. Unde rectè conclusit Haunold. *num. 688.* quod ipsa Dei voluntas conferendi Gratiam, sicut est volitio remittendi tunc peccatum per Gratiam, est etiam volitio volens, mediante Gratia, ordinate hominem in ea perseverantem ad æternam felicitatem.

Haunol.

Suprà
disp. 16.
sect. 2.

Haunol.

60 Obijciunt primò, sic derogari Dei dominio, ac libertati in distributione suorum donorum. Sed ad hoc responsum est non semel in similibus præsertim *sect. 4. num. 42.* & *disp. 16. num. 51.* Ex quibus hic denuò dicimus, per hæc nihil derogari verò dominio Dei; sed negari Deo dominium chimericum. Sicut nec per connexionem essentialiter promissionis extrinsecæ Gratiæ cum non denegatione Gloriæ.

Suprà
disp. 16.
sect. 5.

61 Obijciunt secundò: iustus merens non ita sit condignus Gloria, ut non egeat pacto Dei extrinsecò, ad illam condignè merendam in actu secundo. Ergo nec iustus per Gratiam acquirit ius ad Gloriam ita strictum, ut, semotâ promissione extrinsecâ non posset illi à Deo denegari. Respondetur, verum esse antecedens ex dicendis *disp. 29. de Merito sect. 1.* Negatur tamen consequentia ob rationem clarâ disparitatis. Quia actus noster meritorius non est promissio divina Gratiæ; cum non constituat nos Filios, sed supponat. Gratia verò est Filiatio Dei adoptiva intrinseca, ideòque ius intrinsecum ad hæreditatem, & quasi intrinsecum Dei signaculum hæreditatis non denegandæ, nisi per novum peccatum illam demereamur. Præterea: valor meritorius nostri operis condigni pensatur ex morali coæquatione cum præmio: quæ coæquatio nulla esset ad præmium de iure exigendum, si Deus veniet eadem opera exigere, ut potest, ex multis alijs titulis, qui evacuarent totum valorem nostrorum operum, secluso omni præmio: ideòque, ut eorum valor coæquetur præmio, requiritur extrinsecus saltem Dei favor non insumedi omnem operum valorem in alijs titulis explendis. At ius ad gloriam fundatum in Gratia non est ius meritorium; sed physicum, titulo physico Filiationis adoptivæ Dei: ideòque non pendens à circumstantijs illis extrinsecis coæquationis moralis eum Gloria. Sic etiam in humanis Filius, quicumque sit, habet ius, nisi postea legaliter demeratur, ad hæreditatem Paternam: quamvis dispares sint Filij in obsequijs meritorijs erga Patrem: & dispares sint quoque hæreditates: quia vnicè fundatur in ratione Filiationis.

Infrà
disp. 29.

62 Obijciunt tertio. Non est minùs excellens donum Gloriæ æternæ comparatione perseverantis in Gratia; quam sit donum perseverantiæ comparatione semel iusti: sed donum perseverantiæ denegari potest, sæpèque denegatur semel iusto: ergo & donum Gloriæ denegari posset iuxta aliam Dei legem perseveranti. Hinc vult Ripalda, abnudentibus alijs suæ sequelæ, Deum denegantem Gloriam perseveranti non facturum contra physicam exigentiam Gratiæ. Sed quænam, precor, esset ista amicitia Dei summi cum homine, quem absque positivo

tivo demerito excluderet in æternum à possessione summi boni, quæ est ultimus hominis finis? & cum amicitia dicat communicationem bonorum inter amicos, quomodo staret, denegatâ omnino homini pro semper felicitate possessionis summi boni, ad quod per Gratiam ordinatur tanquam ad ultimum finem: quo non obtento, nec unquam obrinendo, cætera bona sunt quasi nihil? His tamen prætermisiss

63 Respondetur obiectioni, concessis præmissis, negando consequentiam: quæ, si ex vera forma procederet, similiter concluderet, denegari sæpè Gloriam perseveranti in Gratia, ut melius ostendat Deus dominium in sua dona. Ratio negandi consequentiam illegitimam, est: quia Gratia, cum sit Filiatio Dei adoptiva, est ius ad hæreditatem, quæ est possessio æternæ Gloriæ, ideòque intrinseca promissio Gloriæ aliquando possidendæ, si Filius illam non demereatur; at Gratia semel habita, nec est ius ad ulteriorem Gratiam, ac proinde neque ad perseverantiam, cum hæc non sit hæreditas; nec est unde nobis persuadeamus, esse intrinsecam promissionem perseverantiæ, aut auxiliorum efficacium ad deinceps non demerendam Gratiam per peccatum; cum certò noverimus, multos iustos non perseverasse: quando nullus decedens in Gratia non obtinuit possessionem hæreditatis vitæ æternæ.

SECTIO VIJ.

Quænam excellentiâ Gratia habitualis sit ens supernaturale: & remissivè: an possit esse connaturalis substantiæ entitativa creabili.

Ripald.

64 PATER Ripalda *tom. 1. disp. 4.* constituens ens supernaturale per connexionem cum Gratia sanctificante, ponit Gratiam habitualementem ita excellenter supernaturalem, ut sit verè Caput totius ordinis, & quasi Prædicamenti supernaturalitatis: respectu cuius aliorum supernaturalitas consideranda, & dimittenda sit Non potuit nobis placere sententia ista, quam multis reieci-mus *disp. 18. de Attrib. sect. 7.*

Tom. de
Deo, dis-
p. 18.

65 Diximus ibi, & ex professo probavimus *sect. 8.* in ordine supernaturali, qui specialiter *Ordo divinus* est, Deum

undeque supernaturalissimum esse speciale caput supernaturalitatis, & per accessum ad ipsum alia esse, ac dici entia supernaturalia. Unde Deus est supernaturalis, & ipsa Supernatura per essentialitatem inter creata verò dantur Supernaturæ per participationem: quarum una est Gratia habitualis; alia, Vniò hypostatica; & alia, formalis Beatitudo: eâ nimirum ratione, quâ formæ sanctificantes sunt, & speciales participationes divinæ Naturæ, seu quatenus sunt Supernaturæ per participationem, & constituunt suos status, ad quos respectivè pertinent alia entia supernaturalia inferiora: quæ, quavis supernaturalia sint, Supernaturæ non sunt, quia non sunt formæ sanctificantes; nec sunt ad instar istarum participationes, & consortia divinæ Naturæ: quæ vnicè est Supernatura per essentialitatem, ideòque Caput totius Ordinis supernaturalis, seu divini.

66 Hinc, ut ad punctum præsens veniamus, Gratia habitualis, quæ certò supernaturalis est, & donum ordinis divini, nec est ens supernaturale ita excellens, ut sit Caput totius Ordinis supernaturalis; nec est ens utcumque supernaturale sicut reliqui actus, & habitus, qui ipsam comitantur, veluti proprietates, seu veluti accidentia naturam; sed est ens supernaturale ita excellens, ut sit una ex Supernaturis per participationem: & caput, non quidem totius ordinis supernaturalis, sed sui status iustitiæ viatorum. Hæc mihi liquida fiunt ex doctrinis à me stabilitis loc. cit. contra Ripaldam.

67 Iam ad alteram difficultatem Pater ipse Ripalda *disp. 23. & tom. 2. disp. & sect. 7.* quem multi sequuti sunt avidius, quam par esset; adstruit sententiam opinantem, dabilem esse substantiam entitativam creatam supernaturalem, cui connaturalis esset Gratia habitualis.

68 Communis tamen, & omnino tenenda sententia Theologorum est, eam esse divinæ Gratiæ excellentiam, ut nulli substantiæ entitativæ creatæ, nec creabili posset esse connaturalis: & in terminis implicare substantiam entitativam distinctam à Deo supernaturalem. Eo quod de ratione omnis entis supernaturalis, & à fortiori Gratiæ sanctificantis, est esse supra totam naturam, id est, supra totam collectionem substantiarum entitativarum

Ripald.

rum creatarum, & creabilium. Vndè, si aliqua ex ista collectione esset supernaturalis, esset quidem supernaturalis, vt supponitur; & nõ esset: quia esset vna ex prædicta collectione superandã ab omni ente supernaturali. Multa, quæ pro hoc, & contra hoc dici possunt missa facio: quia plenã manu illa dedi in genere disp. 18. de Attrib. sect. 3. 4. & 5. & in specie quoad Gratiam sanctificantem ibidem à num. 31.

Tom. de
Deo, dis-
put. 18.

SECTIO VII.

Colligitur ex dictis, & perpenditur eximia perfectio Gratia habitualis: & tandem eius exacta definitio.

69 **N**VLLVM est isto Dei Dono excellentius, ait August. ex Proverbior. 8. *Melior est cunctis opibus pretiosissimis, & omne desiderabile non potest ei comparari.* Vndè saltem datur intelligi, inter Dei Dona, quæ nobis viatoribus elargitur Deus Gratiam habitualem primum tenere. Super hoc tamen emergunt tres difficultates. Prima: an qualitas Gratia habitualis sit perfectior substantiã Animæ, vel Angeli. Secunda: an sit perfectior cunctis alijs Donis supernaturalibus. Tertia: an propterea Iustificatio impij, quæ fit per Gratiam, sit maximum opus Dei. Didici ex Patre Ripalda disp. 21. sect. 2. difficillimum nobis esse comparativè de ceteris de perfectionibus rerum: nescimus enim regulas generales dimensionales, vt plurimum perfectionis rerum. Idemq; repetit disp. 100. num. 10. dijudicans Visionem inter, & Dilectionem Beatificas.

Ripald.

70 Circa primam difficultatem, opinantur aliqui apud Ripald. disp. 21. n. 31. quodlibet ens supernaturale esse perfectius quolibet naturali: ac proinde Gratiam esse perfectiorem Angelo, & Animã. Quia supernaturale in genere est perfectius supernaturali in genere: ergo perfectior species supernaturalium, quæ est Gratia, est perfectior perfectiori specie naturalium: ac proinde Angelo, & Animã.

71 PP. Suarez, & Vasquez, quos sequuntur Ripald. & Arriag. disp. 43. sect. 3. ex opposito negant, Gratiam esse Angelo, vel Animã perfectiorem. Citant pro se S. Thom. in 1. dist. 17. quest. 1. art. 2. di-

Suarez.
Vasq.
Ripald.
Arriag.
S. Thom.

cens: *Simpliciter Anima est melior Charitate: & quolibet suo accidente subiectum.* Ait tamen Granad. id postea retractasse. Arguunt à ratione. Substantia creata in genere est perfectior accidente in genere: ergo perfectior species substantiæ creatæ, vt Angelus, & Anima, est perfectior perfectiori specie accidentis, vt est Gratia. Nam genus perfectius continere debet sub se aliquod inferius nobilius quolibet inferiori generis minus perfecti. Simili argumentatione, vt vidimus, agebat sententia contraria: vt constet, quàm sit debilis pro alterutra parte; cum utramque non magis propugnet, quàm impugnet.

Granad.

72 Pro neutra mihi videtur valere, explicatis ritè terminis. Substantiam enim in genere dici perfectiorem accidente in genere, aut est dicere, quamlibet substantiam esse perfectiorem quolibet accidente: & sic negabo: quia certè palea, vel materia prima non est perfectior Gratia. Aut est dicere, aliquam substantiam esse perfectiorem aliquo accidente; & sic concedam; sed nihil concluditur: quia est etiam aliquod accidens perfectior aliquã substantiã; cum certè Gratia perfectior sit paleã. Aut est dicere, vt rationabilius videtur, substantiam ex conceptu suo esse perfectiorem, quàm ex conceptu suo accidens, cæteris paribus; & sic libenter etiam concedam: nihil tamen inferitur, cæteris imparibus: vt si accidens ex propria differentia superaret substantiam: sic quamvis incorruptibile sit ex hoc conceptu perfectius corruptibili; cæteris paribus; anima tamen Leonina corruptibilis absolute perfectior est materiã primã incorruptibili: quia ex proprijs alijs differentijs non sunt pares. Aut est dicere, genus substantiæ continere sub se entia perfectiora, quàm genus accidentis: & sic concedet id Adversarius, comprehensis Deo, & Vnionem Hypostaticã in eo genere; & negabit de genere substantiæ entitatiuæ creatæ illos excludente: quia, inquit, sub accidente continetur Gratia, de cuius perfectione supra quaslibet substantias entitatiuas creatas disputatur.

73 Similiter respondebitur ad argumentationem num. 70. pro altera parte in varijs sensibus. Non enim quodlibet ens supernaturale est perfectius quolibet naturali; cum non sit de conceptu super-

na-

Tom. de
Deo, dis-
18. sect.
10.

naturalium superare naturam perfectione, vt scripsi disp. 18. de Attrib. num. 112. Vndè fit, pro neutra fieri probationem efficacem, nec quidem mediocrem per eas arguendi formulas.

74. Mihi non est dubium, Gratiam esse secundum quid perfectiorem Animã; & secundum quid minus perfectam. Per varia namque prædicata excedit, & exceditur. Excedit quatenus est nobilissima participatio divinæ naturæ, qui conceptus non competit Animæ. Exceditur, quia nec est intellectiva, nec substantia, quod competit Animæ. Sicque intelligitur S. Thom. quest. 110. art. 2. dicens, *Gratiam imperfectiori modo se habere in Anima, quàm Anima in se ipsa subsistat; esse tamen nobiliorem, quàm natura Anima.* Quod est præferre Gratiam secundum nobilitatem, & perfectionem entitatiuam; & Animam secundum modum existendi sine subiecto inhesionis. Hoc de re. Restat tandem definiendum absolutus modus loquendi. Vtra cunctis pensatis dicenda sit absolute, & simpliciter perfectior, Gratia; an Anima?

S. Thom.

75 Quoad hoc, cum à ratione, vt vidimus, nihil convincatur, recurrendum iudico ad Authoritates. Quibus conformior mihi videtur modus loquendi absolute, & simpliciter præferens Gratiam. Sic Molina, Valentia, Granadus, Aragon, & alij apud Ripaldam disp. 21. & Aug. & Thom. citati. Iterum August. serm. 25. de Verbis Apost. cap. 1. *Melius est, inquit, te iustum esse, quàm hominem esse: si hominem te fecit Deus, & tu te iustum facis, aliquid melius facis, quàm fecit Deus.* Iterumque S. Thom. quest. 13. art. 9. ait: *Donum Gratia esse maius, quàm bonum nature totius Vniversi.* Et 2. 2. quest. 23. art. 3. ait: *Charitatem secundum suam speciem esse præstantiorem Animã.* Et in ijs locis ait Granad. retractari à S. Thom. quod alibi dixerat.

Molina.
Valent.
Arag.
Granad.
Ripalda
August.
S. Thom.

Granad.

S. Thom.

76 Circa secundam difficultatem, ait Granad. Visionem beatificam esse quid perfectius Gratia habituali, ideòque dixisse S. Thom. Donum Gloriæ esse maius Dono Gratia. Ex dictis in Superioribus dicendum hic à nobis videtur, Gratiam habitualem esse perfectiorem præ alijs donis supernaturalibus, quæ formæ sanctificantes non sunt, ac proinde præ Lumine Gloriæ: imò & præ Visione beatificã, si forma sanctificans non

est. Quod si Visio per doctrinas memoratas disp. 15. sect. 3. est forma sanctificans, perfectior erit Gratia habituali; & vtraque minus perfecta, quàm Vnio Hypostatica, quæ vt ibidem vidimus sect. 5. forma sanctificans substantialis est. Hæc enim est perfectior, ac nobilior participatio, & consortium divinæ Naturæ, quàm Visio; & Visio, quàm Gratia habitualis non impossibilis, sicut illæ, cum peccato veniali, & cum potestate peccandi mortaliter. Sic ergo Gratia præfens habitualis, quæ de facto nobis infunditur, non est donum cunctis omnino donis supernaturalibus perfectius. An verò per aliam Dei legem possibilis foret Gratia habitualis perfectior istâ præfenti, negare videntur Ioan. Vincet. Curiel, & Torres apud Ripald. disp. 21. sect. 29. qui melius id affirmat ibi cum Granad. disp. 4. quia possibilis est purior; cum non repugnet repugnans peccato etiam veniali, & potestati peccandi.

Suprà
disp. 15.

Vincet.
Curiel.
Torres.
Ripald.
Granad.

77 Tertiam difficultatem movet S. Thom. art. 9. circa quam dico primò, Iustificationem impij comparativè ad opera supernaturalia non esse maximum Dei opus. Quia maius opus est Incarnatio. Imò & in esse physico, Glorificatio. In esse, inquam, physico: nam in affirmatione morali Iustificatio impij proit est translatio ab statu peccati, maius opus est quàm Glorificatio Iusti: vtpotè maius beneficium, maior misericordia, maiorque transitus respectu termini à quo, vt bene Arriaga disp. 48. sect. 1. Dico secundò, Iustificationem impij esse maximum Opus Dei comparativè ad opera naturalia, etiam si quoad modum supernaturalia sint, vt resurrectio mortui. Quia Iustificatio importat productionem Gratia perfectioris, vt vidimus, vniversã naturã, & suscitantis peccatorem spiritualiter mortuum per culpam. Sic S. Thom. propterea concludens, Iustificationem esse maximum opus Dei ex parte rei factæ. Addit tamen, quòd ex parte modi faciendi non est maximum opus Dei: quia multa naturalia fiunt per creationem: qui modus perfectior est modo, quo fit Gratia per educationem.

Arriag.

78 Iam demum ex hucusque dictis de nobilissimis prædicatis Gratia habitualis, definiendum venit, per quæ illorum essentialius, ac melius constituitur. Putant nonnulli, per esse radicem recti-

tu-

rudinis moralis; alia verò prædicata faciendi amicum, & Filium Dei, esse quasi de secundo. Ego tamen non video, cur in Gratia facere sanctum, amicum, & filium adoptivum Dei, sint de secundo, & consequenter ad primarium, quod sit facere moraliter rectum; potius quàm e contra. Idedque iudico, ferè omnia Gratia prædicata in præcedentibus exposita, prout ea Gratia intrinsecè adaptavimus, esse pariter essentialia. Itaque conceptus, qui ea prædicata melius comprehendat, erit definitivus Gratia.

79 Definitur ergo Gratia habitualis sanctificans: *Habitus supernaturalis reddens naturam rationalem creatam participem divinæ Naturæ.* Per hunc enim conceptum explicatur Excellentia Gratia habitualis scorsim etiam à Visione beatifica, & ab Unione Hypostatica, quæ formæ aliter sanctificantes sunt: & comprehenduntur alia prædicata Sanctitatis, Amicitia, Filiationis adoptivæ, Iustitiæ, & rectitudinis universalis, quæ in idem ferè recidunt, prout scorsim explicuimus in superioribus.



DISPUTATIO XX.

DE DISPOSITIONIBVS AD GRATIAM Iustificantem.

DISPOSITIONES Adulorum ad Iustificationem edocuit Trident. *sess. 6. cap. 6. & Can. 7. & 9* Aliæ pertinent ad intellectum, vt Fides; aliæ ad voluntatem, vt Spes, Timor, Dolor, Amor. Aliæ sunt proximæ, vt contritio perfecta, quam in eodem instanti reali sequitur infusio Gratia; aliæ, remotæ, vt Fides, & Attritio: quæ disponunt quasi initialitè; & quia secundum se non sufficiunt, requirunt alias proximiores. Aliæ sunt per se requisitæ, vt Fides, & Dolor; aliæ viles, sed non necessaria, vt actus humilitatis, religionis, eleemosynæ ex Daniel. 4. *Dani. 4. peccata tua eleemosynis redime.* Cunctas distinctim percurramus.

SECTIO I.

An, & qua dispositio præcedere de facto debeat ad infusionem Gratia iustificantis, & ad remissionem peccatorum.

NON est dubium de dispositionibus physicis: quæ scilicet præcedere debeant permanentè in Anima, sive adulti, sive parvuli ad infusionem Gratia, ad modum quo dispositio caloris ad formam ignis. Certam enim esse debet, huiusmodi dispositiones physicas non requiri ad Gratiam, vt cum Suar. & Vasq. supponit Arriaga *disp. 48. sess. 4.* & in simili negavimus eiusmodi dispositiones præcessisse in humanitate Christi ad Unionem Hypostaticam *disp. 4. de Incarn. sess. 5.* contra Gabrielem, & Alensem. Ratio autem est: quia vel eam

dispositionem physicam præquireret Gratia habitualis, quia forma supernaturalis est; & hoc non; quia etiam ea dispositio, vt utilis esset, deberet esse supernaturalis; & tamen non sibi præquireret dispositionem supernaturalem: de hac enim idem dici deberet, & de alijs cum infinito processu: vel ex eo quod talis forma supernaturalis est, & multo nobilior: ad id autem, sicut nec pro similibus dispositionibus ad Unionem Hypostaticam, non est aut rationis, aut Authoritatis fundamentum: sine quo multiplicitas entium, præsertim supernaturalium, admittenda non est.

3 Sermo igitur nobis est de dispositionibus moralibus, qui sint actus liberi hominis iustificandi. Et quidem iuxta præsentis Dei leges: nam iuxta alias dicemus *sess. 9.* quod posset infundi Gra-

Hæret.

tia, fierique impij iustificatio, nullâ præcedente dispositione peccatoris. Circa præsens punctum in extrema, vt solent, exerrant Hæretici à mediâ veritatis viâ. Quidam enim nec in Adultis; quidam, in Parvulis etiam prærequiri dispositiones liberas proprias ad infusionem Gratia iustificantis, dogmatizant.

Mar. 7.

4 Certum est primò, eiusmodi dispositiones non requiri ad iustificationem Parvulorum. Quippe, non vtentes ratione, nec libertate, iustificantur, infusâ Gratia per Baptismum. Nec est fundamentum, vt credamus, à cunctis tunc fieri actus liberos miraculosè. Quod dixit Christus Marci ult. *Qui verò non crediderit condemnabitur:* dictum est pro adultis: vt indicant satis verbâ præcedentiâ: *docete omnes Gentes:* cum certè Parvuli incapaces sint doctrinæ. Quod ait Caiet. in Parvulis præcedere quoque aliquam dispositionem per actus quos exercuit Christus meritis ipsis iustificationem; falsum, & extra rem est: nam dispositio tenere se debet ex parte subiecti, quod iustificatur: & sermo nobis est cum S. Thom. de dispositionibus per actus liberos proprios iustificati.

Caiet.

2 Reg. 7. Prov. 16. Zach. 1. Trident.

5 Certum est secundò de Fide, in Adultis requiri de facto proprias dispositiones morales ad iustificationem. Ex *2. Reg. 7. Preparate corda vestra Domino: Prov. 16. Hominis est animam preparare: Zachar. 1. Convertimini ad me, & convertar ad vos.* Ex quibus Tridentinum *cap. 5. Qui per peccata à Deo aversi erant, per eius excitantem, atque adiuvantem gratiam ad convertendum se, ad suam ipsorum iustificationem, eidem gratia liberè assentiendo, & cooperando, disponantur.* Et *Can. 4. & 7.* anathematizat contrarium asserentes. Et à ratione quidem congruum est, quod homo voluntariè per peccatum avertus à Deo; liberè quoque, & voluntariè, adiutus auxilijs gratia, convertatur ad Deum, sicque se disponat ad iustificationem: iuxta Augustinianum illud *Serm. 15. de Verb. Apoll. Qui fecit te sine te; non te iustificat sine te.*

August.

6 Certum est tertio, eiusmodi dispositiones homini liberas, esse supernaturales, & non nisi ex auxilio gratia actualis excitantis, & adiuvantis tactas. Sunt enim actus salutares: ad omne autem opus salutare necessaria est Gratia auxilians, vt late vidimus contra Pelagianos

Suprà disp. 6. Trident.

disp. 6. à sect. 3. Et oppositum anathematizat Trident. *Can. 1. & 3.* Atque hinc est discrimen inter Gratias auxiliantem, & iustificantem quoad Adultos: quod ad istam præcedere debet libera dispositio nostra facta per illius auxilium; ad illam verò non ita: vt potè facta in nobis sine nobis liberè ad eius initium cooperantibus.

Oviéd.

7 Certum est quarto, vt contra nonnullos Heterodoxos expendit Oviédus *Contr. 2. pun. 7.* eiusmodi actus nostros liberos supernaturales, qui sunt dispositiones morales ad iustificationem, non se habere ad illam, vt puras conditiones; imopotius vt causas morales. Sic colligitur ex Scripturis allegatis *num. 5.* Nam dispositiones illæ dicuntur præcedere, & impetrare Gratiam Iustificationis: quod aliquam præfert causalitatem, saltem morale. Vnde est illud Christi circa Magdalenam dolentem, & amantem: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Et Tridentinum *Sess. 14. cap. 4.* loquens de contritione disponente ait: *Fuit autem omni tempore necessaria ad impetrandam veniam.* Ergo prædictæ dispositiones præcedunt, vt quid congruè movens causaliter Deum ad infundendam Gratiam iustificantem.

Luc. 7.

Trident.

Trident.

8 Obijcies quod ait Trident. *sess. 6. cap. 8.* nos dici iustificari gratis; quia nihil eorum, quæ iustificationem præcedunt, sive Fides, sive opera ipsam iustificationis Gratiam promeretur: Ergo quia dispositiones illæ liberæ peccatoris non ita disponunt ad Gratiam Iustificationis, vt eam moraliter, & meritoriè causent: hoc enim non esset iustificari gratis; sed ex operibus. Hanc obiectionem non parvipendunt Suar. *lib. 2. de Prædest. cap. 6. à num. 49.* & Herize *disp. 25. cap. 9.* Ex quibus respondetur dupliciter. Vno modo, vocem gratis excludere in eo loco Concilij omnem causalitatem per modum meriti condigni; cum non nisi de congruo mereatur illæ dispositiones Gratiam iustificantem: meritum autem congruum locum aliquem relinquit gratuitati. Alio modo, retinendo totum rigorem gratuitatis, & intelligendo per gratiam iustificationis totum iustificationis negotiû à sui exordio; quod est primum auxilium excitans ad eiusmodi liberas dispositiones, vsque ad infusionem Gratia habitualis. Sic enim verum, certumque est, quod ad iustifica-

Suaréz. Herize.

Suaréz. Vasq. Arriaga Tom. de Christo, disp. 4. Gabr. Alens.

tionem, sic extensè sumptam, nulla in nobis causâ moralis præcedit: cum quo tamen stat quod dicimus, ad iustificationem contractiùs sumptam pro ipsa infusione Gratiæ habitualis præcedere vt causas morales, de congruo meritorias, dispositiones illas liberas, factas in nobis, & nobiscum ex prioribus auxilijs factis in nobis sine nobis, & omninò gratis.

9 Obijcies secundò, hinc sequi, quòd posset homo dici se ipsum iustificare: quæ loquutio videtur absurda. Admittunt sequelam aliqui cum Cano, & Vasquez apud Oviedum, negantes esse absurdam. Quia 1. Ioan. 3. dicitur: *Omnis, qui habent hanc spem, iustificat se.* Et 2. Corinth. 7. *Mundemus nos ab omni iniquamento.* Et dant rationem: quia agens disponens ad generationem dicitur generare; quamvis formam non producat: ergo homo sic se disponens ad iustificationem, dici posset se iustificare; quamvis Gratiam ipsam iustificantem nõ producat. Sequelam è diverso recusant Molina, & Zumel: quibus ea loquutio sonat, hominem proprijs se viribus disponere, quòd esset Pelagianismus. Vnde cù dixit Augustinus: *Qui fecit te sine te, non te iustificat sine te;* subiunxit: *Fecit nescientem, vt iustificet volentem: Ipse iustificat, ne sit iustitia tua.* Recusat itaque dicere, hominem se iustificare, etiã cum fateatur se volentem disponere ad iustificationem.

10 Placet iudicium Patris Granad. *contr. 8. tract. 9. disp. 1.* Cum quo, responderetur primò, loquutionem sequelæ habere posse catholicum sensum sine absurdo: significando cum loquutionibus Scripturæ citatis, nos recipere à Deo Gratiã iustificationis, & remissionis peccatorum dependentem à nostris actibus factis per anteriora gratiæ actualis auxilia. Respondeo secundò, eam loquutionem vt plurimum vitari debere, aut saltem nõ proferri, nisi adhibitâ, aut præsumptâ debitâ explicatione: & hoc convincit Authoritas Augustini. Nec satis probat intentum paritas agentis naturalis disponens ad generationem. Est enim dispar ratio: quòd agens disponens ad formam id facit naturæ viribus; & dispositiones, quas causat, ex natura sua exigunt formam. At homo se disponens ad iustificationem, nec id facit suis naturæ viribus; nec ex disposi-

tionem ex natura sua exigunt infusione Gratiæ iustificantis, vt dicemus *sect. 5.*

11 Porro vique adeò verum est, requiri prædictas dispositiones morales iuxta præsentem Dei legem in Adultis ad Gratiã habitualem, vt nec in Adamo, nec in Angelis fuerit primitus infusa Gratiã sanctificans sine prævijs liberis cuiusque dispositionibus. De quo Suarez *lib. 5. de Angelis, & 3. de Opere sex dier. cap. 19. & tom. 2. in 3. part. disp. 4. sect. 7. & 8.* Ratio est: quia id nullo ex capite repugnat: & aliundè rationi, & divinæ legi, prout de facto, consentaneum est, quòd ratione vtentes sese proprijs actibus disponant ad supernaturalem Dei amicitiam. Et ob eandem rationem docet id ipsum Suar. de B. Virgine, in primo suæ animationis instanti, & de Baptista in vtero Matris: quia pro tunc gaudebant vtu rationis ex privilegio: & quoad hoc erant adulti. Congruum ergo fuit, quòd sanctificarentur mote adutorum per proprias dispositiones tunc factas ex auxilijs Gratiæ actualis prævenientis.

SECTIO II.

Dispositiones ex parte intellectus.

12 **E**X parte intellectus requiritur, vt dispositio remota ad iustificationem, Fides. Ex Marci ult. *Qui verò non crediderit, condemnabitur;* & Hebr. 11. *Sine Fide impossibile est placere Deo.* Undè Trid. *sess. 6. cap. 6.* ait, homines disponi ad iustificationem, *dùm excitati divinâ gratiâ, & adiuti, Fidem ex auditu concipientes, liberè moventur in Deum; credentes, vera esse quæ divinitus revelata, & promissa sunt.* Vnde constat, sermonem esse de Fide actuali, scilicèt de actu credendi. Et cap. 8. docet, ideò secundùm Apostolũ impios iustificari per Fidem; *quia Fides est humana salutis initium, fundamentum, & radix omnis iustificationis: sine qua impossibile est placere Deo, & ad Filiorum eius consortium pervenire.* Contra hoc multipliciter errant Hæretici, vt videre est apud Card. Bellarm. *lib. 1. de Iustif. cap. 4. & 13.* & apud Suarez *8. de Grat. cap. 16.*

13 Errant primo in eo quòd dicunt, dispositionem Fidei requisitam non esse actum credendi Mytheria vt cumque revelata; sed actum alium, quem Lutherus vocat fiduciam pertinentem ad voluntatem;

tem; Calvinus verò firmam persuasionè intellectus, quæ iustificatus firmiter, & intrepidè sibi persuadet obtinuisse remissionem. Vtrumque hoc refutatur dupliciter à Trident. Primò, in verbis relatis *ex cap. 6.* vbi Fides disponens ad iustificationem dicitur esse, quæ credimus, *vera esse quæ divinitus revelata sunt, id est, Mytheria, & veritates Catholice Fidei.* Secundò, *ex cap. 9. & can. 12. 13. & 14.* in quibus inanis illa fiducia, & certa Hæreticorum persuasio damnatur, non solum vt nõ necessaria, verumetiam vt regulariter impossibilis in omnibus iustificatis, & docetur, neminem absque specialì revelatione certè sibi persuadere posse, se esse iustificatum: de quo specialius *disp. 22. sect. vlt.*

Trident. Infrã disp. 22.

14 Errant secundò: quia dicunt, eiusmodi Fidem, sine operibus, & sine alijs actibus peccatoris, sufficere ad iustificationem: prævertentes in hunc reprobum sensum Scripturæ loca: vt verba Christi ad Magdalenam *Luc. 7. Fides tua te salvã fecit:* & alia similia insinuata *disp. 14. num. 23.* quasi intelligi facilè nõ possint, vt convincunt Bellarm. & Suarez, aut de dispositione remotâ; aut de fide vivâ per alia opera proximius disponentia. Hunc errorè etiam anathematizat Trid. *can. 9. ibi: Si quis dixerit, sola Fide impium iustificari: ita vt intelligat, nihil aliud requiri, quòd ad Iustificationis Gratiã consequendam cooperetur: & nulla ex parte necesse esse, cum suæ voluntatis motu preparari, atque disponi; anathema sit.* Loca, quibus oppositum abutuntur Hæretici, aut solum significant quòd ipsum Tridentinum docuit *cap. 8.* nos iustificari per Fidem, *quia Fides est humana salutis initium;* dispositivè scilicèt remotè; aut proximè per Fidem vltioribus dispositionibus vivificatam. Quandò autem dicitur, quòd *sola Fides iustificat,* nolì sic intelligere vt excludantur alia requisita proximiora; sed sic, vt solus Fidelis iustificetur, id est, nullus qui fidelis non sit, non tamen ex eo præcisè quòd Fidelis est. Sic etiam ex Bellarm. & Suarez, Granadus *disp. 3. & Arriag. disp. 49. & 50.*

Luc. 7. Suprà disp. 14. sect. 3. Bellar. Suarez. Trid.

Trident. Bellar. Suarez. Granad. Arriag.

15 Circa actum Fidei, qui est dispositio requisita, quamvis non sufficiens, ad iustificationem, occurrunt variae difficultates. Certum iam est, esse Fidem strictè dictam, hoc est, actum credendi vera esse, quæ Deus revelavit: vt satis sig-

nificavit Trident. *cap. 8.* per illa verba: *Fidem ex auditu concipientes: credentes vera esse, quæ divinitus revelata sunt:* prout retulimus *num. 12.* Vnde rectè prohibuit Innoc. XI. oppositam propositionem: *Fides latè dicta ex testimonio creaturarum, similivè motivo ad Iustificationem sufficit.* de quo doctè Card. de Lugo, & P. Oxea illum citans *disp. 12. de Fide;* & Ovied. *contr. 7. de Grat. pun. 5. & tom. de Fide* apud eundem Oxeam. Fides ergo requisita per Tridentinum; vt dispositio ad iustificationem, nequit iam dici Fides lata, hoc est, notitia quælibet supernaturalis de Deo quomodocumquè ex creaturis habita, quantumvis supernaturalis: vt opportunius adstruemus, Deo dante, in Disputationibus nostris de Fide.

Innocent. XI. Lugo. Ovied. Oxea.

16 Difficultas adhuc esse potest: an Fides stricta ita sit dispositio necessaria ad iustificationem iuxta præsentem Dei legem, vt in nullo prorùs casu particulari dari queat iustificatio sine illâ. Negasse dicitur Vega *lib. 6. in Trident. cap. 21.* quatenus ait, ignorantem invincibiliter quidquam esse revelatum à Deo, & ex naturali notitia bonitatis divinæ, & malitiæ peccati, detestantem peccata, iustificatum iri. Idem tenuerat Sotus *lib. 6. cap. 2. de Nat. & Grat.* quòd tamen in secunda editione retractavit. Et meritò quidem. Canus enim & Zumel id censent erroneum, & Pelagianum: de quo Coninc *disp. 14. de Fide, dub. 8.* Et prohibetur à fortiori in edicto Innocentiano cit. id damnante, quamvis notitia illa Dei esset aliundè supernaturalis, si Fides stricta non esset. Nam testimonia pro necessitate Fidei strictæ ad iustificationem, ex quibus constat lex Dei, non patiuntur huiusmodi exceptiones. Quomodò cum ista severitate stet, quòd Barbari etiam ad quorum aures non pervenit Evangelium, habeant auxilia sufficientia ad salutem, vidimus *disp. 12. sect. 8. & 9.*

Vega. Sotus. Cano. Zumel. Coninc.

17 Difficultas alia. Quarum rerum debeat esse Fides, prærequisita ad iustificationem peccatoris? Implicita requiritur de omnibus à Deo revelatis: quilibet enim assensus Fidei credit propter testimonium Dei: sicquè præfert implicitè animum credentis paratum credere quidquid sub eo motivo sufficienter ipsi proponatur. Queritur de Fide explicitâ. Et dicendum est primò, requiri Fidem explicitam Dei remuneratoris

Suprà disp. 12.

Hebr. 12. iuxta illud Apostoli: *Accedentem ad Deum oportet credere, quod est, & quod inquirentibus se remunerator est.* Secundò, requiri Fidem de Christo: de quo fusiùs in Disputationibus de Fide: ubi hanc de Christo Fidem requiri necessitate medijs, censeo verosimilius. Tertio, requiri Fidè de obiectis, seu veritatibus moventibus voluntatem ad actus suos, quibus ulterius se, & proximius disponit ad iustificationem: scilicet de Deo vindice peccatorum, quando movetur ad timorem: de Deo misericorde, ac fideli, quando movetur ad spem: de summa Dei in se bonitate, quando movetur ad perfectam Dei dilectionem involutam in contritione. Dices, ea obiecta posse proponi peccatori per actum intellectus, qui non esset Fides. Fateor ex natura rei: non tamen sufficeret ea notitia, si non accederet Fides stricta ex presenti Dei lege, factis expressa in Scripturis.

18 Difficultas tertia: an ea dispositio actuum Fidei strictæ necessaria sit tam ad Iustificationem peccatoris iam fidelis, quam infidelis. De utroque pariter id affirmat sententia communior apud Oxeam latè *loc. cit.* Apostolus enim in illis suis verbis: *accedentem ad Deum, &c.* sine discrimine loquitur de omni accedente: peccator autem, quamvis fidelis, verè accedit ad Deum cum iustificatur, sicut recedit cum peccat. P. Granadus intelligit locum Pauli de accedente per intellectum, & voluntatem, ac proinde de infideli: non tamen ita de Fideli, qui iam accesserat, & non recesserat per intellectum: ideoque ad fidelis Iustificationem ait, non ita per se requiri fidem actualem; sed sufficere ex parte intellectus habitualement, quam iam habet, cum memoria Fidei actualis præteritæ. P. Ripalda cum communi docet, in utroque requiri actum Fidei ad iustificationem; sed diversimodè: in Infideli scilicet ratione sui, & ratione dispositionum ulteriorum actuum voluntatis, cui repræsentanda sunt obiecta per Fidem: in Fideli verò ratione dumtaxat dispositionum ulteriorum actuum voluntatis. Hæc indigent maturiori explicatione, quam adhibebimus in Disputationibus nostris de Fide.

19 Postrema difficultas. An actus Fidei disponens ad Iustificationem debeat adesse physicè in ipso instanti, quo iusti-

ficamur. Responderetur negativè, si iustificatio fit in Sacramento: ad quod nempe non requiritur dolor physicè actualis; sed sufficit, quòd paulò ante præcesserit, & moraliter duret: affirmativè verò, si iustificatio fit extra Sacramentum: quia tunc fit in instanti reali existentia physica contritionis perfectæ, quæ, cum actus voluntatis sit, stare nequit sine actuali sui obiecti propositione per Fidè. P. Granadus *disp. 3. num. 5.* docet etiam extra Sacramentum sufficere actualem memoriam Fidei paulò ante exercitæ. Fortè tamen id, quod vocat Granadus actualem memoriam Fidei præteritæ, est in actu exercito Fides actualis, ut in Disputationibus de Fide utiliter expendo.

Granad.

SECTIO III.

Dispositiones ex parte Voluntatis.

20 **H**AS enumerat Trident. *sess. 6. cap. 6.* Scilicet, Timorem divinæ vindictæ: Spem veniæ per Christum habendæ: Amorem Dei: Dolorem peccati: & Propositum non peccandi de cætero. Circa quæ sunt sequentes difficultates.

Trident.

21 Prima, circa Timorem: qualis, & quomodò requisitus sit ad iustificationem. Hæretici, nec vtilem, nec honestum reputant timorem servilem pœnarum inferni. De Fide tamen est, honestum esse: ex Trid. *cap. & can. 8.* ex Bulla Leonis X. contra Lutherum: & noviter ex decr. Alexandr. VII. *Propos. 15.* Itemq; ex Scripturis sæpè laudantibus, & commendantibus huiusmodi timorem. Modum, quo vitari, & inutilis fieri posset actus timoris, insinuavi satis *disp. 6. n. 15.* ex Suarez, respondente ad locum Augustini, qui nobis obijci solet. Hoc supposito, dicendum est, actum timoris regulariter, & ut plurimum esse dispositionem requisitam ad Iustificationem; non tamen ita necessarium, ut sine illa iustificari non possit homo. Prior pars traditur à Suar. cum communi *lib. 8. cap. 19.* ex Trid. cit. & ex August. dicente: *Rarissimè accidit; imò verò nunquam, quòd quisquam veniat volens fieri Christianus, qui non sit aliquo Dei timore percussus.* Conlonat Magn. Greg. *Hom. 24. in Evang.* scribens: *Prava mens, si non priùs per timorem ab assuetis avertitur, vitijs non emundatur.*

Trident. Leon X. Alexã. VIII.

Suprà disp. 16. sect. 1. Suarez.

Suarez. Trident. August.

Gregor.

Et

Et ratio sumitur ab humana conditione, moveri maximè solita formidine pœne. Posterior pars probatur: quia potest homini, nihil cogitanti de Deo vindice, & punitore, repræsentari per Fidem Deus, ut in se bonus: sicque homo moveri ad dilectionem perfectam Dei propter se, & ad detestationem peccati sui propter bonitatem Dei, nullo concepto timore formali pœnarum. Sic autem abs dubio iustificaretur: ergo timor non est ita necessarius, ut sine illo nequeat contingere iustificatio. Idcirco Trident. ait, homines eo pœnarum timore utiliter concuti: commendans timoris utilitatem; & satis indicans non omnimodam necessitatem.

22 Secunda, circa Spem: quomodò prærequiratur. Tria dico. Primum: Spem formalem esse, ut diximus de Timore, regulariter necessariam ad Iustificationem. Probatur, sicut de Timore, ex eodem Trid. similiter loquente de utroque actu. Item ex verbis Apostoli: *Spe salvi facti sumus.* Vndè Ambrosius: *Nemo, inquit, potest agere penitentiam nisi qui sperare velit indulgentiam.* Et ratio est: quia, ut homo iustificetur, debet velle iustificari, ac proinde confidere, se iustificandum esse à Deo elargituro media gratia: de quo Suar. *cap. 18.* Secundum: Spem saltem virtualem esse simpliciter necessariam. Nam eo ipso quòd homo procurat converti ad Deum, sperat in Deo. Et hoc videtur velle Trident. *cap. 7.* dicens: *Fides, nisi ad eam Spes accedat, & Charitas, neque vnit perfectè cum Christo, neque corporis eius membrum verum efficit.* Quod de Spe saltem virtuali intelligi opus est. Tertium: formalem Spem non esse taliter necessariam, ut sine illa nequeat homo quandòque iustificari. Sic Vasquez *disp. 210. cap. 2.* Quia, proposito per Fidem obiecto, posset homo statim excitari ad contritionem, seu dilectionem perfectam, prætermisso, seu præoccupato actu formali Spei, ut diximus de timore: tunc ergo abs dubio iustificaretur homo citra, vel ante formalem actum Spei. Dices: requiritur pro semper ad iustificationem formalis Fides: ergo & pro omni etiam casu formalis Spes. Negatur tamen consequentia. Et ratio dispar est: quia inter dispositiones à Trid. assignatas ex parte voluntatis, sunt præter Spem, alij actus voluntatis æquivalentes emi-

Rom. 8. Ambr.

Suarez.

Trident.

Vasq.

nentiùs Spei; nullus autem alius actus assignatur ex parte intellectus sic æquivalens Fidei: ideoque hæc requiritur formalis.

23 Tertia, circa Dilectionem Charitatis perfectæ, sive Amorem Dei propter se: quomodò requiratur. Responderetur ex communi sententia cum distinctione: requiri saltem virtualem ad iustificationem, quæ fit extra Sacramentum: non verò ad eam, quæ fit cum Sacramento Baptismi, aut Pœnitentiæ. Ratio prioris partis est: quia extra Sacramentum ad remissionem peccatorum necessarius est dolor contritionis perfectæ: qui, cum habeatur ex motivo divinæ Bonitatis, est saltem virtualis dilectio Dei propter se. Posterior pars exagitantur, & probabitur seorsum *sect. seq.*

24 Quarta, circa contritionem: an, & quomodò prærequiratur. Si sermo est præcisim à contritione perfectâ; quæ præferret dilectionem Charitatis; & ab imperfectâ, quæ vocatur attritio; certum est alterutram disiunctivè requiri ad iustificationem: quia requiritur dolor de peccato, & quidem supernaturalis; ac proinde, aut contritionis perfectæ, aut attritionis. Si sermo est contractè de contritione perfectâ, applicandum pro responsione est quod distinctim diximus nupèr de Dilectione. At quid, si haberet homo dolorem contritionis perfectæ seorsim à dilectione; aut dilectionem seorsim à dolore? Sufficeret nè alterutrum seorsim? Respondetur, in præsentem Dei lege neminem habere posse contritionem perfectam, aut dilectionem Charitatis, quin iustificetur, si peccator erat. Vndè, si isti actus seorsim haberi possent, alteruter seorsim esset sufficiens dispositio, etiam extra Sacramentum. Ita Suar. *lib. 8. cap. 20.* Nam de quolibet illorum id probant Scripturæ, quas adduximus *disp. 15. sect. 1. & 2.* Cæterum, quamvis dilectio charitatis haberetur seorsim à formali dolore, non posset non esse eminenter in peccatore virtualis dolor de peccato: qui enim sic diligit Deum super omnia, eo ipso detestatur virtualiter Dei offensas. Et vice versâ, quamvis dolor contritionis perfectæ haberetur seorsim à formali dilectione Charitatis, non posset non esse virtualiter dilectio Charitatis: qui enim sic detestatur peccatum ut offensam Dei summè boni, eo ipso diligit

Suarez.

Suprà disp. 15.

ligit saltem virtualiter Dei bonitatem propter se. Itaque simpliciter requiritur ad iustificationem dolor peccati, sive contritionis, sive attritionis; sive formalis, sive virtualis.

25 Quinta, circa propositum: de quo, & quomodo requiratur. Hoc propositum est inchoandi novam vitam, & non peccandi de cetero: in quo extra Sacramentum involvitur pro non baptizatis propositum, seu votum Baptismi; & pro baptizatis, propositum Pœnitentiæ Sacramentalis. Communis tamen, & vera Theologorum sententia est, non requiri hoc propositum formale; sed sufficere virtute inclusum in ipso dolore detestativo peccati, & in dilectione perfectâ Dei super omnia. Eo enim ipso quod homo, qui peccaverat, concipiat efficacem detestationem peccati, aut dilectionem Dei super omnia, habet animum non peccandi, seu non offendendi Deum; ac proinde servandi præcepta: quorum vnum est suscipiendi Baptismus dum potest; & Sacramentum Pœnitentiæ temporibus à Deo, seu ab Ecclesia sub gravi præscriptis. De quo latè post Suar. Granad. Contr. 8. tract. 9.

Suar. Granad.

SECTIO III.

An ex parte voluntatis requiratur ad Iustificationem intra Sacramentum dolor peccatorum ex motivo Charitatis.

26 ANTIQVA, & iam ferè antiquata sententia fuit, etiam in Sacramento requiri dispositionem actûs contritionis, vel charitatis perfectæ ad Iustificationem. Tribuitur Magistro, Bonav. Gabrieli, Maiori, Marilino, Hugoni, & Richardo Victorinis, Medina, & paucis etiam alijs post Trident. Sed oppositum est iam ita certum ex Trident. & ex Fidelium praxi, ut Esparza censeat esse quasi de Fide. Tridentinum enim sess. 14. cap. 4. discernens contritionem ab Attritione, docet, hanc, quæ non est ex motivo perfectæ Charitatis, & concipitur ex metu gehennæ, esse sufficientem dispositionem ad Iustificationem peccatoris cum Sacramento Pœnitentiæ. Alioquin nunquam Sacramentum iustificaret, cum semper supponere deberet actum contritionis, seu charitatis perfectæ, quæ per se etiam seorsim

Magist. Bonav. Gabr. Maiori. Marfil. Hugo. Richar. Medina.

à Sacramento est proxima, & sufficiens dispositio ad iustificationem. Undè nec probabilem ausim iudicare antiquam illam sententiam. Quia, si probabilis adhuc esset, peccaret iuxta Decretum Innocent. XI. qui, sequens oppositam, accederet ad Sacramentum cum sola attritione; vtens nimirum materiâ solum probabili in Sacramento, illudque exponens invaliditati, potens materiam certam, & securam adhibere, nempe contritionem perfectam: quod est contra praxim universalissimam tam Pœnitentium, quam Confessorum. Iam igitur pro certo habendum est, sufficere attritionem, & non requiri contritionem, aut Charitatem perfectam ad Iustificationem cum Sacramento. De quo eruditè Ripald. tom. 3. disp. 22. sect. 4. Requiescens latè, ac doctè in Selectis Theologicis, & Eminent. de Aguirre tom. 3. disput. 130. à num. 82. & disp. 131. à num. 44.

Innocent. XI.

Ripalda Reques. Aguirre.

27 Aliqui mitigant antiquam illam sententiam, dicentes, ad iustificationem in Sacramento, nec requiri actum contritionis, aut Charitatis perfectæ, quæ sufficit extra Sacramentum; nec sufficere attritionem ex solo metu Gehennæ; sed requiri attritionem, quæ simul sit contritio, seu charitas imperfecta, ex motivo scilicet, saltem partiali, charitatis, taliter affecto, simul cum alijs motivis inferioribus, vt id non sufficeret sine Sacramento. Hanc sententiam retulit ex Sylvio Cardinalis de Lugo disp. 5. de Pœnit. sess. 9. eamque; refutavit, tanquam communi Theologiæ, & Concilio Tridentino contrariam. Nihilominus eam denuò suscitavit Eminent. noster Sfortia Gardin. Pallavicinus cap. 12. de Pœnit. vsque ad eodè, vt communem oppositam censeat adversari Scripturis, Patribus, & Tridentino: quam tamen actem censuram meliore iure censurant Esparza, & alij prædocti. Citat pro se Valentiam, & Henriquez; sed fortè non benè. Legatur attentè Valentia disp. 7. quest. 8. pun. 4. & quest. 1. pun. 3. Citat etiam S. Thomam, cuius varia loca conatur in suam trahere sententiam. Sed observanda sunt tria. Vnum, omnia citari ex Sententiarijs, nullum ex Partibus. Aliud, omnia videri conquistata ex aviditate inveniendi præconceptam opinionem. Tertium, aut mentem S. Thom. ex ipsis eius Textibus attentè lectis patere satis alienam ab hac

Sylv. Lugo.

Pallav.

Valent. Henriq.

S. Thom.

hac sententia; aut ex eius verbis probari nimis contra omnes, nunquam validuram confessionem, nisi factam in statu Gratiæ.

28 Communis, & omninò tenenda doctrina est, ad Iustificationem in Sacramento sufficientem dispositionem ex parte voluntatis esse Attritionem supernaturalem, seu dolorem, aut ex metu Gehennæ, aut ex amore Gloriæ; quamvis nec partialiter sit ex motivo charitatis. Sic adversus Pallavicinum Esparza, & noviter Haunold. lib. 4. tract. 4. cap. 7. contr. 2. & R. P. N. G. Thyrsus tom. 2. disp. 37. quamvis quoad aliqua non omninò c. ar. us.

Haunol. R. P. N. G. Thyrs.

29 Probatio potissima sumenda est ex doctrina Tridentini, de dispositionibus ad Iustificationem exactius agente sess. 6. & 14. Quod quidem cap. 4. cum dixisset, contritionem perfectam esse sufficientem dispositionem extra Sacramentum, procedens ad imperfectam eiusque motiva, prout sufficit in Sacramento, subdit: Illam verò contritionem imperfectam, quæ Attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudine peccati, vel ex gehennæ, & pœnarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat, cum spe veniæ; declarat esse donum Dei, & Spiritus Sancti impulsus, &c. Et quamvis sine Sacramento Pœnitentiæ per se ad Iustificationem perducere peccatorem nequeat; tamen eum ad Dei Gratiâ in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponit. Concilium ergo ad hoc, non requisivit aliud motivum, nisi aut turpitudinem peccati, aut metum pœnæ: nec verbum habet de admixto motivo charitatis, seu dilectionis Dei, vt finis cui: quod quidem si requireretur, non tacuisset, ne totam ferè Ecclesiam in re gravissimâ, ac doctrinalli deceptam relinqueret.

Trid.

Pallav.

30 Premitur hoc Textu Pallavicinus: & vim repellere, aut subterfugere conatur dicens, Concilium loqui non tam de ipso actu formali Attritionis, quam de primo, & inferiori obiecto, ex motivo, quo peccator incipit disponi ad attritionem; includentem tamen, vt sufficienter disponat, aliud perfectius motivum charitatis. Quia, inquit, proponit nobis exemplum Ninivitarum, qui ante Christi Sacramenta, non nisi per charitatis affectum disponi satis potuerunt. Favere quoque videtur verbum

illud: disponi: quo vititur Concilio loquens de Attritione: quod intelligi potest de dispositione nondum proximâ.

31 Contra tamen apertissimè ex subtextura Tridentini, ibi: Quamobrem falsò quidam calumniantur Catholicos Scriptores, quasi tradiderint, Sacramentum Pœnitentiæ absque bono motu suscipientium Gratiâ conserre. Dic, rogo, quinam fuerint illi Catholici; quos calumniabantur Hæretici, quasi tradiderint, Pœnitentiâ iustificare absque bono motu suscipientium. Profecò non illi, qui requirebant motum contritionis, seu dilectionis charitatis, tam intra, quam extra Sacramentum: ij enim longissimè aberant, vt per se patet, ab eiusmodi suspitione & calumniâ Hæreticorum. Illi ergo qui sufficere dicebant Attritionem ex metu inferni, quam adversus Hæreticos honestam, & bonum motum asserbant, prout nos asserimus. Undè cuique syncerè legenti Concilium luce clarius sit, sermonem ibi Concilio fuisse de Attritione ista ex metu inferni conceptâ, seorsim etiam à motivo Charitatis, tanquam de dispositione sufficiente ad Iustificationem in Sacramento; hancque nostram sententiam verissimam vindicasse ibi Concilium à calumnijs Hæreticorum. Nec exemplum Ninivitarum prodesse potest Pallavicino. Si namque Concilium requireret pro nobis in Sacramento talem dispositionem, quali egebant tunc temporis Ninivite, egeremus quidem contra ipsum in Sacramento dispositionem, quæ sufficeret extra Sacramentum, & recideretur in antiquam sententiam, quam nobiscum impugnat. Non ergo adducitur à Concilio exemplum Ninivitarum ad æquiparandam dispositionem, quæ nunc sufficit in Sacramento, cum dispositione requisitâ tunc in Ninivitis, vt Pallavicinus ipse fateri adigitur; sed ad ostendendum, dolorem ex metu pœnæ esse laudabile, & honestum, quod Hæretici diffitentur. Nec sâvet verbum illud: disponi: patet enim ex contextu liquidissimè, sensum esse de dispositione proximâ, & sufficiente in Sacramento: tribuitur enim ibi prædictæ Attritioni vis disponendi in Sacramento, quam non habet extra Sacramentum; at vim remotam, & à longè, etiam extra Sacramentum habet.

32 Ex quibus omnibus rejicitur ex Tri-

Tridentino manifestissime doctrina, & responso huius Authoris. Quem insuper sic ad hominem utgeo. Si ad dispositionem in Sacramento requiretur actus ex motivo charitatis, sufficeret etiam extra Sacramentum; quod negat hic Author, utpotè perfectiorem dispositionem requirens extra, quam intra Sacramentum: ergo procedit incoherenter. Antecedens probatur. Omnis contritio ex motivo charitatis, seu dilectionis Dei propter se est dispositio sufficiens extra Sacramentum, ut definit Trident. cit. indefinitè loquens de contritione sine discrimine, an præter motivum charitatis habeat aliud, nec ne: sed dispositio, quam Pallavicinus requirit intra Sacramentum, quamvis aliud insuper habeat motivum inferius, est contritio ex motivo charitatis, ut ipse confitetur: ergo eo ipso est ex Concilio dispositio sufficiens etiam extra Sacramentum. At ex Scripturis colligi potest discrimen inter hæc, quod non colligitur ex Concilio, ut bene notavit Esparza: quando enim dicit Deus: *convertimini ad me, & convertar ad vos* non exigit, nisi conversionem ad se propter se, hoc est tanquam ad finem cui; quia præscribat, ne aliud etiam habeat motivum, sicut nec præscribit intensiorem conversionis. Quo ergo fundamento id præscribitur ab hoc Authore, contra planum ferè omnium sensum? Versamur certè in puncto facti, ac libiti Dei: in quo non licet ad cuiuscumque libitum excurrere.

33 Sic se explicat Pallavicinus, ut ex eius verbis eius mentem percipiamus, eiusque doctrinæ insubstantiam. *Duobus modis*, inquit *cap. 12. de Pœnit. potest quis velle amicitiam Dei efficaciter. Primò, appretiando Deum affectivè supra omnia alia bona possibilis. Secundò appretiando quidem valdè ipsum Deum secundum ipsum, & ex alia parte parvi appretiando omnia alia bona Deo opposita, quatenus hæc habent adiunctam magnam malitiam; eo quòd inferant iacturam beatitudinis æternæ, & cruciatum æternos: ita ut ex ijs omnibus simul consideratis præferat amicitiam Dei omnibus bonis oppositis. Ille primus amor est valdè perfectior: totus enim refunditur in magnitudinem bonitatis divinæ; quæ tanta est, ut quancumque esset bonitas opposita, meretur illa huic præferri propter suam infinitatem: & ex isto amore sequitur contri-*

tio, quæ dicitur perfectus dolor: & hunc dolorem ait sufficere extra Sacramentum. Explicans subinde dolorem, quem requirit intra, ait, esse quoque amorem Dei efficacem: *Non est tamen, inquit, hic amor Dei super omnia; possumus enim cum hoc amore coniungere maiorem amorem cuius obiecti disparati: sed hic excessus amoris non est offensivus Dei: quia semper sumus parati ad relinquendum illud bonum, si Deo displicuerit. Quemadmodum, addit post pauca, quis dicitur velle efficaciter emere gemmam, si velit dare totum id quod videt necessarium pro emptione gemmæ, licet non amet gemmam super omnia alia bona; ita dicitur quis velle efficaciter amicitiam Dei, & abstinentiam à peccato, etiamsi non amet hæc bona secundum ipsa super omnia; dummodo ita amet, ut præferat omnibus, quæ sunt, vel possunt esse necessaria ad illorum acquisitionem.*

34 Prætereo nonnulla, quæ in hac operosa explicacione dicuntur, & non probantur. Admittimus Dei dilectione alteram alterâ perfectiorem; non solum in intensiõne; sed etiam in extensiõne, ut satis explicat R.P.N.G. Thyrs. *sect. 4.* Negotium erat probare eum secundum amorem, & dolorem efficacem, quamvis primo inferiorem, si est ex motivo Charitatis, non esse sufficientem dispositionem etiam extra Sacramentum. Vel enim detestatur peccata affectu efficaci per se exclusivo omnis voluntatis peccandi, vel non. Si primum, sive purè sit ex motivo charitatis propter Deum, ut finem cui; sive ex metu gehennæ propter Deum etiam, ut finem qui, sufficit tam intra, quam extra Sacramentum: cõtinet enim amorem Dei propter se super omnia appretiati vè prout ex communi Theologia explicuimus hanc appretiatiõnem *disp. 8. num. 1.* Nec ex Trid. nec ex Scripturis alius dolor requiritur: sicut nec ex vlla lege, nisi id quoque velit explicatio Pallavicini, requiritur dolor excludens omnem voluntatem peccandi, etiam venialiter; qualem excluderet dilectio Dei perfectissima super omnia. Si verò dicatur secundum, ex quocumque motivo talis dolor haberetur, nec extra, neq; intra Sacramentum sufficeret. Inanis igitur esset, & insubstans differètia, quam studiosè posuit Tridentinum inter eiusmodi dispositiones ad Iustificationem intra, vel extra Sacramentum.

Oppo-

35 Opponit nobis multa Pallavicinus. Primò Scripturas 1. Ioan. 3. *Qui non diligit manet in morte.* Et 1. Corinth. 13. *Si charitatem non habuerit nihil sum.* Ergo, ut iustificemur, in Sacramento etiam per Attritionem, debet hæc aliquomodo esse ex motivo charitatis: alioquin quomodo nihil essemus sine charitate? Respondetur, primum locum non afferti ad rem: constat enim ex contextu iuxta expositionem Cornelij, ibi non esse sermonem de dilectione Charitatis divinæ; sed de dilectione Proximi. Dicitur autem manere in morte *qui non diligit*: id est: qui Proximum odit, ex vilitatè phrasè Scripturæ per figuram Misin, qua plus intelligitur, quam dicitur. Secundus locus non capitur de actu, sed de habitu Charitatis, aut Gratiæ: sine quo scilicet nihil sumus; quia Iusti non sumus. Si enim de actu capiendus esset, Parvuli qui actum dilectionis non habent, nihil essent, quamvis Iusti essent.

Alap.

August. Thom.

36 Opponit secundò Thomam, & Augustinum. Sed pro S. Thom. iam notavimus *num. 27.* quod satis est. Pro S. August. dico nunc, quòd quando requirit Dei amorem, ut iustificemur, abstrahit à perfecto ex motivo Charitatis, qui sufficit extra Sacramentum; & ab imperfecto, & inchoato, qui, non sufficiens extra, sufficit intra Sacramentum, & per virtutem Sacramenti perficitur quoad effectum sufficienter disponendi: quo sensu dicitur, quòd homo ex attrito fit contritus: quia nempe, accedente attritioni virtute Sacramenti, fit æquivalens contritioni perfectæ, quoad effectum disponendi ad iustificationem.

Trident.

37 Opponit tertio Tridentinum *sess. 6. cap. 6.* vbi docet, nondum baptizatos ad iustificatione disponi, *dum Deum tanquam omni iustitia fontem diligere incipiunt*: & mox: *ac propterea moventur adversus peccata per odium aliquod, & detestationem: hoc est: eam penitentiam, quam ante Baptismum agi oportet.* Ergo ex Concilio detestatio peccati sufficienter disponens, debet omninò esse ex dilectione Dei, ut iustitiæ fontis: ac proindè ex motivo charitatis: hoc enim videtur esse dilectio Dei, ut iustitiæ fontis.

38 Ut rem, & verba mentemque Concilij sincerè calleamus, observentur tria. Primum: quòd Concilium ibi non dixit, *diligunt*; sed, *diligere incipiunt*: quo

significat imperfectionem dilectionis, & extendi potest ad amorem, quo Deus amatur ut bonus nobis tanquam finis, Qui, à nobis consequendus: imò & ad timorem amittendi talem finem: sunt enim actus disponentes animum ad perfectam Dei dilectionem: & in hoc sensu sunt inceptio quædam perfectæ dilectionis Dei propter se, ut finis Cui: quemadmodum dicitur: *Initium Sapientiæ timor Domini.* Secundum: quòd ibi Concilium, enumerans actus illos dispositivos ad Iustificationem, loquitur de illis, prout regulariter cõtingit iustificatio peccatoris: non tamen omnes illos in vnoquoque complexè requirens: certè enim ibi connumerat timorem divinæ iustitiæ, quo vtiliter concutiuntur peccatores: cum tamen, secluso motivo pœnarum, imò, & illarum immemor, posset abs dubio iustificari peccator detestans peccata ex motivo Charitatis propter Dei bonitatem, aut ex Spe præmij. Tertium præsertim ex P. Esparza: quòd ibi Concilium, loquens de odio peccati, dixit indeterminate, *per odium aliquod*: non determinans quale, nec ex quo motivo. Quia nimirum, ut constat ex Actis Concilij, in *Sess. 6.* nondum satis convenerant Patres circa qualitatem: de qua diù disputarunt. Postea verò *sess. 14.* iam convenerant: tuncque determinatè statuerunt *cap. 4.* quòd retulimus *num. 28.* sufficere intra Sacramentum detestationem peccati ex metu Gehennæ, & pœnarum, ex Spe veniæ, aut ex motivo turpitudinis peccati, mentione non factâ quoad hoc de motivo Charitatis: & obiurgans Hæreticos, qui in hoc Catholicos Theologos calumniabantur, ut expendimus *num. 31.* Huic ergo Conciliari determinationi standum omninò est.

Ecclesi.

Esparza.

39 Respondetur iam ex ijs ad oppositum, admittè totâ doctrinâ Concilij, negando consequentiam. Ibi namque nondum determinavit Concilium, quale, & ex quo motivo deberet omninò esse tale odium, & detestatio peccati: sed abstractè dixit, *per odium aliquod, & detestationem*: nec pro tunc determinans, & declarans, debere esse ex motivo charitatis, quod nunquam declaravit; nec sufficere ex motivo spei, & timoris absque motivo charitatis: quod postea *sess. 14. cap. 4.* maturè declarasse contendimus. Nec obest, quòd præmiserit mentionem

Per divi.

Espar.

Pallav.

R. P. N. G. Thyrs.

Suprà disp. 8.

dum punct. 7. volunt præterea, contritionem, & dilectionem perfectas ex natura etiam sua physica id etiam habere, ut proximè, vltimòque disponant ad infusionem Gratia, taliter, ut non nisi per vim ipsis illatam posset, illis positis, Gratia non infundit: sicut fieret vis proximis dispositionibus ad formam ignis, si, positis illis, hæc non poneretur. Pro quo vtuntur vt plurimum argumentis, quibus Vasq. & Ripalda à nobis relati disp. 15. sect. 1. vtebantur pro eo quòd actus contritionis, & charitatis sint formæ sanctificantis. Respondimus ibi, per ea solùm probari, esse proximam, & vltimam dispositionem. Addimus nunc, nec probari id esse ex physicis eorum naturis; sed ex lege Dei fundatam in aliqua morali congruentia rationis.

Suprà disp. 15.

48 Secunda igitur conclusio sit, dictas dispositiones nõ sic vltimò, ac proximè disponere ad Gratiam ex natura sua physica; cum tali nempe connexionne inter ipsas, & infusionem Gratia; sicut inest vltimis dispositionibus physicis cum forma substantiali, sine qua naturaliter esse non possunt: habere tamen specialem conducentiam moralem, vt intuitu ipsarum infundat tunc Deus Gratiam. Sic communis Theologi apud Ovied. cir. & Ripaldam sect. 3. 4.

Ovied. Ripald. Trident.

49 Prior pars probatur ex Trident. sess. 14. cap. 4. Ait enim, contritionis motum omni tempore fuisse necessarium ad impetrandam veniam; & subdit, esse dispositionem ad veniam instar impetrationis, & meriti congrui. Quo satis significatur, non sic disponere ex natura sua physica; sed ex morali congruentia. Et ratio à priori sumitur ex eo quòd Gratia est amicitia cum Deo: amor autè, vel dolor creatus, qualiscumque sit, non physicè petit quasi ex debito amicitiam Dei; sicut nec dilectio subditi erga Principem, amicitiam Principis cum subdito, vt expendimus loco cit.

50 Posterior pars fundatur in ipsis rerum naturis. Nam actus contritionis, & dilectionis perfectæ Dei, cum sint de perfectiori genere actuum humanorum, & nequeant ab homine fieri sine auxilio Gratia actualis Theologicæ, vt vidimus disp. 8. specialem præferunt proportionem, vt legem tulerit Deus infundendi Gratiam intuitu ipsorum disponentium. Utramque conclusionis par-

Suprà disp. 8.

tem videntur significare voluisse diversis terminis alij Authores, cum dicunt, prædictos hominis actus esse ex natura sua dispositiones vltimas: non efficaces; sed sufficientes.

51 Obijcies. Actus contritionis, vel charitatis disponens, ex natura sua physica exigit, vt sui principium, habitum charitatis, qui aut est ipsa Gratia habitualis, aut physicè cum illa connectitur: ergo & Gratiam. Respondetur negando antecedens. Nec enim actus contritionis, & charitatis disponentes ad Gratiam respiciunt habitum charitatis infusum, vt sui principium, vt videbimus in sequentibus; nec illum ex natura sua physica exigunt; nec magis ad ipsum, quam ad Gratiam habitualem disponunt.

SECTIO VI.

An vltima dispositio ad Gratiam effectivè procedat ab habitu infuso, ad quem disponit.

52 COMMVNIS est Thomistarum sententia, quibus adhererunt Valentia, Vasquez, & Torres, Dilectionem, & contritionem perfectam, quæ sunt vltima dispositio ad infusionem Gratia, & habituum Gratia comitum, in eo instanti, in quo primò est simul cum habitibus, procedere effectivè ab habitu infuso charitatis, ad quem primò infundendum disponunt: factam videlicet tunc temporis mutuam prioritate naturæ inter contritionem disponentem ad habitum, & habitum physicè effectivè influentem in contritionem.

Thomist. Valent. Vasquez Torres.

53 Moventur primò varijs testimonijs S. Thom. Quippe 1. 2. quæst. 113. art. 4. docet: Ex quatuor, quæ in instanti Iustificationis sunt, quæ sunt, infusio Gratia, motus voluntatis in Deum, motus adversus peccatum, & remissio peccati; infusionem Gratia esse priorem naturæ, quàm motus voluntatis. Ergo quia isti motus, qui sunt erga Deum diligendo, & contra peccatum detestando, & disponunt ad infusionem Gratia, procedunt effectivè à Gratia medijs habitibus: ac proindè procedunt ab habitu, ad quem disponunt. Et quæst. 28. de Verit. art. 4. docet: Secundum ordinem causa materialis, sic motus liberi arbitrij ordine naturæ antecedit Gratia infusionem, sicut dispositio materialis formam; secundum ordi-

S. Thom.

ordinem autem causa formalis, è converso. Et 3. part. quæst. 89. art. 2. docet, quòd Pœnitentia virtus est effectus Gratia. Sensit ergo, dolorem ipsum, quo pœnitentes se disponunt ad Iustificationem procedere effectivè à Gratia iustificante.

54 Respondetur, S. Thomam expressè stare contra istam sententiam pluribus in locis, vt pro contraria videbimus sect. seq. Nunc ad primum ex tribus testimonijs, quæ obijciuntur, dico, in eo S. Thomam nomine infusionis Gratia intellexisse, non gratiam habitualem, sed actualiorem auxiliantem, cuius collationem sæpiùs appellavit infusionem, vt ad Araucanum dicemus num. 57. quamque ibi vocat etiã motionem, quæ in phrasi S. Thom. est à Deo per infusionem Gratia auxiliantis. De hac autem rectissimè dicit, esse priorem naturæ, quàm sint motus voluntatis: qui tamen non ad illam, à qua efficiuntur, disponunt. Sicquè tota illatio falsa est. Ad secundum nota, in eo rectè dici, motus liberi arbitrij præcedere dispositivè ex parte subiecti ad formam iustificantem: non tamen dici, nec inferri, eos motus ab ea formam effici. Quod infertur est, formam iustificantem eos naturæ præcedere secundum ordinem causæ formalis. Quod, quo modo, & sensu dici valeat sine mutua prioritate naturæ repugnantissimam, dicemus num. seq. Ad tertium, negatur cõsequentia. Non enim id dicit S. Thom. de actibus doloris, & pœnitentiæ disponentibus; sed de habitu, & virtute Pœnitentiæ: qui habitus nõ disponit ad Gratiam; sed, vt proprietates Gratia, efficitur à Gratia, vt de habitibus infusis aliarum virtutum diximus disp. 17. sect. vlt.

Suprà disp. 17. Arist.

55 Moventur secundò ex Aristotele, dicente, causas esse invicem causas: quod videre est in dispositionibus, & formis naturalibus: ubi calor vltimò disponens ad ignem, efficitur à forma ignis, ad quam disponit, cum mutua prioritate in diverso genere. Sed negatur in primis hoc vltimum de calore, & igne: in quibus vtiq; occurrit eadem difficultas mutua prioritatis, ob quam repugnat, calorem vltimò disponentem ad formam ignis, primò effici ab eadem forma ignis. Ad Aristotelem responderetur, loqui clarè de causis efficiente, & finali: hæc enim non causat physicè, vt existens; sed intentionaliter, vt existat: ac proindè

sine mutua inter eiusmodi causas prioritate naturæ. Patet per exemplum, quod ritè apposuit Philosophus ipse, exercitationis caulantis valetudinem effectivè physicè, quatenus exercitatio, vt existens facit hominem benè valere; & caulatur à valetudine ipsa, non physicè vt existente; sed finaliter, & intentionaliter, quatenus, vt ipsa existat, fit exercitatio. Quod si S. Thom. vbi supra extendit mutuam illam causalitatem Aristotelicam ad causas physicas materialem, & formalem, intelligendus est iuxta rectam Philosophiam: quòd nempe materialis recipiendo formam, & formalis ad invicem informando subiectum, constituunt totum: in quo materia est natura prior forma; forma verò non sic ad invicem est prior materia, seu subiecto; sed est prior materia, vt constituta, & completata in ratione totius, ex vtraque coniunctim resultantis.

56 Moventur tertio ex Scripturis. Nam Ioan. 15. docuit Christus, non posse nos ferre fructum, si non manserimus in ipso, sicut palmites in vite. Vnde inferunt, fructum contritionis non posse ab homine fieri, nisi iam per Gratiam iustificantem sit coniunctus cū Christo. Confirmant ex i. Ioan. 4. ibi Discipulus: Non quasi nos dilexerimus Deum; sed quoniam ipse prior dilexit nos. Atqui Deus diligit nos, infundendo Gratiam cum habitibus: Gratia igitur, & habituum infusio præcedit in nobis, vt per ipsos diligamus, eam nempe dilectione, quæ disponimur ad infusionem Gratia, & habituum. Verùm isti Textus non adducuntur satis ad rem. Prioris enim sensus est planus, quòd nullum fructum, seu opus facimus condignum Gloria, nisi simus in Gratia: quod de ipsa contritione vltimò disponente verissimum est: si enim est condigna Gloria, vt dicemus disp. 28. sect. 5. idè est, quia tunc temporis iam sumus in Gratia: eaque contritio condignificatur à Gratia ad Gloriam; non verò efficitur à Gratia, neque à Charitate habituali, ad quam disponit. Aut dicant, vnde hoc infertur? In posteriori, dilectio illa Dei erga nos, de qua ibi Discipulus, non est dilectio amicabile, qua Deus nos diligit, vt amicos per Gratiam sanctificantem; sed dilectio universalior divinæ misericordiæ, ac benevolentia, ex qua nobis etiam peccatoribus dedit Redemptorem.

Ioan. 15.

1. Ioan. 4.

Infrà disp. 28.

toiem Filium suum. Audi ibidem: *Quoniam ipse prior dilexit nos, & misit Filium suum propitiationem pro peccatis nostris.* Unde, negata minori de dilectione, de qua loquitur ille Textus, & concessa, de specialiori alia dilectione; nulla prorsus est ad intentum coniectura.

Araus. 57 Moventur quartò ex Concilijs, & Patribus. Pro Concilijs allegant Arausicanam 1. can. 18. dicens: *Debetur merces bonis operibus, si fiant; sed Gratia præcedit ut fiant.* Gratia ergo præcedit in genere effectivo ad contritionem, quæ in genere dispositivo præcedit Gratiam. Pro Patribus adducunt Augustinum *tract. 75. in Joan. ibi: Quomodo diligimus, ut Spiritum Sanctum accipiamus, quem nisi capiamus diligere non valeamus.* Et cap. 2. Manual. *Amat Deus, ut ametur: cum amat, nihil aliud vult, quam amari.* Atqui amat infundendo Gratiam, & habitum Charitatis: hæc ergo infunduntur, ut principium effectivum amoris, quo ad ipsorum infusionem disponimur. Sed neque ista, sicut nec similia, quæ adduci solent ex

August. Gregorio Magno. *Hom. 39. in Evang.* persuadet intentum. Ad Arausicanam enim est clara responsio, agere ibi contra Semipelagianos de necessitate Gratiæ auxiliantis ad opera salutaria: unde extrarè adducitur pro iustificante. Nec obest, quòd interdum utatur nomine *infusionis Gratiæ*: nam ut nuper diximus ad S. Thom. *infundi* etiam dicitur de Gratia actuali iuxta illud orantis Ecclesiæ: *Infunde nobis, Domine, Charitatis affectum.* Ad August. similiter dico, loquutum etiam de Gratia actuali auxiliante: in qua iam accipimus quodammodo Spiritum Sanctum: non ut inhabitantem; sed ut excitantem, & adjuvantem nos. Dixit autem, Deum amare, ut amemus: amare scilicet, benevolenter nobis largiendo gratiam auxiliantem, cuius adiutorio eum diligimus, & disponimur ad habituale. Hinc distinguo minorem subsumptam: amat infundendo Gratiam, & habitum charitatis solummodo, nego: conferendo etiam actualem, concedo minorem. Et nulla prorsus est consequentia.

Gregor. 58 Moventur quintò rationibus invalidissimis. Prima: quia contritio, ut potè disponens ad Gratiam, est natura prior, quam Gratia: sed Gratia ipsa est quoque prior contritione: ergo quia efficit contritionem cum natura vtrius-

que prioritate in diverso genere. Probatur minor: quia si pro priori natura, quo est contritio non esset Gratia, non esset pro eo priori contritionis remissio peccati: ergo pro eo priori esset peccatum: atque adeò essent simul peccatum, & contritio: quod implicat. Secunda: quia sequeretur, hominem consequi aliquando Gloriam sine merito condigno Gloriæ. Nam qui erat infidelis post, facto actu contritionis, & nullo alio, statim mori. Tunc autem abs dubio consequeretur Gratiam, & Gloriam: contritio autem illa, si non procedit à Gratia iustificante, non esset condigna Gloriæ: sicque consequeretur aditus Gloriam sine merito condigno Gloriæ contra Trident. *sess. 6. can. 32. docens, hominem mereri vitam æternam, & augmentum illius.* Tertia: quia contritio disponens ad Gratiam, cum sit supernaturalis, debet effectivè procedere à principio supernaturali: ergo ab habitu Charitatis tunc infuso cum Gratia iustificante: aliud enim principium assignabile non est.

59 Ad primam tamen rationem, concessa maiori, negatur minor. Ad probationem, concessa antecedente, negatur consequentia: de quo clarum, expeditam, & utilem rationem dedimus in simili *disp. 16. sect. 1.* Quemadmodum enim nulla est contradictionis umbra, quòd tunc neque Gratia remissiva, neque peccatum causent contritionem; ita neque quod neutrum illorum sit pro priori natura ad contritionem.

60 Ad secundam, aliqui non recusant sequelam. Nec illam reputant adversariam Tridentino: quia aditus ille non consequeretur gloriam sine merito saltem congruo; quamvis non condigno Gloriæ. Mihi sequela falsa est: quippe contritionem illam, quamvis solum congruè mereatur primam Gratiam; primam tamen Gloriam meretur de condigno, ut defendemus *disp. 28. sect. 5.*

61 Ad tertiam, concessa antecedente, negatur consequentia. Est enim aliud principium supernaturale, à quo efficitur illa contritio: nempe auxilium Gratiæ actualis. Dices: connaturaliùs efficeretur ab habitu infuso. Nego tamè: quia nequit esse connaturale quod ex Philosophia, & Theologia repugnans est, ut probamus

sect. seq.

SECTIO

SECTIO VII.

Præfertur Sententia negans: & ostenditur ex Philosophia, & Theologia.

Suarez. 62 **E**XIMIVS Doctor *lib. 8. de Grat. Scotus.* *cap. 12. & 3. de Auxil. cap. 4. & Capr.* *tom. 4. in 3. p. disp. 4. sect. 7. & communiter S. Thom.* *ostend.* *Ripalda* *Martin.* Nostri cum Scoto, & suis, & ex Thomistis iuratis Capreolus, & alij cum S. Thoma apud Ovied. cit. Ripaldam *disp. 124. sect. 2. & Martinonum disput. 42. sect. 6.* omninò negant, & quidem verissimè, dilectionem, seu contritionem, quæ est ultima dispositio ad Gratiam iustificantem, effectivè procedere à Gratia, ad quam disponit, aut ab habitu Charitatis, qui Gratiam in sui infusione comitatur.

Trident. 63 Sic, velint nolint, conceptissimè S. Thom. Quippè 1. p. *quest. 62. art. 2.* tres distinguit conversiones hominis ad Deum. Primam, qua Beati Deum amant: & ad hanc requirit Gratiam consummatam. Secundam, qua meretur beatitudinem: & ad hanc requirit Gratiam habitualem. Tertiam, quæ ad rem præsentem facit, ait esse, qua præparatur ad Gratiam habitualem: & ad hanc non requirit Gratiam habitualem, sed operationem Dei convertentis animam ad se. Quid dilucidius? Cum ergo contritio sit conversio, qua homo se potissimum præparat ad Gratiam habitualem, ad illam efficiendam ex mente S. Thom. non requiritur Gratia habitualis; sed solum operatio Dei, quæ in phrasi S. Thom. est gratia actualis auxilians facta à Deo in nobis sine nobis. Accedit quod 1. 2. q. 109.

S. Thom. *art. 6.* ait appositissimè: *Alio modo potest intelligi preparatio voluntatis ad consequendum Gratia habitualis donum: ad hoc autem ut præparet se homo ad susceptionem huius doni, non oportet præsupponere aliquod aliud donum habituale; sed oportet præsupponere aliquod auxilium.* Nihil clarius, sicut nihil verius. Sibi que constans 3. part. *quest. 89. art. 1.* ait: *Actus primus penitentis se habet ut ultima dispositio ad Gratiam, scilicet contritio: alij verò sequentes actus penitentia procedunt iam ex Gratia, & virtutibus.* In hac ergo adversativa supponit, & significat certissimè S. Thom. primè illum actum contritionis disponentem non procedere à Gratia, nec ab habitu infuso Charitatis, sicut alij subsequentes, qui ad primam Gratiam non disponunt.

S. Thom. 64 Probatur deinde nostra hæc, & S. Thomæ sententia ab impossibili, ratione Philosophicâ, impugnando universaliter mutuas prioritates in diverso etiam genere physico, ut effugium adversarijs initio argumenti præcludatur. Constans Philosophia est, nihil posse physicè realiter causare, nisi præhabeat in se realem existentiam: quia causare est actus secundus, eoque ipso supponit actum primum, à quo fit. Nec minùs constans est, nihil creatum habere realem existentiam in se, nisi pro priori influxerint in illam eius causæ: quia causarum influxus in rem est quasi via ad rem, ut ad terminum: terminus autem acquisitus supponit peractam viam ad ipsum. Ex his concludo sic: ergo si contritio procedit hic & nunc ab habitu charitatis existente pro priori in genere effectivo, nequit in genere dispositivo esse natura prior ad habitum Charitatis, nisi per manifestam implicantiã terminorum.

65 Probatur hæc consequentia. Contritionem esse naturam priorem habitu in genere dispositivo, est disponere ad habitum, & ad existentiam habitus priusquam habitus existat: sed, si contritio effectivè procederet ab habitu, non disponderet ad habitum prius naturam, quam habitus existat: ergo non esset in genere dispositivo prior habitu. Maior, est Adversariorum explicatio. Probatur autem minor. Contritio non disponit ad habitum prius naturam; quam ipsa existat; nam disponere est actus secundus formæ dispositivæ, ac proinde non antecedens formam, quæ est actus primus. Atqui, si effectivè procederet ab habitu, non existeret ipsa prius naturam, quam habitus existat, & quam ipsa efficiatur ab habitu: ergo, si effectivè procederet ab habitu, non disponderet ad habitum prius naturam, quam habitus existat. Probatur hæc minor. Si contritio procedit ab habitu, non existit, nisi dependenter effectivè, & causata ab habitu: ergo non existit, nisi præsupponens habitum, sicut & alias causas terminatas ad se: nulla enim res creata habet realem existentiam, nisi in illam influxerint eius causæ physicæ existentes pro priori: ergo si effectivè physicè procedit ab habitu, non existit pro priori ad habitum: ergo non disponit pro priori ad habitum; quia non dispo-

mit

nit antequam existat. Quomodo ergo dispositivè est prior habitu? Profectò nõ nisi per summam implicantiã: qualis est, rem physicè disponere, antequã physicè existat: & à fortiori, physicè existere, antequã physicè existat. Nequit igitur salvari nisi per manifestam implicantiã in Philosophia prioritas dispositiva contritionis ad habitum iuxta doctrinam Concilij, si asseritur prioritas effectiva habitus ad contritionem iuxta doctrinam, quam impugnamus.

66 Quodsi mutua hæc prioritas diversi etiam generis non repugnaret, nec repugnaret, idem esse prius se ipso saltem mediãtè: nam esset prius sua causa priori se: nec repugnaret hoc ipsum in eodem genere secundum diversos respectus: sic nempe, vt idem præcederet se ipsum, vt causã; & à se ipso præcederetur, vt effectus. Vellem audire ab Adversarijs, quem sibi relinquunt locum impugnandi huiusmodi chimeras invisas toti Philosophiã. Per hæc enervatur etiã discursus constantissimus, probans necessitatem primæ Causæ improductæ, vt expendimus disp. 1. de Attrib. sect. 3. Possimus enim citra processum infinitum venire ad aliquam causam producentem hunc effectum, mutuoque productam ab illo: & ad cunctas tantæ chimeræ impugnationes possemus respondere per distinctionè diversorum respectuum eodè iure, quo Adversarij per distinctionem diversorum generum. Quo posset alius aliter delirare, nullam volens in Trinitate Personam improductam, effingens sibi, Patrem, producentem Filium, producti mutuo à Filio; sicque esse sibi mutuo priores, & posteriores secundum diversa. Quid, precor, hæc, & similia deliramenta prohibet in Philosophiã, si argumentum à nobis factum contra mutuatam naturæ prioritatem, etiam in diverso genere, non prohibet? Propter hæc, & alia, quæ graviter persequitur Eminentissimus de Lugo disp. 8. de Penit. abhorruì semper ab huiusmodi Philosophiã.

67 Probatum insuper nostra sententia argumento Theologico gravissimo, & validissimo. Ecce. Principium meriti non cadit sub merito, cuius est principium: sed Gratia, & habitus Charitatis cadunt sub merito contritionis, seu dilectionis Dei perfectæ, vltimò dispo-

nentis ad iustificationem: ergo non sunt effectivum earum principium. Maior continet Axioma Theologicum apud Adversarios indubitatum, & negandum à nemine saltem pro de facto secundum legem ordinariam, vt patet disp. 28. sect. 3. quapropter, vt signanter admonuit Torres, in homine iam præiustificato actus contritionis, & charitatis, qui deinceps fiunt, efficiuntur quidem à Gratia, seu ab habitu Charitatis iam præsuppositis; non verò ab ipsis secundum augmentum, quod de novo merentur tales actus: nõ scilicet augmentum, quod tales actus merentur, dicatur esse principium actuum, sub quorum merito cadit. Minor autem constat ex dictis ex Trident. contra Sectarios sect. 1. num. 7. quia contritio dispositiva ad iustificationem non est quomodocumque dispositio; quin potius causa moralis de congruo meritoria Gratiæ. Id quod traditur etiam idemdem à SS. Patribus. Hieron. 2. contra Pelag. scribit: Qui peccata simpliciter confitetur, humilitate meretur clementiam Salvatoris. Ambros. lib. 10. in 2. Luc. Lacrymæ non postulant veniam; sed merentur. August. tract. 24. in Ioan. Si peccator Deus non audiret, frustra Publicanus, oculos in terram demittens, diceret: Deus, propitius esto mihi peccatori: & ista confessio meruit Iustificationem. Iustificatio ergo, seu infusio Gratiæ cadit sub merito contritionis dispositivæ: ergo non est principium effectivum illius: alioquin principium meriti cadit sub merito.

68 Aliter. Contritio, cum sit dispositio moralis, movet instar meriti Deum, vt remuneratoriè infundat Gratiam, & habitum Charitatis: ergo præsupponitur existens, atque adeò producta prius naturã, quam Gratia, & habitus existant, & producantur: si enim solùm supponeretur producibilis, vel conditionatè, aut absolute producenda, non moveret remuneratoriè, quia est, ex dicendis disp. 23. à sect. 4. Ergo, quando Deus infundit Gratiam, & habitum Charitatis remuneratoriè intuitu contritionis, verè dicuntur Gratia, & habitus infundi, quia contritio est, quia homo contritus est, & quia per contritionem dignus est: ergo non vt contritio sit, & vt homo conteratur. Prima illatio liquida est ex suis terminis. Secundam evincunt discursus Sanctorum PP. Hieronymus enim in 1. Ephef.

Infrã disp. 28. Torres.

Trident.

Hieron.

Ambr. August.

Infrã disp. 23.

Hieron. Ephef.

August. Ephef. 1.

1. Cor. 7. Aurau. sic.

Canus.

Ephef. & August. 1. de Tridest. 6. ex eo quod Apostolus dicat: Elegit nos in ipso, vt essemus Sancti; inferunt adversus Pelagium: Ergo non elegit nos, quia eramus Sancti; vel: Si elegit nos, quia eramus Sancti; ergo falsò dixit Apostolus: elegit nos, vt essemus Sancti. Consonat Arausic. c. 25. ex eo quod Paulus de se dixerit 1. Corinth. 7. Misericordiam consecutus à Domino, vt sim Fidelis, inferens: ergo nõ quia erat Fidelis: Vel ergo nõ benè intulerunt ijs in locis SS. Patres, & Arausicanum, vel nos inferimus rectè, Deum non infundere Gratiam habitualem, & habitum Charitatis, vt homo conteratur, ex eo quod infundat, quia contritus est. Porro, si habitus Charitatis esset principium effectivum contritionis, infunderetur cum Gratia, vt homo conteratur: causæ namque ponuntur, vt effectus fiat; & non quia effectus fit. Dicendum igitur omninò est iuxta doctrinam Concilij, neque Gratiam, neque habitum Charitatis esse principium effectivum contritionis dispositivæ ad ipsorum infusionem.

69 Divexat Adversarios solidus iste discursus. Quippè salvare debent iuxta doctrinam Tridentini, Deum infundere Gratiam, & habitum homini, quia conterendo se disposuit meritorie ad eorum infusionem; cum tamen, si iuxta ipsos Gratia tunc infusa, aut habitus essent principium effectivum contritionis, dicere constringantur, Deum infundere Gratiã, & habitum homini, vt conteratur. Quapropter in varias responsiones distrahi necesse est.

70 Canus apud Oviedum benè vidit, contritionem non posse disponere ad habitum, & procedere ab habitu: ideòque, vt evitet implicantiã mutuatæ prioritatis, & vim nostri argumenti, ait, contritionem disponere ad Gratiam, à qua effectivè non procedit; & procedere ab habitu Charitatis, ad quem non disponit. Contra tamen. Aut enim habitus Charitatis infunditur homini, quia se disposuit ad infusionem Gratiæ, & habituum; aut quia infunditur Gratia, cuius est proprietas. Si dicatur primum, vt vincitur ex contextura Tridentini: ergo contritio non solum est dispositio meritoria ad infusionem Gratiæ, verum etiam ad infusionem donorum Gratiam comitantium, quorum præcipuum est habitus Charitatis: sicq; efficeretur ab habi-

tu ad quem disponit: Si secundum; ergo habitus Charitatis infunditur pro posteriori ad Gratiam, vt potè intuitu Gratiæ, cuius est proprietas. Si ergo Gratia nequit efficere contritionem disponentem, quia infunditur pro posteriori ad contritionem; multò minus habitus, si infunditur pro posteriori ad Gratiam.

71 Sotus in 4. dist. 16. quest. 2. art. 1. ait, contritionem disponere, & præcedere ad Gratiam, & habitum, quatenus procedit à voluntate hominis; postponi verò ad Gratiam, & habitum, quatenus efficitur ab habitu. Ineptæ præcisio. Contritio namque non disponit ad iustificationem, nisi vt realiter existens, & supernaturalis: & dicere totam rationem disponenti esse præcisè, prout est à potentia naturali redolet Pelagianismum: ergo non disponit, nisi vt procedens à suis causis, & præsertim supernaturalibus. Vel ergo disponit ad Gratiam, & habitum, vt procedens ab habitu; vel vt procedens ab alio principio supernaturali. Si primum ruit Soti responsio, & manet in sua vi nostrum argumentum. Si secundum, habemus intentum: quod nempe contritio disponens ad Gratiam, & habitum non procedit à voluntate, & habitu; sed à voluntate, & alio principio supernaturali auxiliante: non quidem habituali, sed actuali Gratiæ excitantis, & adiuvantis.

72 Caietanus dupliciter considerat habitum Charitatis: vel in ratione auxiliij ex parte Dei; & sic ait esse pro priori ad contritionem, & dari, vt homo conteratur; & in ratione habitus ex parte iustificati; & sic ait, esse posteriorem contritione, & dari, quia homo conteritur. In idem recidit quod aiunt alij ex ipso Caiet. habitum esse priorem contritione in ratione genericã auxiliij, & posteriorem in ratione specificã habitus. Ineptior evasio: qua tamen, eã, qua fuit, confidentiã vitur inutiliter Gonetæ cum multorum turba. Eam censuit fictitiam Lorca; vanam, & chimericam Suarez. Vterque benè. Implicat enim manifestè ex prædicatis realiter identificatis, vt tant ratio generica, ratio specificã, ratio auxiliij, & ratio habitus in eadem realitate habitus Charitatis, vnam esse realiter naturã prius, & aliud realiter posterius contritione: tota ergo realitas habitus Charitatis est prior contritione, si aliquid cum ipsa identificatum est prius. Con-

Sotus.

Caiet.

Gonet.

Lorca. Suar.

Tom. de Deo, disp. put. 1.

Lugo.

tricio enim, si realiter efficitur ab habitu, à rota realitate habitus realiter efficitur, totamque proinde realitatem habitus supponit, claudentem rationem genericam, & specificam, rationem habitus, & auxiliij habitualis, si sic velis loqui, ad actus subsequentes; non verò ad disponentes: nisi petatur in solutione principium. Chymericum ergo est, contritionem effici ab habitu, & non à ratione specificâ habitus: haud secus, ac si diceres, hanc causam producere hunc effectum ut causa est; &, ut effectus est produci à suo effectu, esseque illo posteriori. Quid superest Adversarijs iuxta hanc, & similes inanitates formalitatum contra eum, qui sic colludendo vellet defendere contra ipsos mutuas causalitates, & prioritates in eodem etiam genere causæ; cum sub eodem etiam genere innumeræ discendantur formalitates?

Vasq.

73 P. Vasquez ex solidioribus doctrinis respondet, habitum Charitatis esse priorem contritione in genere causæ efficientis; & posteriorem in genere causæ materialis. Quod Torres declarat sic. Habitus producitur à Deo per actionem; & recipitur in Anima per unionem posteriorem actione. Contritio autem non est dispositio, ut habitus producatur à Deo; sed ut recipiatur in anima. Itaque habitus, ut productus, præcedit, & causat contritionem: ipse tamen habitus, ut receptus, est posterior, & meritorie causatur à contritione, disponente animam ad receptionem Gratia; & habituum: Sicque salvatur habitum produci à Deo, ut homo coneratur; recipi verò in Anima, quia homo coneritur: & hoc quidem sine contradictione; quia productio, & receptio habitus realiter distinctæ sunt.

Torr.

74 Veram hic video Philosophiam distinguentem productionem habitus ab eius unionem & receptionem in subiecto: video quoque, satis benè rem componi, ut, iuxta possibles alias Dei Leges, posset habitus pro priori productus efficere contritionem disponentem ad eiusdem habitus receptionem in anima. Posset enim produci habitus à Deo nulla præcedente dispositione ad eius productionem: quinimò, & nullâ subsequenti receptionem in anima, sicque inunitus efficere cum anima contritionem: ergo etiam stantibus in instanti dispositione,

& receptione habitus, posset Deus velle producere habitum, quin id vellet intuitu dispositionum: & cum habitu efficere dispositionem contritionis, cuius intuitu vellet pro posteriori unire habitum animæ. Quid hoc vetet? Sic autem habitus pro priori productus efficeret contritionem, & contritio disponentem, ut pro posteriori habitus reciperetur in anima. Nec sequeretur ex hoc ita dispositio implicantiâ mutua prioritatis, & causalitatis: habitus enim causaret contritionem; contritio verò non causaret habitum, sed eius receptionem in anima.

75 Verum huius doctrinæ structura, satis expedita pro de possibili, neutriquam aptatur difficultati præsentis pro de facto, nec satisfacit argumento nostro. Primo: quia in naturalibus dispositiones non solum sunt, ut recipiatur, sed etiam ut earum intuitu, seu ad earum exigentiâ producatur forma sive à Deo sic volente, sive ab alijs etiam agentibus: gratis igitur aliter effingeretur decerni à Deo in dispositionibus ad Gratiam, & ad habitus virtutum: cum præsertim dicantur causæ meritoria Gratia; & donorum. Aut cur non ita? Secundo: quia sic non esset verum, quod Gratia cum habitibus producitur, quia homo coneritur: nec quod ad Gratiam à Deo producendam esset magis dispositus homo coneritus, quam non coneritus. Tertio: quia Deus, ut communiter ac verè dicitur, & creditur, producit maiorem, aut minorem primam Gratiam, & habitus infusos pro maiori, vel minori dispositione hominis: quod falleret, si non produceretur Gratia, & habitus intuitu præviæ contritionis disponentis. Quarto: quia Gratia iam producta connaturaliter debetur receptio in subiecto: ergo iuxta explicationem prædictæ responsionis nihil faceret Deus intuitu contritionis in homine, qui iustificatur, nisi quod iam facere deberet aliundè. Concludendum igitur omninò est, tam ad productionem, quam ad receptionem Gratia; & habituum disponi hominem per contritionem naturam priorem; atque adeò eiusmodi contritionem nullatenus effici ab habitu Charitatis; sed à voluntate

cum auxilijs Gratia
actualis.

SECTIO

SECTIO VIII.

Cogitatio Patris Ripaldæ sub brevibus exponitur, ac deseritur.

Ripal.

Tom. de
Christo
disp. 5.
sect. 10.
& 11.
Infra
disp. 28.

76 **F**ATETVR nobiscum præstantissimus Theologus, de ijs difficultatibus optimè meritis, contritionem positivam ad Gratiam, & habitus infusos non effici à Gratia, nec ab habitu Charitatis infuso in hac Dei Lege de facto. Excogitavit tamen sibi modum, quo id esse posset iuxta aliam Dei legem, & ordinem decernendi, disp. 124. & copiosius disp. 86. cuius doctrinæ memini sæpè sapius in similibus: tom. de Incarn. præsertim disp. 5. à num. 139. & faciemus iteratam mentionem disp. 28. sect. 3.

77 Quocirca supponit, contritionem secundum se posse effici à voluntate, sive cum habitu, sive cum auxilio intrinseco actuali, sive cū extrinseco dumtaxat assistentiâ speciali divinæ Omnipotentia. Quo posito, decernat, inquit, Deus contritionem futuram, non determinans ex vi talis decreti principium supernaturale, à quo reipsa contritio determinatè procedet. Deinde, videns contritionem sic absolutè futuram, decernat intuitu contritionis sic præviæ, dare habitum Charitatis, à quo reipsa procedat. Sic ex vna parte contritio esset causa moralis merens non solum quoad receptionem, ut aiebat Torres; quin etiam quoad primam productionem, habitum infusum Charitatis; ex alia verò parte contritio efficeretur exequutivè physicè ab eodem habitu Charitatis. Nullam autem reputat implicantiâ, positis illis modis decernendi, quod contritio prædecreta, & prævisa à Deo, ut absolutè futura, quamvis vagè ab hoc, vel illo principio, præcedat dispositivè meritorie ad determinationem huius principij, qui re ipsa sit habitus Charitatis; & quod habitus, ut iam determinatè decretus, & positus, præcedat effectivè ad contritionem exercitam. Adhibet exemplum celebre ex Tract. de Incarn. vbi dici solet, quod Christus meruit Mariæ Maternitatem. Sic nimirum, ut Deus primò decreverit Christum futurum, aut independentem ex vi talis decreti à Matre, aut dependentem vagè ab hac, vel illa; posteaque propter merita Christi sic prævisi decre-

verit Mariam Matrem, ut principium physicum determinatum Christi exercitè merentis.

78 In primis ludum istum, ut ita cum bonâ multorum veniâ loquar, Divinorum decretorum, in quo diu etiam deceptus collusi sine lucro, & non sine temporis, cerebrique dispendio, iam pridem eiuravi, per ea, quæ scripsi disp. 6. de Incarn. sect. 7. & 12. & sæpè alibi; cum omnia dignius peragat Deus, nec possit aliter, vnicò decreto, virtualiter etiam indivisibili, ut ibidem dilucidè exposui, & exponam otiosius, Deo dante, tom. venturo de Prædestinatione.

79 Deinde in exemplo adhibito Maternitatis Dei oportet observare, Christum aliquando decursu vitæ suæ extitisse independentem pro tunc à Matre; nunquam verò dependentem à Matre, quin ab hac Matre Mariâ. Vndè aliud est, Christum à Deo decerni independentem à Matre, ut re ipsa extitit aliquando conservatus à solo Deo; aliud est, decerni dependentem à Matre, quin ex vi talis decreti determinaretur hæc Mater. Si dicatur primum cum de Lugo, exemplum nõ facit ad rem, pro qua adhibetur à Ripaldæ. Quia contritio stare nequit physicè, & exercitè, quin sit à determinato principio; Christus verò stare potuit, quin à determinata Matre: atque adeò ex eo quod Christus sic potuisset decerni, non sequitur, sic potuisse decerni contritionem. Si verò dicatur secundum, ut vult Ripaldæ, exemplum affert secum eandem omninò difficultatem rei, pro qua adhibetur. Tam enim in exemplo Maternitatis; quam in re præsentis contritionis, superanda venit multiplicitas divinorum decretorum virtualiter distinctorum, sibi que virtualiter succedentium; & modus ille decernendi vagus, & cunctabundus: quæ duo, ut Deo indigna, alibi à me reiecta, amplecti non possum.

80 Præterea, adhuc his duobus suppositis, gratisque permisis, non video satis expediri in præsentis intentum Ripaldæ. Cum enim contritio sit actus vitalis, aut est adæquatè modus per se essentialiter affixus his numero principijs à quibus efficitur, ut in Animalisticis censui; aut saltem claudit essentialiter modum actionis affixum per se essentialiter his numero principijs, minimeque indifferenter ut ab his, vel alijs efficiatur,

Ggg 2

Vtrum.

Tom. de
Christo
disp. 6.

Tom. de
Prædes.

Lugo.

Ripal.

Ut ratiocinio Patris Rip. Nam contritio per se essentialiter pendens ab his numero principijs effectivis, nec decerni, nec prævideri potest à Deo indifferenter & vagè pendens sive ab his, sive ab alijs: eo enim ipso quod futura esset, esset futura pendens ab his, cum pendere nequeat ab alijs.

81 Dices, hoc esse verum de hac numero contritione; potuisset tamen decerni à Deo indifferenter & vagè aliqua contritio, sive hæc pendens ab his principijs; sive alia pendens ab alijs. Cæterum, præterquam quod hæc responsio manifestat clariùs indecentiam, & imperfectionem huiusmodi indeterminationum in decernendo, non salvat intentum suorum Authorum. Nam cõtritio, quæ revera determinatè procederet effectivè, & exercitè ab habitu Charitatis, esset hæc numero contritio; contritio verò, quæ prædecreta, & prævisa, ex vi talis modi decernendi, disponderet meritorie ad infusionem Gratiæ, & habitus charitatis, non esset hæc numero contritio, aut certè non esset potius hæc numero contritio procedens ab habitu, quam alia nunquam extitura: quandoquidem prius illud decretum æquè vagè ferebatur, sive in hæc, sive in aliam: non igitur salvatur per has decretorum ambages, quod contritio, quæ effectivè procedit ab habitu, disponat ad habitum.

82 Ex ijs, quæ proposui *disp. 5. num. 156.* posset dici, hanc numero contritionem, invariatis principijs, posse effici sive à principio supernaturali intrinseco, sive extrinseco: si nempe principium idem, modò sit intrinsecum, modò extrinsecum, & inunitum physicè voluntati. Sic autem contritio eadem prædecreta, & prævisa futura disiunctivè, & vagè, sive à principio supernaturali intrinseco, quod sit habitus; sive ab extrinseco, quod esse posset idem habitus divinitus inunitus animæ, posset dispositivè meritorie movere, ut habitus idem fieret intrinsecus per unionem ad animam, & contritio procederet à principio supernaturali intrinseco. Cæterum neque huius doctrinæ adminiculum voti competent faceret Ripaldam. Sic enim ad summum obtineretur, quod contritio dispositivè meritorie moveret ad receptionem habitus in anima: id quod sine tan-

to decretorum, & prævisionum molimine dicebat Torres, citatus à nobis, & relictus *sect. præc.*

83 Iudicium tandem meum est, nullo prorsus ingenio componi posse, quod contritio dictis modis prædecreta, & prævisa, & postea exercitè procedens efficienter ab habitu, sive à Gratia, sit causa meritoria Gratiæ, & habitus in genere meriti remunerandi, de quo est sermo præsertim cum Ripalda; benè verò in genere meriti Solutorij à nobis inferrius adstruendi cõtra ipsum, iuxta aliam Dei legem.

84 Prior pars declaratur, & probatur. Cùm enim meritum remunerandum moveat ad dandum præmium, *quia meritum est*, debet, non solum in decerni, & in prævisione; sed in re etiam, & exercitè præexistere ad existentiam præmij. Ex discursu autem Ripaldæ dumtaxat eruitur, quod contritio antecederet præmium, nempe habitum Charitatis, aut Gratiam, in decerni, & in prævisione Dei; non verò exercitè in re ipsa, ut exponit ipse Ripalda. In hoc igitur genere meriti, quod solum agnoscit Ripalda, non posset contritio disponere meritorie ad existentiam, & infusionem habitus, à quo effectivè procederet. Maiorem, quæ cardo est nostræ doctrinæ, ostendimus in simili *disp. 5. de Incarn. sect. 4.* & repetemus infra *disp. 23. à sect. 4. & disp. 28. sect. 3.* ubi consequenter ad hæc dicemus, principium meriti non posse in genere remuneratorio cadere sub meritum, cuius est principium.

85 Probatur, & declaratur posterior pars. Cùm enim meritum solutorium non moveat ad dandum præmium, *quia est; sed, ut sit*: non debet in re præexistere ad præmium; sed in intentione, seu in spe. Sic ergo posset contritio, quamvis in re non præexistens ad præmium, quod esset habitus, seu Gratia, movere meritorie finaliter ad positionem antecedentem Gratiæ, & habitus, à quo effectivè procedit iuxta aliam Dei legem, & providentiam; quamvis non iuxta præsentem: si nempe Deus vellet conferre Gratiam, & habitum ex intentione, & quasi in spe, ut fiat contritio exercitè solvens pro anticipato suo principio. Sic dixi *disp. 5. de Incarn. sect. 5.* Christum potuisse per opera sua subsequenter ad Incarnationem merei Incarnationem ipsam: &

Tom. de Christo
disp. 5.
Infra
disp. 23.
& 28.

Tom. de Christo
disp. 5.
dicam

Infra
disp. 28.

dicam *disp. 28. sect. 3.* principium meriti cadere posse sub meritum generis solutorij.

86 Existimo tamen, quod contritio hoc modo solutorio merens habitum à quo effectivè procederet, quamvis posset in eo rerum ordine dici meritum, & causa finalis sui principij, scilicet habitus; non verò dici posset dispositio ad habitum: Quia dispositio sonat præcedentiam ad formam cuius adventui disponitur subiectum: id autem pertinet ad genus causæ efficientis. Et hoc modo nequit sine mutua, & implicatissima prioritate, habere se contritio ad habitum, à quo effectivè procederet. Undè nullo prorsus modo componi potest, quod contritio, quæ sit dispositio ad habitum charitatis, effectivè procedat ab habitu charitatis in primo suo esse.

87 Addidi: *in primo suo esse.* Quia si contritio duraret conservata per aliquot instantia, posset pro secundo, & sequentibus instantibus conservari effectivè ab habitu, ad quem disposuit, in illorum sententia, qui actum vitalem in qualitate constituunt. Ego quidem cum alijs aliter sentio, actum vitalem esse modum esseque sui actionem à principijs effectivis, sui que receptionem in subiecto: ac prout non effectibilem, nisi ab ijs à quibus semel efficitur. Addo, esse quoque sui durationem, ac proinde non conservabilem per duo instantia, sed variadum fluxibiliter per singula, ut insinuavi *disp. 13. de Attrib. num. 115.*

Tom. de Deo
disp. 13.
sect. 10.

SECTIO IX.

An iuxta aliam Dei Legem, & Providentiam posset infundi Gratia, & peccatum remitti sine ulla dispositione, & retractatione peccatoris.

88 LOQUVTI sumus, ut plurimum pro de facto iuxta præsentem Dei Legem. Iuxta aliam verò Dei Legem, & providentiam, docent, & meritò, Suar. Vasq. Delugo cum alijs satis communiter, quos citant, & sequuntur Ovied. *Contr. 2. pun. 9.* Rip. *disp. ult. sect. 24.* Granad. *11. act. 9. disp. 1.* Martinon. *disp. 42. sect. 8.* Esparza *q. 12.* & obiter Compton. *disput. 124. nu. 8.* quod potuisset Deus remittere peccatum, & infundere Gratiam absque ulla voluntaria dispositione, & retractatione peccatoris.

Suar.
Vasq.
Lug.
Ovied.
Ripal.
Gran.
Mart.
Espar.
Compt.

89 Probatur primo. Quia, ut arguit S. Thom. 3. *contra Gent. cap. 56.* non magis requirit Gratia dispositiones morales, quam forma naturalis physicas: sed, quavis hæc requirat physicas, ut naturaliter introducat, potest divinitus sine illis introduci, ut in miraculosa plurium resurrectione: ergo posset etiam à Deo Gratia infundi, ac proinde peccatum hominis remitti, absque prævia dispositione morali, seu retractatione peccatoris. In neutro enim istorum occurrit, nec præsumitur essentialis implicancia.

90 Secundò. Quia de facto infunditur Gratia, & remittitur peccatum Parvulis absque propria dispositione, & retractatione voluntaria. Cur ergo non similiter id potuisset Deus in Adultis? Dices: quia, cum peccata personalia Adulti fuerint voluntaria aversio à Deo, & non ita originale Parvulorum; nequeunt illa remitti sine voluntaria conversione ad Deum, quæ est illorum retractatio. Contra tamen primò: qui peccata venialia, personalia quidem sunt: & tamen de facto in Adulto, qui se per contritionem disposuerat ad Baptismum, & mox commisit aliqua venialia, & sine istorum retractatione ritè baptizatur, remittuntur. En ergo peccatorum etiam personaliùm remissionem sine retractatione voluntaria peccatoris. Cur ergo sic fieri non posset de mortalibus personaliibus. Contra secundò: quia originale est suo etiam modo voluntarium homini, vel in se, vel in capite: & consequenter voluntaria aversio à Deo, saltem in Capite: & tamen remittitur Parvulis absque retractatione, nec in Capite. Porro, si ratio responsionis valeret, nõ posset remitti originale, quod est voluntarium in capite, sine retractatione saltem in Capite, sicut dicitur non posse remitti personale, quod est homini voluntarium in se, sine retractatione voluntaria in se. Quod tamen, factum cum sit, infringit totam rationem responsionis.

91 Tertio. Quia homo homini, qui voluntarie illum offendit, remittere posset, & solet offensam absque voluntaria retractatione, imò & absque notitia offendentis: cur ergo non similiter Deus, remissor clementissimus? Dicunt: quia ad remissionem requiritur aliqua mutatio physica: quæ, cum fieri non possit in Deo essentialiter immutabili, necesse est fiat

Supra
disp. 13.

in homine, cui fit remissio: qui propterea retractare debet. Contra tamen primo: quia fieri posse remissionem homini a Deo sine ulla profus physica mutatione vidimus satis *disp. 13. sect. 6.* Secundo: nec posset Deus absolvere hominem ab obligatione Legis, nec voti, nec iuramenti sine physica mutatione: quod est ex terminis falsum. Tertio: quia, facta remissione, ut nunc contendimus, per infusionem Gratiae, iam fieret in homine physica mutatio: ergo ad hoc non opus esset retractione. Nec valet dicere, hominem homini remittere posse sine retractione offensas contra se; & sic quoque Deum; non verò prout sunt contra naturam rationalem. Quippe Deus est caput, & Princeps naturae rationalis, potius quam Reipublicae Princeps humanus: cur ergo, sicut iste remittit sine retractione offensas prout sunt etiam contra Rempublicam suam; non posset Deus, etiam ut sunt contra naturam rationalem? Quidquod sequeretur absurdissime, non posse Deum homini contrito ex amore puro charitatis, remittere peccata, prout sunt contra naturam rationalem; siquidem homo non ea retractaret, quia sunt contra naturam rationalem; sed quia contra Deum.

92 Quarto à priori. Si enim id non posset Deus, ideo esset, quia dum peccator non retractat, maneret in homine habitualiter peccatum, ac proinde irremissum: sed hoc est falsum: ergo posset. Probatur minor: nam eo ipso quod peccatum non perseveret moraliter in homine, non manet habitualiter: sed, quamvis homo non retractaret, posset peccatum suum non perseverare moraliter: ergo falsum est, quod, homine non retractante, eo ipso praecise maneret habitualiter peccatum. Probatur haec minor: quia, quin homo retractaret, posset deesse perseverantia moralis peccati: quae deficiente, nec physice, nec moraliter perseveraret peccatum: ergo, quamvis homo non retractaret, posset non perseverare moraliter peccatum. Antecedens ostenditur: nam perseverantia moralis peccati; dato quod diceret essentialiter non retractionem; aliquid aliud dicit essentialiter praeter illam: si enim illam solam diceret, eo ipso praecise quod peccator retractaret, delineret peccatum perseverare moraliter, essetque omnino

ablatum, ac remissum: quod est plusquam falsum. Ergo deficiente illo alio, quamvis non poneretur retractatio, deesset perseverantia moralis peccati: nam, ut res desit sufficit deesse aliquid ex constitutivis rei, ut est per se certum. Dices, hoc quidem verum esse: at illud aliud constitutivum perseverantiae moralis esse divinam irremissionem; quae deficere nequit, nisi posita remissione: Dei autem remissionem poni non posse, nisi praecedente retractione peccatoris. Ceterum fundamentum huius responsionis convulsus manet in praecedentibus: ubi probavimus, dabilem esse Dei remissionem, sive per condonationem pure extrinsecam; sive per intrinsecam infusionem Gratiae, sine praevia retractione peccatoris. Quo concluditur, sine hac dabilem esse, iuxta alias Dei Leges, infusionem Gratiae remissivae peccati; atque adeo iustificationem sine retractione peccatoris.

93 Contradidunt nihilominus graves Theologi, Sotus, Lorca, Conradus, Becanus, Amicus *disp. 32. sect. 2.* & alij apud Ripald. *sect. 24.* doctique RR. quos suppresso nomine laudat Heriz *disp. 17. num. 14.* quorum unicum fundamentum est huiusmodi. Peccatum voluntarie commissum, quando non retractatur à peccatore, manet moraliter in esse voluntarij: ergo in esse peccati habitualis: ergo nequit desinere esse habitualiter; ac proinde nequit remitti, nisi retractetur, sicq; fiat involuntarium peccatori. Atqui nec infusio Gratiae, nec extrinseca condonatio faciunt illud involuntarium homini, cum non sint actus hominis: ergo maneret in esse voluntarij, ac proinde in esse peccati habitualis, quando ab homine per actum suum non retractatur. Unde, si absque retractione remitteretur, maneret habitualiter, quia non retractatur; & non maneret, quia iam esset remissum: quod est clara contradictio.

94 Confirmatur. Qui hodie peccat, dum non retractat, iudicatur, manere habitualiter in voluntate peccati: quemadmodum Religiosus, qui hodie vovet obedientiam crastinam, iudicatur velle obedire, dum non retractat voluntatem obediendi; & Sacerdos, qui hodie vult offerre sacrificium crastinum pro amico, cras censetur manere habitualiter in eadem voluntate, eo ipso quod non retractat:

Ergo

Ergo quia similes actus voluntarij, quales sunt omnes personaliter peccaminosi, non desinunt permanere habitualiter in homine, dum homo per retractionem oppositam non illos facit sibi involuntarios. Implicat ergo, quod peccatum desinat esse habitualiter in homine, ac proinde remitti à Deo, si homo proprio actu illud homo non retractat, sic se disponens ad remissionem, seu ad infusionem Gratiae iustificantis.

95 Pro responsione duplex discerni debet permanentia habitualis actus voluntarij physice praeteriti. Una pure affectiva, sive existimativa: quae videlicet post actum physice praeteritum, manet homotaliter dispositus, & affectus, ut non det ex parte sui fundamentum ad prudenter existimandum, se reprobare, aut nolle, quod fecit, aut voluit. Alia effectiva, quae taliter permanet actus praeteritus quoad effectum, quem primo induxit, ac si physice duraret. Prior illa permanentia habitualis pure affectiva peccati non sufficit, ut homo dicatur adhuc absolute peccator, & inimicus Dei. Posterior autem ista effectiva sufficit. Non quia permanentia peccati, quatenus dicit divinam irremissionem, faciat hominem peccatorem; sed quia peccatum actuale fecit peccatorem, Deique inimicum, non solum pro tunc, sed pro semper, quando à Deo non remittitur, seu non tollitur quoad effectum inimicitiae: idemque peccatum non sic ablatum à Deo permanet habitualiter quoad effectum inimicitiae divinae.

96 Hinc ad objectionem distinguo antecedens: peccatum, quando non retractatur manet moraliter in esse voluntarij, habitualitate, seu permanentia morali pure affectiva, & existimativa, concedo: habitualitate effectiva quoad effectum faciendi adhuc peccatorem, & inimicum, nego antecedens, & consequentiam, si à Deo interim remitteretur: quia prior illa permanentia pure affectiva non sufficit sine irremissione ad hunc effectum, alioquin iure suo suspendibilem à Deo offenso. E contra diximus *disp. 12. sect. 1.* in homine, quantumvis per contritionem perfectam retractante peccatum, non permanere moraliter peccatum habitualitate affectiva, & existimativa; permanentem tamen habitualitate effectiva quoad effectum reddendi adhuc hominem pec-

Sup.
disp.
15.

catorem, Deoque inimicabiliter invisum, si ad eam hominis retractionem non accederet divina remissio. Nego deinde secundam consequentiam: & concessam minori subsumptam, nego postremam subillationem. Quia, non facto peccato positive, & affective involuntario per retractionem, adveniente Dei remissione, desineret esse habitualiter voluntarium effectivè, quoad effectum reddendi, adhuc peccatorem, Deique inimicum: hunc enim effectum induxit peccatum donec à Deo non remitteretur, cessaturum eo ipso quod, accedente remissione, cesset irremissio.

97 Ad confirmationem, videor mihi in illis ipsis exemplis videre confirmationem nostrae responsionis. Postquam enim Religiosus voluntarie vovit, duplici illo modo habitualitatis dici potest permanere moraliter ea voluntas vovendi physice transacta. Scilicet, aut habitualitate pure affectiva, & existimativa, quae nunquam facti poenitens presumatur ratam semper habere voluntatem illam vovendi; vel habitualitate effectiva quoad effectum reddendi Religiosum, & regulis obligatum. Prior illa habitualitas permanet, quando facti poenitens non retractat, quamvis, interposita relaxatione voti per legitimam potestatem, tolleretur votum quoad vim obligandi. Posterior verò durat, quacumque interposita retractione Religiosi, quando votum non relaxatur à legitima potestate. Hinc, in forma ad confirmationem, verum est antecedens de habitualitate pure affectiva; non de effectiva, ut dictum est: & similiter distinguendae sunt duae illationes.

98 Urgent. Homo habitualiter volens nequit reddi non habitualiter volens per voluntatem alienam: ergo peccator, qui est in habituali, nequit reddi de habitualiter peccatore non peccator habitualiter sine voluntate retractativa propria, per remissionem quancumque: quae quidem non est voluntas peccatoris; sed Dei. Respondetur ex dictis, distinguendo antecedens: nequit reddi non habitualiter volens habitualitate affectiva, concedo; habitualitate effectiva, subdistinguo maioris explicationis causa: quando habitualitas effectiva, sive effectus in ordine ad quem illa dicitur, non pendet in sui perseverantia à iure alienae volun-

voluntatis, concedo: quando pendet à iure alienæ voluntatis, potentis pro libito non uti iure suo, nego antecedens. Tunc enim penes alterius voluntatem erit, quod non permaneat effectus ille præsens, & habitualitas illa effectiva voluntatis physice præterite, ut patet per exemplum voti Religiosi adhibitum *in præc.* Sic autem res habet in habitualitate effectiva peccati: dicitur enim habitualiter perseverare reddens hominem peccatorem, & inimicam Deo in posterum dependentem à iure Dei offensæ: quo iure, si Deus remittens uti non velit, deficit esse talis effectus; ac proinde deficit habitualitas effectiva peccati, ipsumque peccatum habituale, quantumvis homo non retractet. Unde negatur consequentia.

99 Insuper. Peccatum habituale est habitualis conversio ad creaturam: sed conversio ad creaturam nequit tolli, nisi per aversionem à creatura, quæ est retractatio: ergo neque peccatum habituale sine retractatione peccatoris. Confirmant. Actus bonus præteritus, ut dilectio Dei, reddit hominem bonum, & habitualiter conversum ad Deum, quandiu non retractatur: ergo & malus malum, & aversum à Deo: ac proinde habitualiter peccatorem, quandiu non retractatur: ergo in ratione peccati est omnino inaufertibile, & irremissibile sine retractatione peccatoris.

100 Respondetur, negando minorem. Sicut enim conversio actualis ad creaturam tollitur physice, quin physice ponatur aversio, eo nempe præcisè, quod physice desinat esse, sic habitualis tollitur habitualiter, quin ponatur aversio; eo similiter præcisè, quod desinat esse habitualiter. Desinit autem esse habitualiter effectivè, remittente Deo: nam eo ipso desinit perseverare, quoad effectum illum reddendi hominem inimicabiliter inimicum Deo: non enim Deus rationabiliter odisset ut inimicum hominem, cui remittit offensam. Ad confirmationem, dato antecedente, negantur illatio, & subillatio. Ratio disparitatis est, quam ex humanis comprobatur rectè Ripalda citat. quia moralis perseverantia actus mali offendentis Deum, pendet eo ipso à iure Dei offensæ speciali modo, quo non pendet perseverantia moralis actus boni. Nam circa malum peccati competit Deo duplex pote-


tas; una vindicativa, qua potest propterea hominem punire, & odisse; sicque non tollere peccatum: alia remissiva, qua potest condonare, & remittere, sicque delere & tollere peccatum: at circa bonum obsequij, cum non sit contra Deum non competit Deo eiusmodi potestas vindicativa, quæ tollatur; sed remunerativa. Sic in humanis potest homo offensæ cedens iure suo per remissionem tollere iniuriam sibi factam; non sic obsequium.

101 Dices tandem, ex ijs sequi, quod divina voluntas non remittendi esset ratio, cur peccatum perseveret in homine, & cur homo sit habitualiter peccator: ergo Deus potius quam homo, esset specialis causa peccati habitualis. Non enim esset penes hominem, sed penes Deum, quod peccatum physice præteritum moraliter, & habitualiter perseveret, non facta remissione; aut quod, facta remissione, desinat sic perseverare. Respondetur, distinguendo sequelam: divina voluntas esset ratio cur peccatum perseveret per modum inducentis peccatum, nego; per modum non auferentis, concedo: nec est absurdum, quod Deus non auferat peccatum commissum; sicut nec quod non impediat committendum; cum ad neutrum ullo iure teneatur. Nego deinde subillationem. Causa namque peccati solus dicitur qui illud induxit, vel obligatus impedire non impedivit: sic autem se habet homo, non Deus: homo enim induxit peccatum reddens se Deo inimicum, & inimicum pro tunc, & prodeinceps, quandiu non remittatur à Deo.

102 Ita videlicet, ut quod animam habitualiter inficit non sit quidem irremissio divina, in qua stat moralis perseverantia, seu non ablatio peccati; sed est peccatum ipsum moraliter perseverans, quamvis in ratione moraliter perseverantis constituatur oblique more concreti accidentalis per voluntatem divinam irremissivam; sicut constituitur in ratione prohibiti, & mali per legem bonam. Hinc ad rationem subiunctam consequentiæ, respondeo cum distinctione: non esset penes hominem, sed penes Deum, quod peccatum habitualiter perseveret; penes Deum, inquam, ut cautantem, & inducentem peccatum nego; ut non auferentem, concedo. Homo enim est, qui causavit & induxit peccatum physice.

physice, quando commisit; & moraliter pro in æternum, nisi à Deo remittatur, & auferatur. Unde nec est Deus causa peccati, nec est quid Deum indecens, sed liberrimum illud non auferre; cum nullo iure ad id teneatur, quamvis possit; sicut neque quod illud non impedierit, quam-

vis posset, quando commissum fuit. Solus igitur homo fuit causa physice inductiva dum actu peccavit; & moraliter conservativa dum à Deo non remittitur: quatenus actu peccans fecit se dignum æternæ inimicitia, & irremissione Dei.



DISPUTATIO XXI.

DE CAUSIS, AUGMENTO, INÆQUALITATE, & Termino Gratiæ iustificantis.

P RIMA Gratia in præsentibus, dum sermo est de Habituali, vocatur illi gradus Gratiæ, sive plures, sive pauciores, qui infunduntur, dum primò iustificamur, vel sanctificamur intuitu dispositionum supernaturalium præcedentium, vel etiam Sacramenti. Secunda Gratia, dicuntur ulteriores gradus supervenientes, dum augetur Gratia intuitu novorum meritorum ex opere operantis, vel intuitu etiam Sacramentorum ex opere operato. Id quod oportet hic semel adnotare pro hac, & sequentibus Disputationibus.

SECTIO I.

Quæ sint causæ Gratiæ iustificantis: & qualis eius productio.

T RIDENT. *sess. 6. cap. 7.* docet, finalem causam Gratiæ iustificantis esse Gloriam Dei, & vitam æternam; efficientem, Deum; Meritoriam, Christum; Instrumentalē, Sacramenta. Præter Christum habet etiam Gratia causas alias morales meritorias minus principales. Homo namque, se voluntariè rite disponens ad iustificationem, per illos suos actus dispositivos meretur primam Gratiam de congruo; & deinceps per actus subsecutos meretur secundam, seu augmentum Gratiæ de condigno: de quo suis in locis. Restant pauca perstringenda circa causas physicas Efficientem, & Materialē. Nam Formalem non habet, cum ipsa sit forma physica accidentalis subiecto suo inherens.

3 Materialis igitur Gratiæ causa est certò substantia Animæ, si hæc non distinguitur realiter à potentijs, ut iudico verum in Animasticis. Dubium est: an, supposita reali distinctione Potentiarum

ab Anima, causa materialis, seu subiectum immediatè receptivum Gratiæ habitualis sit ipsa substantia Animæ; an potius aliqua ex Potentijs. Qui opinantur, Gratiam esse habitum virtutis Charitatis dicunt communiter, recipi in voluntate. Quo tamen non obstante Ripalda *sess. 30.* Ripalda eam collocat in substantia animæ: quia Gratia, sive sit, sive non sit habitus Charitatis, habet munera quasi naturæ in eo ordine supernaturali; ideòque postulat sedem in substantia Animæ. Diximus nos, Gratiam non esse habitum specialis virtutis Charitatis; sed esse alium habitum ex æquo se habentem ad omnes virtutes. Dicimus ergo nunc, Gratiam immediatè residere in substantia Animæ; ibique esse radicem habituum infusorum omnium virtutum, tam intellectus, quam voluntatis.

4 Efficiens causa physica principalis ex Trident. cit. est solus Deus: quod est ita certum, ut de Fide id censet Tannerus; & Oviæ oppositum censet temerarium. Quod si Sacramenta dicuntur etiam causare Gratiam efficienter; id intellige de efficientia morali: & quamvis illis tribuant multi efficientiam physicam,

Hhh

Id

id intelligunt de instrumentali : de quo disputatur in tract. de Sacram. in Genere, vbi latè, doctèq; P. Bernal disp. 9. & 10. Hæc pro de facto.

Bernal.

5 Est dubium circa causam materiale, quæ est Anima : an dicenda sit causa materialis principalis Gratiæ ; an instrumentalis. Quæstio est minimi momenti, statuta significatione vocum. Communiter dicitur principalis. Quia, quamvis absolute sit improporcionata, egeniq; elevari, vt recipiat Gratiam: non tamen elevatur à principio concurrente in eodem genere receptivo : ideòque dicitur in eo genere principalis. Diximus de hoc disp. 5. sect. 9.

Supra, disp. 5.

6 Est & aliud dubium circa efficien-tem : an de possibili dabile sit agens creatum physice effectivè causativè Gratiæ. Affirmant communiter Moderni, nisi duabus doctrinis mihi non veris. Una est, quòd in qualibet creatura datur potentia activa obedientialis ad quoslibet effectus non repugnantes. Sed hoc reiecti sæpius in Physicis, & in Theologicis. Alia est, quòd possibilis est substantia entitativa creata supernaturalis, cui Gratia esset connaturalis. Hoc etiam improbavi ex professo disp. 18. de Attrib. sect. 4. & alibi remissivè.

Tom. de Deo, disp. par. 18.

7 His non obstantibus iudico, dabilem esse causam creatam physice effectivam Gratiæ obedientialiter. Ratio mihi est. Quia, quamvis non cuilibet rei insit virtus obedientialis effectiva quorumlibet effectuum; inest tamen aliquibus rebus ad aliquos. Non autem occurrit, nec præsumitur ratio repugnantia rei alicuius naturalis, habentis virtutem inchoatam, seu obedientialem ad efficiendam Gratiam; qualem habet intellectus naturalis ad efficiendam visionem beatificam.

8 Quinimò nec video repugnantiam rei create habentis virtutem principalem. Quamvis enim repugnet substantia creata entitativa supernaturalis, vt certè repugnat; non tamen repugnant accidentia supernaturalia Gratiæ, quæ nunc est, perfectiora ex disp. 19. num. 76. Cur ergo implicet, aliquod ex illis habere virtutem effectivam principalem Gratiæ?

Supra, disp. 19. sect. 8.

9 Circa productionem Gratiæ habitualis, alij volunt esse creationem; alij educationem. Scotus, nostrique Conimbricenses 1. Phys. cap. 9. quæst. 12. art. 5. & 7.

Scotus. Conim.

opinantur, Gratiam creati. Quia in Sanctis PP. & Scripturis creati, & infundi dicuntur passim Dona supernaturalia à solo Deo producta. Respondetur tamen, quòd dicuntur creati largo modo in eo sensu, quo cuncta infra Deum increatum dicuntur creata. Addit S. Thom. supernaturalia appositori metaphorà dici creati, quatenus sunt ex nihilo moraliter; id est, ex nullo nostro merito condignò; imò nec congruo, si reducuntur ad exordium, & radicem primi auxiliij, quod fit in nobis sine nobis.

10 Dicendum est cum Suarez, Vasq. & communiori sententia apud Ripald. tom. 1. disp. 7. Gratiam fieri per educationem. Est enim accidens physicum: atque adeò more aliorum accidentium factum dependenter à subiecto. Et ratio à priori est ex Physicis: quia formam, sive substantialem; sive accidentialem, educi, non est aliud, nisi produci in subiecto inhaerenter: hoc est, sine quo naturaliter esse non potest: sed Gratia producit, & subiectatur in Anima, extra quam naturaliter esse non potest: ergo educitur sicut alia accidentia physica. Favetque phrasit Tridentini sess. 6. afferens nos iustificari per iustitiam nobis inhaerentem: nosque recipere Gratiam inhaerentem nobis. Nec obest, quòd sit supernaturalis: multa enim supernaturalia certò educuntur; cum sint actus vitales nobis essentialiter immanentes.

Suar. Vasq. Ripald.

Trident.

SECTIO II.

De inæqualitate, & augmento Gratiæ habitualis.

11 ERROR est quorundam Hæreticorum, habitualement Gratiam esse in omnibus iustis æqualem. Contra quod docuit nos Tridentinum, esse in multis inæqualem sess. 6. cap. 7. ibi: Iustitiam recipientes unusquisque suam secundum mensuram, quam Spiritus S. paratur singulis, prout vult, & secundum propriam uniuscuiusque dispositionem. Et colligitur ex multis Scripturis, iuxta quas Gloria non est æqualis in Beatis: ergo neque in Iustis Gratiæ: cui nempe Gloria commensuratur.

Trident.

12 Idem Tridentinum cap. 10. cuius titulus est: De accepta Iustificationis incremento: docet per totum, nos per opera mereri Gratiam augmentum. Idemq; stat in Can.

Can. 24. Constans igitur ex Fide nobis est, in Iustis virtuosè operantibus augeri primam Gratiam: augmento scilicet intensivo ad instar aliarum qualitatum, cum sit verè qualitas physica. Hoc augmentum intensivum fit per additionem gradus ad gradum. Hos gradus singulos singulis similes, & æquales volunt multi. Eos tamen dissimiles, & inæquales adstruxi cum Suarez ex professo, tam pro naturalibus qualitatibus, quam pro supernaturalibus, in Libris de Ortu, & Invenitu.

Suarez.

Supra, disp. 17.

13 Pari modo cum augmento Gratiæ habitualis fit augmentum habituum infusorum virtutum, vt diximus disp. 17. sect. 3. Duo occurrunt observanda. Primum contra vanam aliquorum Mysticorum existimationem, seu potius inscientiam; Gratiam, ac proinde virtutes infusas, nec infundi, nec augeri, nisi aut per actus ex opere operantis, aut per Sacramenta ex opere operato: Et in Adultis nec per Sacramenta sine actibus. Secundum, nec Gratiam, nec habitus infusos augeri per actus illam physice causantes, vt causant suos habitus acquisitos actus virtutum repetiti; sed moraliter meritorie: quatenus intuitu actuum meritoriorum hominis iusti post primam Gratiam superinfundit Deus in præmiis novos gradus secundæ Gratiæ, & habituum infusorum. Videndus Rip. disp. 52. & 129.

Ripald.

14 Notandum, quòd quantumvis Gratiæ hæc habitualis augeatur, non erit opposita cum peccatis venialibus: quia nunquam erit hæc huius Gratiæ natura: & per augmentum non mutat speciem: sicut calor quantumvis intendatur, non fit ignis; sed magis, ac magis calefacit, & disponit ad ignem.

Arriaga.

15 Ob similem rationem Gratiæ hæc habitualis, quantumvis augeatur, & intendatur, non opponetur cum fomite peccati, vt bene Arriaga disp. 51. sect. 5. Quia Gratiæ hæc opponitur cum peccato mortali dirimente amicitiam: fomes autem peccandi non est peccatum; sed est appetitus motibus suis indeliberatis præveniens rationem. Profecto Paulus, cum plus omnibus laborasset, intensissimam habebat Gratiam, quando de se dixit: Caro contempnit adversus spiritum.

Galat. 5.

16 Per quos actus hominis iusti augeatur Gratiæ: an per actus omnium virtutum? an per solos actus Charitatis?

an per actus remissiores se? & alia huiusmodi, videbimus agentes de Merito disp. 24.

Infra disp. 24.

SECTIO III.

An, & qualem augmenti, seu intensivæ terminum habeat Gratiæ habitualis.

17 QVORVMDAM fuit error, ita singulis præfixum esse à Deo terminum suæ sanctitatis, & Gratiæ, vt multi ad illum perveniant ante finem vitæ; & deinceps nec teneantur, nec Gratiam augeant, quomodolibet operentur. Oppositum colligitur ex illa generali adhortatione Apoc. 3. Qui iustus est, iustificetur adhuc: & definitur in Conc. Vienens. in Clement. Ad nostram, de Hæret. vt certum sit, per opera bona iusti augeri Gratiam usque ad instans mortis.

Apoc. 3. Vienens.

18 Nec inde inferitur, quòd possit aliquis absolute cõsequi tantum Gratiæ quantum habuerunt Christus, aut B. Virgo. Nam, vt communiter, rectèque Theologi apud Rip. disp. 129. sect. 7. & Hart. disp. 149. de Char. lege suâ taxavit Deus hominum, & Angelorum auxilia, ita vt exæquare nequeant eximias illas Sanctitates. Id quod Deo distribuenti dona sua, prout vult, facillimum est. Idem dicunt alij de gradibus Gratiæ aliquorum Sanctorum eximie dignitatis, vt de Apostolis, de Baptista, & de S. Iosepho: de quibus scribit multa in hunc scopum P. Suar. disp. 8. & 24. de Vita Christi.

Ripald. Hurtada.

Suarez.

19 Hinc inferunt bene Theologi, hominibus communiter iustis præfixum à Deo esse terminum Gratiæ, ad quem pertingere non possint. Huncque vocant terminum extrinsecum intensivæ, seu augmenti Gratiæ. An verò præfixus illis quoque sit terminus intrinsecus Gratiæ, ad quem scilicet pertingere possint, & non ultra; multi negant.

20 Sed videtur similiter affirmandum cum doctis Magistris. Virtus enim auxiliorum, quæ exhibentur, & activitas voluntatis nostræ cum illis, limitata quidem sunt: ergo suam habent terminum assignabilem in operando, quem attingere possint, & non ultra. Probatur consequentia: quia habent terminum extrinsecum assignabilem, vt vidimus, gradum scilicet Gratiæ, quem attingere non possint: ergo & intrinsecum, quem attingere possint, & non ultra. Quod

Hhh 2

ostendit.

ostenditur descendendo gradatim ab assignato termino extrinseco. Sit v.g. gradus centesimus. Ad hunc, ut supponimus, non potest homo pervenire. Vel ergo potest ad nonagesimum nonum; vel non potest. Si potest, ergo nonagesimus nonus gradus est iam terminus intrinsecus: ad quem scilicet pervenire potest, & non ultra. Si non potest, descendamus ad alium gradum: de quo idem interrogo: & sic de alijs: & venietur abs dubio ad aliquem, de quo necesse sit dicere, quod ad illum pertingere potest homo, & non ultra. En ergo terminum intrinsecum.

21 Obijciēs: sequi, quod evenire posset, ut homo ante finem vitæ perveniret ad terminum intrinsecum suæ Gratiæ; & consequenter, quod deinceps, aut nullum opus bonum posset facere, aut sine præmio augmenti Gratiæ illud faceret: quod videtur absurdum accedens ad errorem damnatum in Vienen. ut retulimus *num. 17.* Respondetur, sequelam esse falsam, iuxta præsentem Dei Legem, & providentiam, in qua versabatur error ille: quidquid sit iuxta aliam possibilem, in qua id nec esset error, nec absurdum. Ratio est: quia Deus taliter dispensat auxilia, ut adsint usque ad finem vitæ, pro adimplerione saltem præceptorum, quæ tunc urgent. Quodsi aliquando ante suscepit iam homo Gratiam, quam re ipsa habiturus est, & non ultra; non est, quia ex vi auxiliorum quæ habuit, & quæ habet, non potuerit, aut potestate antecedente non possit pertingere ad ulteriori gradus; sed quia consequenter non explevit, aut non explet consensu suo totam virtutem auxiliorum. Itaque pervenit ad eum gratiæ gradum, ad quem re ipsa perventurus est; non verò ad eum, ad quem ex vi auxiliorum pervenire potuit.

22 Hæc de iustis prout in plurimum. Quippè, exceptis Christo, & Maria, qui immunes ab imperfectione morali, omnè auxiliorum activitatem expleverunt; nemo est, qui proficere non potuerit ultra id quod profecit, aut intensius, aut frequentius bene operando; aut omnia auxilia sibi collata faciendo congrua, aut multa venialia evitando, quæ præ fragilitate, & tepiditate suâ, maiori, vel minori, non evitarunt.

23 Restat difficultas de possibili: an

Gratia in aliquo angeri, sive intendi possit à Deo sine termino in infinitum, taliter ut actu quis haberet Gratiam infinite intensam. Quid de facto sentiant multi, quidque sentiendum sit de infinitate, & summitate Gratiæ habitualis Christi Domini scripsi *disp. 14. de Incarn. sect. 3. & 4.* Ad propositam difficultatem de possibili negant multi Philosophi, & Theologi quos noviter, nervoseque sequitur P. Aranda *lib. 5. de Incarnat. disp. 1. sect. 3.* quia generaliter reputant impossibilem qualitatem infinite intentam. Quæstio Philosophica est: in qua iuxta sua principia discurret unusquisque.

24 Argumentum negantium est huiusmodi. Vel intensio Gratiæ fit per gradus homogeneos; vel per heterogeneos. Respondebo cum Suarez, per heterogeneos. Inferunt: ergo gradus intensior excedit alios, eò plures, quò magis intenditur Gratia. Concedimus. Pergunt: ergo, datâ Gratiâ infinite intensâ, dabitur gradus determinatus Gratiæ excedens infinitos gradatim minus, ac minus intensos. Est quoque verum. Subinferunt: ergo inter illum gradum, & primum, qui sunt duo termini intrinseci clauditur infinitorum graduum: quod est contra naturam infiniti: ut potè non potentis claudi terminis intrinsecis. Negamus tamen subillationem; aut potius eius suppositionem: quod nempe illi duo gradus sint termini intrinseci graduum infinitorum interiacentium. Deus enim, & formica non sunt termini intrinseci infinitarum creaturarum interijcibilium inter formicam, & Deum. Terminus intrinsecus est ad quem pervenitur; extrinsecus, ad quem non pervenitur; ille est contra essentiam infiniti; iste non, Gradus igitur ille infinite intensus excederet infinitos, & nullus illorum infinitorum ad illum perveniret, imò quolibet ex illis assignato esset alius, & alius nondum pertingens ad illum: itaque non faceret infinitum clausum terminis intrinsecis.

25 Insistunt. In collectione omnium Graduum intensiois infinite est primus remississimus, qui nullum excedit, & ab aliquo exceditur: & nullus est qui ab aliquo non excedatur. En ergo impllicantiam: nam gradus excedentes essent plures, & non essent plures excessus. Essent plures, quia est vnus qui non excedit

Tom. de Christo, disp. 14.

Arand.

Suar.

dit; cum nullus sit qui non excedatur. Non essent plures: quia nullus est excedens, cui non correspondeat excessus.

26 Respondetur, quòd vel est sermo de collectione omnium dumtaxat graduum usque ad infinite intensum exclusive; vel etiam inclusive. Si inclusive, negatur non dari gradum, qui non excedatur; nam ille productorum summus à nullo actuali exceditur. Si exclusive, conceditur esse plures excessus, quàm excedentes; quia nullus est qui non excedatur; & est vnus, qui non excedit. Undè non sequitur impllicantia consequentiarum non enim est verum, quòd in hoc sensu non essent plures: quia, quamvis utriusque tam excedentes, quàm excessi infiniti sint, est vnus excessus qui non excedit, scilicet remississimus; nullus tamen qui non excedatur, cum nullus sit assignabilis qui non excedatur in infinitum. Fateor tandem nullum esse gradum excedentem cui non correspondeat excessus, & nullum excessum cui non correspondeat excedens. At non cuilibet excedenti correspondet excessus qui simul sit excedens; sicut cuilibet excesso correspondet excedens, qui simul est excessus. Undè nunquam est verum non esse plures excessus. Nec inconveniens reputo, in eiusmodi infinitis, dari vnum maius alio. Hæc cursum. Nec has, sicut nec alias difficultates similes evitant qui admittunt infinitum possibile: nam in ea possibilitate graduum in infinitum, à Deo cognitâ, sicut ipsissima argumenta.

27 Affinis præcedenti est alia quæstio: an posset Deus actu infundere alicui Gratiam summam: ita nempe summè intensam, ut nec de potentia absoluta posset quidquam superaddi. Aliqui sic putant fuisse de facto in Christo: taliter nimirum, ut ex doctrina, quam dicit *sect. 4.* retuli ex Meratio, nec in Christo, nec in alijs detur, nec dabilis sit gradus Gratiæ, qui de facto non sit in Christo: sicque intelligunt plenitudinem Gratiæ habitualis Christi: & quòd subditur Ioan. 1. *De plenitudine eius omnes accepimus.*

28 Inficiantur communius alij argumento deterriti, quòd exhausta maneret Omnipotentia Dei, si tantum Gratiæ produceret in aliquo, ut nihil iam Gratiæ superaddere posset. Ego tamen non sic concipio divinæ virtutem Omnipotentiam

ut exercendo se quantum potest, efficta fiat, & quasi evacuetur. Profecit nec effictam, nec evacuatam dicimus fecunditatem generativam Æterni Patris per Filij generationem, quamvis ita generet actu quantum potest, ut nihil aliud valeat generare. Porro, quòd in eo casu non posset Deus quidquam Gratiæ superaddere, aliud non est in re, nisi infudisse quantâ potest: & posse eam Gratiæ summitatem infundere, aliud non est in re, nisi posse quantum potest: quòd nimis verum videtur aliquibus: pro quibus stat Arriaga *disp. 32. de Incarn. Nec satisfacis dicendo, posse quidem Deum facere simul, & coniunctim quæ sibi possible sunt fieri simul, & cõiunctim: non verò quæ, quamvis simul possible sint simultate possibilitatis, repugnant fieri simul simultate coexistentiæ. Etenim Gratiæ intensio possible ea est, quæ simul fieri non repugnat: nam quæ simul fieri repugnat impossibile intensio est. Dummodò igitur possit Deus infundere tantum Gratiæ, quantum videt simul, & coniunctim fieri posse, poterit actu infundere summè intensam: aut certè repugnabit à Deo fieri quidquid potest simul, & coniunctim.*

29 Aliter obijcit specialius Ant. Perez *disp. 3. de Incarn. cap. 2. num. 74.* postquam rationi nuper positæ respondisse se putat. Quia nempe, si actu infunderetur alicui Gratia summè intensa, ea Gratia non haberet iam virtutem augendi se per merita: Id autem videtur esse contra essentiam ipsius Gratiæ; ac proinde in terminis repugnans; sicut est contra essentiam feminum non posse novum aliquid sibi simile progignere. Videtur tamen responderi posse, nihil in hoc contradictionis involvi; nec id fore contra essentiam Gratiæ; sicut & nec feminum. Quia nec feminum, nec Gratiæ essentia est, quòd Deus non produxerit omnem Gratiam, & fructum possibilem. Hoc enim supposito retinerent vim suam productivam, seu condignificativam exercitam, seu exercibilem in cõservatione Gratiæ, seu fructuum iam productorum. Nec productam iam omni gratiâ, aut omni fructu possibile; est nec fuit unquam virtus ad ulteriùs; quia ultra omne possibile, non est nisi distinctum ab omni possibili: distinctum

Arriaga.

Perez.

Merat.

Ioan. 1.

Etiam autem ab omni possibili non nisi impossibile est: ad quod nulla est virtus, aut potentia. Nec equidem credo, defo-

re Deo in eo casu modum alium præmiandi nova merita, si vellet: præmio scilicet distincto ab augmento Gratia.

DISPUTATIO XVII.

DE AMISSIONE, REVIVISCENTIA, NECESSITATE, Perseverantia, Confirmatione, & Notitia Gratia iustificantis.

MULTA hæc paucis perstringam, quamvis perutilia sint. Alia, quia iam alibi disputata; alia, quia aliò remittenda. Oportuit tamen hoc in loco ea rememorare.

SECTIO I.

An, & quomodo Gratia iustificans amittatur: Quomodo reviviscat: & quatenus sit nobis necessaria. Remissivè.

GRATIAM semel infusam amitti non posse, fuit error Joviniani, & aliorum Hæreticorum, contra quos docemur à Trident. sess. 6. cap. 15. & Can. 23. amitti posse: quamvis non irreparabiliter, ut exerrant alij, quorum meminimus disp. 13. sect. 9. Amittitur autè per quodlibet mortale; non per venialia, quantumvis multiplicentur.

3 Reviviscit autem, seu restauratur Gratia semel amissa, disponente se peccatore, aut intra, aut extra Sacramentum actibus suis, ut cum debita distinctione diximus disp. 20. sect. 2. 3. & 4. Quæ scienda supersunt de Reviviscencia Gratia dabimus, agentes de Reviviscencia meritorum disp. 30.

4 Necessitas Gratia habitualis ad salutem est nobis certa. Non enim datur hereditas æternæ Gloriae, nisi præconstitutis Filijs per Gratiam adoptionis. Insuper est simpliciter necessaria ad quodlibet opus condignè meritorium Gloriae, ut videbimus disp. 26. sect. 1. Esse quoque necessariam ad agendum quolibet opus honestum, est multorum Heterodoxorum error, dogmatizantium, nullum omnino bonum opus fieri ab homine non iusto. Quod damnat Trid. sess. 6. can. 7. & Alexand. 8. per Decretum editum an. 1691.

Infra, disp. 26.

Trident.

Alex.

VIII.

in hac Iansenistarum propositione, quæ ibi est ordine undecima: *Omne, quod non est ex Fide Christiana, quæ per dilectionem operatur, peccatum est.* Et nos reiecimus ex professo disp. 6. sect. 1. & 2. Vbi stabilivimus, non esse necessariam Gratiam habitualem, imo nec Fidem ad quodlibet opus bonum.

Supra, disp. 6.

SECTIO II.

Quid sint, & in quo consistant Perseverantia in Gratia, & Confirmatio in Gratia.

HÆC duo diversissima sunt. Nam donum perseverantia est Status Gratia continuatus ab ultima iustificatione usque ad mortem: & est commune omnibus prædestinatis; cum omnibus illis commune sit decedere in Gratia. Quid involvat, istud Perseverantia donum, vidimus ex professo disp. 9. sect. 9. cum difficultatibus magni ponderis in eo occurrentibus. Donum verò Confirmationis in Gratia dicit magnum quid, præter perseverantiam: & est paucissimorum ex Prædestinatis.

6 Quid autem sit, quid requirat, & in quo consistat donum Confirmationis in Gratia, quidque addat speciale supra Donum generalius perseverantia, difficultas est non levis; nec vno modo à Theologis explicata. De qua Doctor Eximius lib. 10. c. 8. Vasq. disp. 200. c. 5. & Valent. disp. 1. q. 23. pu. 4. & Arriaga disp. 52. sect. 5.

Supra, disp. 9.

Suarez.

Vasq.

Valent.

Arriag.

Suarez.

pra

pra donum perseverantia addere feriem auxiliorum vberiorum, & intensiorum, quam ut communiter soleant à Deo conferri alijs iustis perseverantibus. Quibus scilicet auxilijs taliter confirmatus suavissimè currit in lege, & facillimè vincit tentationes, si occurrant: aut providet specialissimè Deus, ne occurrant vrgentiores. Non acquiescit Arriaga: quia, inquit, differentia Confirmationis in Gratia à Perseverantia est maxima, & notabilissima: atque adeo multò maior, quam præferat maior illa vbertas, & intensio auxiliorum: hoc enim discrimen est solummodo secundum quid, & penes magis, & minus.

Vasq.

1. Cor. 2.

Rom. 8.

Mach.

Suar.

Victor.

8 P. Valquez ait; addere specialem revelationem factam Cōfirmato in Gratia de perseverantia sua. Talem abs dubio habuit B. Virgo: & talem fortè de se testabatur Apostolus 1. Cor. 2. scribens: *Nos spiritum Dei accepimus, ut sciamus quæ à Deo donata sunt nobis.* Et Roman. 8. *Certus sum ego, quod neque mors, neque vita, &c. poterit nos separare à charitate Christi.* Et ratio videtur esse: quia esse confirmatum idem sonat ac esse firmum, securum, ac certum de eventu: hoc autem fit per revelationem, quam confirmatus habeat de sua perseverantia. Nec huic explicationi acquiescit Arriaga: Nam Appostoli post Pentecosten confirmati creduntur in Gratia: de quibus tamen ait S. Macharius Homil. 17. *Adhuc Apostoli, qui Paracletum habebant, non erant securi.* Non possent autem non esse securi, si revelationem habuiissent.

9 P. Valentia ait, addere impotentiam moralem peccandi mortaliter. Idque admittit Suarez pro B. Virgine, specialius præ cæteris confirmatâ. Nam, ut loquitur Victorinus, *ex quo templum Dei facta est, ita privilegiata est, ut nullatenus aliqua macula potuerit deturpari.* Et videtur insinuari à Trid. sess. 6. can. 23. anathematizante. *Si quis hominem semel iustificatum dixerit amplius peccare non posse, &c. aut contra, posse per totam vitam peccata omnia etiam venialia vitare, nisi ex speciali Dei privilegio, quemadmodum de B. Virgine tenet Ecclesia.* Vbi innuitur. B. Virginem eximi debere non solum à communi more peccandi venialiter; verum etiam à potestate amittendi Gratiam per mortale.

10 Pro alijs verò confirmatis infra

B. Virginem id recusat Suarez. Primò: qui confirmati orant: *Et ne nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo:* ergo, quia possunt vinci à tentatione peccandi. Secundò: quia Apocal. 3. monemur omnes: *Tene quod habes, ut nemo accipiat coronam suam, & Phil. 2. Cum metu, & tremore vestram salutem operamini:* ergo quia omnes possumus in hac vita à Gratia deficere. Tertio: quia Paulus in Gratia confirmatus 1. Cor. 9. scribebat. *Castigo corpus meum; &c. ne, cum alijs prædicavero, ipse reprobus efficiar:* ergo, quia stat confirmatio cum potestate non perseverandi, & mortaliter peccandi. Quarto: quia sequeretur, sic cōfirmatos nō posse mereri. Quintò: quia talis modus confirmationis nec est necessarius; nec præferret magnam dignitatem: si enim ita Deus parat auxilia ut sic confirmatus non possit peccare, quid erit illi dignitatis, & laudis perseverare?

Suar.

Apoc. 3.

Philip.

2.

1. Cor. 6.

11 Ad hæc tamen respondet Arriaga. Ad primum, quod, sicut qui mortaliter non peccavere, dum in oratione Dominica dicunt: *Dimitte nobis debita nostra;* id dicunt pro venialibus; sic in Gratia confirmati, dum orant: *Et ne nos inducas, &c.* loqui possunt quoad venialia, quamvis non possint peccare mortaliter. Ad secundum ait, ea monita habere locum pro ut in plurimum; cum in Gratia confirmati paucissimi sint. Addit, & pro ijs posse locum habere, si revelationem non habent de tali sua confirmatione. Ad tertium ait, quòd Paulus id dicebat, & agebat, quia, quamvis esset sic in Gratia confirmatus, non id certò sciebat. Adit, ea loca difficilius explicari à Vasquez, constituentem confirmationem per revelationem perseverantia in Gratia. Ad quartum, negatur sequela: sic enim confirmati mereri possent vitantes multa venialia sibi possibilia: & implentes præcepta graviora, antequam preceptorie vigeant, aut actu intensiori, aut ob fines multos citra obligationem; & alijs modis, quibus salvantur eximia Christi merita cum impotentia peccandi. Addo, hanc responsionem non posse recusari à Suarez pro B. Virgine, quam in Gratia confirmatam admittit per eiusmodi impotentiam peccandi. Ad quintum ait, talem modum confirmationis esse necessarium ad discrimen notabilius Doni Confirmationis, à Dono Perseverantia. Additque, ef-

te

se maximæ dignitatis : quia longius arcet iustum à peccatoralioquin non admittendus esset vt dignior pro B. Virgine.

12 Pensatis ijs omnibus , existimo pro conclusione, primum illum modum Patris Suar. esse sufficientem : & ad illum deferendum esse insufficientem impugnationem Patris Arriagæ. Secundum verò modum Patris Vaquez notabilius discriminare Donum Confirmationis à Dono Perseverantiæ ; ideoque esse plusquam sufficientem ; non tamen esse necessarium. Tertium autem modum Patris Valentis, quem amplectitur Arriaga, esse sufficientissimum ; non tamen necessarium.

SECTIO III.

Qualis Gratia iustificantis notitia à nobis habeatur , aut haberi possit : & quomodo.

13 CERTVM est ex dictis disp. 13. scilicet. 1. possibilitatem , & existentiam Gratia iustificantis esse nobis certò notam supernaturaliter per Fidem. Quo supposito, duo supersunt tractanda circa notitiam Gratia. Primum : qualis notitia haberi possit à creatura lumine naturæ de possibilitate Gratia iustificantis. Secundum: qualis, de statu Gratia presentis alicuius in particulari.

14 Circa primum punctum convenimus communiter in eo quòd haberi possit lumine naturali ab homine, vel Angelo notitia aliqua naturalis probabilis, seclusà divinà revelatione, de possibilitate Gratia. Procedit hoc à fortiori per ea, quæ circa notitiã naturalẽ probabilẽ de possibilitate Vnionis Hypostaticę scripsimus disp. 1. de Incarn. à n. 197. ex doctrina, quam tradidimus, generaliori de cognoscibilitate entis supernaturalis disput. 18. de Attrib. sect. 12. Difficultas posterior est de notitia evidenti : an lumine naturali haberi possit citra revelationem ab homine, vel Angelo.

15 Moderni communiter post Ripaldam id omninò negant; eo ducti, aut potius seducti fundamentò, quòd generaliter sit contra essentiam omnis entis supernaturalis posse naturaliter evidenter cognosci, sicut & connecti mutuo cum naturali. Vtrumque id esse falsum,

& sine sufficienti ratione dictum ostendi ex professo disp. illa 18. de Attrib. sect. 11. & 12.

16 Propterea dixi disp. 1. de Incarn. sect. 16. de Vnione Hypostatica supernaturali, & dico nunc de Gratia iustificante supernaturali, non repugnare naturalem illarum evidentiam ex conceptu generali supernaturalitatis. Dixi tamen ibi, ob speciales alias rationes ibi videndas repugnare evidentem notitiam naturalem, seclusà revelatione, de possibilitate Incarnationis, seu Vnionis Hypostaticæ.

17 Nunc superest dubium circa Gratiam : an sint etiam speciales rationes repugnantia, ob quas nequeat haberi naturali lumine notitia evidens de illius possibilitate. Circa quòd dico, mihi certè nihil occurrere, cur id repugnet. Nec propterea dicam valere inde argumentum ad indicandum dari in nobis posse naturaliter notitiam evidentem de existentia Gratia. Ad hoc enim evidenter iudicandum multò plura media requiruntur, quàm ad evidenter iudicandum Gratiam esse possibilem: vt est ex terminis notum.

18 Circa secundum punctum de notitia Gratia in nobis actu existentis, extat statutum Tridentini sess. 6. cap. 9. ijs verbis: Quilibet, dum se ipsum, suamque propriam infirmitatem, & indispositionem respicit, de sua Gratia formidare, & timere potest : cum nullus scire valeat certitudine Fidei, cui non potest subesse falsum, se Gratiam Dei consequutum. Colligitur hæc veritas ex Eccli. 9. Nescit homo, vtrum amore, vel odio dignus sit, & ex Prov. 20. Quis potest dicere: mundum est cor meum? Et ratio est: quia, quamvis certum de fide nobis sit ex divinà revelatione, hominem ritè dispositum consequi Gratiam iustificationis; non tamen certò constat, hominem hinc, & nunc esse ritè dispositum.

19 Obstrepunt huic certissimæ veritati post Lutherum, & Calvinum Hæretici nostri temporis : vsque ad eò ex fide sua certificati, iuxta præfidentissimam ipsorum existimationem, de sua iustificatione, vt in eo suo actu fidei, quo se credere dicunt esse iustificatos, suam potissimum iustificationem sibi constituunt. Eos reiecimus disp. 20. sect. 2. Ab ijs non satis discessit Catherinus in Assertionibus, & Apologia contra Dominicum

Tom. de Deo disp. 18.

Tom. de Christo disp. 1.

Trid.

Eccli.

Luth. Calvin.

Supra disp. 20. Cather. Bellar.

cum Soto apud Bellarminum tom. 3. lib. 3. de Iustif. cap. 1.

20 Nunc nobis obijciunt primò verba Pauli Rom. 8. Ipse Spiritus testimonium reddit Spiritui nostro, quòd sumus Filij Dei. Præter alias expositiones horum verborum alienas ab Hæreticorum sensu, quæ legi possunt apud Cornelium, sunt tres in promptu. Prima: loqui Paulum de se ex speciali revelatione, sibi, sicut & aliquibus alijs, factâ de sua iustificatione. Secunda, vel loqui de Ecclesia in univèrsum: in qua credimus dari Sanctos, & Iustos ex illo Symboli: Sanctam Ecclesiam Catholicam. Tertia: vel loqui de certitudine quadam morali, quam multi iusti habent ex operibus, quæ Spiritus Sanctus operatur in illis, & per illos, vt dicemus num. 27. Sicque intelligendæ sunt etiam aliquæ loquutiones SS. Patrum, quas in pravos sensus torquent Hæretici, vt legere est apud Bellarm. cap. 9. & seqq.

21 Obijciunt secundò. Potest homo habere notitiam certam de sua Fide supernaturali: ergo & de suo statu in Gratia. Antecedens probant. Primò, quia nemo Catholicus petit Fidem; sed augmentum Fidei: ergo quia certò supponit, se iam habere Fidem. Secundò: quia 1. Cor. vlt. hortatur Apostolus: Vosmetipsos tentate, si estis in Fide: frustra autem sic nos hortaretur, si non possemus quasi experimento nosse nostram Fidem. Tertiò: quia dubitans in Fide, censetur infidelis: & parati esse debemus pro nostra Fide mori: ergo de ea certi esse debemus. Quarto: quia Fidelis evidenter cognoscit Mysteria vt à Deo revelata esse prudenter proposita ab Ecclesia, & à se credibilia: sed Fide certum est, quòd eo ipso, quòd quis credit Mysteria sic sibi proposita, habet fidem requisitam ad iustificationem, ac proinde supernaturalem: ergo certò cognoscit, se habere Fidem supernaturalem. Sunt qui cum Vaquez, concessò antecedente, negent consequentiam: quia multò plura requiruntur ad statum Gratia, atque ad eò ad eius certitudinem, quàm requirantur ad Fidem.

22 Respondetur tamen meliùs cum Suar. negando antecedens. Ad primam probationem negatur antecedens, vt colligitur ex Trid. sess. 6. cap. 7. Quòd si non ita frequenter, aut instante ora-

mus pro Fide, ac pro Gratia; idè est, quia non habemus tot rationes timendi de nostra Fide, quot de nostra Gratia; quæ scilicet multò plura requirit. Ad secundam dico, ad illam exhortationem Apostoli, nè frustra sit, sufficere, quòd exactius possimus apud nos examinare, & moraliter certiores nos facere de firmitate nostræ Fidei; quin tamen assequamur certitudinem metaphysicam de eo quòd supernaturaliter actu credamus, aut habeamus habitum fidei supernaturalem. Ad tertiam negatur consequentia: quia, quamvis nec dubitare, nec formidare possimus de veritate mysteriorum Fidei: pro qua nimirum mori parati sumus, & de qua dubitantes essemus hæretici; non tamen dubitantes de Fide, quam nos habemus circa illas veritates: nec pro istius existentia, & supernaturalitate parati sumus mori. Ea enim duo diversissima sunt. Ad quartam, concessà maiori, distinguo minorem: eo ipso quòd quis sic credit fide supernaturali, concedo; aut supernaturali, aut non supernaturali, nego minorem, & consequentiam. Stat enim, quòd homo noverit evidenter, Mysteria sic ab Ecclesia proposita esse prudenter credibilia; & quòd non ita certò sciat se ea credere fide supernaturali requisitâ ad iustificationem. Aliqua, quæ ex doctrinis nostris possent initari super hoc, proposuimus, & solvimus in superioribus: præsertim disp. 8. à num. 54. Reliqua peragemus, Deo dante in Disputationibus de Fide.

23 At, inquis, infra prædictam certitudinem, quam non habemus, qualem possimus, citra revelationem, habere notitiam de nostra Gratia, & iustificatione?

24 Respondeo primò, quòd saltem probabilem. Nam ad multa obligamur præsertim in susceptione, & administratione Sacramentorum, ad quæ licetè, dignèque obeunda requiritur status Gratia: ac proinde iudicium conscientia nostræ, saltem probabile de eo, quòd sumus in Gratia. Hoc mihi disputanti negabat quidam respondens: sciscitatus sum; quàmnam conscientia accederet ad sacrificandum. Et ecce perturbatio hominum.

25 Respondeo secundò. Non posse à nobis haberi de eo certitudinem conclusionis Theologica. Nam ad id requi-

Alap.

Symbol.

Bellar.

1. Cor. vlt.

Vasq.

Trid.

Supra disp. 8. sect. 4.

ritur vna præmissa revelata ; & alia omnino evidens. At, quamvis revelatum sit, hominem ritè dispositum iustificari, non est mihi omnino evidens, me esse hic, & nunc ritè dispositum, nec Ministrum Sacramenti habuisse intentionem, & de cætero ritè se gessisse.

26 Respondeo tandem: haberi posse à iusto certitudinem quandam moralem de suo statu in Gratia: ita videlicet, vt nec actu formidet, nec facile possit actu formidare; quamvis attentè cuncta recogitans formidare possit. Ita Suar. lib. 9. cap. 9. Hoc indicare videntur Scripturæ, quibus promittitur iustis pax, & tranquillitas conscientie. Indicia solent esse ardens Dei dilectio: iuxta illud 1. Ioan. 4. *Perfècta Charitas foras mittit timorem.* Fervor Spiritus parati facile mori potius, quam peccare: studium evitandi etiam venialia: frequens ad id conscientie examinatio: frequentia Sacramentorum. Exercitia Orationis, & mortificationis: diuturnum tempus absque com-

misione peccati mortalis: præter singulares Dei favores, quibus Deus amicos suos solet in hac etiam vita recreare.

27 Neque huic morali certitudini obstat Trid. cit. Non enim ait, iustos semper formidare; sed posse: si nempe cuncta pensulatiùs considerent. Vnde Paulus, qui dubio procul hanc saltem de se habebat certitudinem, dicebat: *Nihil mihi conscius sum; sed non in hoc iustificatus sum: qui enim iudicat me, Dominus est: cum tamen diceret etiam: Gloria nostra hæc est; testimonium conscientia nostra.* Plura Amicus disp. 34. sect. vlt. & Arriaga sect. 3. Qui benè notat contra Sotum, moralem istam certitudinem tantam non esse, quantam habemus de existentia Romæ: hæc enim tanta est, vt nemo prudens possit formidare; cum tamen ex Trid. possit formidare de existentia suæ Gratia. Huiusmodi enim certitudines morales suscipiunt magis, & minus.


* *

2. Cor. 1.

Amic. Arriaga. Sot.

Suar.

1. Cor. 4.



DE



DE

MERITO THEOLOGICO.

I



ERITVM Theologicum, Gratia, si- ve Auxiliantis, siue Iustificantis fructus est, & incrementum. Eius Tractatio, quæ post illas opportunum obtinet locum, difficultates nobis offert graves, speciosas, perutiles, & Theologo dignissimas: quæ negotium

erunt sequentium Disputationum, præcedentibus valde affinium. De quibus S. Thom. 1. 2. *quæst.* 114. & P. Suarez *tom.* 3. *de Grat. lib.* 12.

S. Tho. Suar.

DISPUTATIO XXIII.

DE ESSENTIA, EXISTENTIA, ET VARIETATE Meriti Theologici.

2



HEOLOGICI, inquam, hoc est, Meriti hominis apud Deum in ordine ad salutem æternam, & ad præmium supernaturale. Hoc est enim quod præcipue venit sub examen Theologorum. Nomen meriti extenditur quandoque ad mala etiam opera, quatenus merentur poenam. Theologia tamen illud absolutè restrinxit ad opera bona digna præmio: mala namque, aut vocantur potius, *demerita*, aut cum addito Augustini, *mala merita*.

Aug.

SECTIO I.

Quid sit Meritum: eiusque discrimen à Laudabilitate, Satisfactione, & Impetratione.

3 MERITVM in genere est: Obsequium Superiori gratum, movens eius voluntatem ad præmium. Est ergo in-

feriori, ad Superiorem: opus scilicet morale Superiori placens, utpotè in ipsius commodum, vel utilitatem, aut honorem ab inferiori exhibitum. Hinc est, quod est causa præmij, siue mercedis: non physica; sed moralis, & intentionalis; quatenus movet voluntatem Superioris, vt intuitu operis obsequiositas

III 2

ras

rat primum, seu mercedem.

4 Vnde contractè ad rem nostram, Meritum Theologicū creaturæ rationalis apud Deum est: *Obsequium Deo factum movens ad collationem præmij supernaturalis*. Vnde Deus mereri non potest: quia nulli Superiori obsequi potest. Quod si Christus Deus meruit, id fuit secundum naturam humanam, quā inferior, & minor est Patre: vt explicuimus *disp. 17. de Incarnat.*

Tom. de
Christ.
disp. 17.

5 Dicat aliquis: Si homo, prorsus inadvertens ad Deum, ageret benè iuxta rationem naturalem, nullum faceret obsequium Deo: & tamen mereretur per ea opera moraliter bona: ergo stat conceptus meriti absque ratione obsequij. Respondetur tamen, negari posse antecedens: nam ratio ipsa naturalis, cui nimirum creaturæ cunctæ rationales submittuntur, Deus ipse est, omnia sibi subiiciens, sub nomine rationis naturalis subobscurius agnitus, vt remissivè in *no. disput. 8. de Incarnat. num. 145.* Dato autem antecedente, negatur consequentia: nam illud opus bonum esset saltem obsequium factum Reipublicæ rationali, cuius Deus est Caput, & Princeps. Obsequia autem facta Reipublicæ redundant in Principem. Sic dixit olim August. *Quidquid egeris, benè age, & laudasti Deum.*

Tom. de
Christ.
Disp. 8.
sect. 11.

August.

6 Dicat alius. Credente Petro divinæ revelationi de eo, quod nullum præmium sit consequentur, fides ista libera Petri Dei obsequium est, atque adeo, & meritum: sed illi repugnat intrinsicè præmium, sicut & falsitas: ergo non omne meritum respicit præmium conferendum, aut conferibile. Respondent aliqui negando suppositum: iudicant enim repugnans decretum negandi omne præmium actui essentialiter supponenti revelationem talis decreti: quia non nisi imprudenter, ac proinde chimericè decerneret Deus negare præmium operi bono obsequioso, laudabili, & essentialiter remunerabili.

7 Respondetur aliter, admittens suppositionem, distinguendo: Fides illa est obsequium materialiter, obiectivè, seu terminativè concedo; formaliter nego: est enim actus intellectus: solum autem volitio libera credendi, quæ est actus voluntatis formaliter bonus, est tunc formale obsequium. Vnde, concessâ mino-

ri de Fide, quæ quidem est actus intellectus essentialiter verus; nego consequentiam de actu voluntatis credendi, qui est formaliter honestus, & obsequiosus: illi namque volitioni non per se intrinsicè repugnat præmium; sed per accidens, & ab extrinseco ratione decreti illam non præmiandi. Vnde esset meritum in actu primo ex se ordinatum ad præmiū conferibile, quamvis non in actu secundo: defectu, scilicet pacti divini illam præmiandi; quod pactum ad omne meritum in actu secundo requisitum est ex parte Dei, vt videbimus *disp. 29. sect. 1.* Itaque, quamvis tali actui Fidei repugnet intrinsicè præmium ratione suæ intrinsicè, & essentialis veritatis, non tamen sic intrinsicè tali voluntati credendi veritatis incapaci. Similiter respondimus ad similem objectionem de peccato essentialiter irremissibili *disp. 13. sect. 9.*

8 Ex ijs colligendum est discrimen Meriti à Laudabilitate, Satisfactione, & Impetratione. Ad Laudabilitatem: quia Meritum est inferioris ad Superiorem: Laudabilitas autem id non requirit: nam actus increati liberi Dei sunt valde Laudabiles; quin tamen meritorij sint. Et in purè humanis Princeps laudat militem, qui strenuè pugnat contra ipsum; apud quem tamen non meretur: quippe non sibi, sed contrario Principi obsequitur. Sequitur ergo Laudabilitas honestatè in genere, ideoque omne meritum apud Deum est Laudabile; Meritum verò honestatem contrahit ad speciem obsequij grati Superiori: ideoque non omne Laudabile est Meritorium.

9 A Satisfactione differt Meritum: quia satisfactio respicit iniuriam alienam, quam tollit; meritum verò, præmium proprium quod acquirit. Satisfactio supponit debitum in eo, qui satisfacit; aut saltem in alio, pro quo satisfacit; Meritum verò tendit ad faciendam alterum debitorem. Satisfactio potius consulit alteri, cui satisfacit; Meritum verò potius ipsi, qui meretur. Vnde est, quod satisfactio condignitas commensuratur ex æqualitate ad iniuriam, quam tollit; condignitas verò præmij ex æqualitate ad præmium quod acquirit, vt ex Ripalda distinximus *disp. 8. de Incarnat. num. 5.*

10 Ab Impetratione tandem quo dif-

Infra
disp. 29.

Sup. disp.
p. 13.

Tom. de
Christ.
Disp. 3.
sect. 1.

Ovied.
Vasq.
Suar.
Montoy.

crimine differat Meritum, non est ita facile definire ob oppositos Authorum sensus, quos refert Oviedus *Controver. 1. de Mer. punct. 5.* Sentit Vasquez, Impetrationem esse idem, ac Meritum. E diverso Suarez Impetrationem restringit ad eos actus meritorios, qui sunt Oratio. Sic etiam ferimè Montoya: quamvis interdum in quolibet Merito congruo suam etiam agnoscat rationem Impetrationis.

11 Duo mihi videtur abs dubio colligi ex doctrinis SS. Patrum. Vnum, quod Impetratio non est propria solius actus orationis. Nam universim Theologi à SS. Patribus edocti in multis bonis operibus, quæ formaliter oratio non sunt, agnoscunt, & distinguunt tria, hæc, Meritum, Satisfactionem, & Impetrationem. Alterum, Impetrationem esse aliquod meritum. Nam August. Epist. 105. ait: *Neque remissio peccatorum sine aliquo merito est, si Fides hanc impetrat.* Et ratio est: quia ipse actus orandi, & impetrandi dicitur actionem obsequiosam erga illum, à quo aliquid petimus, & impetramus.

August.

12 Ex ijs deduco, duplicem esse distinguendam Impetrationem: latè scilicet, aut strictè dictam. Lata videtur non distingui à Merito, sive condigno, sive congruo. Omnis enim apud Deum merens, vult saltem interpretativè aliquid à Deo postulare intuitu operis obsequiosi, & meritorij: Deusque annuit more munificentissimi Principis: & subditis exhibentibus opera sibi obsequiosa, & grata digna præmio constituto, non solum dat præmium constitutum; sed præterea facile etiam inclinatur ad aliquid amplius supererogandum pro se, vel pro alijs intuitu illius, qui se bene gessit in merendo, & obsequendo. Sicque intelligo Patrem Vasquez: hoc enim modo quodlibet opus meritorium est impetratorium. Impetratio autem stricta est expressa postulatio muneris, & hoc soli competit orationi: quæ scilicet est: *Humilis deprecatio cum protestatione indigentia illius, pro quo, & excellentia illius, ad quem fit.* Et sic intelligo Patrem Suarez. Nam oratio, præter esse actum virtutis obsequiosum, & meritorium, quo Deum honoramus, profitetur specialiter Dei clementiam, & largitatem; nostramque pusillitatem, & indigentiam: ideoque, præter rationem obsequij, hoc habet

speciale, quod conatur aliud moveat ad concedendum quod petitur, quia sic petitur. Vnde stricta hæc impetratio differt à merito, vt inclusum ab includente: quatenus scilicet omnis stricta Impetratio est Meritum: non tamen omne Meritum est stricta Impetratio; cum non omnis actus virtutis sit formalis oratio.

13 Porro circa prædictas, suo modo ac discriminatas actuum humanorum salutarium differentias, observandi veniunt varij eorum respectus morales. Sunt honesti, quia conformes rectæ rationis: Sunt laudabiles; quia vera laus correspondet virtuti: sunt meritorij, quia cedunt in honorem, & obsequium Deis: sunt satisfactorij, quia sunt compensatio pro culpis: sunt impetratorij, quia vel formaliter, vel interpretativè sunt humiles deprecationes pro bono aliquo consequendo. Hæc perfectiones coeunt sepius in eundem actum: actus enim v.g. misericordiam hominis iusti, est dignus laude, quia virtuosus; est meritorius, quia obsequiosus Deo, facitque hominem condignum augmenti Gratia, & Gloria; est satisfactorius, quia compensat pro culpis; & est impetratorius, quia vel congrue meretur, vel expressè, vel interpretativè à Deo postulat auxilia, & alia Dei dona, aut pro ipso iusto, aut pro alijs. Ex accidenti possunt non reperiri in eiusmodi actibus aliqua istarum affectionum: vt accidit in Beatis: quorum actus laudabilis, & impetratorij, meritorij non sunt in actu secundo. Nec æqualiter omnes in omnibus reperiuntur, ob speciales singulorum differentias: nam actus magis pœnales sunt magis satisfactorij, quam alij alioquin perfectiores, & meritoriores minus pœnales: & actus orationis formalis habebit maiorem vim impetrandi, quam actus aliarum virtutum perfectiorum, habentes maiorem vim meritivam, & satisfactivam.

SECTIO II.

Veritas Catholica de existentia Meriti hominum apud Deum.

14 **E**AM contestatur Scripturæ. Matt. 5. *Gaudete, & exultate: quoniam merces vestra copiosa est in Cælis.* Rom. 4. *Ei autem, qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum.*

Mat. 5.
Rom. 4.

imm.

2.Tim.4. *Reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus.* Apocal. 2. *Estò fidelis usque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.* Et alibi sæpè Gratia, & Gloria correspondens operibus appellatur, *Merces, Debitum, Corona, Bravium, Retributio, & Præmium.* Ergo quia opera nostra bona sunt Meritum, ut inferunt idemdem Sancti PP. apud Bellarm. *lib. 5. de Iustif. cap. 4.*

15 Confirmant Concilia. Araus. *cap. 18. Debetur merces bonis operibus, si fiant; sed gratia, quæ non debetur, scilicet actualis auxilians, præcedit, ut fiant.* Lateranen. *cap. Firmiter de sum. Trin. Per operationem bonam placentes Deo, ad æternam merentur Beatitudinem pervenire.* Floren. *in decr. de Purgatorio docens, Animas, quæ nihil expiandum habent in coelum, mox recipi, Deumque videre pro meritum diversitate.* Et magis ex professo Trid. *sess. 6. passim expendendum in sequentibus.*

16 Comprobat ratio. Tum quia bona opera per se sunt digna laude; sicquæ apud Deum munificentissimum, in cuius honorem, & obsequium cedunt, apta sunt ad aliquam retributionem. Tum ex parte Dei: congruum enim est quod supremus Governator Reipublicæ rationalis constituat præmia benè agentibus, malisque supplicia, ut metu arceantur à malo. Ea autè præmia à Deo Authore supernaturali pro creaturis rationalibus per gratiã elevatis supra naturam, debent esse supernaturalia correspondentia operibus supernaturalibus. Hoc est Meritum Theologicum, quod ex Fide tenemus, hominum apud Deum.

17 Lutherus, & Calvinus, alijque Heterodoxi, id hæreticè negantes; & molliores alij, qui, quamvis admittant aliquod meritum hominum apud Deum; non tamen vitæ æternæ; opponunt primò, quod in nobis nulla sunt opera bona: ergo nec meritoria. Cæterum antecedens est alia hæresis. Opponunt secundo, quod admittendo merita nostra, derogatur infinitissimis meritis Christi Redemptoris. Cæterum occurrit rectè Bellarminus, inde potiùs merita Christi amplificari, dum talia asseruntur, ut obtinuerint nobis auxilia, non modò, ut habeamus vitam æternam, verumetiam, ut illam habeamus in coronam per propria merita. Quomodo

cum hoc stet copiosissima Christi Redemptio, explicuimus *disp. 17. de Incarn. sect. 7.* Opponunt tertio, quod Ephes. 2. ait Paulus: *Non ex operibus, ne quis gloriatur.* Cæterum, hoc non taliter est intelligendum, ut nostra salus completivè non fiat ex operibus nostris factis auxilio gratiæ; sed taliter, ut totum negotium salutis nostræ à sui exordio sumptum, non fiat ex operibus nostris: quod est verissimum: quia primum auxilium excitans fit in nobis sine nobis. Plura Bellarm. *cit. & post illum Amic. disp. 35.*

18 Durandus, post aliquos Veteres, apud Ovied. *punct. 3.* quamvis homini concedant meritum vitæ æternæ; non tamen condignum. Et opponit dictum Apostoli Rom. 8. *Non sunt condignæ passionibus huius temporis ad futuram Gloriam.* Arguit deinde à ratione: quia meritum condignum est cui debetur præmium ex rigore iustitiæ: sed nulli merito nostro potest Deus debere quidquam, & à fortiori, nec vitam æternam, ex rigore iustitiæ: ergo nullum est meritum nostrum condignum vitæ æternæ.

19 His tamen non obstantibus, tenenda est communis Theologorum sententia de Merito nostro etiam condigno vitæ æternæ. Quod, quamvis de Fide non sit; censet tamen Suar. *cap. 1.* habere certitudinem conclusionis Theologicæ; & oppositum censet saltem temerarium Tannerus *disp. 6. quest. 6. art. 1.* Colligitur ex Trid. *sess. 6. can. 32.* statuente, *verè* homines mereri *augmentum Gratia:* ubi adverbium, *verè,* significat satis maiorem proprietatem Meriti absolute dicti de condigno. Rursus idem Trid. docens, hominem *verè mereri augmentum Gratia,* ait adversativè, non sic mereri *primam Gratiam* habitualem: ergo clarè loquitur de merito condigno augmenti Gratia, atque ad eò vitæ æternæ: nam de congruo primam etiam Gratiam meretur homo per dispositiones morales ad ipsam requisitas, quæ sunt causæ morales iustificationis, ut ex eodem Trid. vidimus *disp. 20. num. 7.* Confirmatur ex Scripturis, vocantibus vitam æternam, *Mercedem:* ut allegoricè Matt. 4. *Voca Operarios, & da illis mercedem.* Merces autem dicitur æqualis compensatio debita iuxta æstimationem operarum: dicente Paulo Rom. 4. *Ei, qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam; sed secundum debitum*

Tom. de
Christ.
Disp. 17.
Ephes. 2.

Bellar.
Amic.

Durand.
Ovied.

Rom. 8.

Suar.

Tanner
Trident.

Sup. disp.
20. sect. 1.

Matt. 4.

Rom. 4.

tum. Et ratio potest esse: quia, quamvis opera nostra secundum se sint imparia præmio Gloriæ, dignificantur tamen ad Gloriam per Gratiam; sicque fiunt condigna Gloriæ: eo quod Gratia sit per se ius ad Gloriam, semen Gloriæ; & *Fons saliens in vitam æternam;* & cum sit Filiatio adoptiva Dei, præferret ex debito hæreditatem Patris, quæ est vita æternæ: ideoque applicata operibus hominis iusti, Deoque grati, refundit in opera condignitatem ad Gloriam vitæ æternæ.

20 Ad argumentum Durandi respondetur. Ad primum, ea Pauli verba intelligi de operibus nostris secundum se, & nudè sumptis; non verò ut condignificatis per Gratiam sanctificantem supposità Dei ordinatione. Ad rationè, negari posset maior: nam iustitiæ rigor aliunde consideratur, & disputatur inter Deum, & homines, ut videbimus *disp. 29. sect. 2.* adhuc supposità meritum condignitate: & permissà maiori, negatur minor, ex ibidem dicendis.

Infra
disp. 29.

SECTIO III.

Communis Divisio Meriti de Condigno, & de Congruo.

21 **M**ERITUM de Condigno dicitur ab aliquibus Meritum ex iustitiâ. Cæterum, si sermo sit de strictâ iustitiâ, est miscere hic intempestivè quæstionem valdè dubitabilem, de possibilitate iustitiæ strictæ inter Deum, & homines cum explicatione indubitandâ Meriti Cõgrui, & Condigni: quando potius oporteret certa ab incertis separare.

22 Aptius ergo, & citra controversiam declarantur sic: ut Meritum de Condigno, sit Meritum habens æqualitatem cum præmio. Meritum verò de Congruo sit, Meritum non habens æqualitatem, habens tamen aliquam moralem proportionem cum præmio.

23 Observa tamen circa Meritum congruum, proportionem, quam infra æqualitatem dicit cum præmio, eam esse debere, ut attrètâ munificentia, & liberalitate Præmiantis, congruum, & rationabile faciat, quòd intuitu talis operis, quamvis non condigni, possit dari tale præmium. Rem moralem explico moraliter ex humanis exemplo. Si Princeps homini levantis paleam daret aureos mille,

daret quidem ex pura liberalitate, non ex remuneratione adhuc congruâ: quia non solum non est ibi æqualitas, sed nec moralis proportio: vnde, si diceret, se id dare intuitu talis operis remunerandi, censetur imprudens; non verò, si diceret, dare id gratis ex liberalitate.

24 Itaque Meritum congruum, quamvis relinquat locum liberalitati præmiantis, præferret titulum moralem movendi prudenter præmiantem, ut intuitu illius munus aliquod eroget. Hinc dixit Ripalda *disput. 71.* Meritum condignum esse posse motivum ad æquatum conferendi præmium; congruum verò solum inadæquatum: ex quo alij Meritum congruum vocant Meritum secundum quid; alij Impetrationem.

25 Observa deinde circa Meritum condignum, quòd eius æqualitas cum præmio non pensatur ex sola entitate operis meritorij, & præmij: actus enim temperantiæ hominis iusti ex entitate suâ physicâ intrinsicâ non exæquat perfectionem entitatis Gratia, & Gloriæ, quam condignè meretur; sed pensari debere morali æstimatione ex varijs circumstantijs.

26 Rem explico ex humanis. Famulatur vnus privato Civi, alter Regi: quavis eiusdem sint conditionis, & eundem præstent famulatum, meretur iste de condigno maiorem mercedem: quæ quidem censetur æqualis famulatu apud Regem, & censetur excedens eidem famulatu apud Civem: ex circumstantia scilicet Personarum, apud quas sit meritum. Quòd facit dictum, & factum Alexandri: qui cum Poëtæ pauca offerenti carmina, multam pecuniam in præmium contulisset, dicens: *nimum hoc est Poëtæ;* respondisse fertur: *At Alexandro non est nimium.* Meritum scilicet Poëtæ apud Principem potentissimum, ac munificentissimum. Hæc circumstantia Personæ præmiantis, qui Deus est, Rex Regum, & Dominus domitatum; necnon & Personæ apud ipsum condignè merentis, qui iustus est, Filius, & amicus per Gratiam, sicut & aliæ multæ circumstantiæ, maxime iuvant ad pendendam moralem æqualitatem Meriti nostri condigni cum præmio vitæ æternæ.

27 Per hæc aut componitur, aut deciditur quæstio, quam graviter exagitat Martinonius *disp. 44. sect. 4.* an æqualitas

Ripald.


Martinonius
Me.

Vasq. Lore. Ovied. Mart. Mont. Hurt. Bern. Justin. Alap. Scot. Gabr. Bellar.

Meriti condigni cum premio debeat esse Arithmetica, ut volunt Vasq. Lorca, & alij apud Ovied. contro. 5. punct. 5. an sufficiat Geometrica, & proportionalis, ut volunt Martinon cit. Montoya apud Ripal. disp. 16. Hart. disp. 9. de Incarn. & Bernal. disp. 4. sect. 5. citans Iustinianum, & Cornesium ex Scoto, Gabriele, & Bellarmino. Videtur enim dicendum quod, si physicè ac entitativè spectetur brevis actus meritorius noster, non habet equalitatem arithmeticam ad æternum Glorix pondus, quod condignè meretur; benè verò, si spectetur moraliter, ut est obsequium personæ gratæ, iustæ, Filiæ, & Amicæ ad Principem infinitæ potentix, munificentix, & maiestatis. Hocque sibi voluisse videtur S. Thom. in 2. dist. 2. quest. 1. art. 3. dicens: Non autem maius est Deo vitam æternam tribuere, quam nobis actum virtutis exhibere. Ad hunc similiter modum habere dicitur equalitatem in humanis ex circumstantijs labor susceptus in equestri Ludo pro natalitijs, vel Nuptijs Principum cum premio multò maiori, quam daretur ob eundem laborem sumptum extra tales circumstantias: quæ propterea maximè cõducunt ad pensandam equalitatem arithmeticam moralem Meriti condigni cum premio.

S. Tho.

28 Hoc est, ni fallor, quod voluit S. Tho. 1. 2. quest. 114. art. 3. ad 3. dicens: Gratia Spiritus Sancti, quam in presenti habemus, etsi nõ sit equalis Gloria in actu, est tamen equalis in virtute, sicut & semen arboris, in quo est virtus ad totam arborem. Vbi vides, quod semen, quamvis non habeat equalitatem entis cum arbore; habet tamen equalitatem virtutis: quatenus est virtus ad totam arborem. Sic ergo ad Gloriam Gratia, ut potè gloriæ semen. Undè est, quod dignificans opera iusti faciat illa condigna Gloria: & arithmeticè equalia; non quidem equalitate entitativã; sed equalitate virtutis meritivæ, & seminativæ: Gloriæ, cuius Gratia semen est. Et in hoc fundari quoque potest equalitas moralis arithmetica meriti condigni cum premio Gloriæ, entitativè perfectiori, & inæquali.



SECTIO IV.

Celebris Divisio Meriti in Remunerabile, & Solutorium adstruitur, & propugnatur.

29 PERVTILEM hanc Meriti Divisionem tetigit leviter, notavitque graviter Ripalda disp. 86. sect. 9. exponit fideliter Oviedus contro. 5. punct. 5. defendunt strenuè prædocti Complutenses post celebrem Magistrum P. Ioan. Antonium Vson, qui illam egregiè promovit, & illustravit: eaque ipse foeliciter usus sum, tanquam pernecessariã ad intelligendas, & solidè stabilendas multas veritates Theologicas, alioquin inexpedibiles, & insuperabiles in Disputationibus de Incarnatione: præsertim disp. 5. sect. 1. 5. 6. & 11. & disp. 6. sect. 12. & disp. 17. sect. 5.

Ripal. Ovied. Vson.

30 Meritum Remunerabile est, quod movet animum præmiantis ad conferendum præmium, quia meritum est. Hoc meritum admittimus omnes. Deus enim homini merenti confert Gratiam, & Gloriam, quia homo illam meretur, seu quia hominis meritum positum est: ita videlicet, ut positio meriti antecedere debeat collationem præmij. Quo sensu dicimus cum S. Thom. inferius allegando, Meritum causare præmium in genere causæ efficientis; causantis utique effectum suum, quia ipsa est. Id quod ad causam etiam efficientem moralem extendi, patet in Sacramentis: quæ scilicet, quamvis Gratiam causent moraliter, eam causant quia sunt, & non, ut sunt: quia nempe causant in genere efficientis, ideòque præcedunt re ipsã ad effectum Gratix.

31 Meritum Solutorium est, quod movet animum Præmiantis ad conferendum præmium, ut meritum sit, seu in spe, quod erit. Propterea vocari ab alijs solet, Meritum in spe: Meritum per modum solutionis: & Meritum compensativum: quæ vocabula in idem recidunt. In spe: quia nondum reipsã, & exercitè existens, præcognitum tamen extitutum, si anticipentur aliqua munera intuitu ipsius postea obsequiosè soluturi, movet ad eorum anticipationem. Per modum solutionis: quia postea exercitè positum, solvit pro muneribus intuitu ipsius anticipatis. Compensativum: quia cum physicè ponitur tale obsequium, re ipsã pro illis compeusat.

Tom. de Christ.

fat. Solvit ergo, compensat, facitque merentem, ac dignam Personam postea, quando tale meritum est, & quia est: causat tamen præmium, antequam sit, & ut sit, movens intentionaliter præmiantem ad anticipandum præmium, ut ponatur deinde obsequiosa, & condigna solutio, seu compensatio. Ad eum nempe modum, quo finis, v.g. valetudo, mediã præcognitione suæ bonitatis, antequam reipsã sit, allicit, & movet infirmum ad applicanda media, ut reipsã sit: qui finis postea existens, facit hominem sanum, & benè valentem, & non antea, quomodo-cumque prævideatur.

Ovied. Ripalda. Lumb. Boneisp. Iunius. Prud.

34 Hoc Meritum respuunt communiter multi: ut Oviedus, & Ripalda citati: quorum iste illud impugnat, ut parum Theologicum; ille despicit, ut alienum ab Scholis. Lumbier quest. 34. de Incarnat. art. 5. Boneispe ibidem disp. 5. incohærenter dicens, admissum fuisse à Primoribus Scholasticis Patribus Suar. & Valquez, & esse in Scholis inauditum. P. Iunius sect. 14. de Prædest. cap. 2. & 3. vocans in Indice Meritum Solutorium minus scitè, Meritum Novitium. Prudentius tract. 1. de Incarn. disp. 3. num. 4. asserens iniquissimè, Meritum hoc perturbasse Theologiam: quam equidem expertus dicerem, maximopere illustrasse. Insequuntur alij minus noti, quia novum, aut forte verius, quia non suum. Alij rem, quam intendimus, concedant, & nomen recusant, ut quæstionem levioris esse momenti persuadeant imperitis: quasi de nomine nos contenderemus, & non de re gravissima: qualis est: an dona, & Gratia, quæ Christum tempore antecesserunt, propriè ceciderint sub merita Christi. Monstramus, necesse esse id negare contra totam Theologiam, si non admittitur hoc Meritum, quod vocamus Solutorium, diversum essentialiter à Remunerabili nuper explicato, & à cunctis admissis. Cõcedant ergo nobis hanc rem; & imponant nomen. Sed de ijs parum caro.

Vson. Avend. Mart. Haunol. Garau.

35 Defendunt Meritum Solutorium in proprijs terminis post Patrem Vsonium præstantissimi Magistri Complutenses. P. Avendaño à num. 1514. P. Nicolaus Martinez Primarius Romanus, quæ sub nomine Recentionis Hispani refert, & sequitur Haunoldus in select. lib. 4. ar. 1. cap. 7. contr. 2. §. 5. P. Franciscus Garau

in sua Deipara Princip. ult. à num. 180. P. Philip. Aranda lib. 3. de Incarn. disp. 3. sect. 1. His præluxerunt Sapientissimus Lessius, quest. 19. de Incarnat. vbi de illo conceptissimè, ac distinctissimè loquens, ait: De hoc genere Meriti intelligedi sunt Authores, dum dicunt Christum meruisse Patribus antiquis. P. Lorinus ad Psalm. 44. P. Coninc. 2. P. Vvadin. Theophilus Raynaudus: P. Granad. 8. de Grat. tract. 12. disp. 4. Nec in re differe antiquiores, & Primores Theologi. P. Valentia tom. 1. disp. 4. quest. 13. punct. 2. P. Suarez tom. 1. in 3. p. disp. 10. sect. 4. ibi: Christus tantam Gratiam Virginis meruit, quasi solvendo quod iam datum erat. En Meritum Solutorium. P. Vasq. 94. c. 3. ibi: Christus igitur merito Passionis suæ optimè persolvit pro Gratia antiquis Patribus collatã. En Meritum per modum solutionis. Et mox: Christus fuit causa electionis eorum, qui à massa perditionis in spe ipsius separati sunt. En Meritum in Spe. Pro quo citantur similiter Montoya, Ragusa, Lorca, Alvarez, & alij apud Oviedum huius Meriti impugnatorem punct. 6. fatente quoque Boneispe num. 49. illud admississe PP. Suar. & Valquez, ut ex ipsius confessione vincatur, quam immeritò dixerit, Meritum hoc esse in Scholis inauditum.

Arand. Lessius. Lorin. Coninc. Vvadin. Rayn. Granad. Valent. Suarez. Vasq. Monti. Ragusa. Lorca. Alvarez.

36 Notandum, quod, sicut divisio Meriti in Condignum, & Congruum non est in extrema taliter sese excludentia, ut actus idem non sit Meritum Condignum vnius præmij, simulque congruum alterius; sic etiam divisio in Remunerabile, & Solutorium talis est, ut idem actus possit esse Meritum Remunerabile respectu vnius præmij, & Solutorium respectu alterius. In hoc enim, sicut nec in illo, nulla intervenit contradictio.

SECTIO V.

Meriti Solutorii probationes.

37 PRIMA, quæ magni ponderis est, nititur Doctrinis Sanctorum Augustini, & Thomæ. Ille namque de Mor. Eccl. c. 25. inquit: Vita æterna est totum præmium, cuius promissione gaudemus: nec præmium potest precedere meritum, & prius homini dari, quam dignus sit. Quid enim

August. Thom.

causa sive iniustus? & quid iustus Deo. Ita verò quest. 26. de Verit. artic. 6. explicatus: Meritum est causa præmij: non quidem per modum finalis causa: sic enim magis præmium est causa meriti: sed secundum reductionem ad causam efficientem: in quantum meritum facit dignum præmio, & per hoc ad præmium disponit: id autem, quod est causa per modum efficientis, nullo modo potest esse posterius tempore eo, cuius est causa. Unde non potest, esse quod aliquis mereatur quod iam habet. Quod autem in humanis aliquis pro accepto beneficio Domino suo servit, magis habet rationem gratiarum actionis, quam meriti.

38 Tria hic asseruntur clarissimè à S. Thom. Primum; quod Meritum est causa præmij: non quidem physica, sed moralis: ut indicat limitatio illa: secundum reductionem: quatenus scilicet intentionaliter movet animum præmiantis ad conferendum præmium. Secundum; quod meritum non causat per modum finalis causæ; sed per modum efficientis. Tertium est; quod inde inferunt appotissimè Aug. & Thomas; meritum nullo modo posse esse posterius tempore præmio à se causato, ut habet S. Thom. nec præmium posse præcedere meritum, ipsum causans, & inducens, ut habet Augustinus.

39 Tria exinde inferuntur, meo videri, liquidissimè. Primum; tam Augustino, quam Thomæ sermonem ibi esse ad scopum suam de Merito nostro ordinario, & communi, prout de factò, ut benè observat Godoy tom. 3. in 3. part. disp. 50. §. 2. quod est meritum remunerabile. Quippè August. agebat contra Manicheos, eos increpans, quasi vellent, Beatitudinem dari hominibus, ut præmium, propter merita exercenda post ipsam. Thomas verò contra Alensem, & alios, qui asserbant, primas quoque gratias auxiliantes conferri à Deo nobis ut præmium, propter opera nostra, quæ sint bonus usus ipsarum. Quæ duo effata negamus unanimitè. Secundum; præter istud genus meriti nostri communis, & ordinarij, esse necesse agnosci ex ipso Augustino & Thoma aliud genus meriti. Patet: quia in hoc communi genere meriti ex ipsis Augustino, & Thoma præmium nullo modo potest antecedere tempore meritum; At certum est apud eosdem, reliquosque Theologos, multa gratiarum dona, privilegia, & præmia collata B. Virgini, & Patriarchis antiquioribus

fuisse ex meritis Christi, & tempore præcessisse ad merita Christi, ut suppono ex Disputationibus de Incarn. Ergo ex Augustino, & Thoma aliud genus meriti admitti necesse est. Tertium; hoc aliud genus meriti non posse causare præmia illa tempore anticipata in genere causæ efficientis adhuc moralis, & per reductionem. Patet ex verbis S. Thom. quia quod est causa per modum efficientis nullo modo potest esse posterius tempore eo, cuius est causa. Restat ergo, quod ex mente S. Thom. sit aliud genus meriti non causans meritum per modum causæ efficientis. Hoc igitur est Meritum, quod dicimus Solutorium, movens ut sit, & causans præmium in genere causæ finalis.

40 Ex hac doctrinæ soliditate conficitur in forma prima nostra probatio. Datur verum, & proprium meritum cuius intuitu confertur præmium tempore antecedens ad existentiam meriti. Sed hoc nequit esse meritum remunerabile commune, & in nobis ordinarium, inducens, & causans moraliter præmium in genere causæ efficientis, & quia est: ergo est meritum Solutorium, inducens & causans præmium in genere causæ finalis, ut sit: non enim aptabilis est modus alius moraliter causandi præmium. Consequentia liquet. Maior patet in meritis Christi, quem asserimus omnes verè, ac propriè meruisse gratias, privilegia, & dona pleraque, intuitu Redemptionis, & Mortis eius collata pridem ab initio mundi Patribus antiquioribus, maximeque Immunitatem, & Maternitatem Immaculatæ Virginis. Minor, in qua res vertitur, constabit ex disp. 28. à num. 13. & probata à nobis est efficaciter disp. 5. de Incarn. totà sect. 4. ubi ex professo vidimus, taliter in terminis implicare, quod Meritum Remunerabile, inducens utique, & causans præmium, ut ait S. Tho. secundum reductionem ad causam efficientem, ideòque movens quia est, causet antequam in tempore sit, supponatque præmium tempore antecedens; ut per nullas prævisionum intentionalitates, & divinorum decretorum multiplicationes, & coordinationes, improbo multorum molimine conquiritas, & ad gustum diggestas, salvari id sine manifestâ contradictione possit: cuius rei difficultatem percipies amplius, si legas quæ in id doctè, latèque congerit Illustrissimus

Godoy

Godoy.
August.

Godoy tom. 1. in 3. part. disp. 13. Atque hic suum habet locum August. cit. Nec præmium potest præcedere Meritum, & prius homini dari, quam dignus sit. Nimirum quando datur homini, quia dignus est, ut sit in Merito Remunerabili nobis communi, de quo loquebatur Augustinus. Alterutrum igitur est necesse; aut componere, si fas est, quod meritum, quando non est, causet præmium, quia est; quæ manifesta contradictio est ex mente Augustini, & Thomæ; aut nobiscum iuxta innegabiles ipsorum doctrinas admittere genus hoc aliud veri Meriti Solutorii non causantis per modum efficientis, quia est; sed per modum finis, ut sit: quo cuncta facillè componuntur; cum in hoc genere possit præmium sic causatum præsupponi tempore ad meritum, sicut medium ad finem.

41 Secunda nostra probatio conficitur à priori. Meritum Theologicum in genere est: Obsequium Deo factum, movens ad collationem præmij supernaturalis. Quomodocumque ergo verè, ac propriè conceptus iste genericus contrahatur ad específicas differentias, contrahitur ad illas vera, & propria ratio meriti. Atqui verè, ac propriè contrahitur ad differentias à nobis assignatas Meriti Remunerabilis, & Solutorii; ergo contrahitur ad utriusque ratio essentialis veri, ac proprii Meriti. Minor, quæ difficultatem continet, probatur quoad Meritum Solutorium; nam quoad Remunerabile negatur à nemine. Deus enim prænoscentis conditionatè ante omne decretum, Christum exhibiturum sibi eximia obsequia, & persolutorum grates maximas, si Matri, & antiquioribus Patribus, conferat eximia dona, & privilegia, posset decentissimè intendere ea Christi obsequia sibi placetissima, eamque obsequiosam solutionem, & actionem gratiarum honestissimam, & æquissimam; & exinde rationabiliter allici ad conferenda prius Matri, & Progenitoribus prædicta dona, & privilegia supernaturalia. Quis in hoc dubitet? Quo quidem in casu aptissimè diceretur Deus contulisse prius ea dona, & privilegia intuitu obsequiorum persolvendorum, & propter eiusmodi actionem gratiarum obsequiosissimam: percipiendum: eam nimirum proprietate, quæ dicimur, ponere prius media propter finem assequendum. Nec in hoc potest esse

dubiū. Postea verò Christus re ipsa exhibens Patri grates illas obsequentissimas, exhibet Deo obsequium placetissimum per actus suos supernaturales liberos, exæquans, & superabundanter solvens pro donis, & privilegijs illis prærogatis; atque adeò dignissimum; ut propter illud, & intuitu illius prærogata fuerint. Igitur huiusmodi gratiarum actio Christi est verè, ac propriè obsequium Deo factum movens ad collationem præmij supernaturalis: ergo quamvis non moveat efficienter quia est, ad eam collationem, cum verè in re non sit tale Christi obsequium, quando ea dona conferuntur; movet tamen finaliter ut sit: ad quem movendi modum non supponitur obsequium re ipsa esse quando ea dona conferebantur; cum collata fuerint ex intentione, ut sit, & quasi in spe quod erit: quæ est ut explicuimus differentia Meriti Solutorii. Ergo ad hanc meriti Solutorii differentiam contrahitur relictissimè, & propriissimè tota ratio Meriti Theologici: aut dicatur in quo deficit.

42 Tertia probatio, & confirmatio efficax præcedentium sumitur ex humanis ab exemplo vulgatissimo. Rex prudens sibi persuadens, & sperans, quod sit strenuus, sed inermis; militi conferat antea equum, & arma, miles pro eo validissimè pugnabit; & obtinebit victorias; allectus eiusmodi spe confert prius tempore militi equum, & arma, quibus, & pro quibus miles postea, pugnando in obsequium Regis, persolvit, & compensat condignissimè, & obsequiosissimè Regi suo pro equo, & armis prædonatis, sicque abs dubio miles pugnans meretur apud Regem præmium etiam illud armorum, & equi, instrumentum pugnae, & victoriæ, collatum ante pugnam. Rex què dicitur verè, ac propriè illud contulisse in præmium, intuitu scilicet, & in spe talis meriti, ac obsequij sibi grati. Non enim in eo casu, ut à nobis proposito, dici potest Rex dedisse prius equum, & arma huic militi gratis, & omnino liberaliter, sed propter obsequia finaliter intenta, & motus intuitu, ac spe talium obsequiorum: ideoque huic militi dedit, & non alteri, à quo similia obsequia non speraret. Dedit ergo huic propter merita, non quidem posita, sed ponenda: Sicut propter pretium, & non

Kkk 2

gra

gratis, dat suas merces anticipatò venditor, sive illas det propter pretium iam acceptum, sive solvenda postea ab emptore pretio futuro, intento, & sperato. Ergo eiusmodi antepositio, vel postpositio, sicut non tollit rationem propriam veracitatis venditionis in materia huius contractus; ita nec rationem propriam, verique meriti in materia obsequiosa, sive in humanis apud prædictum Regem, sive in divinis apud Deum. Stat ergo ratio essentialis veri meriti in obsequijs Deo factis sive Remunerabilibus per præmium subsequens, sive Solutorijs pro præmio antecedenti. Hoc humanissimum exemplum mirificè declarat nostram sententiam, & naturam meriti Solutorij cum apto discrimine à Remunerabili: remque totam vique adeo evincit, ut ingenuè dixerit P. Suar. tom. 1. in 3. p. disp. 10. sect. 4. numquam illi fuisse ab Adversarijs satisfactum: & similiter loquitur P. Izquierdo disp. 42. num. 7. Illud virget instantissimè Coninc disp. 8. de Act. supernat. dub. 7. quod quantum facebat negotij frustra respondentibus, videri potest apud Herize doctè in id laborantem disp. 28. c. 3. & impenitus apud Aldrete tom. 2. in 1. p. disp. 15. sect. 8. & disput. 17. sect. 1. & 2.

43 Hos irritò conatu imitatur P. Iunius sect. 14. c. 3. multa de suo requirens ex apicibus Iuris ad constitutionem nostri Meriti Solutorij, quæ facile sit non inveniri; sed quæ nobis nec in mentem venerunt. In primis enim supponit sibi gratis, intervenire debere contractum inter sic merentem, & præmiantem: cum certè nec contractus ad id, nec quidem colloquium necesse sit; quia totum meriti Solutorij negotium peragi valet, mente retentâ illâ spe pugnae, & victoriarum. Deinde multas adnotat disparitates inter Regem humanum, & Deum: & posset notare multò plures; sed nullam ad rem. Exemplum enim nostrum adducitur ad quatuor. Primò, ad ostendendum, quòd Rex ille rationabiliter, & providenter anticipat Militi equum, & arma ante obsequia pugnarum, & victoriarum in re posita: & in hoc nequit esse dubium. Secundò, ad demonstrandum, quòd ea non confert huic Militi omnino gratis, & ex affectu puræ liberalitatis; sicut posset eadem dare alteri, quem sibi persuaderet nunquam pugnaturum; sed

intuitu, & in spe, sive animo retentâ, sive in colloquium, aut in contractum deductâ, pugnarum, & victoriarum medijs armis, & equo futurarum: in hoc qui dubitet, adeat vendentes, & ementes, ut discat: an quando, nullâ præcedente obligatione, res traditur emptori, pecuniâ creditâ, tradatur gratis, & liberaliter. Tertio ad perspicendum, quòd modus ille anticipandi equum, & arma est conferre, & velle conferre illa propter pugnas, & victorias. Modus est loquendi à cunctis creberrimè usurpatus, quando dicimus, fieri propter finem ea quæ intuitu, & ex intentione, & in spe finis per eadem obtinendi fiunt: & tradi merces propter pretium, quando anticipatò, & creditò traduntur, ut pretium postea percipiatur. Quarto ad evincendum, quòd per prædictum animum, & modum conferendi equum, & arma pugnaturò, nec pugnae, nec victoriæ subsequuntur desinunt esse pugnae, & victoriæ iucundæ, & obsequiosæ Regi; nec res à Milite sic postea gestæ deficiunt à vera ratione servitij, & obsequij; atque adeò, nec à vera ratione merendi apud Regem. In hoc qui dubitet, interroget à Regibus, & Militibus.

44 Nullum è toto corpore iuris quasi è pharetra protulit telum P. Iunius, quod feriat aliquod ex istis quatuor capitibus: ex quibus adductum Regis, & Militis exemplum punctim declarat, & probat intentum nostrum, & adstruit doctrinam Meriti Solutorij apud Deum. Quorsum ergo disparitates à longè petita: Quorsum subtilitates de Contractibus? Stant quidem citra rigores stricti contractus vera ratio meriti compensativi moventis, ut sit in operibus obsequiosis dicti Militis erga Regem: & vera ratio præmij tempore anticipati in equo, & armis, quæ postea sunt media, & instrumenta obsequiorum, moventium intentionaliter animum Regis, quando non erant, ex præcognitione, & in spe quod sic erunt; solventium autem, compensantium, & re ipsa merentium, quando sunt. Hæc est ipsissima doctrina Meriti nostri Solutorij apud Deum: non ex incertâ persuasione, sicut humanus Rex, sed ex certissima præscientia conditionata futuri eventus, multò meliùs potentem sic providere. Ut liceat nobis etiamnum pronuntiare, non obstantibus

bus Iuris allegationibus à P. Iunio congestis, quod dixit Suarez, huic humani Regis exemplo nunquam fuisse plenè satisfactum. Addam, nec semiplenè.

Iunius.

45 Nec momenti esse debet, quod post alios reponit Iunius, in prædicto casu nullam fore rationem, cur potius pugnae, & victoriæ sint meritum Militis apud Regem illas præmiantem armis, & equo; quam anticipatio armorum, & equi sit meritum Regis apud Militem id præmiantem pugnis, & victorijs. Hoc enim est nolle meminisse, quòd meritum debet esse opus obsequiosum inferioris ad Superiorem: Idèdque nec Deus, nec Christus, ut Deus, mereri possunt. Undè, sicut actio illa Regis Superioris non induit rationem obsequij erga Militem, quam induit opus Militis inferioris erga Regem; ita nec nomen, nec rem meriti, quam induit opus Militis. Sic in contractu venditionis qui dat merces pro moneta est qui vendit; & qui dat monetam pro mercibus, est qui emit; modò moneta detur ante, modò detur post traditionem mercium: ea enim anticipatio, vel postpositio non dat, nec tollit à moneta esse monetam, nec à mercibus esse merces.

SECTIO VI.

Obiectiones graves.

August.
S. Thom.

46 PRIMAM sumunt Adversarij ex verbis Sanctorum August. & Thomæ recitatis num. 37. Sed hanc objectionem ibi præocupavimus. Quinimo ex ipsèd verbis formavimus argumentum validum pro Merito Solutorio. Constat enim ex illis Locis, quòd in eo genere meriti, de quo loquuntur, nequit dari præmium tempore antecedens ad existentiam meriti: cum tamen ex doctrinis Sanctorum Augustini, & Thomæ universa fere Theologia agnoscat in Christo præmia multa tempore antecedentia ad existentiam Christi, & meritorum Christi. Undè liquidò inferitur, aliud genus meriti debere agnosci à Sanctis Doctoribus, & à nobis. Hoc ergo est meritum Solutorium: non utique movens animum præmiantis, quia est, ad modum causæ efficientis; hic enim modus movendi est cum quo ex S. Thom. repugnat præmium antecedere tempore ad meri-

tum; sed movens, ut sit, ad modum causæ finalis, qui modus movendi stat optimè cum antecedentia præmij ad meritum, sicut mediorum ad finem. De hoc autem genere meriti non loquebantur ibi Sancti Doctores: quia sermo, & institutum erat de merito communi nostro, quod iuxta præsentem Dei providentiam Solutorium non est; sed remunerabile semper adæquatissimè per præmia subsequents. Similiter intelligendi sunt Doctores nostri Suar. & Vasquez, dum, absolute loquentes, causam meritoriam reducant ad modum efficientis, & contraponi dicunt causare finaliter, & causare meritorie. Loquuntur enim cum August. & Thoma de merito nostro communi, & ordinario, quod iuxta statas Dei Leges est dumtaxat remunerabile: salva pro Christo sua, & nostrâ doctrina de Solutorio, ut in ipsorum verbis legitur num. 37.

Suar.
Vasq.

47 Addo ex Haunoldo num. 356. nec in nobis, nec in Christo dari de facto Meritum, quod non sit Remunerabile. Nam omnia nostra sunt Remunerabilia, & non Solutoria; Merita autem Christi omnia sunt etiam Remunerabilia respectu præmiorum subsequents, quamvis respectu antecedentium sint Solutoria. Undè est quòd prædicti Doctores, & alij omne meritum generalissimè vocent Remunerabile, & sic in genere loquantur: quod non tollit, quominus merita remunerabilia Christi sint simul Solutoria respectu præmiorum tempore antecedentium, iuxta quod monui num. 36. Nec obest idem S. Thom. imò favet dum loc. cit. subiungit: Quod autem in humanis aliquis pro accepto beneficio Domini suo servit, magis habet rationem gratiarum actionis, quam meriti. Non enim ait, ea servitia gratificatoria non habere rationem meriti, cum certè sint actus honesti virtutis gratitudinis; sed ait, magis habere rationem actionis gratiarum, quia hoc est quod specialius præferunt.

Haunol.

S. Thom.

48 Secundam objectionem sumunt à repugnantia, ut aiunt, terminorum finaliter, & meritorie movendi. Quia movere per modum finis, & movere per modum meriti sunt modi movendi contraposti: non secus, ac causare finaliter, & efficienter: ergo non nisi repugnantè, & implicatorie dicimus, Meritum Solutorium esse verum meritum, & non move-

S. Thom.

movere per modum efficientis, quia est; sed formaliter, ut sit. Antecedens probant tripliciter. Primò ex verbis relatis S. Thom. ubi generaliter loquens de Merito, ait, causare præmium non per modum finalis causæ, sed secundum reductionem ad causam efficientem. Secundò: quia modus movendi meritorie per modum finis est in Scholis inauditus. Tertio, & præcipue, quia SS. Patres, ut Hieronym. & August. & Concilium Arausic. ex verbis Pauli Ephes. 1. *Elegit nos in ipso ante constitutionem mundi, ut essemus Sancti*, indicantibus motionem finalem, inferunt contra Pelagium: *ergo non quia eramus Sancti*: hoc est, bene, & sanctè operantes: & subinferunt, nos per opera nostra nullatenus electionem meruisse. Ergo, quia modus ille movendi per modum finis, ut sit, opponitur modo movendi meritorie: alioquin subillatio SS. Patrum esset illegitima, & argumentum, ex Apostolo factum contra Pelagianos invalidum.

Hieron.
August.
Araus.
Ephes. 1.

49 Respondetur, antecedens, intellectum de modo movendi meriti nostri iuxta Dei præsentem legem, esse verum, & abijisse quasi in axioma: quod in hoc ordinario nostri meriti sensu non negamus. Intellectum verò de Merito generalissimo, tam Christi, quam nostro; tam legis præsentis ordinariæ, quam extraordinariæ Deo possibilis, esse absolutissimè falsum. Non enim sunt modi movendi contrapostiti, sed invicem disparati, ut de prædicatis intellectivi, & sensitivi dici solet, quæ nec sese mutuo inferant, nec sibi invicem adversantur. Nec omnis, nec solus modus finaliter movendi est modus meritorie movendi; nec omnis, nec solus modus meritorie movendi est modus finaliter movendi. Imò sicut modus finaliter movendi abstrahit ab vno qui est, & ab alio, qui non est modus meritorie movendi; sic generalissimè modus meritorie movendi abstrahi ab vno, qui est, & ab alio, qui non est modus finaliter movendi: ut de prædicatis sensitivi, & intellectivi dicimus omnes. Undè consequentia nulla est. Meriti enim solutorij, non quidem contrapostiti ad omne verum meritum, sed ad meritum Remunerabile, differentia specialis est modus finaliter movendi: ad quam contrahitur vera ratio meriti, ne dicamus Christum non verè, ac pro-

priè meruisse multis dona, & privilegia, quæ tempore præcesserunt ad ipsius existentiam, & merita, ut monstravimus n. 41. Ad primam probationem antecedentis nuper responsum est satis, & probatum, non loquutum ibi S. Thom. de merito generalissimè sumpto; sed de merito nostro ordinario: de quo verissimè ait, non causare per modum finis, ut sit; sed per modum efficientis, quia est, præmium utpotè remuneratorie subsequutum. Ad secundam dico, iam esse veteranis Theologis minùs dignam: à qua deberent desistere ofores potius, quam impugnatores Meriti Solutorij, in Authoribus, & Scholis celeberrimi.

50 Ad tertiam, quæ momenti est, dico, Sanctos PP. ex verbis Pauli optimè arguisse contra Pelagiū. Aiebat iste, divinam electionem aliquorum præ alijs; imò & primas gratias auxiliantes supponere ex parte electorum meritum illarum, factum viribus liberi arbitrij: cuius intuitu, quia sic digni antecedenter fiebant, eligebantur ex operibus, & accipiebant primas etiam gratias propter merita viribus naturæ facta, in genere quidem remuneratorio, de quo erat quæstio: nam solutorium supernaturale, nec somniavit Pelagius, nec præsens tunc quæstio requirebat. Huic igitur errori opponunt Sancti PP. Apostoli verba: *Elegit nos in ipso, ut essemus Sancti*: & inferunt appositisimè contra Pelagium in ipsis terminis Meriti Remunerandi: *ergo non quia eramus Sancti*: scilicet sanctè, ac meritorie operantes antecedenter ad primas gratias, & electionem: ante quas agnoscebat Pelagianus error meritum ex parte liberi arbitrij sine adiutorio gratiæ supernaturalis. Quæ illatio in terminis Sanctorum PP. contra Pelagium legitimè, & firmissimè procedit ex terminis Pauli. Modus enim finaliter movendi, ut essemus sancti, quamvis non contraponatur omni possibili modo meritorio movendi, contraponitur, ut diximus, modo remuneratorie movendi, quæ tribuebat Pelagius operibus naturalibus antecedentibus, & contra ipsum negabant, ac impugnabant ex Apostolo Sancti PP. sicque eos rectè intelligit Illustriſſ. Godoy tom. 3. de Incarnat. disp. 50. §. 2. num. 7.

51 Sed quid ad illam subillationem, qua generaliter exindè deducunt Sancti PP.

PP. nos per opera liberi arbitrij nullatenus mereri electionem, & collationem primarum gratiarum? Sic enim omne genus meriti, atque adeò etiam Solutorij ad illas negant ex parte nostra. Respondetur subillationem fuisse, & esse optimam: non quia ex alia providentia possibili, dabile non sit etiam in nobis meritum, cui modus finaliter movendi non contraponatur; sed quia contentio illis erat iuxta præsentem providentiam meriti de facto in nobis existentis: iuxta quam, exclusà semel ex verbis Apostoli vi meritoria ab operibus antecedenter ad gratiam factis, quibus cantribuebat Pelagiani, nullus nobis supererat modus merendi nostram electionem, primasque gratias per opera nostra: non enim per opera naturalia, quia ijs obstat improportio ad præmium supernaturale: non per supernaturalia antecedentia; quia ijs obstat repugnantia antecedendi ad omne principium supernaturale, cum debeant supponere aliquod, à quo procedat primum opus supernaturale meritorium: non per supernaturalia subsequentia, quæ essent bonus usus gratiæ præcedentis; quia ijs obstat præsens Dei lex non destinandi nobis in præmium, sed omninò gratis dandi ad meritum ulterioris præmij prima principia merendi. Rectissimè igitur subinferunt Sancti PP. nos per opera nostra primas gratias, aut electionem nostram meruisse.

Vasq.

Valent.

52 At quid vitra, si quis, ijs Meriti Solutorij doctrinis utens, dicere attentaret, electionem nostram, primasque gratias ex nostris de facto meritis esse: non quidem per solas arbitrij vires, sed per vires gratiæ factis: non in genere meriti antecedentis, & efficienter moventis, quia erat; sed in genere meriti Solutorij subsequentis, & finaliter causantis, ut esset, post illas, & ex illis, tanquam bonus usus ipsarum? Hic profectò non convinceretur discursu SS. Patrum ex prædictis verbis Pauli. Respondetur, eum, qui sic diceret, ut bene notat Vasquez 1. par. disp. 89. cap. 4. & 5. discessurum in hoc ab hæresi Pelagianâ, quam ex dictis verbis Pauli insequerentur ibi Augustinus, & alij Patres: atque adeò non eo, sed alio argumento impugnandum esse: sic etiam colligitur ex P. Valentia tom. 1. disp. 4. quæst. 13. punct. 2. quidquid

ex adverso conetur Ovied. punct. 4. §. 4. Ovied. Non tamen id tutò diceret, nec impunè: haberet enim contra se alia eiusdem Apostoli verba Roman. 11. *Si autem gratia, iam non ex operibus*: per quæ primarum saltem gratiarum, utpotè omninò gratis collatarum ex præsentem Dei lege omne prorsus meritum nostrum excluditur iuxta intelligentiam Augustini, & aliorum Patrum: & subiret censuras ferri solitas adversus eos, qui aliter exerrant, dicendo, prima etiam auxilia dari nobis in præmium propter bonum usum ipsorum: de quo nos alibi.

53 Inſites. Ad motionem meritoriam in genere Solutorio sufficit motio ad modum causæ finalis: sed hoc modo opera nostra bona subsequentia iam de facto Deum movent ad auxilia etiam prima conferenda: Deus enim illa contulit ex fine, ut essemus sancti: ergo sequitur ex nostra doctrina, sic etiam de facto contingere, quòd prima etiam gratiæ auxilia conferantur ex meritis nostris Solutorijs propter bonum usum ipsorum primorum auxiliorum. Respondetur maiorem esse falsam, ut iacet; & non nisi ex non penetratione nostræ doctrinæ nobis imponendam. Nunquam diximus, nec dicere, nisi insipienter, possumus, movere, seu causare ad modum causæ finalis sufficere, si cætera desint, ad rationem Meriti Solutorij; cum abs dubio multi fines movent, qui aut nullatenus merita sunt; aut, quamvis merita quandoque sint, non sunt merita cuiuscumque præmij: sed diximus id requiri. At requiruntur præterea pro ratione meriti, alia multa, quæ non in omni fine reperiuntur; & quorum defectu non omnes causæ finales sunt causæ meritoria. Sic apud omnes ad rationem Meriti Remunerabilis requiritur ex S. Thom. movere, seu causare præmium ad modum efficientis: non tamen id sufficit; sed præterea multa requiruntur, quæ in multis causis efficientibus desunt: ideòque non omnes causæ efficientes sunt causæ meritoria.

54 Porro quod diximus, & constanter dicimus, est, movere, seu causare per modum finis, & ut sit, non contraponi, nec repugnare omni rationi veri meriti; & esse differentiam Meriti Solutorij à Remunerabili, movente, seu causante ad modum efficientis, & quia est, ex propria simi-

similiter differentiâ suâ à Solutorio. Preter has autem utriusque differentias requiruntur in utroque alia multa ex concepta generico Meriti Theologici ut sic. V.g. quod sit actus liber, honestus, supernaturalis, obsequiosus Deo, & à Deo ordinatus ad præmium ut cum Eximio Doctore, & communiori sententia dicimus *disp. 29. scilicet. 1.* Vide quàm multa certò requirantur ad Meritum, ultra motiorem, vel causalitatem moralem, sive finalem, sive efficientem.

Suarz.

Infra,
disp. 29.

55 Ex ijs in forma sic intellectâ maiori, & planè concessâ minori, negatur consequentia. Absit à nobis tantus error. Præsens enim Dei providentia non ordinavit de facto opera nostra in meritum gratiarum antecedentium, nec prima gratiæ auxilia in præmium nostrorum operum benè illis videntur. Quinimò prima gratiæ auxilia omninò gratis, & liberalissimè nobis donans, & ut loquitur Paulus, *non ex operibus*; ordinavit clementissimè, ac munificentissimè bona opera nostra, quæ sunt bonus eorum usus, in præmia vteriora absorventia omnem condignitatem, & vim meritivam nostrorum operum, taliter ut in illis non supersit vis meritiva ad præmia antecedentia. In Christo non sic quia vim infinitam meritivam suorum obsequiorum Theandricorum nulla præmia possunt exhaurire; idèdque præter condignitatem ad præmia subsequuta, quæ meruerunt in genere Remuneratorio, habuerunt simul condignitatem ad multa etiam antecedentia certò collata ex Christi meritis, Deo sic, ut ex Scripturis constat, ordinante, Matri, & Antiquioribus, quæ cadere non possunt in Meritum Remunerabile, sed in Solutorium, ut vidimus in *disputationib. de Incarnat.* indè adstruentes soliditatem, & necessitatem veri Meriti Solutorij.

56 Tertiam objectionem sumunt ab serupulo Semipelagianismi. Error enim Malsilienium erat, præmiari à Deo, cuncta præsciente, merita hominum conditionata. Atqui hoc, aut dicitur, aut sequitur in doctrina nostri Meriti Solutorij; quatenus dicimus, opera, priusquam fiat, & videantur absolutè futura, movere posse ad absolutè eorum intuitu conferendum præmium, sub cuius conditione prænotavit Deus per scientiam Mediam, quod ponerentur: ergo coincidi-

mus cum illis, qui docebant, Deum præmiare merita conditionata. Quæ quidem nec in Iuda desunt; cum de illo quoque præsciat Deus conditionatè, quod egisset benè, ac perseverasset sub aliqua rerum, & auxiliorum hypothesi.

57 Respondetur, oportere, satius calculis Malsilienium hæresim, & ex adverso Theologiam veri Meriti Solutorij: quarum dumtaxat expositione fideliter obiectio. Errarunt primo dicentes opera meritoria præmij supernaturalis præsciri à Deo conditionatè faciendâ viribus naturæ. Ab hoc, quàm absit longissimè tota nostra doctrina, iudicet unusquisque. Errarunt secundo dicentes, merita, & demerita ut à Deo præscita in tali statu conditionato, & in illo purè mansura, facere nunc homines dignos præmio, vel penâ actuali: taliter nimirum, ut præsciens Deus, ex Parvulis obeuntibus, aliquos benè, alios male operaturos fuisse, si diutius vixissent, illos absolutè præmiaret, istos damnaret propter illa merita, vel demerita purè conditionata, quæ facturi fuissent. Ostèdatur, precor, qua in parte Theologiæ nostræ de Merito Solutorio contineatur hæc insania. Sufficisset hoc pro responsione.

58 Ad vberiolem tamen cautelam respondemus in forma, concessâ maiori, iuxta nupèr adhibitam expositionem Malsilienis erroris, negando minorem, & in ea omninò sequelam, & deindè consequentiam, ut ex sola propositione prædictorum errorum sit patentissimè cuique, vel mediocriter callenti terminos Theologiæ veri Meriti Solutorij. Quamvis enim dicamus, opera, antequam videantur absolutè futura allicere, & movere posse Deum ad conferendum præmiū supernaturale, sub cuius hypothesi, seu anticipatione præsciverat conditionatè Deus, meritum ponendum fore; nec tamen id dicimus de operibus ex solis naturæ viribus; quo exclusus manet primus error: nec id dicimus de operibus ex gratia, manentibus, & mansuris in eo statu conditionato, & sic facientibus hominem, actu dignum præmio, ut de Parvulis dicebant Malsilienses, & per eundem errorem posset dici de Iuda: quo exclusus manet secundus error. Id dicimus de meritis ex gratia: non quidem manentibus, & mansuris in eo statu

con-

conditionato, nec moventibus, quia conditionata sunt, nec facientibus hominem merentem, aut dignum, donec actu in re ponantur; sed quæ post præscientiam illam conditionatam de absolutâ eorum positione sub ea hypothesi, purificatâ postea hypothesi à Deo præscientissimè allecto ex fine, *ut absolute sint*, seu quasi *in spe*, quod sic fient absolute existentia; re ipsa aliquando absolute ponuntur, tuncquè exercitè posita, & non antè, faciunt hominem merentem, & dignum præmij intuitu illorum anticipati. Quid in hoc est commercij cum prædictis erroribus?

59 Itaque aliud est, quod sedulo notari debet, ac discerni, Meritum Solutorium facere hominem merentem, & solvere, seu compensare pro præmio anticipato; aliud est, intentionaliter movere præmiatè, ut velit anticipare præmium. Prius illud præstat hoc meritum quando re ipsa est, & quia est, posterius istud præstat, antequam re ipsa sit, *ut absolute sit*, & in spe quod re ipsa erit. Ad modum scilicet, quo sanitas non nisi quando re ipsa est facit hominem sanum; at antequam re ipsa sit movet ex cognitione, & amore sui intendentem ad volenda, & ponenda media, ut absolute sit, seu in spe quod re ipsa erit. Quamvis ergo ante absolutum Dei decretum conferendi præmium anticipatum non detur absoluta, sed solum conditionata præscientia huiusmodi præmij, non exinde dicimus, movere ad eam collationem meritum conditionatum, quia præcisè conditionatum est, sed ut absolute existens sit: qui enim prædicto modo anticipat præmium non sperat, aut intendit, quod tale meritum sit conditionatè futurum; sed quod sit absolute futurum, imò & re ipsa existens. Nec mirum, quod, præcedente dumtaxat illâ notitiâ conditionatâ, moveatur, seu alliciat Deus à positione absolutâ talis meriti: quandoquidem hæc ipsa positio absoluta representatur conditionatè divinæ menti per prænotitiam illam conditionatam: & quidem sufficientissimè, & aptissimè, ut moveatur, & alliciat Deus à bonitate positionis absolutæ talis meriti. Est clarum: sicut & quod prænotitia simplex possibilitatis, & consequibilitatis finis sufficiat, & apta sit, ut ex absoluto desiderio absolutæ positionis talis finis *ut sit*, eligamus media; &

quod notitia simplicis intelligentiæ divinæ, & interdum scientiæ conditionatæ sufficiat, ut à bonitate talis obiecti alliciat Deus ad absolute volendum, & ponendum illud: quoniam totum illud ipsum statum absolutum perlustrat conditionatè præscientia conditionata; & simpliciter, simplex intelligentia: ut aliunde indubitanter supponere debemus.

60 Quartam objectionem sumunt à ratione generali Meriti, & Præmij. Quia quod datur in præmium propter meritum, datur ex aliqua obligatione dandi; sed quod daretur anticipatè ad meritum, non daretur ex vlla obligatione sic dandi; cum nec esset Deus iniustus, nec infidelis si sic non daret: ergo nec tale donum haberet rationem præmij, nec opera subsequuta rationem meriti. Maior probatur: quia si non daretur ex aliqua obligatione, daretur omnino gratis: ac proinde non in præmium propter meritum. Huic objectioni respondere debent etiam Obijcientes, qualescumque admittant meritum Christi respectu plurium præmiorum antecedentium: quæ quidem Deus anticipavit ex veris meritis Christi, nulla præcedente obligatione sic anticipandi.

61 Respondemus nos, maiorem esse veram de præmio, & merito Remunerabili; falsam de Solutorio. Ratio, & regula est: quia in similibus obligatio qualiscumque sit, sive iustitiæ, sive fidelitatis ad alterum, sive gratitudinis, sive strictæ, sive latæ, imponitur à primo datore, & manet penes secundum, quia proinde mutantur naturæ rerum. Patet in venditione: in qua modò anticipatur traditio pretij ad merces; modò traditio mercium ad pretium, quando anticipatur traditio pretij, emens imponit obligationem, & vendens eam contrahit tradendi postea merces; quando verò anticipatur traditio mercium, è contra vendens imponit, & emens contrahit obligationem tradendi postea pretium: & utrovis modo stat ratio veræ venditionis, & emptionis penes eosdem, ut iam observavimus ad finem *num. 45.* Sic igitur qui confert præmium propter meritum in genere remuneratorio, cum supponat alterum prius merentem, illud confert ex aliqua obligatione conferendi intuitu meriti præcedentis: qui verò

LII

con-

confert præmium propter meritum in genere solutorio, non illud confert ex obligatione, cum potius ipse anticipans præmium inducat aliquam obligationem saltem gratitudinis manentem penes merentem, donec meritorie solvatur per obsequia sua pro muneribus anticipatis. Unde quoad hoc inverso modo se habent præmians, & merens in genere Remuneratorio, ac in Solutorio: & utrovis modo stat vera, & essentialis ratio Meriti, & Præmij.

62 In probatione maioris accuratè discernenda venit duplex gratuititas. Una materialis, & subiectiva: & sic dicitur dari, seu fieri gratis, quod non est materia cadens sub obligatione, & debito dandi, vel faciendi. Alia est materialis simul, & formalis, obiectiva, & affectiva: & sic dicitur esse, dari, aut fieri gratis, quod nec est materia cadens sub obligatione, & debito, nec versatur circa talem materiam, intendendo aut inducendo debitum, nec obligationem in obiectis. Termini sunt notissimi, & apprimè necessarij pro Disputationibus De Prædestinatione, quas paramus in lucem: ubi de Electione ad Gloriam ante prævisa merita dicimus cum P. Suarez haberi à Deo gratis, & esse materialiter, & subiectivè gratuitam, quia antecedenter ad absolutam prævisionem meritorum habetur à Deo sine obligatione, & debito illam habendi: non tamen esse omnino gratis, & gratuitam formaliter & affectivè respectivè ad eius obiecta: quia non vult, Gloriam nobis dari gratis, nec sine meritis, sed dari ex debito, & propter merita. Sic etiam in humanis venditur gratis, hoc est, sine obligatione sic volendi, vult tradere suas merces huic emptori; non verò vult tradere gratis, sed propter pretium, sive anticipatum, sive subsequutum. Per hæc ergo fit responsio dilucida ad probationem maioris, distinguendo: si tale præmium non daretur ex aliqua obligatione, daretur gratis gratuitate materialis, & subiectivè, hoc est, sine obligatione sic dandi, & volendi dare, concedo; gratuitate formali, & affectivè respectivè ad obiecta, nego: quia daretur intuitu, & quasi in spe obsequij compensativi, & verè propter meritum, inducendo, & volendo inducere in merente aliquam obligationem solvendi, & compensandi pro præmio anticipato per ob-

sequia subsequentia. Prior autem illa gratuititas præmij obstat nequit verè rationi meriti in obsequio.

63 Quintam sumunt à paritate pœnæ. Nullus est modus demerendi, quo pœna tempore anterior infligatur iuste, intuitu culpæ nondum existentis: ergo neque modus merendi, quo præmium conferatur intuitu meriti nondum existentis. Talis autem est modus noster merendi Solutorius, ideòque negandus; aut similiter concedendus modus demerendi. Hac obiectione sese potius, quam Meritum Solutorium iugulant Adversarij. Quippè, quomodocumque sit, admittere, ac defendere debent in Christo modum verum merendi præmium tempore antecedens ad existentiam meriti. Videant ergo, quid dicant de pœna ante culpam? Quam arctè urgeantur ista paritate per viam solius Meriti Remunerabilis, expendimus *disput. 5. de Incarnat. à nu. 55.* Nos in via Meriti Remunerabilis admittimus paritatem, & concedimus consequentiam. Hanc tamen negamus per viam nostri Meriti Solutorij propterea maximè admittendi. At, inquis, cur similis via iniri non possit in pœnis, & culpis? Ratio nobis est expedita, & clara: quia Meritum Solutorium movet ad dandum præmium, illudque causat in genere causæ finalis, quasi in spe, & ex intentione, *ut tale meritum sit.* Hoc autem modo nequit movere finaliter seu allicere Deum culpa ex intentione *ut sit:* quia talis intentio repugnat Deo, qui *non Deus volens iniquitatem est.* Ecce iam, quam clarè apud nos repugnet pœna ante culpam: nequit enim à Deo infligi antequam culpa sit, *quia culpa est;* cum reipsa non sit: nec ex intentione, *ut culpa sit:* cum eiusmodi intentio repugnat Deo: quam tamen optimè, maximeque deceat anticipare præmium ex intentione sanctissimè, *ut meritum sit.* Nec aliter solidè Theologizari potest in Christo, vt suo loco vidimus, & expendimus.

64 Sextam ab inconvenienti. Nam sequeretur inde, Deum dare præmium indigno, aut saltem non digno: siquidem datur antequam meritum sit, quando homo nondum merens, atque adeo nec dignus est. Respondetur, hoc seorsim à doctrinà nostrà Meriti Solutorij solvendum esse ab Adversarijs, admittentibus, velint nolint, multa Christi præmia,

Tom. de
Christo
disp. 5.
sect. 4.

Godoy.


reipsa collata multò antequam Christus reipsa merens dignus fieret. A quo quam se difficulter expediant legere est apud Godoy *disp. 13. à num. 49.* Nos facile dicimus, inconveniens, imò, & omnino repugnans esse Deum dare præmium nondum digno, *quia dignus est:* qui est modus dandi propter meritum remunerabile: at dare præmium non digno ex intentione, & sine, *ut obsequendo, & merendo dignus sit,* nec est repugnans, nec inconveniens, vt discernitur satis ex ipsis terminis.

65 Septimam tandem ab Axiomate Theologico: *Principiū meriti nequit cadere sub meritum.* Quod quidem esset possibile per doctrinam Meriti Solutorij, propterea ab Scholis relegandam, vt adver-

fariam receptissimo Axiomati. Respondetur, non omnibus Assertoribus Meriti Solutorij placuisse, quòd adhuc in eo genere solutorio possit principium meriti cadere sub meritum, cuius est principium; quamvis bene cadant alia præmia tempore antecedentia. Facessunt tamen multum negotij quæ contra id urgent Ripalda, & alij. Quapropter verum semper iudicavi, & consequentius iudico cum alijs Meriti Solutorij Patronis, in hoc genere meriti posse principium meriti cadere sub meritum: de quo *disp. 28. sect. 3.* vbi rectam intelligentiam Axiomatis exponemus, nihil adversantem veram

Theologiæ, aut nostræ doctrinæ, propterea non relegandæ, sed relegandæ.

Infra
disp. 28.



DISPUTATIO XXIV.

DE REQUISITIS AD MERITUM EX PARTE ipsius actus meritorij.

PVLCHRAS, viles, & graves Difficultates continet hic Titulus: quales sunt de Honestate, Supernaturalitate, Positivitate in hac Disputatione; & de Libertate Meriti in sequenti. Eas, sparsim vt plurimum traditas ab Auctoribus, collectas dabo non sine utilitate doctrinæ, vti spero: tam pro Scholis inter Catholicos, quam pro Controversijs adversus Hæreses.

SECTIO I.

An & qualis honestas requiratur in actu meritorio: an sufficiat cuiuslibet virtutis moralis: an debeat esse ex imperio Charitatis.

2 **C**ertum est, actum formaliter meritorium debere esse formaliter honestum; aliàs enim non esset Deo gratus, & obsequiosus: atque adeò debere esse actum voluntatis: quia solis actibus voluntatis competit formalis bonitas, & honestas. Difficultas est: an ad id sufficiat honestas cuiuslibet virtutis: an solius Charitatis Theologicæ taliter, vt saltem actus debeat procedere ex divinæ charitatis imperio, vt sit meritorius æternæ vitæ. Vnum supponit hæc difficultas; & aliud quærit.

3 Supponit, actus aliarum virtutum etiam moralium, quamvis dilectio Dei non sint, nec à dilectione Dei imperentur, esse bonos, & honestos: vt à rationibus, Scripturis, & Sanctis Patribus comprobant efficaciter, & eruditè post Ripaldam *tom. 3. disp. 22.* Eminentissimus de Aguirre *to. etiam 3. disp. 130. per totam,* & Patritius Daffius in *Theologia Baiouaniana à Classi 5.* contra præsentis sæculi Lovaniensès, præsertim Sinnichium in *suo Sabelle lib. 1. c. 44.* Macharium Havermans in *Tyrocin. tract. 2. c. 6.* & alios huius sequelæ: quibus nimis adheret Contentonus, sinistrè in id trahens S. Thom. apud Aguirre *num. 5.*

4 Certò constat veritas, quam supponimus, ex damnatione Propositionis 38. Baiuanæ per Bullas Pontificum Greg.

Ripald.

Aguirre
Daffius

Sinnich
Macar.

Cotson.

Suar.

Greg.
XIII.
Vrb.
VIII.

XIII. & Vrb. VIII. quæ sic erat: *Omnis amor creatura rationalis, aut vitiosa est cupiditas, quæ mundus diligitur, quæ à Ioanne prohibetur; aut laudabilis illa charitas, quæ per Spiritum S. in corde diffusa, Deus amatur.* Cui errori consonant Propos. 16. & 25. Earum autem iteratæ damnationi accessit recens Decretum Alexandri VIII. an. 1690. denuo proscribens hanc Janfenistarum propositionem ibi septimam. *Omnis humana actio deliberata est Dei dilectio, vel mundi: Si Dei, Charitas Patris est; si mundi, concupiscentia carnis, hoc est, mala est.* Quod similiter pertinent Propositiones 3. II. & 15. pariter ibi proscriptæ. Cõstat etiam ex Trid. sess. 6. cap. 11. & can. 8. & ex ipsdem Bullis Pontificijs, actus timoris Gehennæ, & Spei Mercedis æternæ, qui quidem ex dilectione charitatis perfectæ non sunt, non esse malos, sed bonos, laudabiles, & honestos, etiam in peccatore, usque ad eum & in infideli. Pro quo multas Scripturas exponit Ripalda, præsertim num. 9. & 35. propterea censens num. 4. doctrinæ, quam certam supponimus de honestate actuum virtutum seorsim à perfecta dilectione charitatis, contradicere non posse sine temeritate saltem, & errore in Fide.

Ripal.

5 Ex multis, quæ contra certam istam suppositionem moliuntur Adversarij, vnum ponam, ut eorum tria, & Magni Augustini sensus dignosci, vel ex vogue, possint. Si, inquit, aliquis actus alterius virtutis à charitate honestus esset, maximè actus Spei: sed hic ipse, si honestus est, nõ est actus amoris concupiscentiæ, imò potius benevolentæ erga Deum elicitus à charitate: ergo nullus, qui charitatis non sit, honestus est. Minorem probant dupliciter. Primò à ratione. Quia actus spei est, quo bonum absens, & arduum ab alio consequendum desideratur. At hoc circa Deum est actus ipse charitatis. Virtutis enim charitatis est, Deum summum bonum nostrum absens in via per gratiam consequendum desiderare, sicut de illo præsentis in Patria gaudere: quandoquidem amans bonum, amore etiam benevolentæ, per eandem virtutem illud desiderat ac sperat absens, & de eodem gaudet præsentis: ut experiri est, cum benevolenter amicos diligimus. Secundò ab autoritate præsertim Augustini. Quippè c. 3. Enchir. loquutus de Fide, ac Spe, ait de Chari-

August.

tate: *De Amore quid dicam, sine quo Fides nihil prodest: Spes verò sine amore esse non potest. Propter quod Apostolus Fidem, quæ per dilectionem operatur, commendat, quæ sine Spe esse non potest. Proinde, concludit, loquens quidem de Amore Charitatis, nec Amor sine Spe est; nec sine Amore Spes. Et cap. 117. pergit: Quamvis sperare sine Amore non possit; fieri tamen potest, ut id non amet, sine quo ad quod sperat non potest pervenire.* Et in Epist. ad Galat. repetit, opera esse faciendæ: *sine charitatis æterna sperantis hinc præmia, & ex Fide expectantis.* Quare tam de Fide, quam de Spe lib. de Perf. Iust. c. 10. docet: *Charitas in Cælo augetur, & implebitur, contemplata quod credit, & quod sperabat adeptæ.* Sensit igitur, actum sperandi summum bonum esse actum virtutis charitatis.

6 Respondetur tamen, oportere discernere terminos scholasticos, ne inverteatur perperam profundus Augustini sensus. Spes dicitur dupliciter apud Theologos. Vno modo, ethimologicè, pro quolibet actu expectandi, ex quocumque motivo speretur bonum absens. Alio modo essentialiter pro actu virtutis Theologicæ Spei ex speciali suo motivo Dei ut nobis boni. Primo modo, quælibet virtus, amans ex suo motivo obiectum suum, gaudet de illo præsentis, & desiderat, aut sperat illud absens ex eodem suo motivo: ac proinde & Charitas etiam Theologica amat Deum ut in se bonum; gaudet in Patria de Deo præsentis, & possessio ut in se bono; & desiderat, aut sperat in via Deum sic possidendum, ut in se bonum. Hi enim sunt actus varij eiusdem virtutis sub eodem motivo formali speciali relucente in diversis statibus obiecti. Secundo autem modo, speciale est virtutis Spei Theologicæ, amantis Deum ut bonum nobis, illum ut in via nondum possessum sperare in Patria possidendum, ut bonum nobis.

7 Hinc in forma ad primam probationem minoris, quam negamus, dicimus facile, maiorem esse veram de actu Spei ethimologicè primo modo sumptæ, transcendentem ad omnes virtutes circa suum obiectum sub suo motivo formali; falsam verò de Spe in secundo sensu: & in eo priori sensu, cõcessã minori, nihil inferitur: quia, cum tota doctrinã minoris benè intellectã de actu desiderandi, & sperandi Deum ut in se summum bonum bene-

bene-

benevolenter ex motivo Charitatis, stat optimè quòd speciale sit virtutis Spei Theologicæ, illud ipsum desiderare, ac sperare, sicut & amare concupiscenter, ut bonum nobis: qui modus specialis honestissimus efficiendi voluntatem erga Deum ipsum, ut nobis bonum, non est actus charitatis, cuius specialis affectus est erga Deum ut in se bonum propter se.

August.

8 Ad secundam probationem ex Augustino, animadverti deberet, quod cap. 6. eiusdem Enchirid. supponit, tanquam tres virtutes distinctas, Fidem, Spem, & Charitatem: *Ad illa tria redeamus, inquit, Fidem, Spem, & Charitatem: & de illis ut distinctissimis loquitur constanter cap. 7. 8. 9. & 117.* Itaque, quando in verbis nobis obiectis, ait Spem sine amore esse non posse, si capiatur iuxta primam acceptionem actus Spei transcendentis etiam ad virtutem Charitatis sub suo motivo Dei ut in se boni; optimè dicit, sine amore Charitatis esse non posse; cum sit actus elicitus à virtute Charitatis, & non Spei. Si verò capiatur iuxta secundam acceptionem de actu speciali Virtutis Spei Theologicæ ex motivo suo Dei ut nobis boni, intelligendus est de Spe, sicut & de Fide, non informi, ut sine Charitate est in peccatoribus; sed formatã per Charitatem, ut est in Iustis: de Spe, autem, sicut & de Fide formatã, quæ per dilectionem operatur differit cap. 117. dicens: *Qui rectè amat, proculdubio rectè credit, & sperat: qui verò non amat, inaniter credit, etiamsi sint vera quæ credit: inaniter sperat, etiamsi ad veram felicitatè doceamur pervenire quæ sperat.* Sicque intelligit Augustinum S. Thomas quæst. 65. art. 4. & alibi sæpè. Quodsi, ut maluit alij, amor, de quo ibi Augustinus, nõ sit solus perfectæ Charitatis, & benevolentæ; sed extendatur etiam ad amorem concupiscentiæ Dei, ut nobis boni, facilius intelligetur, Spem in utrolibet ex supradictis sensibus acceptam sine amore esse non posse: omnis enim Spes est aliquis amor boni sperati. Et quidem dixerat Augustinus, Fidem, & Spem in eo convenire, quòd sint eorum, quæ non videntur; & in eo differre, quòd Fides possit esse malorũ, culpæ scilicet, & penarum inferni; Spes, non nisi bonorum. Vndè coherentissimè deducit, credi posse quæ non

amantur: sperari verò non, nisi quæ amantur: sicque Spem sine amore esse non posse. Quid, precor, inde pro eo quòd actus amoris Dei ut nobis boni, elicitus à virtute Spei, & nullatenus à Charitate, non sit bonus, & honestus?

9 Alia loca frustra contra nos Pseudoaugustiniani contorquent, ut nullus sit actus sperandi honestus, nisi sit amor Charitatis. Nam August. cap. illo 10. de Perf. Iust. non solum ait, Charitatè sperare; sed etiam credere: de qua Paul. 1. Corinth. 13. *Omnia credit: omnia sperat.* Scilicet non elicitive: quasi virtus ipsa Charitatis eliciat actus Spei, aut Fidei Theologicæ; sed imperative: quatenus sæpè actus credendi, & sperandi, sicut & aliarum virtutum, imperantur à Charitate. Præterquamquòd suos etiam actus sperandi ex suo motivo à se elicitos potest habere Charitas, ut distinximus n. 6. Vndè nihil contra certam veritatem nostræ doctrinæ. Locus in epist. ad Galat. capiendus est, ut sanum consiliũ; non tamen, ut omninò necesse ad honestè operandum.

10 Suppositã igitur honestate actuum aliarum virtutum, seorsim etiam à Charitate, quæritur: an actus omnis meritorius debeat esse actus perfectæ Charitatis; an saltèm à Charitate imperatus: de quo post Magistrũ Suarez lib. 12. a cap. 8. differtè Cardinalis de Aguirre per totam disp. 131. Vbi quatuor recenset dicendi modos. Primus est consecrari ad errorem, quem nuper reiecit, solos actus divinæ dilectionis elicitos à virtute Charitatis Theologicæ esse condignè meritorios æternæ vitæ: sicque excludit actus aliarum virtutum infra Charitatem à ratione meriti, saltem condigni. Idq; tribuit Pater Suarez cap. 8. Magistrũ Bañez 2. 2. quæst. 24. art. 6. Secundus est, solos actus, aut elicitos à Charitate, aut saltem ab illa actualiter imperatos esse condignè meritorios. Hunc modum ait Gonetus apud Cardin. de Aguirre esse Scholæ suæ communem. Sed ab hac impostura Scholæ vindicat, & meritò citatus Card. num. 6. immeritò tamen id imponens Cardinali Bellarm. lib. 5. de Iustif. cap. 8. vbi solum id requirit, vel actu, vel virtute. Allegari melius posset Illustrissimus Godoy tom. 3. in 3. part. disp. 48. §. 2. dum se non magis explicet. Tertius est, requiri saltem influxum virtutem Charitatis,

vel

August.

1. Cor. 13

Suar.
Aguir.Suar.
Bañez.Gonet.
Aguir.

Bellar.

Godoy.

vel alterius virtutis supernaturalis ad omnem actum condignè meritorium; pro quo citat non satis distinctè Patrem Suarez. Quartus est, omnes actus supernaturales hominis iusti, cuiuscumque virtutis sint, quamvis à Charitate non imperatos, esse condignè meritorios vitæ æternæ.

Suar. 11 Primus modus tolerandus non est, sic censente, & probante Patre Suar. cap. 8. num. 9. Quia sine probabili, ut censet Aguirre, fundamento, & parum conformiter ad Scripturas, & Concilia, ut à fortiori constabit ex dicendis contra secundum, adimit operibus honestis aliarum virtutum in homine iusto vim condignè meritoriam Gloriæ: retrahitque maximopere Iustos à frequentia virtutum moralium.

Trid. 12 Secundus, cuiuscumque sit, est omninò falsus ex Trident. sess. 6. cap. 16. ubi de Gloria vitæ æternæ ait: *Bene operantibus, & in Deo sperantibus proponenda est, & tanquam gratia Filij Dei per Christum Iesum misericorditer promissa, & tanquam merces ex Dei ipsius promissione bonis ipsorum operibus, & meritis, fideliter reddenda.* Profectò aliarum infra Charitatè virtutum opera, bona opera sunt, ut contra Pseudoaugustinianos supposuimus: cur ergo illis citra imperium etià actuale Charitatis, negetur quod illis competere ex promissione divinâ testatur Tridentinum? & subiungit: *Nihil ipsis iustificatis amplius deesse credendum est, quominus plenè illis quidem operibus, quæ in Deo sunt facta, divina legi pro huius vitæ statu satisfecisse, & vitam æternam suo etià tempore, si tamen in Gratia deceverint, consequendam, verè promeruisse censeantur.* Et

Trid. can. 32. anathematizat dicentem: *Iustificatum bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam, & Iesu Christi meritum, cuius vivum membrum est, sunt, non verè mereri augmentum Gratia, vitam æternam, &c.* Si autem in bonis virtutum operibus à iusto factis, requireretur ad meritum imperium illud Charitatis præter ibi requisita à Concilio, quomodo dixisset, *Nihil ipsis deesse?* Quomodo doctrinaliter loquens id tacuisset, quod maximè erat è re? Idem constabit à fortiori ex dicendis contra tertium modum. Quod si, ut contendunt Godoy, & Gonetus hunc secundum modum tenuit S. Thom. in hoc non assentimur. Illis operose respondet

Aguirre sess. 4. nobiscum sentiens.

13 Tertius etiam modus nobis improbatur ex eadem doctrina Concilij, cui constanter adheremus, ne virtuale quidem Charitatis imperium ad verum gloriæ meritum requirentes. Et quidem virtuale hoc charitatis imperium, nec vna, nec facili ratione explicatur, & defenditur à suis Assertoribus. Quorum aliqui dicunt, in hoc duntaxat stare, quod aliquandò præcesserit in homine actus Charitatis, referens in Deum operacuncta, quamvis nec eius memoriam retineat, quandò alias virtutes exercet, dummodò eum positivè non retractaverit. Sic se explicat Illustrissimus Tapia tom. 1. Cat. Mor. lib. 5. quæst. 3. art. 7. num. 3. sicque parvo contentus putat, fieri satis Angelico Doctore. Alij putant, hoc non esse satis: quia hæc in terminis Theologicis est purissima habitualitas ex actu præterito non retractato, multò minor, quam ut omninò calculo requiratur in actu ante annum transacto ad permanentiam virtutem imperatoriam actuum præsentium: esseque, retento nomine relationis virtualis in Deum, negare ré; & nasci murem postquam parturire mōtes. Ideòque requirunt ulterius, quòd non dudum præcesserit ea Dei dilectio non retractata, & quòd permaneat in aliquibus effectibus successivè cōtinuatis, ut dici solet de intentione virtuali conficiendi Sacramenta. Sed neque hoc vel mediocriter explicant, nisi totum doctrinæ momentum in id reducant, ut ex dilectione præcedenti manserint habitus Gratia, & Charitatis cum habitibus aliarum virtutum, condecorantes, & condignificantes opera Iusti: quod negabit nemo sub terminis habilibus. Hoc tamen non nisi per abusionem ad retinenda vocabula vacua rebus, dici vallet imperium Charitatis: nec sufficit ad pronuntiandum, actus aliarum virtutum ut condignè meritorij sint, esse debere imperatos per actum perfectæ Charitatis; sed per Gratiam quæ aut habitus Charitatis, aut cum illo connectitur, condignificatos, & ut dici solet, formatos. Præterea: si de actu Charitatis id quoquo modo caperetur, dicendum esset, puerum iustum exercentem fortassis aliquos actus virtutum moralium ante actum perfectæ dilectionis Dei; & peccatorem iustificatum in Sacramento cum

Aguir.

Tapia.

attri-

attritione per nulla virtutum opera, quæ exerceret ante elicited actum Charitatis perfectæ meritorium condignè Gloriæ: quod nec credibile est, nec Tridentini doctrinis conforme.

14 Quapropter tenendum omninò iudico quartum modum communem inter reliquos Theologos; & dicendum, quoscumque virtutum etiam moralium actus supernaturales à iusto viatore exerciros, esse condignè meritorios æternæ vitæ, quin ad id requiratur imperatos esse à Charitate. Concilium enim id non requirit; nec aliunde requiri probatur; imò non requiri probatum est contra tres primos modos id requirendi. Plura Suar. Vasq. disp. 227 Amic. disp. 35. Aguirre sess. 3. cum Capreolo, Caiet. & Soto, quos citaverat num. 8. Nec contra hoc est quòd rectè docet Aguirre sess. 2. ex Suar. capit. 10. ad hoc ut actus aliquis iusti sit meritorius requiri, præter statum Gratia, influxum alicuius virtutis supernaturalis. Hoc enim sponte fatemur; cum actus aut debeat esse entitativè supernaturalis, ut opinor ex dicendis sess. 4. aut saltem ex imperio supernaturali; ut alij dicunt. Hoc autem extra controversiam præsentem est, & non est requirendum imperium dilectionis charitatis, ut monet optime Suar. num. 21.

Suar. Vasq. Amic. Aguir. Capreol. Caiet. Sot. Aguir. Suar.

Suar.

Ioan. 14.

Iac. 1.

1. Cor. 13.

Matth. 5.

15 Nec difficilia soluta sunt quæ nobis obijci solent. Primò, dictum Christi Ioan. 14. *Si quis diligit me, diligetur à Patre meo: Dilectio ergo divinæ Charitatis est, cui promittitur in præmium Dei redilectio, & amicitia Gratia.* Secundò, dictum Iacobi 1. *Beatus vir, qui suffert tentationem: quoniam, cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromissit Deus diligentibus se:* ergo quia soli dilectioni promittitur præmium, & corona vitæ æternæ. Tertio, dictum Pauli 1. Cor. 13. *Si Charitatem non habuerò, nihil sum: nihil mihi prodest:* ergo quia imperari saltem debet à Charitate opus cuiuscumque virtutis, ut prosit ad meritum. Quarto, dictum Christi Matth. 5. *Si diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis?* Ergo quia merces non promittitur dilectioni proximi, quamvis honesta sit, nisi imperetur à dilectione Dei. Id quòd significasse videtur Christus idem idem commendans, ut opera, alioquin etiam bona, fiant: *in nomine meo: propter nomen meum: in nomine Iusti,*

Prophetæ Discipuli; Id est ad gloriam, & honorem Dei, aut in se, aut in illis representati. Quintò: quia opus meritorium, cum debeat esse obsequiosum Deo, debet esse relatum in obsequium Dei: at non ex eo præcisè, quòd homo sit in gratia, est opus relatum in obsequium Dei: ergo referri debet ex imperio Charitatis. Sextò: quia meritum gloriæ debet proportionari cum præmio Gloriæ: cum ergo Gloria sit Visio Dei in se, condignum eius meritum debet esse, aut amor Dei in se; aut saltem imperari ab amore Dei in se, qui est amor perfectæ Charitatis. Postremò quia spiritualis Iustorum perfectio stat in Charitate, quæ vinculum perfectionis est ex Apostolo: ergo soli Charitati, aut elicienti, aut imperanti correspondet essentialè præmium Gloriæ; actibus verò aliarum virtutum, aliqua alia præmia accidentalè Visioni Dei.

Colos. 3.

16 Ad primum respondetur, promitti quidem dilectionem dilectioni; sed non soli: nam etiam bonis operibus promitti vidimus ex Trid. Nisi dicere ausis cum Baianis, & Jansenistis supra reiectis, alia virtutum opera non esse bona. Ad secundum dico, imò exinde inferri, actibus bonis patientiæ promississe Deum coronam gloriæ, quam repromississe dicitur diligentibus se. Ad tertium, nulla similiter est consequentia: quia loquitur Apostolus de Charitate habituali, quæ vel Gratia habitualis est, vel Gratiam comitatur, quâ deficiente, nihil cetera profunt, aut parùm profunt, cum non sufficiant, si Charitas non accedat, ad consequendam Dei amicitiam, & Gloriam, nec ad illam condignè promerendam. Sic ad Litteram Cornelii. Ad quartum dico, non proinde negari Iustis diligentibus diligentes se, si ex virtute morali Charitatis proximi, aut honestæ amicitia id peragant, suam Gratia, & Gloriæ condignam mercedem; sed significari, esse multò minorem, quam, si id agant ex motivo præstantissimo divinæ Charitatis; & nullam, si fiat ab Ethnicis, aut à peccatoribus, aut ex sinistris finibus. In sequentibus exhortatur nos Christus id, quòd perfectius est: scilicet, ut actu & expressè operemur in nomine suo & ad sui gloriam, & honorem; non tamen, quia iusti bene moraliter operantes sine hac nobiliori, ac

Alap.

ex-

expressiori intentione non ipsi quoquo modo placeant, & apud ipsum mereantur aliquam, quamvis minorem, Gloria mercedem. Ad quintum negatur maior de explicita relatione in obsequium; cum ad meritum sufficiat iustum bene operari quod re ipsa obsequium Dei est, quale est quodlibet opus virtutis. Pulchre Augustinus: *Quidquid egeris bene age, & laudasti Deum*: opere videlicet, quamvis non verbo. Repono ad mentem Augustini: *& obsequens es Deo*: ipso scilicet opere bono, ac virtuoso, quamvis non aliter per nobilissimum Charitatis imperium relatio: quod quidem perfectius esset, & abs dubio consulendum. Addo, quod possunt opera actu etiam, & explicitè referri in obsequium, & gloriam Dei per actum, qui non esset perfectæ dilectionis ex motivo divinæ Charitatis. Ad sextum, negatur consequentia: nam ad eam meriti proportionem satis est, quod sint actus honesti supernaturales condignificati per Gratiā, quæ est ius ad Gloriam. Ad postremum, negatur eodem iure consequentia, utpote nullo iure deducta ex antecedente. Iam enim opera supernaturalia cuiuscumque virtutis, per Gratiā radicem Charitatis formata, & condignificata, suam habent intrinsecam relationem ad Gloriam essentialē: quamvis specialiore, & perfectiore habeat dilectio perfectæ Charitatis. Nec aliud voluit Apostolus dum dixit: *Fides, quæ per Charitatem operatur*: id est, formata, & condignificata per Gratiā radicem Charitatis. Ita Cornelius.

SECTIO II.

An actus meritorius debeat esse intensior habitu? An Supererogatorius? An in Spe, aut sine Spe præmi?

17 **M**AGISTER Bañez, reiectus communiter à reliquis Theologis, & fusiùs à Ripalda disp. 90. sect. 6. & 7. & ab Arriaga disp. 51. de Iust. docuit, Iustū, habentem Gratiā, & virtutes infusas intensas ut sex, non mereri per actus remissiores, intensos, v.g. ut quatuor, vel ut quinque: quod si faciat intensos, ut septem, mereri dumtaxat penes unum gradum, in quo actus superat intensiōnem prioris Gratiæ, & virtutis infusæ. Allegat S. Thom. quem tamen, si alicubi

id dixit, id postea retractasse aiunt Capreolus, Alvarez, & Zumel. Fundamenta sunt. Primum: quia negligentia in operando non est digna præmio: remissio autem actus est negligentia. Secundum: quia actus naturalis remissior habitu suo non auget habitum naturalem: ergo nec supernaturalis remissior supernaturalē, ac proinde nec Gratiā. Tertium: quia si actibus etiā remissioribus mereremur, præberetur anfa ad remissè operandum. Quartum: quia sequeretur in Iustis incredibile Gratiæ incrementum: cum frequentissimi sint actus remissi virtutum.

18 Hæc tamen doctrina prorsus falsa, à Soto, & Ledesma apud Rip. cit. censetur erronea; à Medina, contra Fidem; à Zumelio, temeraria, & in Fide periculosa; à Victoria, oppositum haberi ex Fide; ab Arriaga, omninò improbabilis: & meritò. Primum: propter testimonia Tridentini exscripta num. 12. quæ, cum generaliter loquantur de cunctis bonis operibus Iusti ex Gratiā factis, actus etiam remissiores habitibus cōprehēdunt. Quæ ergo autoritate istos excipit hic Magister? Secundò: quia potius mereretur Iustus ut duo per actum ut tria, quam Iustus ut septem per actum ut sex: imò & quamvis per diuturnam vitam sese ieiunijs, elemosynis, alijsque virtutū operibus exerceret per actus intensos ut sex: quæ sunt absurdissima in Theologia. Tertio: quia fundamenta Bañezij aut nulla, aut levissima sunt, contra communem Theologorum sensum, & Fidelium intelligentiam.

19 Ad primum dicitur, aliud significari specificativè per actum remissum; aliud per remissionem actus. Remissio quidem actus est negligentia, foretque peccatum, si præciperetur intensio: actus verò bonus, quamvis remissus, non est negligentia, sed bonitas positiva quamvis modica respectu intensiōnis, quam non habet. Non autem præmiat Deus actum remissum, quia remissus est, aut quia melior non est; sed, quamvis melior non sit, præmiat quia bonus est: & vberius non præmiat quia melior, & intensior non est. Ad secundum negatur in primis antecedens ex Physicis: cum enim actus sint causa æquivoca habituum per illos adquirentium, potest remissus physicè causare intensiorem. Deinde dato

Capreo.
Alvar.
Zumel.

Soto.
Ledesma.
Medina.
Zumel.
Victoria.
Arriaga.

antecedente, non valeret consequentia. Nam actus meritorij non causant physicè habitus intensos, nec augmentum Gratiæ, sicut actus naturales causant adquirentes; sed moraliter & meritorie. Ad tertium dico, quod imò potius ex opposito retraherentur ut plurimum Iusti à bene operando præ difficultate intense frequenter operandi, & infructuositate operandi remissè. Ad quartum, credimus Veritati dicenti: *Merces vestra multa est in Cælo: & promittenti Mensuram bonam, & confertam, & coagitatam, & superfluentem*. Sic autem credentibus videri non debet incredibile ingens incrementum Gratiæ in Iustis frequenti actuum virtuosorum exercitio diu incumbentibus, quamvis non ita intense.

Luc. 6.

20 Circa secundam difficultatem videtur, quod soli actus supererogatorij, id est, sine obligatione facti, meritorij sunt. Quia servus non meretur mercedem à Domino per opera ex præcepto ipsi iniuncta: nec qui solvit quod debet meretur à creditore retributionem. Quocirca facientibus quod ipse præceperat dixit Christus Luc. 17. *Cum feceritis omnia, quæ præcipiuntur vobis, dicite: Servi inutiles sumus, quod debuimus facere fecimus*.

Luc. 17.

21 Oppositum tamen omninò tenendum est ex Scripturis, & Tridentino superius citatis, clarè docentibus, omnibus bonis Iustorum operibus ex gratia factis correspondere præmium augmenti Gratiæ, & Gloriæ. At opera esse sub præcepto, nec illis adimit esse honesta, imò addit honestatem obedientiæ; nec adimit libertatem, cum saltem peccando posset homo illa ommittere.

22 Ad primam rationem contrariam respondetur, quidquid sit ex Legibus civilibus apud homines, intentos ut plurimum ad propria commoda, potiusquam ad honestatem operum servitium; non sic esse discurrendum apud Deum, intentum ad honestatem moralem operantium, quantumvis fervorem. Ad summum posset inde fieri argumentum contra rigorem iustitiæ; nullum verò contra cōdignitatem operum, quamvis ex obligatione fervorū, simul & amicorum, & Filiorum. Nec amplius probat exemplum solventis debitum creditori. Verba illa Christi non negant meritum operibus præceptis; sed significant,

facientes ea dumtaxat, quæ præcepta sunt, & nihil supererogantes, non habituros tantum præmij, quantum alij magis ingenue Deo obsequentes, qui præter opera præcepta, alia supererogant obsequia Domino suo. Commendat insuper ibi Christus Discipulis humilitatem. Sic Cornelius Ambr. & Chrysost.

Alap.
Ambr.
Chris.

23 Circa tertium, versatur daas inter extremas variorum exerrationes. Alij dixerunt, opus meritorium debere fieri in spe, & intuitu præmij. Sed contra est: quia actus perfectæ dilectionis Dei propter se, abs dubio valde meritorius est: quin tamen respiciat ad mercedem. Alij dicunt communius hoc tempore, & perniciosius, actus respicientes ad præmium, aut ad pœnam eo ipso nec esse meritorios, nec honestos. Sed hæc est hæresis manifesta; cum actus Spei, & timoris honestissimi sint, valdeque meritorij: & detestatio peccati ex motivo consequentiōnis gloriæ, aut timoris gehennæ disponat meritorie peccatorem in Sacramento ad iustificationem. Ex Trid. sess. 6. c. 11. *Trid. & can. 8. ac 26. & sess. 14. cap. 4. & can. 5. Greg. 13. contra Lutherum, & Calvinum: & ex Urb. 8. Bullis Gregorij XIIJ. & Vib. VIIJ. contra Baïum Proposit. 38. & 16. apud Ripalda disp. 22. & novius, ac clariùs ex decreto Alexandri VIIJ. contra Baïoianenses Proposit. 9. 10. 13. 14. & 15. de quo nos sæpiùs in Superioribus, præsertim disp. 20. sect. 4.*

Trid.
Greg. 13.
Urb. 8.
Alex. 84.

Sup. disp. 20.

24 Medium tenet recta, & Catholica doctrina: scilicet, nec esse necesse ad rationem meriti, quod actus fiat in spe, & intuitu præmij, ut est certum in actibus perfectæ Charitatis; nec obesse, quod in spe, ac intuitu præmij fiant; sicut nec quod fiant ex metu gehennæ, ut est certum in actibus Spei, ac timoris. Id quod utrinque applicari potest, & debet accommodè ad actus aliarum virtutum.

SECTIO III.

An possit esse meritorius actus intrinsecè materialiter malus.

25 **V**OLUNTAS v.g. mentiendi est actus intrinsecè malus, cum sit volitio obiecti intrinsecè mali. Existimet homo per conscientiam erroneam, esse bonum, imò & obligatorium mentiri, & velle mentiri pro vita proximi;

Mum sicque

sicque eo ductus errante iudicio vult mentiri, & mentitur. Quaritur: an in eo casu actus ille liber volendi mentiri materialiter intrinsecè malus possit esse meritorius. Affirmantes audivi multos: ratos utique eiusmodi actus materialiter malos, esse reipsa formaliter bonos, honestos, & meritorios, à conscientia illa errante, quæ in eo casu dicitur esse bonos, & circa obiectum bonum.

26 Falluntur tamè egregiè, nisi fallor ipse. Quemadmodum enim nulla errans existimatio potest facere, quòd illud iudicium dicitans tunc, mentiri, & velle mentiri esse bonum, sit formaliter verum; sic nec quòd volitio illa intrinsecè materialiter mala, sit formaliter bona: sed quòd existimetur ab homine bona, sicut quòd iudicium illud existimetur verum: & sicut existimatio peccatoris per errorem iudicantis, se iustum esse, non facit quòd ipsius opera sint formaliter meritoria de condigno, sed quòd talia existimentur.

27 Præterea. Errans illa existimatio non tollit, quominus volitio per ipsam erroneè regulata sit volitio mendacij cogniti ut talis: ergo non tollit, quominus sit intrinsecè formaliter mala; sicut iudicium aliter errans existimando, loqui contra mentem non esse mentiri, non tolleret, quominus sic loqui non esset obiective mentiri. Quodsi eiusmodi existimationes id præstarent, si alter per errorem existimaret in prædicto casu mentiri esse simul bonum, & malum, suum velle mentiri esset formaliter bonum simul, & malum: sicque existimatio multorum iudicantium peccatum esse malum simpliciter infinitum, faceret reipsa, quòd peccatum suum esset formaliter malitiæ simpliciter infinitæ: & è contra iudicium errans, quo alij fortè indicarent, opera sua esse infinite bona, faceret quòd quamvis non materialiter, formaliter tamen, & non solum existimativè, sed reipsa essent infinite bona. Aut cur non ita; si per huiusmodi existimationes erroneas regulamur, & semel dicimus ex iudicio illo hominis erroneo fieri non solum existimativè, sed reipsa formaliter bonam, & meritoriam voluntatem illam mentiendi?

28 Insuper. Nemo prudens bene conscius malitiæ mendacij posset licite & sine peccato consulere, nec approbare

homini, prædicto errore laborati, voluntatem illam mentiendi; sicut nec ebrius, non peccanti in alterius percussione, voluntatem percutiendi, aut occidendi; quamvis ipsi propter ebrietatem non imputetur ad culpam: ergo quia revera voluntas illa non sit formaliter in te bona, sed manet formaliter & intrinsecè mala, & turpis, alioquin & ab homine, & à Deo amari decentissimè posset, & consuli.

29 Rursus. Si ex conscientia illa erronea fieret voluntas illa mentiendi formaliter bona, & honesta, essetque meritoria, deberet esse eo ipso supernaturalis, & ex gratia procedens, ac proinde à Deo, ut à causa speciali: quæ omnia ex terminis repugnant Deo bene scienti, velle mentiri esse intrinsecè malum; sicut repugnat Deo velle, & causare actum moraliter intrinsecè malum homini necessarium, ac proinde homini defectu libertatis non imputabilem.

30 Tandem. Cui non absonet, quòd Deus in rectissimo ac sanctissimo suo iudicio introducat hominem sic errantem in gloriam suam, quia mentitus est, quia periuravit, quia blasphemavit, quia suos inimicos, imò & amicos, usque adeo & ipsum Deum odio persecutus est: utpotè per errorem existimans, per hæc obsequium se præstasse Deo. Satis igitur fuerit, si per eiusmodi conscientiarum errores, sicut per ignorantias invincibiles, desinant imputari homini ad culpam, & poenam illa mala: ut tamen fiant reipsa formaliter bona, & meritoria, & non solum existimativè, mihi persuadere non possum, esse satis. De quo plura & pulchra docuit Celladei de Recta doctrinâ Morum Par. I. lib. 3. qu. 4. id solidè firmans ex Sancto Thom. & rationibus Philosophicis, ac Theologicis magni ponderis.

31 Totam ebibe doctrinâ ab spiritu melliflui Bernardi tract. de Præcepto, & Dispensatione post medium. Quippe, postquam rectissimè dixerat, operantem bonum, quòd existimat esse malum & demeritorium agere malè, & peccare, subdit: *At non ideo sequitur, ut qui è contrario malum facit, & bonum putat iuxta suam fidem, id est conscientiam, similiter, & ipse inveniat: id est, quòd bene agat, atque adeò meritorie: & post pauca dat rationem: Neque enim consequens est: ut vanum valeat*

Celladei

S. Bern.

fine: quòd ibi negavi, & nunc nego. Quia, actum sic imperatum fieri dicto modo imperio, seu ex fine malo, non est actum illum esse malum; sed esse malè imperatum: quòd est, imperium esse malum; non verò alium actum sic imperatum; qui certè bonus esset, quamvis malè imperatus; sicut Deus ex eo quòd malè ametur, non fit malus, sed malè amatus: nec tunc displicet Deo actus, qui sic imperatur, sed pravum imperium: sicut cum Sacerdos intentione peccaminosa consecrat, non displicet Deo passiva consecratio, sed intentio prava consecrantis; nec positio Christi sub speciebus mala est; sed malè volita.

46 Quà doctrinâ suppositâ, dico nunc, actum alioquin bonum, & supernaturalem esse meritorium, quamvis ex imperio, aut in consortio alterius actus mali fiat ex fine extrinsecò non bono, seu etiam malo. Cum hoc tamen discrimine, quòd, si actus sic imperatus est mortaliter malus, actus bonus sic imperatus non erit condignè meritorius ob defectum Gratiæ condignificantis; bene verò, si fiat ab homine iusto ex imperio venialiter malo.

47 Ratio à priori est: quia talis actus non propterea desinet esse bonus, beneque amans, quamvis sit malè amatus, ut vidimus; nec desinit esse supernaturalis, sicut nec consecratio, ob pravum eius amorem: nec desinit esse immediatissimè liber, ut latè videbimus disp. seq. sect. 8. ergo non est cur desinat esse meritorius: & quidem condignè, si fiat à iusto. Alioquin incredibiliter minueretur merita Iustorum, si quoties, ut frequentius evenit, actibus, quos exercent, sese immiscet, & itrepunt affectiones, seu intentiones leviter malæ, quoquo modo impellentes, seu moventes ad illos, desinerent esse meritorij. Multi ex metu incommodi, vel spe commodi temporalis incipiunt moveri, & mox verè, & ex animo, convertuntur: multi tacti aliquo affectu inanis gloriolæ impelluntur ad frequentiam Sacramentorum, ad multa religionis, & misericordiarum opera, quæ alioquin non exercerent: durum autem est, propterea nihil per eiusmodi opera sic extrinsecè dumtaxat affecta privari merito; durius autem, & incredibilius dicere, propterea non esse bene conversos, nec dispositos ad iustificationem in

Infrà, disp. 25.

confessionibus, manereque obligatos ad illas sine eiusmodi finibus extrinsecis leviter malis reperendas, contra timoratorum praxim, & cum scrupulorum capifragio.

48 Nec obstat dictum Christi Mat. 6. *Attendite, ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis: alioquin mercedem non habebitis apud Patrem.* Respondetur enim, hoc rectè intelligi de actionibus externis, quæ quidem videntur ab hominibus: hæ enim, cum ex se non habeant bonitatem, & supernaturalitatem intrinsecam, si fiant per actum internum intendentem inanem gloriam sine ullo alio actu interno per se meritorio, non est unde possint esse meritoria. Quòd si doctrinam Christi velis extendere ad actus etiam internos, intelligitur de illis qui pro fine sibi intrinsecò, & ab ipsis volito habent inanem gloriam. At conclusio nostra procedit de actibus alioquin bonis, & supernaturalibus factis in consortio, seu ex imperio aliorum actuum habentium pro fine intrinsecò, & volito inanem gloriam, ideoque malorum, & nullius meriti, imò demeritoriorum. Dei autem iudicis erit, separare paleas à tritico: merita à demeritis, & illos actus sic imperatos præmiare; istos verò sic imperantes punire, aut in hac vita, aut in Purgatorio, si iustus sic operatus in Gratia decedat.

49 Nec item obstat vulgatum axioma: *malum ex quocumque defectu.* Intelligitur enim de defectu suo. At defectus ille in casibus nostræ doctrinæ, est quidem defectus actus imperantis exinde malus; non autem actus imperati: ideoque non est, cur ex integra sua causa intrinsecà, & constitutiva non evadat absolute bonus. Secus esset in actu intendente simul duos fines, unum bonum, alium malum: esset enim absolute malus: quia defectus suus est, intendere finem malum.

50 Dices. Actus ille alioquin bonus, & ex malo fine extrinsecò factus, esset demeritorius: ergo non meritorius. Antecedens probatur: nam actiones externæ non aliter denominantur, & dicuntur demeritoria, nisi ex fine ipsi extrinsecò, quatenus scilicet imperantur ab actu interno volente finem malum: pariter ergo demeritorius esset actus internus voluntatis alioquin bonus, si ab imperio malo fieret ex malo fine, quam-

Matt. 6.

vis sibi extrinsecò. Respondetur, negando antecedens. Ad probationem, concessò antecedente de actionibus externis, dummodo non asserantur addere de suo quidquam meriti nec demeriti, contra quod dicemus *disp. seq. sect. 10.* negamus consequentiam de actu interno bono similiter imperato. Et ratio dispar est: quia in actionibus externis, cum de suo nec formaliter bona sint, nec libera, nec supernaturalia, nec meritoria, nihil est quod resistat extrinsecò denominationi demeriti, ideoque ab imperio malo, & demeritorio denominantur, & dicuntur demeritoria; sicut à bono, & meritorio, meritoria: at in actibus internis voluntatis de suo bonis, liberis, supernaturalibus, & meritorijs, hæc predicata resistunt tali denominationi ab actu imperante ex malo sine. Sic iidem actus interni, quia supernaturalia ab intrinsecò sunt, non denominantur naturales ab imperio naturali; nec actiones externæ ab imperio supernaturali, & meritoria: quia huic denominationi resistit earum intrinseca naturalitas.

51 Alium modum excogitavit idem Ripalda *sect. 8.* quo contendit, posse actum bonum, & supernaturalem extrinsecò vitari: si nempe directe prohiberetur à Deo, & extrinsecò prohibitus à Deo fieret à creatura sic transgrediente divinam prohibitionem. Pro cuius prohibitionis possibilitate citat Scotum, & Lorcam contra Vasquez, Coninc, & Hurtadum *disp. 46. de Fide*, acrius invecum adversus has doctrinas Ripaldæ.

52 Distinguendum mihi iustissimè videtur. Aliud est: an actus supernaturalis possit prohiberi; aliud est, an possit vitari. Quemadmodum aliud est, actum Christi nolendi mori à Deo prohiberi, vt de facto fuisse à Deo prohibitum per præceptum strictum moriendi defendimus *disp. 11. de Incarn. sect. 6.* aliud est, posse vitari, seu peccaminosum fieri. Ad illud sufficit potestas imponendi præceptum, quæ fuit in Patre: ad istud requiritur potestas componendi nolitionem Christi de morte cum præcepto moriendi: quæ nec in Patre, nec in Filio fuit, nec potest esse; cum omnino repugnet potestas ad id quod fieri repugnat.

53 Iudicium itaque meum pro conclusione sit: posse quidem actum bonum supernaturalem, & ex se meritorium à

Deo prohiberi: nullatenus tamen vitari: ac proinde omnino repugnare, quod actus meritorius sit extrinsecò vitatus ratione prohibitionis.

54 Ratio primæ partis est. Quia nihil est quod obstet divino dominio circa talem prohibitionem: sicut nec obstat, quominus de facto strictè præcipiens Christo mortem, prohibuerit eo ipso nolitionem moriendi, quæ in Christo non posset esse nisi bona, & honesta. Difficultates, quæ præcepto, & prohibitioni strictè Christum obliganti obstat nonnullis videntur, proposuimus, & exactè dissolvimus *loc. cit. de Incarn.* cui doctrinæ in præfenti insistendum est.

55 Ratio secundæ partis, quæ peculiarior est huius loci, est. Primò: quia nullus est actus malus, qui non sit intrinsecò malus: ergo si actus ille supernaturalis esset malus, deberet esse non solum extrinsecò malus vt aiunt; verumetiam intrinsecò: quod negant, vt omnino repugnans. Antecedens mihi aliunde probatur: quia nullus est actus malus prosequitivus, qui non sit prohibitus, & de re prohibita; siue prohibita quia mala, siue mala quia prohibita: ac proinde, qui non velit positionem rei oppositam legi, aut saltem se ipsum: hoc autem est ipsissima transgressio legis: ergo nullus est qui non velit per se, transgressionem legis: atqui velle transgressionem legis est per se, & intrinsecò malum; & peccatum, si advertenter fit: ergo nullus est actus malus, qui non sit intrinsecò malus; & imputabilis quidem ad formale peccatum, si advertenter fiat; & excusandus à peccato: non verò à malitia intrinsecò, si inadvertenter; vt ex terminis patet. Secundò ex Ant. Perez *tom. 2. disp. 3. de Virt. cap. 3.* Quemadmodum enim eo ipso quod aliquis actus prohiberetur, est Christo impossibilis in consortio divinæ prohibitionis ratione suæ impeccabilitatis; cum ex terminis repugnet, Christum intrinsecò impeccabilem peccare, ac proinde ponere actum oppositum divinæ legi, seu prohibitioni; sic, eo ipso talis actus sit incausabilis, & involubilis specialiter à Deo ratione intrinsecæ sanctitatis, & impeccabilitatis Dei, cui repugnat velle, & causare specialiter peccatum, esseque Authorem peccati. Esset autem, si fieret actus supernaturalis à Deo prohibitus; cum actus

Perez.

Infrà, disp. 25.

Ripald.

Scot. Lorca. Vasq. Coninc. Hurt.

Tom. de Christo, disp. 11.

supernaturalis nequeat fieri nisi Deo, ad illum vt causa speciali adiuvante, & cooperante. Vnde, sicut implicat, actum peccaminosum poni à Christo, quin implicet prohiberi à Deo; sic & actum supernaturalem à prohibitionem vitari, sicque vitatum poni à parte rei; quia eo ipso est à Deo specialiter incausabilis, & per ipsam prohibitionem factus homini repugnans.

56 Ratio tertiæ partis, quæ secundæ consecutaria est, liquet ex dictis. Quia non vitatur actus per prohibitionem, nisi positâ prohibitionem coexistenter ponatur actus: cum certè prohibitio in actu exercito non sit de eo, quod actus non possit poni; sed de eo quod actu non ponatur. Cum autem implicet, vt vidimus, coexistentia actus supernaturalis, eiusque prohibitionis, sit liquidò repugnare prorsus poni re ipsa actum supernaturalem, atque ad eò meritorium, extrinsecò vitatum per sui prohibitionem. Idem dicendum de actu supernaturali, quem Deus prohiberet poni absque imperio Charitatis. Quippè eodem modo repugnet eo ipso fieri absque Charitatis imperio: quia eo ipso fieret contra prohibitionem: quod implicat: esset enim fieri eo modo, quo implicat fieri. Vnde de primo ad vltimum concluditur, actum meritorium taliter debere esse bonum, & honestum, vt nullatenus possit esse vitatus.

SECTIO V.

An, & quomodo actus meritorius debeat esse supernaturalis.

57 CERTVM est, Meritum debere esse supernaturale. Sancti namque PP. ad actus salutes, quales sunt Theologicè meritorij, requirunt auxilia gratiæ supernaturalia: quæ quidem non esset cur requirerentur, si tales actus essent naturales. Quod intellige non solum de Merito condigno; verumetiam de congruo contra quosdam antiquiores, quorum antiquata opinatio nequit iam tutò sustineri, vt monstrat Ripalda *disp. 16. & 17.* Neque enim per modum meriti congrui valet incipere liberum hominis arbitrium sine adiutorio gratiæ auxiliantis in negotio salutis: quia nempe ad actum etiam congruè dumtaxat meritorium necessarium est

Ripal.

auxilium gratiæ: vnde sequitur, esse debere supernaturalem.

58 Difficultas est: an esse debeat supernaturalis in substantia: an sufficiat in modo. Sufficere in modo docent aliqui apud Oviedum *contron. 3. part. 1.* rati cum Vasq. Meratio, & Amico *disput. 35. sect. 4.* actus entitativè naturales factos ex auxilio Gratia posse esse meritorios; imò & condignos Gloria, si fiant à Iusto: quia, quamvis entitativè naturales essent, extrinsecò tamen & quoad modum essent supernaturales: denominativè videlicet ab auxilio gratiæ.

Ovied.

Supra disp. 3. & 6.

Molina Conin.

Ripal.

59 Discessimus ab hac theologizandi via *disp. 3.* præsertim à *sect. 6.* & alibi sæpè: vbi tenuimus contra Vasquez, & alios, Auxilia gratiæ requisita à Concilijs, Sanctisque PP. contra Pelagium ad actus salutes, & meritorios, esse entitativè, & quoad substantiam supernaturalia: ex eo maximè, quod actus meritorij, & salutes debeant esse entitativè, & in substantia supernaturales. Sic Molina *in Concord. disp. 6.* apud Coninc *2. 2. disp. 8. dub. 4.* Quò facit quod expendimus ibi cum Ripalda, existentiam actuum entitativè supernaturalium catenus dumtaxat colligi ex Concilijs, Sanctisque PP. quatenus vnanimiter docet, ad eos actus requiri auxilia gratiæ. Certum ergo cum sit, eà requiri ad omnes actus salutes, & quod idem est, ad meritorios; aut enervatur ratio admittendi aliquos, qui entitativè supernaturales sint; aut omnes salutes, & meritorij debent esse entitativè supernaturales.

60 Hinc fit: neque actus naturales (si qui fortè fiant) imperatos à supernaturalibus, nec factos à Iusto, esse formaliter Theologicè meritorios: quia scilicet entitativè supernaturales non sunt. Dixi: Formaliter: nam obiectivè terminando actum supernaturalem, à quo imperantur, possent dici materialiter meritorij sicut actiones externæ: de quibus *disp. seq. sect. vlt.* Sic Ovied. cit. Haunol. *lib. 2. tract. 3. cap. 3. contr. 9.* Arriaga *disp. 53. sect. 3 & Rip. disp. 54. sect. 7.* minùs coherentè ad quæ docet de merito actionum externarum, & purarum omissionum. Oppositum tenent Vasquez, Torres, & alij.

Infrà disp. 25.

Ovied.

Haunol.

Arri.

Ripal.

Vasq.

Torres.

61 Obijciunt primò quod Trid. *sess. 6. cap. 16.* cum dixisset, opera bona Iusti in Gratia, & ex gratia facta esse merito-

Triden.

Nnn

ria.

ria, addit, quod ijs positus, nihil ipsis iustificatis, amplius deesse credendum est, quominus plene, illis quidem operibus, qua in Deo facta sunt, vitam aeternam promeruerint. Nō est ergo, cur nos addamus, debere esse supernaturalia. Respondetur, hoc non esse additamentum nostrum; sed ipsius Concilij. Eo enim ipso quod ait, actum meritorium fieri debere in Deo, & ex gratia, significat satis, debere esse actum entitativē supernaturalem, & ordinis divini: ad actum enim bonum naturale non sic requirit fieri ex Deo, & ex gratia Theologica, vidimus satis contra Vasquez disp. 6.

Supra
disp. 6.

62 Obijciunt secundò. Actus entitativē naturales boni in homine iusto condignificantur à Gratia: sunt enim opera bona Amici, & Filij Dei: non est ergo, cur non sint meritorij Gloriæ. Cōfirmatur, & vrgetur in actibus bonis naturalibus Christi: qui quidem sunt opera bona Theandrica. Respondetur, forte verum non esse, per ea quæ diximus disp.

Supra
disp. 7.
& 12.
Coninc.
Ovied.
Aran.

7. & 12. fieri vnquam à iusto actum vnde quaque bonum, qui entitativē supernaturalis non sit: vt sapienter innuit Coninc disp. 8. num. 63. cui non omnino dissentit Oviedus cit. & assentitur P. Aranda lib. 5. de Incarn. disp. 4. sect. 2. Id quod in Christo affirmatiū tenui disp. 14. de Incarn. sect. 9. pro eo quod nullum elicuerit actum voluntatis, sicut neque intellectus non supernaturalem Actibus tamen naturalibus bonis in iusto, iuxta communem sententiam permissis, concessio antecedente, negatur consequentia. Nec enim in humanis quodcumque opus bonum Filij, aut Amici meretur apud Patrem quodlibet præmium: requiritur namque præterea certa moralis proportio obsequij ad præmium, vt ex ea dignitate meritum fiat gratius, & condignificetur ad præmium. Vnde, quamvis actus illi boni in iusto sint Deo gratiores, & dignificentur ad aliquod præmium naturale; non tamen ad supernaturale: deest enim illis signaculum intrinsecæ supernaturalitatis requisitum ad proportionem cum præmio, sicut in moneta signaculum Regium ad valorem. Ad confirmationem idem est dicendum de actibus bonis naturalibus, si fuerunt, aut fuissent in Christo: scilicet, non esse meritorios præmij supernaturalis ob eadem rationem, vt latè pro-

pugnat Illustrissimus Godoy tom. 2. in 3. part. disp. 23. §. 6. quamvis ex aduerso sentiat P. Aranda lib. 4. disp. 2. à num. 96.

Godoy.

Arand.

63 Obijcies tertio. Actus nobilissimi supernaturales Animæ Christi antecedentes ad Vnionem Hypostaticam potuissent iuxta aliam Dei Legem, & Providentiam esse meritorij de congruo præmij Vnionis Hypostaticæ, quod reputatur infinitum: ergo à fortiori actus boni naturales hominis iusti possunt esse meritorij saltem de congruo præmij finiti Gratia, & Gloriæ. Plus enim distant actus Animæ Christi, quamvis supernaturales, vt potè finiti, & nondum condignificati per Vnionem, à præmio infinito Vnionis; quam actus boni naturales hominis iusti à præmio finito Gratia, & Gloriæ, quamvis supernaturali. Nam illa distantia est finiti ab infinito, quæ quidem infinita reputatur; ista verò finiti à finito, quæ reputatur finita. Hanc paritatem vrget, extollitque maxime M. Prudentius tract. 2. de Incarn. disp. 1. dub. 4. sect. 5. Et propter illam sunt qui negent antecedens, de quo nos latè disp. 5. de Incarn. sect. 2.

Prud.
Tomo de
Christo
disp. 5.

64 Ex ibi tamen dictis refumo nunc, concedi debere antecedens, & negari consequentiam. Ad eius rationem dixi, & dico, fatendum nobis esse priorem illam distantiam esse maiorem, & infinite maiorem entitativē, & rei ad rem; non verò secundum habitudinem retributivam meriti ad præmium: quæ quidem non per illam distantiam entitativam mensuratur; sed per certam proportionem obsequij ad retributionem, quam habent illi actus supernaturales finiti Christi cum præmio infinito; & non actus naturales hominis iusti, aut eiusdem Christi, cum præmio finito; quia nempe illi sunt eiusdem ordinis divini & ordinis Gratia cum præmio supernaturali, quamvis infinito; isti verò non cum præmio, quamvis finito, nec pertinent ad commercium Reipublicæ supernaturalis. Sic in Politicis, quamvis entitativē magis distent moneta, & merces, quam aliqua merces ab alijs; pro contractibus tamen emptionum, & venditionum maiorem proportionem habet moneta cum quibuscumque mercibus, quam aliqua merces cum alijs. Sic etiam in Physicis: quamvis entitativē plus distet intellectus noster à Deo, quam

fen-

fenfus ab Angelo: non tamen penes habitudinem perceptibilitatis: cum possit intellectus noster percipere Deum; non verò sensus Angelum: & quamvis entitativē plus distent anima, & corpus, quam duæ animæ; non verò penes proportionem vnibilitatis: cum ex anima, & corpore fiat vnus per se; non verò ex duabus animabus. Quod pendet ab specialibus naturis rerum, & est indubitabile.

SECTIO VI.

An actus meritorius debeat esse actus positivus: an sufficere possit ad Meritum Omissio pura.

Ripal.

Suar.
Vasq.
Lug.

Mont.
Arri.
Ovied.
Amic.
Ribad.
Reques.

65 EXAGITATISSIMA his temporibus controversia inter Patrem Ripaldam, Doctosque Recentiores ex vna parte affirmantes; & inter communiorem sententiam cum PP. Suarez, & Vasquez, & Cardinali de Lugo ex alia parte negantes, sufficere posse ad meritum omissionem puram; qua scilicet homo liber, & conscius prohibitionis furti, omittet furtum, nullo elicito actu positivo voluntatis. Priorem partem tuebar olim. Sed iam dudum illam eivavi: & absolutissime iudico cum secunda, requiri ad Meritum essentialiter actum positivum voluntatis, & nullatenus sufficere posse puras omissiones. Sic etiam Montoya disp. 37. de Provid. sect. 2. Arriaga, Oviedus, Amicus, Ribadeneira, & Requesen. lib. 3. disp. 23. num. 24. Quod mihi ex triplici capite efficaciter persuadeo.

66 Primò: quia figmenta pura reputo, veræque Philosophiæ Indubria, puras quas alij vocant carentias, alij caritiones, alij entia diminuta, alij purè negativa, alij reculas, alij entitatulas, quæ à parte rei sint aliquid entis verèque reale, sintque quid ab omni positivo distinctum. Sed, quocumque apelletur nomine claritatis, vt aiunt, gratia; id in gratiam veritatis reieci per otium in Philosophia; & sæpe cursum in Theologicis; nec denuò iuvat hanc crambem recoquere. Quapropter in ijs ipsis terminis implicat sibi puræ omissiones in voluntate, quæ ab omni ente positivo distinctæ sint, & aliquid entis sint; atque à fortiori, quæ meritoria sint.

67 Secundò: quia, quamvis alioquin

agrè permitterem eiusmodi entia non entia, ac proinde omissiones puras in voluntate, non propterea admittendæ sunt voluntariæ, ac liberæ, ideoquè nec peccaminosæ, nec meritoria sine actu aliquo positivo voluntatis. Sicque contra multos sentiunt multi, quos inter è minus antiquis Cardin. de Lugo disp. 26. de Incarnat. num. 91. Card. Pallavic. disput. 3. de Act. hum. Elparza quest. 39. de Inst. & Iur. Ribaden. disp. 5. de Act. hum. Haunoldus lib. 2. tract. 1. cap. 3. contr. 5. & ingeniosissimi Moderni.

Lug.
Pallav.
Elpar.
Ribad.
Haunold.

68 Quorum iudicium approbo, & probo. Quia nulla alia potentia creata verè exercetur nisi per actum positivum: ergo neque voluntas. Nulla enim est ratio, cur in voluntate ipsum non exerceri sit exercitium, & determinatio per modum actus secundi, & non in alijs potètijs. Dant rationem specialem: quia voluntas est potentia libera; ideoquè liberè, ac proinde voluntariè desinit operari, cum potest. Sed non probant, id facere voluntatem absque actu positivo, quo nolit operari quod potest; aut quo velit sic manere, cum possit non sic manere. Quinimo exinde probamus oppositum: quia voluntas liberè omittens, omittit pro suo libito, quod est idem, ac omittit, quia vult omittit: hoc autem importat, aut volitionem omittendi, aut nolendi exercere actum, quem omittit: quæ quidem volitio, aut nolitio actus positivus est; sicque non purè omittitur voluntariè, ac liberè absque actu positivo. Obiectionem contra hoc dissolvemus cum utilitate doctrinæ sect. seq.

69 Tertio, & propius ad rem præsentem probatur conclusio, præsertim contra Ripaldam. Quippe, vt ex ipso vidimus sect. 5. Meritum Theologicum debet esse intrinsecè, & entitativè supernaturale. Sed pura ommissio, adhuc dato quod admittatur possibilis voluntaria, & libera, nequit esse intrinsecè, & entitativè supernaturalis: ergo adhuc dato, quod admittatur voluntaria, & libera, imò & demeritoria, nequit admitti meritoria. Minor ostenditur multipliciter. Primò: quia ommissio pura, cum sit, vt aiunt, pura carentia, est quid abiectionis longe distans ab ordine divini: quomodo enim erit ens entitativè supernaturale, quod entitas non est? aut, si entitas est, quomodo

Nan 2

do

do positiva non est? Secundò: quia iuxta Ripaldam eadem numero omiſſio actus prohibiti v.g. furti, quæ antea erat, non propositis motivis ſupernaturalibus ad non furandum, manet poſtea, propositis motivis: ergo, cum antea eſſet iuxta Ripaldam naturalis, manet intrinſecè, & entitativè naturalis: implicat enim idem fieri de intrinſecè naturali intrinſecè ſupernaturale per aliquid extrinſecus adveniens, vt eſt per ſe clarum. Tertio, & maximè: quia omiſſio pura furandi, quacumque vigente prohibitione furti, & quibuſcumque propositis motivis ad non furandum, non eſt vnde ſumat intrinſecam ſupernaturalitatem. Nò enim à principio phyſicè elicitivo ipſius: quia phyſicè non elicitur, nec fit. Non item à motivis, quantumvis ſupernaturaliter propositis: quia vt videbimus inferius, incapax proſus eſt motivi, non ſolum intrinſeci, verumetiã extrinſeci: & quamvis daremus quod ad ſummum contenditur, eſſe poſſe ex motivo extrinſeco ſupernaturali, non exinde omiſſio poſſet eſſe ſupernaturalis, niſi quodammodo extrinſecè: non verò intrinſecè, & entitativè, vt eſt per ſe manifeſtum. Nunc ſic ad hominem. Actus meritorius taliter eſſe debet intrinſecè, & entitativè ſupernaturalis, vt ex ipſo P. Rip. actus boni naturales facti à iuſto meritorij per ſe non ſint, quamvis ſiant ex imperio, & ex motivo extrinſeco ſupernaturali, vt vidimus ſeſt. præc. Qua ergo doctrinæ coherentia id concedetur. vtrò ratione motivi extrinſeci omiſſioni puræ, aut nullius, aut naturaliſſimæ entitatis? Mirum ſane, quòd, ſi in eo caſu ex iſſdem motivis ſupernaturalibus haberet homo nolitionem furandi naturalem bonam & poſitivam, hæc non eſſet meritoria; & eſſet meritoria ex iſſdem motivis, pura omiſſio intrinſecè naturalis. Cur ita?

Ripal. 70 Respondet Ripalda: quia omiſſio pura eſt per ſe phyſicè incapax ſupernaturalitatis intrinſecæ; ideoque illi ſufficit à moraliter prout bona dicat ſupernaturalitatem imperij; ſeu motivi extrinſeci. Benè vidit Oviedus, nihil dici potuiſſe à Ripalda, quo clariùs impugnetur: quaſi meritum expiſcans ex incapacitate merendi. Profectò, ſicut ex eo quod quis non poſſit habere viſionem

ſeu albedinem ſibi intrinſecam, non benè inferitur poſſe, aut debere videre, vel dealbari per extrinſecam; ſed imopotius, abſolutiſſimè nò poſſe videre, nec dealbari; ſic ex eo quod omiſſio pura ſit per ſe incapax ſupernaturalitatis intrinſecæ, non inferitur poſſe eſſe meritoriam per extrinſecam; ſed potiùs, eſſe non poſſe meritoriam. Præterea: actus, qui naturalis eſt intrinſecè, incapax eſt vt fiat intrinſecè ſupernaturalis: cur ergo, illi, ſicut omiſſioni, non ſufficiet ad meritum, fieri ſupernaturalem eo modo quo poteſt, ſcilicèt extrinſecè à motivo extrinſeco? Si dicas, quia voluntas poteſt loco illius elicere alium intrinſecè ſupernaturalem, non verò omiſſionem intrinſecè ſupernaturalem; contra eſt: quia non datur ratio, cur hæc voluntatis impotentia proſit ad meritum omiſſionis; & illa potentia noceat actui bono naturali. Et quid, ſi voluntas ſic eliciens actum naturalem eſſet impotens ad ſupernaturalem loco illius? Si dicas: quia omiſſio pura in prædictis circumſtantijs reputatur moraliter pro poſitiva nolitione furti; contra eſt: quia non eſt cur reputetur potiùs pro nolitione ſupernaturali, quam pro naturali, quæ per te meritoria non eſſet. Et cur ſimiliter non dicatur nolitio naturalis furti in eiſdem circumſtantijs motivi extrinſeci ſupernaturalis reputari pro ſupernaturali?

71 Respondet vteriuſ, omiſſionem illam in prædictis circumſtantijs eſſe iam quodammodo intrinſecè ſupernaturalem; quia prout honeſta claudit ſupernaturalitatem: cum ſecundum ſe honeſta non ſit, ſed prout eſt ex tali motivo ſupernaturali: ſicque reduplicativè, prout honeſta, iam eſt intrinſecè ſupernaturalis. Caterùm, hoc eſt planè dicere, neque ſupernaturalitatem, neque honeſtatem eſſe intrinſecas omiſſioni, quamvis honeſtati eſſet intrinſeca ſupernaturalitas: vnde non ſolutionem, ſed robur accipit argumentatio noſtra. Quam vigeo ſimiliter colludendo: nolitioni enim naturali poſitivæ furandi in eiſdem circumſtantijs, & ex eiſdem motivis ſibi extrinſecis, vt taliter imperat, intrinſeca ſimiliter eſſet ſupernaturalitas, cum ſit intrinſeca imperio, quod includit reduplicativè, vt taliter imperata; quin proinde velit Ripalda, eſſe meritoriam, quamvis im-

imperium meritorium ſit. Vndenam ergo privilegium iſtud purarum omiſſionum? Præterea, quod caput eſt, vt omnia iſthæc effugia omnino præcludantur, argumentor ſic: &

72 Quarto, ac præcipuè probatur noſtra conſuſio. Adhuc permiſſis puris omiſſionibus voluntarijs peccaminofis, & demeritorijs; implicat honeſtæ, & ſupernaturales: ergo & meritoria. Antecedens, in quo tota eſt difficultas, probatur. Quia in primis ex Adverſarij confeſſione per ſe entitativè, & intrinſecè ſeorſim à motivo, nec formaliter honeſtæ, nec ſupernaturales ſunt. Atqui nec ratione motivi: ergo nullo modo. Minor probatur. Atque in primis non ratione motivi intrinſeci per ipſam omiſſionem attacki, & iurenti: omiſſio enim, que purè eſt ſuſpenſio omnis actus, & affectus voluntatis, nequit eſſe intentio finis, vt nobis concedit Ripalda: exinde docens eandem numero omiſſionem furti, quæ antequam eſſet ex motivo non erat honeſta, nec meritoria, eſſe honeſtam, & meritoriam poſtea permanentem, ex tali motivo, ac proinde non illi intrinſeco. Deinde neque ratione motivi extrinſeci. Hoc nobis negat Ripalda: audiendus tamen & mirandus circa modum, quo adſcribit motivum extrinſecum omiſſioni puræ, ſeu alijs ſimiliter actibus poſitivis.

73 Ait ergo, actum fieri, ſeu omiſſionem eſſe ex motivo, ſeu fine extrinſeco, nihil aliud eſſe, quam proponi tale motivum, ſeu finem v.g. obediendi Deo; & voluntatem affici aliqua complacentia erga illud: & deinde cognoſci, actum v.g. temperantiæ, & in noſtro caſu omiſſionem furti, eſſe medium aptum ad talem finem: & tandem fieri actum temperantiæ, vel in noſtro caſu omitti furtum: eo enim ipſo actus, vel omiſſio eſt ex tali fine, ſeu motivo ſic proſito, quamvis ex intrinſecis ſuis id non attingat; nam ſi per intrinſeca ſua id attingeret, iam non eſſet ſinis extrinſecus, ſed intrinſecus. Rogatus autem, quomodo dignoſcetur, ex quo motivo agat, vel omittat voluntas: an ex hoc, an ex alio, quando multa motiva, alia bona, alia mala ſimul homini ſic proponuntur; reſpondet, agere, vel omittere ex illo, quo non proſito, voluntas non ageret, aut non omitteret. Hanc doctrinam firmat prolixè multis

in locis de Ente ſupern. & acriùs poſtea diſp. 40. de Charit. Sicque ait pro caſu noſtro, puram omiſſionem furti eſſe ex motivo ſupernaturali, v.g. obediendi Deo, ſi reſentato ſupernaturaliter fine obediendi, complacens in eo fine voluntas omittat furtum, quod non omitteret, niſi tale motivum reſentaretur.

Ripal. 74 P. Ribadeneyra legendus cum fructu diſp. 12. de Act. hum. totum hoc, meo iudicio, efficaciffimè reſutat; & intentum noſtrum mirificè conficit contra Ripaldam. Totum hoc, quod excogitavit ingenioſus Ripalda, minimè ſufficit, vt omiſſio ſit, nec rationabiliter dicatur eſſe ex tali motivo extrinſeco: ergo corrumpit tota reſponſio, totumque molimen motivi extrinſeci adſcripti puris omiſſionibus. Antecedens offenditur, proſito in praxi ſequenti caſu. Petrus affectu indeliberato fertur in vindictam de Paulo gravi offenſore: & cognoſcit, medium eſſe vile ad ſuam vindictam, dare pecuniam ſicario extremè indigenti. In iſtius ſpecie caſus prohibetur Petro dare pecuniam ſicario in finem vindictæ; hoc enim eſt peccatum: ſed non prohibetur, imò obligatur dare pecuniam ſicario extremè indigenti: ergo dare, aut velle dare pecuniam ex motivo, aut in finem vindictæ, aliquid aliud requirit eſſentialiter præter actum dandi, & circumſtantijs illas tam ex parte intellectus, quam ex parte voluntatis recensitas à Ripalda; ac proinde non ſufficit totum illud. Nec valet recurſus ad evetum illum condicionatum additum in expoſitione reſponſionis. Nam Petrus dans pecuniam ex motivo vindictæ id experiri debet in ſe, & de ſe: ſi betur enim, & in praxi tenetur id conſiteri: non autem ad id teneretur, neque id experiretur, ſi dare ex fine malo extrinſeco vindictæ dignoſcendum eſſet per eventum illum condicionatum, quem proſus ignorat. Quis enim ſibi conſcius ſit eventus liberi condicionati? ſcilicèt, quid factururus eſſet ſi non reſentarentur hæc motiva, ſed alia? Sat ſit, Deum id ſcribere per infinitam ſuam Scientiam Mediam.

75 Rurſus. In prædicto caſu ad duo tenetur Petrus: tenetur dare pecuniam ſicario, vt potè extremè indigenti: & tenetur non dare ex motivo, ſeu in finem vindictæ: eſſet enim peccatum ſic dare.

Atqui iuxta doctrinam responsionis hoc esset Petro impossibile: ergo teneretur ad impossibile: quod nefas est. Probatum minor: in primis enim non est in manu Petri non affici simpliciter indeliberatè circa vindictam: deinde neque non cognoscere, quòd dare pecuniam sicario est medium vtile ad finem vindictæ: & denique nec excludere eventum illum conditionatum, quòd nempe non daret si in alijs circumstantijs alia motiva presentarentur: non enim habet hinc, & nunc per libertatem presentem in manu sua, quid reipsa facturus esset, si in alijs circumstantijs, & in alia libertate constitueretur. Non esset igitur in manu Petri, ac proinde nec imputabiliter ipsi possibile in casu predicto, dare pecunias sicario extremè indigenti, & non dare ex fine vindictæ, si id quod dixit Ripalda sufficit ad agendum, seu omittendum ex motivo extrinseco. Itaque id minimè sufficere mihi abs dubio est.

76 Quid ergo, inquis, requiritur ultra? Quid est voluntatem agere, vel omittere ex fine, seu motivo extrinseco? Responsio mihi perfacilis est, & meo videri necessaria, ut possimus apud nos experiri, ac dignoscere, pro praxi saltem confessionum, quo ex fine agamus, vel omittamus. Dico ergo, requiri ad id affectum positivum liberum voluntatis ex intrinsicis suis imperantem, & ordinantem actum alium, sive omissionem actus in talem finem. Ad eum nempe modum, quo actiones externæ dicuntur imperatæ, volitæ, & extrinsecè ordinatæ in aliquem finem, sive bonum, sive malum, fierique ex hoc, aut illo motivo; ab actu voluntatis illis extrinseco, per se tamen, & ex intrinsicis suis intendente talem finem. Itaque motivum, quod dicitur extrinsecum respectu operis, seu actus imperati; debet esse intrinsecum, hoc est ex intrinsicis suis attached, volitum, & intentum ab affectu voluntatis imperante, & in eum finem volente, & ordinante actus alios, sive voluntatis, sive alterius potentia, sive internos, sive externos.

77 Undè concluditur, nec dici, nec explicari aptè posse, quòd omisio sit ex motivo, aut ex fine extrinseco, nisi in id ordinetur per aliquem actum voluntatis ex intrinsicis suis intendente talem

finem, & in id volentem, & imperantem talem omissionem. Sic autem iam non est omisio pura; sed coniuncta cum actu positivo voluntatis, & ab ipso positivè sic volita. Cõttet ergo omninò repugnare, omissionem esse puram ab omni actu positivo voluntatis liberè volente omittere; & omissionem esse ex motivo extrinseco, atque adeò supernaturalem, & meritoriam. Itaque totum meritum per se refunditur in actum illum positivum, liberum, & intrinsecè supernaturalem imperantem talem omissionem.

SECTIO VII.

Fit satis Opinioni contraria.

78 **F**VNDAMENTVM est huiusmodi. Petrus, v.g. iustus tentatur graviter ad furtum: illustratus tamen oportuna cogitatione, pia quidem, & supernaturali de divina prohibitionem, & displicentiâ, tactusque timore inferni, alijsque motivis aternis, potest abstinere à furto, purè omittens furari, utpote pro sua libertate omnem suspendens actum deliberatum voluntatis circa furtum, nec ipsam volendo, nec nolendo, sed purè omittendo. Nunc sic: talis omisio furti est honesta, quia implet præceptum non furandi: est ex motivo supernaturali supernaturaliter proposito per sanctas cogitationes: nec haberi potest absque auxilio gratiæ: sine quo nimirum vinci nequit gravis tentatio furandi; quæ tamen vincitur omittendo furtum. Nihil igitur deest, quominus pura illa omisio furti sit honesta, supernaturalis, & meritoria. Hæc ratiocinatio multos sefellit: mihi tamen multiplici ex capite videtur defectuosa.

79 In primis enim, iuxta doctrinam secundæ nostræ probationis insinuatam num. 67. ut fundamentum istud funditus corruat, negamus absolutè suppositionem, quòd scilicet in eo casu possit Petri voluntas parè omittere furtum, pro sua libertate suspendens omnem actum suum deliberatum positivum circa furtum. Rebus enim sic propositis, voluntas est necessitatissima disiunctim ad positivè volendum, vel ad positivè nolendum, salva planè, & plene eius libertate inter velle, & nolle furari; sicut apud Adversarios, salva libertate inter velle,

& nolle, & purè omittere; stat tunc necessitas disiunctim ad volendum, vel nolendum, vel purè omittendum furtum. Nec esset minus liberum, minusque præceptibile tunc Petro, quòd nec positivè velle, vel nolle; quam iuxta Adversarios, quòd nec velle, nec nolle, nec purè omitteret. Nec addere tertium istud extremum purè omittendi est addere quidquam libertatis, cum sit, ut contendimus, extremum repugnans, & chymericum: & quidem in Deo saltem, non potente purè omittere, stat perfectissima libertas absque potestate ad tertium istud extremum. Convenit itaque potentia libera cum potentia necessaria in eo quòd utraque, positivè omnibus prærequisitis necessitatur ad operandum: differunt satis in eo, quòd potentia necessaria, ut ignis, necessitatur ad unum, scilicet ad combustionem, quin pro libito suo possit non comburere, nec ex virtute sua sit, non comburere: Potentia verò libera non necessitatur ad unum; sed est indifferens verèque potens eligere pro libito inter sic, aut sic operari, scilicet inter velle, & nolle. Et in hoc stat libertas; non in chymeris.

80 Inclamant adversus istam doctrinam Omissores puri. Quia, inquiunt, omne peccatum est, voluntarium, & liberum: sed datur peccatum per puram omissionem absque vilo actu positivo voluntatis: necesse igitur est, dari puras omissiones voluntarias, & liberas. Probatum minor. Qui enim, urgente præcepto amandi, liberè omitteret amorem, eo ipso peccaret: sed libere posset, omittere amorem, nullo facto actu positivo: daretur ergo peccatum per puram omissionem absque vilo actu positivo. Respondetur negando duas minores. Cum enim voluntas in ea libertate constituta, sit, ut diximus, ex natura sua disiunctim necessitata ad volendum, vel nolendum amare, nequit liberè omittere pro libito suo actum amoris urgente præcepto, nisi facto actu positivo, qui sit, aut volitio omittendi amorem: quòd cumque autem istorum actuum positivorum est voluntaria omisio amoris: positiva tamen.

81 Urgent. Posset Deus parare concursum ad amorem, negans ad alium

actum positivum. Tunc autem posset adhuc homo liberè omittere amorem; cum non propterea necessitetur ad amandum: sed non per alium actum positivum, quia non habet à Deo paratum concursum: ergo per puram omissionem: & quidem voluntariam & liberam: quia esset peccaminosa, utpote transgrediens præceptum amandi. Respondetur, negando, posse sic Deum parare concursum ad amorem liberum, quamvis posset ad necessarium: nam ad libertatem est necesse, quòd Deus in actu primo præpararet concursum suum ad duos saltem actus, qui sint extrema libertatis, quos inter eligat voluntas. Undè eo ipso quòd in predicto casu solum pararetur à Deo concursus ad amorem, & non ad alium actum, non esset in libertate voluntas; sed amaret necessariò, non minus quam ignis necessariò comburit. Nec posset, nisi involuntariè, & ab extrinseco, cohiberi amor; sicut posset etiam divinitus cohiberi combustio. Itaque negatur absolutè maior.

82 At, inquis: quid, si quoquo modo tunc homo purè amorem omitteret? certe enim non implet, præceptum amandi: ergo illud transgrediretur, & peccaret: atque adeò voluntariè, ac liberè purè omitteret. Respondetur, concessio antecedente, negatur consequentia. Neque enim dormientes, sicut nec saxa implent præcepta, & tamen non transgrediuntur, neque peccant, neque voluntariè omittunt. Eiusmodi enim inadimpletio est quædam materialis non positio operis præcepti, minimè voluntaria, nec moraliter impurabilis. Ad hunc ergo modum se haberet prædictus purè omitteus, casu quo purè omitteret: quia si habet paratum concursum ad amandum vel positivè nolendum amare, necesse illi est disiunctim ut diximus, aut velle, aut nolle amare. Quod si nō haberet paratum concursum, nisi ad amorem, necessariò amaret. Quod si violenter tunc cohiberetur ab elicientia amoris, sicut ignis à combustionem, hic modus omittendi amorem non esset illi magis voluntarius, aut peccaminosus quam dormienti, aut quam saxo.

83 Dices: Dormientem non premit præceptum, defectu scilicet advertentiæ. Fatemur. At neque premeret sic pure omittentem, ex defectu scilicet alterius

requisiti ad libertatem : quia si haberet paratum concursum ad velle , & nolle amare , est disiunctim necesse , quod velit, vel nolit : si ad solum velle amare , est necesse quod amet, sicut igni quod comburat. Vnde pure omittere non potest esse , nisi aut ex defectu alicuius prærequisiti , aut per vim , sicut in igne non comburere : ac proinde nec voluntariè , nec liberè , nec peccaminosè contra præceptum. Quodli fingas , vrgere hic & nunc proximè præceptum , & hominem proximè liberum pure omittere , involvis contradictoria : ex quibus alia sequitur contradictoria : scilicet transgredi , & non transgredi præceptum ; peccare , & non peccare , & similia monstra : sicut ex eo quod ignis esset vndequaue constitutus cum requisitis , & expeditus ad comburendum , & non combureret.

84 Insistunt : Voluntas constitui debet cum libertate contradictionis , & contrarietatis : sed negatis iuxta nostram doctrinam puris omissionibus voluntarijs , ac liberis , non constitueretur cum vtraque illa libertate : ergo negari non possunt. Probat minor : quia libertas contrarietatis explicatur inter duos actus positivos ; contradictionis verò inter actum , & puram eius omissionem. Negatis ergo puris omissionibus liberis , quomodo explicaretur , & constitueretur libertas contradictionis contradistincta à libertate contrarietatis ? Imbelle telum. Profectò , aut in Deo datur vtraque illa libertas ; aut non datur. Si non datur : ergo non est vtraque necessaria ad perfectissimam libertatem. Si datur , quomodo in Deo sine puris omissionibus datur ? Respondeo nunc , admittam maiori , negando minorem. Ad probationem , negamus in antecedente constitutionem , & explicationem illarum duarum libertatum. Et dicimus expedire , vtramque versari inter actus positivos voluntatis , cum notissimo discrimine. Quod nempe libertas contrarietatis dicitur ad actus oppositos circa idem obiectum : vt sunt amor , & odium , volitio , & nolitio eiusdem rei. Libertas verò contradictionis dari dicitur inter actum versantem circa suum obiectum , & inter nolitionem talis actus : quæ scilicet nolitio , quamvis non sit nolitio eiusdem obiecti , est nolitio actus in illud tendentis : vt cum quis , quamvis non odio habeat

obiectum , habet tamen nolitionem illud amandi.

86 Hæc cursum circa falsitatem suppositionis fundamentalis iacta num. 78. pro puris omissionibus meritorijs : de quo plura qui velit , legat Ribadeneyram cit. & Esparzam *quæst. 15. de Act. Ribad. Espar.* Vltioris tamen doctrinæ causâ , & vt abundantius commofteretur , quam sit ruinosum fundamentum contrarietatis sententiæ , permittam pro nunc prædictam suppositionem.

87 Respondeo itaque aliter , permittam suppositionem , negari posse cum Suar. Vasquez , & Amico primam partem antecedentis , quod nempe ea omisio esset honesta : quamvis enim dabilis esset peccaminosa , eo quod ad peccandum sufficit transgredi legem aliquam omitendo quod iubet , non exinde admitti debet honesta , & bona : quia ad bene , honestèque agendum non sufficit vitæque observare legem omitendo quod prohibet ; sed debet id omitti ex bono fine , & ex honesto motivo : cuius , vt nuper vidimus , omninò incapax est omisio pura. Nec sufficit , quod in casu nostro per eiusmodi puram omissionem furti impleteretur præceptum non furandi : non enim hoc satis est , vt omisio sit honesta : sæpè namque implentur aliqua præcepta per actum non bonum , imò & per aliqualem malum , vt si homo tunc ex motivo inanis gloriæ nollet furari : & quando sacris assisitur die festo ex motivo vanitatis.

88 Deindè , adhuc dato , quod eiusmodi omisio pura posset esse honesta , omninò negandum est , esse , aut esse posse supernaturalem : cum non posset haurire supernaturalitatem , nisi ex motivo : cuius tamen , tam extrinseci , quam intrinseci omninò incapax est , si pura est , vt probavimus *sect. præc.* Deficiente autem supernaturalitate , nequit esse Theologicè meritoria , quamvis alioquin honesta foret. Et dato , quod habere posset aliqualem supernaturalitatem extrinsecam ex motivo extrinseci supernaturali ratione actus supernaturalis illam imperantis , ea supernaturalitas sufficeret quidem ad meritum actus imperantis intrinsecè supernaturalis ; non verò ad meritum omissionis intrinsecè naturalis. Alioquin non video , quomodo similiter actus bonus naturalis imperatus à

Ribad.
Espar.

Suar.
Vasq.
Amic.

supernaturali ex motivo supernaturali , non similiter dicendus esset meritorius. Nec possum capere , quo iure Pater Ripalda pure omissioni furti intrinsecè naturali in prædictis circumstantijs concedat vim merendi ; eamque neget nolitioni positivæ furandi intrinsecè naturali factæ in eisdem circumstantijs ex eodem imperio , & motivo supernaturalibus.

89 Nec prodest , quod in probatione subdit , omissionem furti in eo casu sufficere ad vincendam tentationem furandam ad quam vincendam , ac proinde ad illam puram omissionem furti in eo casu tentationis gravis , necessaria est gratia Theologica : quæ certè non requireretur nisi omisio esset supernaturalis , atque adeo meritoria. Non , inquam , id prodest : quia similiter verum est , quod vinceretur tentatio furandi per nolitionem naturalem furandi bonam ; imò & per malam , vt si homo nollet furari ex fine sic alligendi vxoratum rerum suarum cupidam ad adulterium : quin istæ nolitiones meritorie sint ; quamvis prior illa naturalis bona fiat ex imperio , & motivo extrinseci supernaturali , & operosius vincat tentationem , quam omisio pura. Non ergo arguitur vis Theologicè meritoria ex quocumque modo vincendi tentationem , quantumvis gravem , nec ad quemcumque modum vincendi necessaria est gratia Theologica ; sed ad modum perfectæ propriæque victoriæ per resistentiam bonam , & supernaturalem perducentem nos ad finem , à quo tentatio nos retrahere conatur : ac proinde per actum positivum intrinsecè supernaturalem , ideòque meritorium. Id quod significavit S. Thom. verbis alibi à me laudatis dicens : *Ille proprie vincit peccatum , qui potest pertingere ad id , contra quod est pugna peccati* : quasi dicat : qui vincit per victoriam perducentem nos ad vitam æternam peccato impeditam. Eiusmodi autem victoria non est nisi actus bonus salutaris , ac proinde supernaturalis , ideòque Theologicè meritorius , vt otiosius explicuimus *disp. 9. sect. 3.*

90 Itaque iuxta ibi ex professo dicta de necessitate gratiæ ad vincendas tentationes , dicendum est nunc , quod quamvis possibilis esset pura omisio voluntaria , qua vinceretur tentatio illa furti , ad hunc tamen modum vincendi

necessaria non esset Gratia Theologica ; sicut neque apud Adversarios ad vincendam illam tentationem per nolitionem naturalem furandi : quia hæc non esset perfecta , & consummata victoria salutaris , & meritoria vitæ æternæ ; sed sufficeret gratia Philosophica de ordine naturæ. Quando autem dicunt Concilia , Sanctique PP. necessariam esse gratiam Theologicam ad vincendam tentationem , intelliguntur de victoria consummata , & salutari : quæ certè non est actus naturalis , quantumvis bonus ; & à fortiori , nec pura omisio , vt pote naturalissima ; sed actus dumtaxat supernaturalis , ideòque meritorius præmijs , contra quod pugnat tentatio peccandi. Vnde ex necessitate gratiæ ad vincendas tentationes graves , prout asseritur , & prædicatur à Concilijs , Sanctisque PP. nullum fit argumentum pro supernaturalitate , & merito puræ omissionis ; quamvis hæc alioquin admitteretur possibilis.

91 Dices. Omisio pura sacri , vrgente præcepto , si admittatur voluntaria , & libera , esset peccaminosa , & demeritoria : quia transgreditur advertentet , & liberè præceptum affirmativum audiendi sacrum , & moraliter interpretatur pro nolitione audiendi : ergo puræ omisio furti in casu nostro esset honesta , & meritoria , quia impleteret præceptum negativum , nec est cur non interpretetur moraliter pro nolitione positiva furti. Confirmatur ex Scriptura laudante hominem sic omitentem , quasi dignum præmio Beatitudinis. *Ecclesiastici 31. Beatus vir , qui post aurum non abiit , &c. 31. Qui potuit transgredi , & non est transgressus ; facere mala , & non fecit : ideò stabilita sunt bona illius in Domino.*

92 Respondetur , negari posse antecedens cum P. Vasquez non admittente puras omissiones peccaminosas , quamvis admitterentur voluntaria. Concedimus tamen antecedens , & negamus consequentiam. Ratio disparitatis est perspicua. Nam ad peccandum sufficit omittere liberè opus præceptum quocumque fine , aut etiam si absque vilo fine omittatur : quocumque enim modo id liberè fiat , violatur præceptum affirmativum : quia malum ex quocumque defectu. At , vt quis honestè operetur , nec sufficit liberè ponere opus præceptum ; nec

ooo

omit-

S. Tho.

Supra
disp. 9.

Eccles.
31.

omittere utrumque opus prohibitum; cum utrumque hoc præstari posset peccaminose ex pravo fine: quia *bonum ex integra causa*. Unde à fortiori ad meritum non sufficit ommittere furtum: si quis enim, aut nolitione positiva naturali, aut actu indifferenti, aut ex prava aliqua intentione ommitteret furtum, omitteret quidem opus prohibitum, & impleret, aut saltem non transgredere- tur præceptum negativum non furandi; & tamen minimè mereretur. Quemadmodum ergo in ijs positivis omissionibus furti non agnoscit meritum Ripal- da ex defectu aliquorum requisitorum ad merendum; sic nec agnoscimus nos in vlla omissione pura ex defectu su- pernaturalitatis, honestatis, & motivi, quamvis per illam impleatur utrumque præceptum negativum non furandi. Hac redargutione, ut rectè monuit Oviedus, infringuntur omnia Ripaldæ argumen- ta: quæ propterea magna ex parte præ- mittimus videnda apud ipsum Ovie- dum, & Martinonum *disp. 44. sect. 11.*

93 Nec vim auget interpretatio illa moralis. Quamvis enim demus, omis- sionem puram furti reputari, seu inter- pretari posse moraliter pro nolitione positivâ furandi, non infertur, reputari debere pro nolitione supernaturali: suf- ficiat pro naturali: sicque ad summum interpretari illam decet pro nolitione qualicumque quoad impletionem præ- cepti negativî; neutiquam verò pro no- litione supernaturali, quoad meritum. Undenam, precor, est hæc interpretatio? Nostram responsionem claudit S. Thom. quæst. 71. art. 5. sic; *Peccatum potest contin-*

gere, sive aliquis faciat quod non debet; sive non faciendo quod debet. Sed Meritum non potest esse, nisi aliquis faciat voluntariè quod debet: & ideo Meritum non potest esse sine actu; sed peccatum potest sine actu esse.

94 Ad confirmationem dicimus: quòd, sicut aiunt Adversarij cum Ripal- da, in illo, & similibus Scripturæ locis supponi debere, eiusmodi Omissiones laudabiles, & meritorias esse bonas, & supernaturales; cum iuxta omnes multæ possint esse, nec meritoria, nec laudabi- les; ita supponi etiam debet, non esse puras, sed per actus optimos positivos, & supernaturales nolendi facere mala, nec transgredi præcepta. Ideòque forte de Beato viro, quem laudat, subiunxit Sacer Textus: *Quis est hic, & laudabimus eum; Fecit enim mirabilia*: quasi nimirum in eo meruerit laudem, & præmium, quòd mala non fecerit: non quidem pu- rè omisivè; sed positivè faciendo *mirabilia*, scilicet per actus optimos, & su- pernaturales nolens facere mala cum posset; nec legem transgredi, cum trans- gredi potuisset. Iterum S. Thom. 2.2. quæst. 79. art. 1. *Declinare à malo, secundum quod ponitur pars iustitia, non importat negatio- nem puram, quod est non facere malum: hoc enim non meretur palmam; sed solum vitæ pœnam: importat autem motum voluntatis repudiantis malum, ut ipsum nomen declina- tionis ostendit: & hoc est meritorium, & quæst. 7. de Malo art. 11. repetit: Vitare peccatum potest intelligi dupliciter. Vno modo, secundum puram negationem: & sic non meretur vitæ: quia etiam dormiens non peccat; & tamen non meretur.*

Ovied.

Mart.

S. Tho.

S. Tho.



DISPUTATIO XXV.

DE LIBERTATE REQUISITA AD ACTUM meritoriam.

LIBERTAS est unum est è requisitis ad Meritum ex parte actus meritorij. Quoniam verò multas, & graves seorsim invol- vit difficultates, oportuit de illa seorsim Disputationem in- stituere.

SECTIO I.

An sufficiat ad Meritum Libertas existi- mata: an semiplena: an in alio, ut in Capite.

VBI non est libertas, nec meritum est, inquit sapienter, & catholice S. Bernardus. Rationem dant Theologi, apud Suar. *lib. 12. de Grat. cap. 3.* quia Meritum dicitur ladudabilitatem moralem. Nemo autè morali laude dignus est, nisi propter id quod liberè agit, iuxta illud Ecclésiastici: *Qui potuit transgredi, & non est transgressus; facere mala, & non fecit ideo, &c. Quis est hic, & laudabimus eum.* Hæc doctrina procedit etiam de possi- bili contra Gabrielem apud Oviedum *contr. 2. punt. 1.* Vbi notandum est etiam cum Vasquez *1.2. disp. 216. num. 25.* con- tra Toftatum *qu. 566.* in Matth. non re- quiriri ad Meritum libertatem contrarie- tatis; sed sufficere contradictionis iuxta explicationem harum libertatum da- tam *disp. præc. num. 84.* quas fortè aliter explicabat Toftatus, ut id diceret.

3 Hoc præiactò fundamento, dicen- dum nobis est primò, non sufficere liber- tatem existimatam; sed requiri veram, & reipsa existentem. Sicut non sufficit ad Meritum condignum Gratia iustificans existimata per errorem; sed requiritur verè existens, & reipsa iustificans homi- nem. Et procedit apud nos à fortiori, aut saltem à pari ex ijs, quæ diximus *dis- put. præc. sect. 3.* non sufficere ad Meritum honestatem existimatam ex conscientia erronea. Sufficerent igitur hæc ad Meri- tum dumtaxat existimatam, Oppositum

insinuasse videtur Herize apud Ripal- dam, hac ductus, aut seductus ratione. Si quis enim omitteret actum præceptum, ad quem putat habere se à Deo concur- sum paratum, cum tamen reipsa para- tum non habet, peccaret reipsa, & de- mereretur apud Deum per eam omis- sionem: ergo cum simili præparacione, at- que ad eam cum libertate dumtaxat existi- mata eliciens actum bonum, reipsa me- reretur. Sed respondetur, negando ante- cedens.

4 Dicendum est secundò, sufficere posse libertatem semiplenam. Sic Ripal- da *disp. 74. num. 16.* Quia durum ipsi vide- tur, & meritò, quod actus mali semiple- nè liberi apud Deum demereantur; & non mereantur apud Deum actus boni semiplenè liberi: quando præsertim de- fectus plenæ libertatis provenit ex ma- xima facilitate virtuosâ ad bene agen- dum. Negat id aliqui: quia putant, actus semiplenè liberos non posse esse super- naturales. Sed immeritò sic putant; cum & actus omninò necessarios ferari de- beant supernaturales. Cur ergo non se- miplenè liberos, alioquin bonos, & ho- nestos? Diminui in ijs aliquid meriti ob defectum plenæ libertatis, fatebimur; non tamen nihil gratiæ, & Gloriæ me- reri.

5 P. Oviedus *punct. 1.* quatuor dicit. Primum: actus semiplenè liberos non mereri condignè Gratiam, & Gloriam. Quia actus semiplenè liberi non pu- niuntur pœnâ aternâ, nec privatione Gratia. Secundum: nec congruè: quia cõ- tingere posset, peccatorem conteri cum semiplenâ libertate: si autem hoc suffi-

Heriz.

Ripal.

Ovied.

ceret ad meritum congruum Gratia, sequeretur quod esset iustificandus: cum tamen Tridentinum requirat dispositionem absolutè liberam. Tertium: nec primum aliud supernaturale: quia ad contractus iustitiae, qualis est pactio meriti, & praemij inter Deum, & homines, requiri solet plena libertas. Quartum: haec procedere iuxta praesentem Dei legem: quia iuxta aliam Deo possibilem posset homo per actus semiplenè liberos mereri omnia supradicta.

6 Ceterum ratio primi dicti insufficientis est: dato namque, quod negant aliqui, venialia non puniri speciali poena aeterna in consortio mortalium; in favore meritum stat divina indoles, avida potius praemiandi, quam puniendi: non punit Deus nisi provocatus à cupiis, praemiatur verò ex innata propensione praemiandi. Unde non mirum, quòd, quamvis culpis semiplenè liberis non destinaverit poenam aeternam, nec privationem Gratiae; obsequijs verò semiplenè liberis destinet in praemium aliquid Gratiae, & Gloriam. Nec sufficiens est ratio secundi: nam ex admissio casu, non infertur sequela. Multa namque de facto requisivit ex lege sua Deus ad primam Gratiam, quae non requisivit ad augmentum Gratiae: ad hoc enim sufficit meritum cuiuscumque virtutis, cum tamen ad primam Gratiam iustificationem requiratur meritum virtutum Theologicalium. Sic ergo, quamvis ad primam Gratiam ex lege Dei, manifestata per Concilium, requiratur meritum plenè liberum; non tamen sic deinceps ad augmentum Gratiae. Nec ratio tertij convincit: non enim valet omnino paritas humanarum legum ad Leges Dei supremi, ac magnificentissimi Legislatoris. Et in ipsis legibus humanis extat disparitas: non enim par libertas requiritur ad contractus omnes; sed ex ipso iure humano plenior ad aliquos. Quartum dictum, quod sine ratione proposui, potest esse ratio nostra. Si enim iuxta possibilem Dei Legem possunt ea omnia, quae diximus mereri actus semiplenè liberi; dum oppositum non constat, non est cur negetur de facto talis Dei munificentissimi Lex.

7 Dicendum est tertio, sufficere posse ad meritum libertatem in alio ut in Capite iuxta aliam Dei Legem. Si nem-

pe Deus, sicut pro supremo suo dominio constituit voluntates Posterorum in Adamo, taliter ut ipso peccante, in ipso peccarent, & demerentur; voluisset similiter eas in illo constituere, taliter ut, illo merente, mererentur; & ipso se per poenitentiam disponente ad iustificationem, se quoque in illo, ut in Capite, disponentem. Ita Ripalda tom. 1. disp. 16. & Arriaga disp. 51. de Pecc. num. 30. & disp. 44. de Grat. num. 15. contra Ovidum, & alios contr. 9. de Pecc. punct. 3.

Ripal.
Arria.
Ovid.

8 Obijcies. Contritio eatenus est vltima dispositio ad Gratiam, quatenus est detestatio opposita peccato actuali: sed contritio in Adamo, ut in Capite, non esset opposita cum peccato actuali Posterorum: posset enim aliquis esse cum voluntate actuali peccandi dum Adamus conteretur: ergo non posset esse dispositio meritoria Posterorum. Minor patet: potest enim pupillus, dum moraliter vult contractum in voluntate tutoris, nolle physicè simul eundem contractum voluntate propria. Sed respondetur, exinde ad summum probari, quòd, ille cum ea actuali voluntate peccandi non esset sufficienter dispositus per contritionem Adami: cum quo stat, quòd secluso eo impedimento personali, posset esse satis dispositus per contritionem in alio. Illud de Pupillo, & Tutore tenet quoad aliquos effectus iuxta Leges, non verò quoad velle, vel nolle imputabiliter ad culpam, seu meritum.

9 Haec intellige iuxta aliam providentiam Deo possibilem. Nam de facto non sic placuit Deo summo constituere voluntates Posterorum in Adamo, nisi quoad obedientiam, seu inobedientiam, ad praecipuum abstinendi à ligno: de quo fufius disseruimus in Opusc. de Pecc. originali. Nunc observandum restat cum Ripalda, quòd quamvis in ea lege possent posteri mereri per libertatem in alio, ut in Capite; non tamen de condigno, si ipsi non essent alioquin iusti: quia opus illud, prout nostrum, non esset hominis iusti: cum non posset reddere nos iustos iustitia Adami sine iustitia nobis physicè inhærente ut diximus disp. 13. sect. 1.

Ripal.

Supra
disp. 13.

10 Cave autem, ne dixeris, libertatem in alio ad vnum actum sufficere ad meritum, seu demeritum actuum subsequentium ex necessitate factorum. Hoc enim est praecipuum Pseudoaugustiniana-

Aguir. norum Recentium apud Card. de Aguirre disp. 132. num. 43. dicentium, in nobis necessariò operantibus stare demeritum propter libertatem, quam habuimus in Adamo ad peccatum originale. Profectò, quòd libertas illius culpae originalis sufficiat ad hoc ut rei simus illius culpa, & ut iuste patiamur multa mala poenae, quibus nos fecit dignos illa culpa, verum est: at quòd illa libertas nos faciat reos aliarum culparum, quas nec comisit Adamus, & nos ex necessitate fecerimus, repugnans est doctrinae Catholicae, rectaeque rationi. Enimverò Innoc. X. in Bulla contra Iansenium damnans in eius propositione non requiri ad merendum, & demerendum libertatem à necessitate, non quidem ignorabat libertatem quam ad originale habuimus in Adamo, ut in Capite; nec illam ignorasse Iansenium suspicari potuit: & tamen propositionem iustissimè damnavit: quo certum mansit, eiusmodi libertatem in alio ad vnum actum non sufficere ad meritum, nec demeritum aliorum actuum nostrorum. Rem conclusit Alexand. VIII. in Decreto anni 1690. damnans, & sub anathemate prohibens propositionem istam ibi primam: *In statu naturae lapsae ad peccatum mortale, & demeritum sufficit illa libertas, quae voluntarium, ac liberum fuit in causa sua, peccato originali, & voluntate Adami peccantis.*

Innoc.

Alex.
VIII.

SECTIO II.

Non sufficit ad Meritum, nec Demeritum libertas, quam dicunt à Coactione; sed omnino requiritur libertas à Necessitate.

11 **H**eresis opposita huic Catholicae conclusioni damnata satis in re fuit à Tridentino contra Lutherum, & Calvinum, ut expendit eruditè Ripalda tom. 3. disp. 18. sect. 3. Tum sess. 6. cap. 1. & can. 5. vbi definit, liberum arbitrium nostrum non extinctum fuisse per peccatum originale. At certè, si homo lapsus peccans peccaret ex necessitate concupiscentiae sine potestate antecedente ad evitandum peccatum; & homo merens, mereretur ex necessitate Gratiae, necessitative praedeterminantis ad actum meritorium sine potestate antecedente ad

Ripal.
Triden.

omittendum talem actum; nec ad peccandum, nec ad merendum mansisset in nobis vera libertas; sicque liberum hominis arbitrium in statu naturae lapsae fuisset extinctum: quae est Haeresis ibi anathematizata à Concilio. Tum etiam in eodem can. 5. & 6. vbi contra eosdem definit, esse in potestate hominis vias suas malas facere: & liberum arbitrium hominis lapsi non esse rem de solo titulo, aut titulum sine re: cum tamen Lutherus, & Calvinus, ut legere est per eorundem expressissima verba apud Ruardum pag. mibi 376. non negaverint libertatem à coactione, sed solam à necessitate. Ex verbis igitur; & mente Concilij contra praedictos Haesiarum mansit iam in re satis damnata doctrina nostra conclusioni opposita, quòd sufficit ad meritum, & demeritum libertas à coactione sine libertate à necessitate, & sine potestate antecedente ad omittendum actum meritorium, aut demeritorium, quem elicit voluntas: meritorium, ut aiunt, à Gratia necessitante, & demeritorium à concupiscentia necessitante.

Tridena

Ruard.

Luth.
Calv.

12 Quoniam verò Baius simulare voluit illas Haeseres per terminos libertatis à coactione, & à necessitate, quasi eos non accipisset ab ipsis Lutero, & Calvino; sicque declinare damnationem Concilij, non ore pleno negans libertatem; quamvis solam admittens in nobis libertatem à coactione, quam illi vocabant titulum sine re; & negans cum illis libertatem à necessitate, quae vera libertas est; illum in ijs fere ipsis terminis coercere studuerunt per Bullas suas Pontificias Greg. XIII. & Urbanus VIII. damnantes Baij propositiones 41. 66. & 67. quae sunt huiusmodi: *Is libertatis modus, qui est à necessitate, sub libertatis nomine non reperitur in Scripturis, sed solum nomen libertatis à peccato. Sola violentia repugnat libertati hominis naturali. Homo peccat, etiam damnabiliter, in eo, quod necessariò facit. Qua damnatione mansit expressus, & vberius stabilita veritas nostrae conclusionis.*

Baius

Greg.
XIII.
Urban.
VIII.
Baius.

13 Quia tamen prodijt postmodum Iansenius, contendens ex Augustino sinistrè intellecto sustinere per varias tergiversationes Baianismum, apertè docens, quòd: *Ad merendum, & demerendum in statu naturae lapsae non requiritur in homine libertas à necessitate; sed sufficit li-*

Iansen.

Innoc. X.

bertas à coactione; hæc eius propositio- nem Innocentius X. damnavit, vt hære- ticam: ac proinde definit, vt Catholi- cam, certamque de Fide conclusionem nostram.

Mat. 18.

14 His Pontificum damnationibus varias evasiones moliebantur noviores Janseniani, vt certam Hæreticorū notam à se depelleret: aut subreptitias obloquuti Sedis Apostolicæ Bullas: aut ex varijs profundissimi Augustini loquutionibus, adversus illas prevalere præsumentes, cum scriptum sit: & porta inferi non præ- valebunt adversus eam: aut varijs cavilla- tionibus, veritatis, & anathematis vim subterfugere machinantes. Quapropter denuò Alexander VIII. per Decretum anni 1690. tres istas inter alias ipsorum propositiones. 8. 30. & 31. sub anathe- mate prohibuit, ac severè damnavit. Ne- cesse est, infidelem in omni opere peccare. Vbi quis invenerit doctrinam in Augustino clarè fundatam, illam absolūtè potest tene- re, & docere, non respiciendo ad ullam Pon- tificis Bullam. Bulla Urbani Octavi: In emi- nenti: est subreptitia.

Alex. VIII.

15 Post hæc non video, quid ultra desiderari possit, vt nostra conclusio, non nisi per apertam hæresim, valeat op- pugnari. Nihilominus tamen propter veritatem doctrinæ hac tempestate ne- cessariæ, ex multis, quæ pro hac contro- versia conferunt vberi eruditione Ripal- da tom. 3. disp. 14. Decamps lib. de Hæresi Janseniana. Moraines latissimè disp. 30. 31. 32. 33. & 34. R. P. N. G. Tyrus tom. 3. disp. 17. & Cardin. de Aguirre tom. 3. disp. 135. lecernemus summam commodio- ra ad protegendam Catholicam verita- tem contra tergiversationes, calliditates, & tricas Dogmatistarum.

Ripal. Deca. Moral. Thy. Aguir.

16 Primò quidem ex Scripturis. Gen. 4. Deus ad Cainum: Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius. Vbi clarè significatur, concupiscentiam appetitūs Caino iam lapsò, non necessitate ipsum ad peccandum; sed mansisse indifferenter sub libero ipsius arbitrio quoad pecca- re, & non peccare, cum libertate nimi- rum à necessitate. Urget hunc locum dig- nè eruditos Petavius contra cavillos, & evasiones Calvini, & Jansenij lib. 3. de Opificio sex dier. capit. 2. Numerorum 30. In arbitrio viri erit, vt faciat, sive non fa- ciat. Ecce indifferentiam oppositam ne- cessitati. Et sermo est de voto, seu iura-

Petav.

Nu. 30.

mento, cuius adimpletio est meritoria, & demeritoria inadimpletio. Iosue 24. Op- tio vobis datur; eligite hodie quod placeat: cui servire potissimum debeatis: an videlicet verò Deo meritorie; an idolo demerito- rie. Quid clarius pro libertate indiffe- rentiæ, & à necessitate? Ecclesiastici 15. Deus ab initio constituit hominem, & reli- quit illum in manu consilij sui. Constituit scilicet ante lapsum; & reliquit post lap- sum. Clarius cap. 31. Qui potuit transgredi, & non est transgressus; facere mala, & non fecit: ideo, &c. En libertatem indifferen- tiæ, & à necessitate in eo, qui salutariter omittit mala: cum potestate scilicet indi- ferentiæ antecedenti ad illa perpetranda. Et punctim Apostolus 1. Corinth. 7. Qui statuit in corde suo firmus, non habens necessitatem; potestatem autem habens suæ voluntatis. Hac Scripturarum soliditate nituntur doctrinæ Tridentini contra Lu- therum, & Calvinum, & definitiones Pontificum contra Baium, & Jansenium. Quò faciunt etiam Textus Sacri, quos adduximus disp. 12. sect. 1. pro eo, quod omni peccanti adsint auxilia sufficien- tia, quibus possit non peccare.

Ios. 24.

Ecc. 15. & 31.

1. Cor. 7.

Sup. disp. 12.

17 Secundò ex Concilijs, & præfer- tim ex Tridentino: cuius anathemati Canonis 5. & 6. Sessionis 6. nobis insilen- dum est. Ibi enim procedens contra Cal- vinum damnat eum, qui dixerit, non esse in preestate hominis vias suas malas facere: ex eo nempe, quòd id dicens inducit necessitatem antecedentem sic operandi oppositam libertati requisitæ ad peccan- dum, & merendum. Cum ergo Calvinus, Baius, & Jansenius in hoc conveniant, quòd non sit in homine libertas à ne- cessitate ad actiones suas malas, nec ad bonas; nec esse in eius potestate pro- hibito non facere; quo ad hoc punctum pariter anathematizatur à Concilio cum Calvino, Baius, & Jansenius.

Trid.

18 Nec ijs prodest respondere; se mul- tum à Calvino discessisse. Calvinus enim libertatem omnino negabat, dicens esse titulum sine re; ipsi verò veram asserunt libertatem: à coactione tamen; non à necessitate. Cæterum, quidquid pro nunc sit de constitutivis veræ liber- tatis; in libertate tamen ad peccandum requisitâ, ne latum quidem vnguem à Calvino discedunt. Calvinus enim non negabat hanc, quam dicunt libertatem à coactione. En eius verba apud Ruardum

Ruad.

cit. Si coactioni opponitur libertas, liberum esse arbitrium constanter assevero. Stat ergo inter illos, & Calvinum dissensio, quòd illi hanc à coactione esse libertatem affirmant, quòd negabat Calvinus; ideo- que, negans nobis libertatem à neces- sitate, omnem negabat libertatem. At in puncto libertatis requisitæ ad peccan- dum, & merendum, conveniebant, quòd utrique negant esse libertatem à neces- sitate: quam tamen stabilire voluit Con- cilium in hoc puncto contra Calvinum: ergo, quidquid sit de illo inter ipsos dis- sidio, in re quoad hoc punctum libertatis requisitæ ad peccandum, & merendum, æque fulguntur à Concilio.

19 Nec item prodest quòd iactant, se in eo quoque rei disidere à Calvino, quòd ille imponebat necessitatem ad determinatum peccatum; ipsos verò tem- peratius, ponere necessitatem ad peccan- dum; cum indifferentiam tamen ad sic, vel sic peccandum circa obiectum, quòd per- tentationem proponitur, aut appetitur per concupiscentiam. Cæterum discer- niculum istud à Novioribus excogita- tum momenti non est ad rem, & men- tem Concilij. Eiusmodi namque disiun- ctiva necessitas, quamvis relinquat ali- quam indifferentiam hoc inter, & hoc peccatum; non tamen ad hic & nunc peccandum, prout clarè intendebat Con- cilium adversus Calvinum. Definens enim, hominem, dum peccat, non pec- care necessariò; sed esse in sua potestate, vias suas malas facere, indifferentem definiit, antecederet potentem, atque ad- dedo liberum à necessitate peccandi, tali- ter, vt possit tunc omnino à peccato ab- stinere. Quid enim obtinisset Conci- lium adversus Calvinum, si hoc non de- crevisset? Quoad hoc autem æquè feriun- tur Baius, & Jansenius, ac Calvinus, quid- quid sit de inani illo discerniculo.

20 Nec insuper prodest, quòd alij vitiosè circumeundo à necessitate pec- candi ex concupiscentia ad necessitatem merendi ex adiutorio gratiæ, aiunt, se à Luthero, & Calvino satis discessisse: nam illi penitus tollebant liberum arbitrium tam ad bona, quam ad mala, & vtra- que esse dicebant opera Dei sine nobis liberè consentientibus, non minus pro- ditionem Iudæ, quam conversionem Pauli: quòd damnat Concilium can. 6. Ipsi verò solum aiunt, hominem lapsum,

seclusâ gratiâ, necessariò peccare, & non nisi ad peccandum valere: præsentem ta- men auxilio gratiæ, posse à peccato ab- stinere; & quidem liberè, quamvis cum simili necessitate ex efficacia gratiæ ad abstinendum à peccato, & merendum. Hoc enim est ab scopo frustra diverti. Lis eò devenit, vt se tueantur ab anathe- mate Concilij dicentes, hominem, cum peccat, necessariò peccare; & addunt constitui liberum ad non peccandum per gratiam, quâ necessariò merentur: quasi clavum clavo trudere affectet, dum utroque confodiunt libertatem indiffe- rentiæ, quâ ad merendum, seu demeren- dum stabilire studuit Concilium contra Lutherum, & Calvinum.

21 Rogo nunc Baios Jansenianos. Quan- do dicunt, hominem seclusâ gratiâ ne- cessariò peccare, eo quòd non nisi per illam habeatur potestas non peccandi, de qua gratiâ loquantur de efficaci, an de purè sufficienti? Non de hac, quâ scilicet omnino negant. Si ergo loquantur de efficaci, sensum eorum erit, quòd ho- mo, seclusâ gratiâ efficaci, necessariò peccat. Cum igitur, quoties peccat ho- mo, peccet, seclusâ gratiâ efficaci ad vin- cendam tentationem, seu concupiscentiam peccati, est dicere, quòd quoties peccat, necessariò peccat. Quid amplius quoad hoc potuerunt dicere Lutherus, & Calvinus? Præterea: dicere, hominem ten- tatum liberè peccare, quia quando ha- bet à Deo gratiam intrinsecè efficacem, liberè resistit tétationi, evitat peccatum, & meretur; non est dare homini peccan- ti libertatem ad non peccandum stabili- tam à Concilio: tentatus enim, & ha- bens gratiam intrinsecè efficacem ad vincendam tentationem, & evitandum peccatum, nunquam peccat. Solum igitur peccat quando tentatus caret gratia intrinsecè efficaci ad non peccandum. Si ergo tunc necessariò peccat, quando, precor, liberè peccabit? Itaque, quoad ne- cessitatem peccandi damnatam à Tridē- tino, coincidunt omnino Novatores isti cum Calvino, & Luthero.

22 Recursus ad libertatem in Adamo, vt peccante sine capite necessitate pec- candi, præclusum iam est per Decretum Alexandri VIII. cuius meminimus ad fi- nem sect. præc. Evasionem importunam sensus compositi, & divisi, & alias rifu- potiùs, quàm ulteriori impugnatione dig-

Alex. VIII.

Rip.

dignas, satis superque reiecit P. Rip. *sect.* 4. Nobis dicta sint satis, ut perspiciatur, quam conformiter ad statuta Tridentini contra Lutherum, & Calvinum, emanaverint deinceps Bullæ Pontificiæ contra Baium, & Janenium, eandem in re doctrinam, mutatis ad speciem vocibus, callidius disseminantes: ut usque septuagies septies liceat hac in causa nobis ingeminare Augustinianum illud ser. 2. de Verb. Apost. *Inde Rescripta venerunt*; scilicet à Sede Apostolicâ: *Causa finita est: utinam aliquando finiat error.*

Aug.

23 Tertio ex Sanctis Patribus. Nylenus, aut, si mayis, Nemesius c. 33. de *Animæ facult.* scripsit: *Omnis enim electio sponte suscipitur: non etiam quod sponte suscipitur electio est. Nam Pueri, & Bestia sponte quidem faciunt; non tamen eligentes: & quæcumque per iram non deliberatè faciunt, sponte faciunt; ex electione non item.* Con-

Nylen.

sonat Damascenus lib. 2. *Fid. c. 24.* per simillima verba: *Pueri, & Bestia spontaneè faciunt; sed non eligentes: & quæ per iram faciunt; sed non secundum electionem.* Clarissimè vocant spontaneitatem libertatem, quam Novatores vocant à *coactione*; & per electionem intelligunt libertatem à *necessitate*, seu indifferentiæ: & hanc requirentes ad laudem, & meritum humanarum actionum; illam motibus iræ indeliberatis, Pueris, imò & Bestijs communem faciunt: ut pudeat dicere, huiusmodi libertatem sufficere posse ad laudem, meritum, seu demeritum. *Tuum est eligere*, ait per eandem phrasim S. Hieronymus. *si volueris in agone, atque certamine coronari.* Ecce ad meritum potestatem eligendi, ac proinde indifferentiæ libertatem. Ambrosius ad c. 9. Luc. *Non potes dicere, quia noluit te bonum facere, ante quem posuit bonum & malum, ut non ex necessitate bonum tuum esset.* Ecce libertatem à necessitate. Similia congerunt ex Basilio, Cyrillo, Anselmo, & ex alijs Patribus. Authores supra citati: ideoque superse-

Hieron.

deo.

Ambr.

24 De mente S. Thom. nec Adversarij dubitant. At ipsius saltem rationi parere debuissent. Quippe *quæst. 6. de Malo* quærit: *Utrum homo habeat liberam electionem suorum actuum; aut ex necessitate eligat.* Et respondet: *Dicendum, quod quidam posuerunt, quod voluntas hominis ex necessitate movetur ad aliquid eligendum; nec tamen ponebant, quod volun-*

S. Tho.

tas cogere: non enim omne necessarium est violentum; sed solum id, cuius principium est extra. En in terminis ipsissimis errorem, quem insequimur. Pergit: *Hæc autem opinio est Hæretica: tollit enim rationem meriti in humanis actibus.* Non enim videtur esse meritorium, vel demeritorium quod aliquis sic ex necessitate agit, ut vitare non possit. Subiungit, adversariâ esse quoque toti Philosophiæ: & dat rationem: *Quia non solum contrariatur Fidei; sed subvertit omnia principia Philosophiæ moralis. Si enim non sit aliquid liberum in nobis, sed ex necessitate movemur ad volendum, tollitur deliberatio, exhortatio, præceptum, & punitio, & laus, & vituperium.*

25 Quis enim credat, iustissimum, & clementissimum Deum acerbissimis æternæ Gehennæ tormentis punire creaturam propter opera ex necessitate facta, & ad quæ vitanda non habuit potestatem antecedentem? In humanis autem, si homicidia, furta, aliaque delicta contra Leges, & Reges perpetrarentur ex necessitate, quo iure puniri possent à Iudicibus, & Magistratibus, absolventibus furiosos, & amentes, similia operatos, quia ex necessitate, quantumvis avidissimè, operantur? Nec recurrere licet ad peccatum originale commissum cum libertate indifferentiæ in Adamo. Tum quia, & furiosi, & amentes illud incurserunt. Tum quia in sic malè operantibus iam supponitur remissum. Tum quia recursus istè præclusus iam est per recens Decretum Alexandri supra memoratum. Nec valebit dicere, delinquere nunc homines, quia, quamvis ex necessitate peccent, spontè, & avidè peccant, & sine coactione. Sed certè, & furiosi, & amentes, imò & belluæ avidissimè multa mala faciunt: & famelicus gravius peccaret, quàm satur, aut inappetens comedens extra tempus in die ieiunij: quia avidius comedit; quasi peccatum sit, aut peccatum augeat sentire famem, quamvis inter pœnas originalis culpæ numeretur. Præterquamquod hoc ipsum quod est ea spontè, & avidè facere, si sic fit ex necessitate, excusandum esset similiter à culpa, & absolvendum à pœna. En quot monstra contra naturæ, & iustitiæ lumen: tunc serò, ac serò ab ijs agnoscenda, quando conclusi fateantur: ergo erravimus à via veritatis, & iustitiæ

Ale. VIII.

stitia lumen non luxit nobis: & sol intelligentia non est ortus nobis.

SECTIO III.

Irriti conatus Erroris contrarij.

26 **O**BTRVDVNT nobis primò rationem hæreticalem. Quia ad merendum, sicut etiam ad peccandum sufficit benè operari sponte, sine violentia, non coactè, & per vim: hæc autem est libertas à *coactione*: hæc igitur sufficit, & non requiritur ultra libertas indifferentiæ, & à *necessitate*. Maiorem probant: nam actus honestus ex obiecto suo est honestus; & turpis, ex obiecto suo turpis est: idem autem obiectum habent, quamvis non fierent liberè à necessitate, si spontè, & non coactè fierent: ac proinde bonitatem, vel malitiam suam retinerent ex obiectis suis: id ergo sine libertate à necessitate sufficeret in bonis ad meritum, & in malis ad demeritum. Eo enim ipso actus illi mali, essent vituperio, ac pœnâ digni; & boni, laude, ac premio. Nec aliter sunt laudabiles, actus Dei, & meritorij actus Christi, quamvis necessarij. Respondetur Catholicè ex maiori falsa, & per Apostolicam sedem damnatâ cum verâ minori sequi consequentiam hereticam: idèque simul cum maiori detestandam, & negandam. Ad probationem maioris dicendum, verum esse antecedens quoad bonitatem, vel malitiam actuum; falsam tamen consequentiam quoad meritum, vel demeritum; eiusque probationem, quoad dignitatem moralem laudis, aut vituperij; præmij vel pœnæ; ac proinde quoad imputabilitatè meriti, aut demeriti. Ad id enim non sufficit honestas, aut malitia actus; sed requiritur libertas. Nec oppositum probant actus necessarij Dei: illi enim quamvis optimi, sunt quidem physicè digni amore, cultu, adoratione, & laude, ad modum quo laudantur, & adorantur eius Omnipotentia, Immenfitas, & Æternitas; & suo etiam modo laudantur magnique fiunt gemmæ, Sol, sydera, & excellentia naturæ angelicæ; non verò moraliter, & imputabiliter digni laude morali: quæ morali dignitate resplendent actus liberi ipsius Dei: quamque requiritur in nobis ad meritum: sicut indignitatem moralem ad de-

meritum: quæ dignitas, vel indignitas de genere moris non competit actibus necessarijs magis quàm syderibus alioquin laudabilibus ob sui pulchritudinè; aut quàm draconibus alioquin detestabilibus, & vituperabilibus ob sui deformitatem physicam. Idemque dicimus de actibus Christi necessarijs, quantumvis honestissimis; per quos scilicet minimè meruit; sed per liberrimos à necessitate, ut iterum dicemus inferius.

27 Obtrudunt secundò. Locum Pauli Rom. 7. *Non enim quod volo bonum hoc facio, sed quod nolo malum hoc ago: si autem quod nolo illud facio, iam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum.* Verba, inquit, illa: *quod volo bonum*; indicant, mansisse in nobis quasi scintillam primi statûs ante peccatum Adæ: ex qua est, quod interdum liberum arbitrium velit bonum, & iuxta Paulum: *condeletur legi Dei secundum interiorem hominem.* Illa verò: *quod nolo malum, hoc ago*; indicant necessitatem peccandi: qui enim facit quod non vult ex necessitate facit, sicut qui compellitur incedere ad suspendium. En ergo peccatum sine libertate à necessitate. Pariterque discurrunt de Merito, quamvis gratia intrinsecè efficax, & victrix necessitet ad benè agendum. Sed frustra, & contra se ipsos. Nam, si exinde probaretur peccari ex necessitate, probaretur ex coactione: quod potius indicaret illud posterius: *quod nolo malum, hoc ago*, & exemplum suspendij. Nentrum tamen est è mente Pauli: cuius sensus est, iustos maioris perfectionis percupidos, ut erat ipse, sæpè non adipisci sic facilè, & alacriter, & omninò perfectè, agere opera virtutum, ac vellent ob contradictionem concupiscentiæ. Malum autem, quod nolunt, aut potius nollent facere, & faciunt, non est peccatum; sed sunt motus indeliberati concupiscentiæ, contra quos meritorie pugnant: eam autem concupiscentiam vocari peccatum frequens est, tam in Scripturis, quàm in Sanctis PP. causaliter nimirum, quia pellicit ad peccatum, & sæpè causat: non ex necessitate; sed ex libero cōsensu voluntatis succumbentis tentationi: nec sunt formaliter, & in se peccatum; sed in effectu, quem causant.

28 Tertio, locum alium Rom. 6. *Ut Rom. 6. ultra non serviamus peccato, & mox: servi*

ppp

fui.

fuitis peccati: quibus contestatur Apostolus servitutem hominis lapsi sub peccato, à qua sola Gratia Christi nos liberat. Ergo quoties homo peccat exercet servitutem peccati. Actus autem servitutis necessarius est; cum servitus opponatur libertati, & eo ipso quod quis liberè serviret, servus non esset. Homo igitur, cum vt servus peccati peccet, necessariò peccat. Concedimus, post originale mansisse nos sub servitute, & dominio peccati, vt docet Apostolus. Negandum est tamen, hanc servitutem in eo stare posse, quod homo, seclusà Gratia, necessariò peccet; cum hoc implicet, in ipsis terminis. Stat ergo in eo quod nec per suas, nec per totius naturæ vires valeat homo à peccato contracto liberari. Huius autem servitutis exercitium est peccare: non quod physicà necessitate peccemus, neque enim servus hominis exercet actus suæ servitutis ex necessitate physica illos hic, & nunc exercendi, cum posset illos, iuste vel iniuste omittere, renuens, & fortè vi obtinens non obedire domino suo. Et quidem omnes sumus strictissimo iure servi Dei, quin tamen propterea ex physica necessitate Deo serviamus. Dicitur ergo exercitium peccati: quatenus peccans obedit legi peccati à concupiscentijs per peccatum effranatis abstractus, & illeclusus. Vndè nulla est consequentia.

Rom. 7.

29 Quartò, alium locum ex Rom. 7. *Infelix homo! quis me liberabit de corpore mortis huius?* & subdit Apostolus, quasi sibi respondens: *Gratia Dei per Iesum Christum.* Vndè argutatur sic. Homo lapsus positus cum viribus arbitrij in tentatione, aut potest, aut nò potest non peccare. Si potest; ergo non eget gratia ad non peccandum contra prædicta verba Pauli. Si non potest non peccare: ergo ex necessitate, & quidem antecedente peccat. Respondetur in primis, Apostoli verba nihil habere contra nos pro Iansenianis. Verissimum enim est, Gratiam Dei per Iesum Christum liberare nos posse, & liberaturam nos esse, ne à concupiscentijs carnis inducamur ad peccatum. At non propterea dixit Apostolus, impossibilem esse alium modum liberandi nos à peccato: possemus enim ex natura rei, liberari per eandem Gratiam Dei, quæ non esset per Christum, aut etiam per gratiam non Theologicam, sed Philosophi-

cam de intra ordinem naturæ; quamvis ex præsentem Dei lege necessaria sit ad id gratia Theologica, intrinsecè supernaturalis, & per Christum, vt diximus *disp. 7. sect. 3.* quo sufficientissimè intelligitur Paulus, loquens utique in, & ex præsentem Dei lege reparationis per Christum. Deindè ad argumentum dico, implicare in ipsis terminis, hominis arbitrium tentari ad peccandum, & non habere, vnde cumque sint, vires sufficientes ad non peccandum; eo enim ipso tentatio non esset ad peccandum. Vndè ad dilemma supponitur etiam implicanter cum præsentem Dei lege, hominem lapsum poni vnquam tentatum cum solis viribus arbitrij sine gratia Dei per Christum sufficiente ad non peccandum: quia semper tentato adest auxilium sufficiens ad honestè, & quidem supernaturaliter & meritoriè vincendam tentationem, & non peccandum, vt constat *ex late dictis disp. 7. & ex tota fere disp. 12.* Si verò loquendum esset, ex natura rei, admitto primam partem, quod homo posset non peccare, alioquin tentatio non esset ad peccandum: distinguo autem còsequens: non eget gratia ad non peccandum iuxta præsentem Dei legem, nego; quia numquam sic ponitur tentatus, nisi cum gratia sufficiente ad salutariter non peccandum: iuxta aliam Dei legem & ex natura rei concedo: quod non est contra verba Pauli; nec esse contra necessitatem præsentem gratiæ per Christum ad vincendas tentationes vidimus *disp. 9.*

Supra disp. 7.

Supra disp. 7. & 11.

Supra disp. 9. Milev.

30 Quintò, Concilium Milevitanum *can. 4.* damnans eum qui dixerit, *Gratiam Dei per Christum ideo tantum invare nos ad non peccandum, quia per ipsam scimus, qui d' apperere, & fugere debeamus; non autem, vt quod faciendum novimus, facere valeamus.* Et clariùs *can. 5.* eum, qui dixerit *Gratiam iustificationis* (auxilia nempe ad iustificationem conducentia) *ideo nobis dari, vt quod facere per liberum, iubemur arbitrium, faciliùs implere possimus per gratiam: quasi, etsi gratia minime daretur, non quidem faciliè; sed tamen possemus implere mandata.* Pone ergo hominem sine gratia per Christum, quæ potest Deus denegare saltè ex natura rei: homo sic positus necessariò inobediret, quia ex Concilio sine gratia per Christum omninò nequit implere mandata: ergo ex necessitate peccaret. Respondetur, Milevitanum egisse

se contra Pelagianos docentes, hominem sine gratia viribus arbitrij, posse salutariter, ac meritoriè servare præcepta: ideoque ad id non esse necessariam gratiam; sed vt faciliùs id fiat. In quo sensu verissimè definit, ad id necessariam esse gratiam: quia, quamvis sine illa possent utcumque mandata servari; non tamen salutariter, & meritoriè, vt volebant Pelagiani. Hinc, admissò casu, nego antecedens de inobedientia culpabili: & absolute consequentiam. Quia vel sermo est de præceptis iubentibus aliquid supernaturale v. g. contritionem: & hæc non vigerent nec obligarent hominem omni auxilio Gratiæ destitutù; ac proinde, quamvis non obediret, non tamen imputabiliter inobediret, quia nò omitteret opus ad quod obligaretur: vel sermo est de præceptis de opere bono naturali; hæc autem non adimplens peccaret; non tamen necessariò: quia absque auxilio Gratiæ Theologicæ posset illa adimplere; quamvis non salutariter, & meritoriè. Alia circa hanc obiectionem dedimus *disp. 12. sect. 5.*

Supra disp. 12.

31 Sextò, sententiam Christi Matth. 6. *Non potest arbor mala bonos fructus facere.* Quam sic exponunt, vt concepti in peccato post lapsum, dum in peccato sumus, nihil bonum facere possumus: ergo cum dábiles non sint actus in individuo indifferentes, necessitati sumus ad malè agendum, non minus quam ad aliquid agendum: ergo ex necessitate peccamus, vno saltem, aut alio peccato. Confirmant: quia cum necessitate vaga committendi per certum tempus aliquod veniale, illud imputabiliter committimus; vt est Catholicorum doctrina: ergo ex simili etiam necessitate in casu nuper posito peccamus mortaliter. Vrgent exemplo Pastoris, qui per conscientiam errantem existimans se die festo obligari audire sacrum, & ex alia parte existimans se peccare deserendo gregem; necessitatus est vagè ad deserendum, vel non deserendum gregem; & peccat si deserit, & peccat si non deserit. Hic ergo ex necessitate vagè saltem peccandi peccat. Stat ergo bene peccatum sine libertate à necessitate ad non peccandum: & similiter meritum. Respondetur expositionem illam sententiæ Christi non esse sanam. Veram dedimus *disp. 6. num. 7.* Vndè negamus illationes, vt potè conti-

Supra disp. 6. sect. 1.

nentes doctrinam Lutheri damnatam in Trid. *sess. 6. can. 7.* constans enim est, quod & peccatores multa opera bona faciunt, vt ibidem vidimus. Addimus novam per Alex. VIII. damnationem huius propositionis: *Neesse est, Infidelem in omni opere peccare: quæ est ordine 8. in Decr. an. 1690.* Ad confirmationem, concessò antecedente, negamus consequentiam, eiusque suppositionem, quod nempe id procedat *ex simili necessitate.* Nam, vt late dedimus *disp. 9.* illa vaga necessitas per longum tempus non tollit, quominus hinc, & nunc venialiter peccans non possit omne peccatum evitare: quod non contingit in casu argumenti. Illud de Pastore negamus: in illo namque casu per errorem constitutus implicat quod peccet, vtrumlibet eligat. Rationè dabimus *sect. 5.* vbi etiam dabitur disparitas de necessitate vagè ad merendum.

Alex. VIII.

Supra disp. 9.

32 Septimò, triplex exemplum. Primum est exemplum Christi necessitati ad merendum, & tamen infinitè merentis. Secundum, obstinatorum, & excæcatorum verè peccantium, & tamen necessariò peccantium. Tertium, dæmonum, & aliorumque damnatorum enormia peccata committentium: & tamen ex necessitate antecedente peccandi, cum sint destituti omni auxilio gratiæ, & omninò impotes agere bene, & à peccando desistere. Stat igitur peccatum sine libertate à necessitate; similique cum necessitate stare poterit meritum. Respondetur, eiusmodi exempla falsò talibus adhiberi. Ad primum, negamus, Christum meruisse per actum, ad quem non haberet libertatem à necessitate. Quæ verò ratione hoc stet cum præceptis Christo impeccabili impositis, explicuimus ad longam *disp. 16. de Incarn.* Ad secundum, negamus excæcatos, & obstinatos necessariò peccare, & sine potestate antecedente ad non peccandum, ex dictis *disp. 12. sect. 7.* Ad tertium, in quo videntur Adversarij explese Virgilianum illud: *Flectere si nequeo Superos, Acheronta movebo;* confugientes ad dæmones, & damnatos apud Tartara; legi potest P. Suar. lib. 8. *de Ang. cap. 8. & sequen.* Ex cuius Eximia doctrina concedo, dæmones, & damnatos multa peccare; non tamen in ijs, quæ necessariò faciunt, sed in alijs, ad quæ libertatem habent à necessitate; quamvis verum sit quod

Tom. de Christo disp. 16.

Supra disp. 12.

Suar.

nullam faciant actum bonum: eò scilicet, quòd nullam habeant ad id cogitationem congruam, illam Deo denegante in pœnam, quamvis ad aliquos actus bonos habeant insufficientem.

SECTIO IV.

Mens Magni Augustini adversus Novatores Pseudoaugustinianos.

33 QVONIAM vnum Augustinum post Scripturas iactant, sibi-que vindicare conantur Pseudoaugustiniani, in hoc etiã imitati Melanctonem, qui in Lathero reatum Augustinum scribebat; Calvinum, qui pro suis erroribus Augustinum totum prorsus suum blaterabat; Ioannem Vvichephum, qui à suis Ioannes Augustini, ad modum quò Cornelius Yprensis à suis, Iansenius Augustini, cognominabatur; multosque alios Hæresiarchas post impium Gothefcalcum, & alios antiquiores apud Decamps lib. 3. cap. 1. operæ pretium duxi, Augustini mentem in hoc puncto ex ipsius verbis patefacere, eumque ab huiusmodi Hæreticorum calumnijs vindicare in præsentì controversia: quòd vtinam in alijs omnibus præstare vacaret, quòd esset, me iudice, negotium iusto dignum volumine. Id quoad Baianos eruditè iam præstitit Annatus in Augustino à Baianis vindicato lib. 8. Augustinum ipsum iam de hoc indolentem induxit Vvaldensis tom. 2. cap. 31. his verbis: Anxius Augustinus de librorum suorum caluminatione hæreticã, dicit illud Ecclesiasticis: odivi omnem laborem meum, quo ego laboravi sub sole: quia scilicet eius Libri in manus stultorum pervenerunt, qui frequenter secundum perversitatem cordis sui seminant inde hæreses. Quòd & in eiusdem Augustini diebus accidisse constat ex Epistolis Prosperi, & Hilarij ad August. Nec mirum, inquit Facundus Episc. Hermianen. contra Macian. pag. 562. Neque enim melius potuit loqui Augustinus, quàm Propheta, quàm Apostoli, quàm Evangelistæ: quorum verbis similiter malè intellectis mulci hæretici suos defendere conantur errores. Hoc sit solatium veris Augustini Discipulis. Certè namque, vt rectè S. Anselmus lib. de Sacr. Alt. cap. 13. Qui errare vult, vel errorem docere, nihil est tam benè dictum, quòd non possit pravo intellectu depravare.

Decam.

Annat.

Valden.

Prosp. Hilar. Facund.

Ansel.

34 Fateadum nobis est, multa legi in scriptis Augustini admodum difficilia; intelligenda verò & explicanda in sensu sano per alia eiusdè clariora, & indubitabilia. Primò propter ingenij profunditatem, & acumen. Secòndò, propter varietatem scriptorum ipsius, modò disputantis, modò concionantis, modò interpretantis. Tertio, propter acrimoniam, quã invehebatur adversus aliquos errores, taliter in eos intentus, vt in oppositos de quibus tunc lis non erat, interdum vergere videatur. Hoc accipe à S. Tho. in cap. 1. Ioan. sect. 7. adnotante, Antiquos Doctores, & Sanctos emergentes errores circa Fidem ita fuisse persequutos, vt interdum viderentur in errores labi contrarios: sicut Augustinus contra Manichæos, qui destruebant libertatem arbitrij, taliter disputat, quòd in hæresim Pelagij incidisse videatur. Accipe à S. Bonaventura in Breviloloq. part. 3. c. 5. vbi, postquam docuit, parvulos non puniri pœna sensus in gehenna, subdit: Hoc credendum est sensisse Augustinum; licet verba ipsius exterius propter detestationem erroris Pelagianorum aliud sentire videantur. Vt eos reduceret ad medium, abundantius declinavit ad extremum, plus dicens, & minus volens intelligi. Accipe à Theodoro to. 4. pag. 170. vniuersalius, & appositisimo simili explicatiùs fatente, Sanctos PP. in oppositum sæpè inclinasse, cum adversus Ecclesiæ hostes pugnam consererent: quòd ipsum agricolis quoque stirpium cultoribus vsuvenit: qui cum incurvam aliquam plantam viderint, non solum ad rectam normam erigunt; sed etiam ultra directum in partem alteram inflectunt, vt ex vehementiore in contrariam inclinatione ad rectum statum perducatur. Vnde sapienter pro S. Hieronymo Illustrif. Godoy 1. p. disp. 26. nu. 25. hæc habet: Multoties Patres aliquem impugnantis errorem in oppositum inclinare videntur verbis adeò claris, vt sunt alia, quæ in hæreticis reperimur: quo non obstante in Catholico sensu explicantur, &c. Et tandem idem accipe punctim ad rem nostram à Nicolao Romeo strenuo Calvinij debellatore: Quot ad Augustinum attinet, habet aliquando (fatendum id est) sententias aliquas difficiles; sed mentem eius potius, quàm verba spectare oportet. Agebat cum Pelagianis qui naturam, non sine gratiæ iniuria, nimium extollebant: Et cum in lubrico loco versaretur, in alterã partem iuxta Aristote-

S. Tho.

S. Bona.

Theod.

Godoy.

Rom.

Suar.

Aguir. Ripald. Decam.

August.

Stotelis præceptum inclinavit, vt medium facilius obtineret. Similia scribit Magnus Suarez, Augustini studiosissimus lib. 1. de Gra. c. 7.

35 His animadversis, & alijs prætermisissis, quæ in idipsum congerit Card. de Aguirre disp. 13. sect. 4. post Ripaldam, & Decamps cit. vt Augustini mentem in præsentì ex ipso Augustino intelligamus, & ad eius testimonia, quæ nobis identidem obijciunt Pseudoaugustiniani, respondeamus: oportet quàm steter pro nobis, & pro Fide clarus & expressus multis in locis ostendere.

36 Lib. de Nat. & Gra. c. 65. Liberi arbitrij nos cõdidit Deus: neque ad virtutes, neque ad vitia necessitate trahimur; alioquin vbi necessitas, neque corona est. Lib. de vera Relig. cap. 14. Tale enim servos suos meliores esse Deus indicavit, si ei servirent liberaliter: quò nullo modo fieri posset, si non voluntates, sed necessitate servirent. Lib. de Spir. & Litt. c. 34. Consentire vocationi Dei, vel ab ea dissentire, propria voluntatis est. Quid clarius pro libertate indifferentiæ, & à necessitate? & certè ad nos loquitur, qui lapsi sumus. Et lib. contra Adimantum c. 27. pro eodem Fidei dogmate adducens Apostolum Rom. 11. ait: Ostendit Paulus in nostra potestate esse, vt vel inseri bonitati ipsius Dei; vel excidi severitate mereamur. Et in Psalm. 91. Non cessat Satanas suadere malum; sed nec Deus cessat admonere bonum. Satanas autem non cogit in vitium: in sua potestate est consentire, aut non consentire. Nulli ubi opportunius quàm in hoc loco potuit se contentum cum libertate à coactione declarare, si sic sensisset; & tamen sibi constans libertatem indifferentiæ, & à necessitate expressis ac definitivis terminis asseruit. Lib. 83. Q. 61. exponens Parabolam vocatorum ad Cœnam. concludit: Quoniam, vt venirent, in ipsorum erat potestate: postquam venientes, & non venientes vocatos supposuit ex Evãgeico Textu, alios volentes, alios nõ volentes venire; vt trofque ait cum libertate indifferentiæ post vocationem constitutos ad venire, vel non venire. Et lib. 3. de lib. arb. c. 1. loquens similiter de libertate requisita ad peccandum ait: Si necessitate motus existit, culpabilis esse nullo pacto potest. Et cap. 18. Quæcumque ista est causa voluntatis, si ei non potest resisti, sine peccato ei ceditur. Requirat ergo potestatem resistendi, atque ad eò

libertatem indifferentiæ, & à necessitate in eo qui peccat. Et lib. de Duab. Animab. c. 12. sic invehitur: Summa iniquitatis, & insaniæ est, vt peccati reus quispiam teneatur, quia non fecit quòd facere non potest. Et talem volunt Deum Iudicem ex Augustino Pseudoaugustiniani, qualem Augustinus vt iniquum, & insanum detestatur.

37 Obijciunt tamen nobis primò, quòd sæpe Augustinus in ijs & similibus locis, alijsque Sancti PP. contenti videntur per id quòd mereri sit in potestate merentis; & peccare sit in potestate peccantis: quæ salvantur sine potestate ad oppositum, & stant sine libertate indifferentiæ cum necessitate merendi, & peccandi: quippe qui sponte operatur, cum potestate operandi operatur. Adde re possent, eum etiam, qui coactè operatur operari cum potestate operandi; sicque & sine libertate à coactione mereri, & peccare. Ceterum quid hoc sit in phrasì Augustini, explicet pro responsione Augustinus ipse. Audiatur c. 31. de Spir. & Litt. nè dubia maneat eius, aliorumque SS. Patrum mens, neve eius verba à Pseudoaugustinianis ad solam libertatem à coactione detorqueantur. Ibi: Hoc quisque in potestate habere dicitur quòd si vult facit, si non vult non facit. Et infra: Sed cum potestas datur, non necessitas imponitur: vt cum David Saulis occidendi potestatem accepisset, maluit parcere, quàm ferire. Plura in id Ripalda sect. 13. 14 & 15.

August.

Ripald.

August.

Ruard. Supra disp 3.

con-

contra Pelagium adstrueret: vt mirum non sit, quod eadem ferè loquutiones, quas ad eius mentem expositas in Augustino, siue etiam in Araucano, & alijs Sanctis PP. veneramus, in Pseudoaugustinianis damnentur *in sensu* vide licet ab *ipsis* inuenio, vt loquitur Oraculum Alexandri VII. signantissimè.

Alex.
VII.

39 Duplici ergo viâ responderi potest. Primò iuxta sententias communiores, disputationem tunc fuisse Augustini contra Pelagium, negantem auxiliantis gratiæ necessitatem ad actus salutaris, & meritorios. In hunc scopum, cum Pelagius nimium de suo tribueret libero arbitrio, dicens posse benè, & salutariter, ac meritorie sine adiutorio gratiæ operari; oblitit acriter Augustinus exaggerans, vt ita dicam, liberi arbitrij sibi relicti imbecillitatem, vt de suo, peccare quidem posset; quidquam verò bonum agere non posset; sicque vt quidquam agere *boni* posset, necessariam esse gratiam: *boni* scilicet salutaris, meritorij, & conducentis ad vitam æternam: de quo erat quæstio. Quòd autem in id intentus Augustinus in ea verba tunc temporis proruperit, quasi sine Gratia nihil posset homo nisi peccare; nec est mirandum, fuit enim quasi exaggeratio, vt acrius retunderet errorem Pelagij contententis sine gratia posse, meritorie, ac salutariter operari. Nec est credendum, per id fensisse, aut voluisse, nihil omninò boni citra meritum operari, nec villo modo peccatum evitare, aut tentationi resistere; sed nec operari posse quidquam boni operis meritorij vitæ æternæ, nec salutariter evitare peccatum, aut tentationi resistere. Hoc enim tunc erat è re contra Pelagium; de cætero tunc lis non erat, sicut nunc est contra Calvinum, Baium, & Iansenium. Hinc evanescit obijcientium illatio. Videndus Suar. *lib. 1. cap. 7.* vbi alias etiam responsiones refert.

40 Secundò responderi potest iuxta doctrinam minùs tritam P. Ripaldæ scriptam à nobis propositam, intelligendo Augustinum secundum præsentem Dei providentiam pro statu naturæ lapsæ, & per Christum abundantius reparatæ. Sic enim absolutè verum esset; quòd homo sine gratia nihil boni operari, nec operari posse nisi peccatum; quia statutum à Deo est, omni homini liberè operati ad-

esse præstò auxiliùm gratiæ per Christum Reparatorè, quo, si benè operatur, salutariter operetur; si autem malè, possit salutariter nolle malè operari: vt multis Scripturè, Sanctorumque PP. testimonijs firmatum à Ripaldæ dedimus *disp. 7. sect. 2. & disp. 12. sect. 12.* sic igitur homine constituto iuxta præsentem Dei legem, ac Providentiâ, in qua loquebatur Augustinus, necesse est; aut operari benè, ac proinde salutariter; aut peccare; indifferenter tamen ad vtrumlibet, & sine necessitate ad alterutrum: quo ruit totum Adversariorum molimen. Sic autem convenimus Augustinus, & nos cum Pelagio in eo, quòd non possumus benè operari, nec resistere tentationi, quin salutariter operemur, in quo non errabat; discrepamus tamè à Pelagio in eo, quòd ille docebat, posse nos benè, & salutariter operari, ac resistere tentationi viribus liberi arbitrij sine adiutorio gratiæ, in quo errabat; nos verò non nisi cum adiutorio gratiæ per Christum, qua per præsentem Dei Legem prævenimur ad salutariter operandum quoties benè operamur, benèque tentationi resistimus, & à peccato abstinemus. Porro iuxta responsionem istam repugnantem ad præsentem Dei legem supponitur ab obijcientibus, quòd homo lapsus, sicque per Christum reparatus, constitutus sit sine gratia in occasione, nedum in necessitate peccandi.

41 Obijciunt tertio quòd idem ait Augustinus c. 30. de Spir. & Litt. *Vt quid ergo miseri homines de libero arbitrio audent superbire antequam liberentur? aut de suis viribus; si iam liberati sunt? Nec attendunt in ipso nomine liberi arbitrij vique libertatem sonare: vbi autem Spiritus Domini ibi libertas. Si ergo servi sunt peccati; quid se iactant de libero arbitrio?* Sensit ergo servitatem peccati sic subiugare hominem lapsum, vt necessitet ad peccandum, ac proinde sine libertate saltem à necessitate peccet. Argumentum etiam hoc fuit Calvinii apud Ruardum Tapper. Respondetur, sanctissimè dici ab Augustino, superbire nobis non oportere præsertim eo superbiæ fastu, quòd Pelagiani nimium arrogantes viribus naturalibus liberi arbitrij, eas sine gratia sufficientes asseriebant ad operandum salutariter, & meritorie. Eam verò servitatem peccati non esse necessitatem

Sup. disp.
put. 7.
& disp.
12.

Ruard.

pec-

peccandi, & quàm stet benè cum libertate indifferentiæ requisita ad peccandum, explicuimus *sect. præc.* Nunc audiendus Augustinus explicationi nostræ, sibi que consonus *lib. 2. de pecc. merit. c. 6.* *Ab execranda dominationis servitute liberantur, quibus Dominus Iesus eum recipientibus dedit potestatem Filios Dei fieri.* Vbi vides ex Augustino, servitutem illam per peccatum contractam, quamvis potentissimè nos ad peccandum pelliciat per effrænam concupiscentiam, & per diaboli suggestiones, nõ nobis adimere potestatem salutariter resistendi cum adiutorio gratiæ, qua possumus liberè disponi ad iustificationem, & Filiationem Dei. Sic ergo stare posset ex natura rei à fortiori cum potestate utcumque resistendi, quamvis non salutariter: quòd sufficit, vt ex mente Augustini non adimat nobis libertatem à necessitate ad consentiendum: in eo satis nobis dominans, quòd motus primos appetitûs inordinatos in nobis sine nobis suscitaret: qui tamen formaliter, & imputativè peccata non sunt, quamvis incitent ad peccatum, quòd est illis liberè consentire sine necessitate ad consentiendum.

42 Obijciunt quartò quòd ait Augustinus de tyrannide, & dominatu diaboli, & appetitûs in nostrum liberum arbitrium *epist. 89. ad Hilar.* *Ipsa quippe, voluntas bona, fideliter orat, & dicit: iitnera mea dirige secundum verbum tuum: & ne dominetur mihi omnis iniquitas. Quomodo enim libera est, cui dominatur iniquitas.* Et *epist. 107. ad Vitalem:* *Quomodo ad declinandum à malo, & faciendum bonum liberum habeamus arbitrium, quando erat sub potestate tenebrarum?* Et mox: *Princeps iste tenebrarum harum regit nos ad arbitrium suum.* Impellit igitur nos ad necessariò

peccandum; sicque gratia Dei efficax, semperque victrix ad merendum. Sed respondeat & explicet se Augustinus ipse *ser. 197. de Temp. latrare potest, sollicitare potest, mordere omnino non potest, nisi volentem: non enim cogendo, sed suadendo nocet, nec extorquet à nobis consensum, sed petit.* Et in *Psalm. 91.* *In tua potestate est consentire, vel non consentire.* Ecce clarè libertatem indifferentiæ, & à necessitate, non obstante tyrannide diaboli, & dominatu concupiscentiæ. Itaque tyrannis illa, dominatusque non sic vocatur ab Augustino eo quòd nostrum arbitrium necessi-

August.

tet ad peccandum; sed ex eo quòd antecederet ad exercitium arbitrij liberi nostri necessitemur ad sentiendas diaboli tentationes, & irritamenta rebellis concupiscentiæ ad peccandum; & sæpe numero peccamus liberè consentientes, ac sine antecedente necessitate peccandi. Consequentia ergo obijcientium falsa est, & à mente Augustini prorsus aliena. Qui propterea dum de voluntate nostra ait: *Quomodo libera est cui dominatur iniquitas?* intelligendus venit, non esse liberam quoad sentiendum diabolicos incurfus, primosque motus concupiscentiæ; quamvis libera sit, & non necessitata ad consentiendum. Cum verò ait: *Quomodo ad declinandum à malo, & faciendum bonum liberum habemus arbitrium, &c.* intelligendus est, ad id salutariter præstandum absque gratia Reparatoris: quòd verissimum est.

43 Obijciunt quintò quòd expressioribus ad speciem terminis ait *lib. 1. Oper. Imperf. contra Iulian.* *Multum erras qui vel necessitatem nullam putas esse peccandi, vel cum non intelligis, illius peccati esse penam, quòd nullâ necessitate commissum est.* En, inquiunt, quomodo & necessitatem admittit peccandi, & ex peccato originali derivatam confitetur. Sic olim Calvin. apud Ruar. & denuo noviores Pseudoaugustiniani cum Baio, & Iansenio. Et iterum contra Fortunat. sic agit: *Liberum voluntatis arbitrium in illo homine fuisse dico, qui primus formatus est: postquam autem liberâ ipse voluntate peccavit, nos in necessitatem precipitari sumus.* Et *cap. 4. de Perf. Iust. Per arbitrij libertatem factum est, vt esset homo cum peccato; sed iam penalis vitiositas subsequuta ex libertate fecit necessitatem.* Et dat rationem: *Pictâ enim vitio, in quo cecidit, voluntate, caruit libertate natura.* En inquirunt, in ipsis terminis assertam ab Augustino necessitatem peccandi in statu naturæ lapsæ.

44 Ad hæc respondimus *disp. 12. Sup. disp. 5.* Ex ibi dictis resumemus quæ satis superque sunt ad solutionem obijctionis, & ad minimè fucatam intelligentiam Augustini: quem relegere oportebit scribentem contra Manicheos assertores necessitatis peccandi, quam Noviores isti ab inferis suscitaverunt. Duo præsertim rememoranda sunt. Primum ex Bellarmino, vocari quandoque *peccatum con-*

August.

put. 12.

Bellar.

cu-

cupiscentiam ipsam inordinatam, id est motus primos inordinatos, & indeliberatos appetitus: peccatum, inquam, materialiter: sunt enim peccandi causa, & sunt materia peccati formalis, quatenus, accedente ad illos libero voluntatis consensu, peccamus; ad modum, quo mala etiam commissa ex ignorantia invincibili malitiæ dicuntur peccata materialia, quatenus, accedente advertentiâ rationis, si fierent, peccaretur formaliter, & imputabiliter, ut ipse se exponit Augustinus lib. 1. oper. imper. à fol. mibi 155. Secundum ex S. Tho. Iohanne esse cum Augustino, tùm alijs PP. ingentem difficultatem evitandi aliquod malum vocare impossibilitatem, ut iam monui disp. 1. num. 64. & consequenter maximam propensionem ad illud, ingensque periculum, vocare necessitatem.

45 Iam ergo ad loquutiones Augustini nobis obiectas dico, aut sumi interdum in illis necessitatem peccandi pro maxima difficultate vitandi peccatum, quamvis absolute vitari possit; aut sumi peccatum materialiter pro motibus inordinatis effrenis concupiscentiæ: qui quidem necessarii sunt, & poena primi peccati; non tamen formaliter & imputabiliter peccatum, si non accedat consensus voluntatis liber à necessitate. Itaque necessitas illa, quam in nobis induxit Originale, non est, nec esse potest necessitas formaliter, & imputabiliter peccandi; sed necessitas patiendi motus illos concupiscentiæ, qui quodammodo peccata vocantur, scilicet causaliter, & materialiter. Unde nulla est ex Augustino Pseudoaugustinianorum, & Calvinistarum illatio. Adde, intelligi interdum fortè posse necessitatem illam peccandi de necessitate labendi in aliquod peccatum per diuturnum tempus: quæ necessitas non obstat libertati à necessitate hic & nunc peccandi, quando quisque peccat: ut latè explicuimus disp. 9.

SECTIO V.

An ad Meritum sufficiat libertas inter actus aequales cum necessitate vagâ ad alterutrum.

46 **Æ**QVALES, inquam, omninò in ratione bonitatis, & obsequij. An homo, v. g. necessitatus disiun-

ctivè ad faciendum actum, vel obedientiæ, vel religionis; vel ad faciendos vagè duos misericordiæ, hunc, vel illum, æquè bonos, laudabiles, & obsequiosos, placentesque Deo, eligens liberè inter illos, sit propterea dignus laude morali, possetque per eiusmodi electione vnius præ altero præmium Gratiæ, & Gloriæ apud Deum mereri.

47 Negat communis sententia cum Card. de Lugo disp. 26. de Incar. sect. 12. Bernal ibi disp. 52. sect. 4. Hurt. ibidem disp. 26. Aldr. disp. 76. sect. 3. Godoy ibidem disp. 43. à num. 123. Ripalda latè tom. 2. disp. 74. sect. 3. Ovied. contr. 2. de Mer. punct. 4. Arriag. disp. 4. de Act. hum. sect. 2. & disp. 17. de Vol. Dei, sect. 3. Idemque vel tuentur, vel supponunt Anton. Perez disp. 6. de Volunt. cap. 2. & ibidem Ribadeneyra disp. ult. Herrera quest. 8. de Volunt. cap. 2. Esparza lib. 3. quest. 19. art. 2. & prædocti Recentes: quorum aliqui id putant ex terminis manifestum: fortè quia primis apprehensionibus præoccupati, terminos, & robur rationum contrariarum non perpenderunt.

48 Moventur primò. Quia similis libertas inter duos actus æquè malos cum necessitate ad alterutrum non sufficeret ad peccandum: ergo neque inter duos æquè bonos ad merendum. Antecedens videtur per se patens, & probatur. Quia sequeretur in praxi, quòd homo existimans se peccare, si adit Sacro, quia excommunicatus est; & æquè peccate si non adit, quia dies festus est, peccaret, vtrumlibet eligat: cum autem necesse sit, adesse, vel non adesse Sacro, esset per errorem conscientie illum constituitur in metaphysica necessitate peccandi: quod volunt Heterodoxi à nobis nuper refutati.

49 P. Gran. videtur negasse antecedens: & admisisse primam sequelam. Sed immeritò. Sequela namque perabfurda est, & omninò neganda cum Palao, Thoma, & Ioanne Sanchez, & reliquis Theologis apud Oviedum cit. è diverso rectè sentientibus, hominem illum sic erroneè constitutum, vtrumlibet eligat, non peccare. Vel enim iudicat se teneri parere excommunicationi, & abstinere à Sacro; & sic peccat audiens sacrum; & quidem liberrimè, cum possit non audire: vel iudicat, se teneri non obstante excommunicatione audire sacrum;

Lug.
Bern.
Hurt.
Aldret.
Ripald.
Ovied.
Arria.
Perez.
Ribad.
Herr.
Esparz.
Godoy.

Gran.

Palao.
Sanch.

crum; & sic liberrimè quoque peccat non audiens; cum possit audire: vel iudicat, se teneri simul parere excommunicationi non audiendo, & adimplere præceptum audiendo sacrum: & hoc est iudicare se teneri ad id quòd est impossibile, quale est audire simul, & non audire sacrum: ad quod nulla dabilis est obligatio: & quamvis existimaret homo, se tunc ad id impossibile teneri, & peccare nisi simul audiat, & non audiat, nec tenetur, nec peccat: sicut si existimaret, se in die ieiunij teneri abstinere à cibo, & non sentire famem; peccaret non abstinens, cum abstinere possit; non verò sentiendo famem; cum hoc non sit in eius potestate.

50 Respondendum ergo aliter est ad paritatem enthymematis, concedendo antecedens, & negando consequentiam ob rationem claram disparitatis: de qua legi proderit Antonium Perez tom. 2. tract. 1. disp. 2. cap. 2. Cum enim peccatum debeat esse contra Legem, nequit peccari, nisi adsit obligatio alicuius legis id non faciendi, in quo peccatur: implicat autem obligatio ad impossibile, quale foret tunc audire simul, & non audire, & obligatio ad peccatum, quale foret tunc sive audire, sive non audire. Neque hæc, nec similis ratio militat in Merito: cum ad merendum non requiratur similis obligatio non merendi, sicut ad peccandum non peccandi. Nec dicas possibile tunc esse homini, id non facere quod facit, v. g. non audire sacrum: ergo ad hoc non faciendum potest obligari, & hoc faciendo peccat. Negatur enim consequentia: nam, cum sit necessitatus ad alterutrum, obligari ad id non faciendum esset obligari ad faciendum oppositum, scilicet ad audiendum Sacrum: quod in eo casu esset similiter peccatum: implicat autem obligatio peccandi, vtpotè opposita obligationi non peccandi.

51 Moventur secundò. Quia eiusmodi libertas non sufficit ad moralem imputationem: ergo neque ad laudem moralem, nec ad Meritum. Antecedens probatur quadrupliciter. Primò: quia nemini in genere moris est imputabile ad laudem tollere, vel impedire tantum boni, quantum ponit. At in ea necessitate constitutus, eligens vnum ex illis actibus præ alio, tantum boni tolleret, seu

impediret omittendo alium actum æquè bonum, quantum poneret eligens hunc. Secundò: quia nemini imputatur ad laudem moraleam, nullum facere progressum in perfectione morali. At ille sic eligens nullum faceret progressum; æque enim progredieretur, si sic non eligeret, quia coiplo eligeret tantumdem boni. Tertio, & molestius: quia ad moraleam imputabilitatem requiritur moralis libertas. At homo ille nec ad hunc actum eligendum haberet moraleam libertatem: ergo eiusmodi libertas non sufficit ad moraleam imputabilitatem. Minor probatur: quia moraliter non posset omittere hunc actum, quem eligit: ergo nec ad hunc, quem eligit, haberet moraleam libertatem. Probatur antecedens: quia non posset omittere hunc actum, quem eligit, nisi faciendo alium æquè bonum, & obsequiosum, qui propterea, quamvis esset physicè diversus, in morali tamen æstimatione perinde esset, ac si esset idem: ergo eligeretur actus moraliter idem: ergo non posset moraliter, quidquid sit de physicè, omittere hunc actum, quem eligit: vtrumlibet enim modo eligeret moraliter hunc ipsum actum. Omnes istæ probationes habent instantiam manifestam in laudabilitate morali actuum liberorum Dei, ut vrgebitur sect. seq. Nunc ad argumentum negamus primum antecedens.

52 Ad primam antecedentis probationem, negamus maiorem, ut patet in actibus Dei. Esset quidem verum, si tolleretur bonum, quod tenetur ponere. At homo sic eligens in nostro casu nec tollit, nec impedit bonum, quod ponere tenetur: & id quidem ex motivo honestissimo: non enim ponit hoc bonum, ut impediatur aliud, sed quia hoc bonum est, quamvis impediatur aliud. Undè verum non est, quòd opponit Esparza, hominem in ea electione non esse potius laudabilem, quam vituperabilem. Cur enim ita quandoquidem ponere illud bonum quando non tenetur laudabile est: at non ponere aliud ad quod non tenetur, nec est per se dignum vituperio, nec reprehensione. Profectò succurrens indigenti, cui alter æquè succurreret, eo non succurrens, & non aliter, tantum impedit boni in Dei obsequium, & in pauperis commodum, quantum exhibet: & tamen non vituperabiliter, sed laudabiliter.

liter, & meritorie succurrit.

53 Ad secundam, concessa maiori, negamus minorem. Nam ex eo quod æque progredetur homo, si, hoc actu omisso, eligeret alterum, non infertur, non progredi eligendo hunc, cum verè transeat honestè, & libere ab actu primo eligendi ad secundum: quod sine absurdo infertur est, non progredi magis per hunc, nec mereri magis, nec esse magis laudabilem, quam si hoc omisso, eligeret alterum. Unde verum non est, quod opponunt alij, necessitatum disiunctim inter duos actus inæqualiter bonos, si eligat minus bonum, non esse laudabilem, nec in eo mereri; cum faciat minimum quod potest. Similiter namque negamus, in eo non esse laudabilem: quandoquidem ad maius bonum eligendum non tenetur; sicut & non progredi in perfectione morali, quamvis verum sit non esse tã laudabilem, nec tantum progredi, quantum si eligeret maius bonum, & revera esse laudabilem quam minimè potest, & tepiditatis in operando ad summum argui posset. Quod si in eo casu præcipere illi electio magis boni, iam non esset bona electio minoris boni omittendo maius: sicut nec esset bona sed imò turpis, si fieret ex motivo impediendi maius bonum.

54 Ad tertiam, quæ ex usurpatione varia moralitatis molestior est, concessa maiori, negamus minorem; & ad eius probationem negamus antecedens. Ad probationem antecedentis, concessa antecedente cum prima consequentia, nego secundam. Aliud enim est, actum, quem physicè elegit, esse moraliter, seu æquivalenter idem cum alio, quem omittit, aliud est longèque diversum, hominem necessitari moraliter ad actum quem physicè eligit. Hominem necessitari moraliter ad actum, quem physicè eligit, dicitur & est in omnium ore, principium præ nimia propensione, seu impulsione ad physicè eligendum actum, vix physicè posse abstinere à tali electione: & hæc esset necessitas necessitans principium electivum; ideoque opposita potestati morali omnino expedita ad id non eligendum, quamvis nec propterea insufficientis ad imputabilitatem moralem peccati, vel meriti, donec aliquid imminuat potestatis physicæ, ut expendimus *disp. 9. d. num. 44.* At actum, quem ho-

*Supra
disp. 9.
sect. 5.*

mo physicè eligit esse moraliter, seu æquivalenter idem, ac esset alius, quem omittit, non est necessitas necessitans principium electivum; sed est necessitas necessitans illos actus ad se eligibiles ad sibi invicem æquivalendum: ideoque tenens se ex parte ipsorum, qui sunt termini & non ex parte principij ad vtrumlibet æquè facilè potentis, nec propterea antecederet physicè propendentis, aut impulsivi ad electionem physicam alterius præ altero: atque adeo libertatem relictam relinquens eius libertatem physicam, & imputativè moralissimam ad determinatam vnius electionem, proinde liberrimam. Rem explicat exemplum adæquatissimum. Res, & iustum pretium rei æquivalenter idem sunt in æstimatione morali: quin tamen propterea obligatus, vel necessitatus dare rem, vel pretium rei desinat eligere liberrimè, & imputativè inter rem, & pretium: quia nempe moralis illa extremorum necessitas sibi invicem æquivalendi neququam refunditur in electorem, nec auget difficultatem, aut propensionem ad vnum eligendum præ altero: quæ vel tollere, vel minuere possit libertatem alterum eligendi.

55 Moventur tertio, & vrgent contra responsionem istam, & exemplum in ea exhibitum. Res enim, & pretium rei, quamvis quoad aliquid sibi moraliter æquivalent, discrepant tamen quoad multa: interdum enim danti, interdum recipienti est ad multos vsus utiliores; interdum pretium: sicque ex varijs respectibus etiam moralibus potest habere rationem obsequij rem per pretio, aut pretium eligere præ re. At in duobus actibus, æquè bonis, & obsequiosis Dei hæc ratio non habet locum: ergo non posset habere rationem obsequij, ac proinde, nec meriti alterum ex illis eligere. Respondetur in primis, hoc etiam instari manifestè quoad laudem moralem in actibus Dei liberis laudabilissimis, & æquè bonis; cum necessitate tamen ad aliquem ex illis disiunctim, ut prosequemur *sect. sequ.* Deinde verum est quod in argumento dicitur de re, & pretio, quoad varios respectus morales: est tamen æquè verum, similes etiam respectus moraliter diversos reperiri pariter posse in duobus actibus equalibus in bonitate, & dignitate: quamvis enim actus

v.g.

v.g. misericordiae, & humilitatis omnino sibi æquivalent in bonitate, & valore, habent tamen diversos alios respectus específicos proprios suarum virtutum, in quibus non sibi moraliter æquivalent: quatenus nempe vna succurrit indigo, alia obsecundat superiori: inter quas honestates grande discrimen est, etiam in genere moris, adhuc dato quod actus vterque æquè bonus esset, placensque Deo. Sicque relinquatur locus exemplo rei, & mercis.

56 At quid, inquis, si libertas inter actus æquales cum necessitate ad alterutrum esset inter actus eiusdem virtutis numero tantum diversos? In hoc enim casu non intercederet diversitas illa virtutum in genere moris: nec locus esset exercitio, ac dictamini prudentiæ ad eligendum: nec exhortationi, quæ ex Philosopho laudabilitatem consequitur: omnibus enim pensatis circumstantijs, & respectibus, paria essent electionis extrema, nec alterum altero eligibilius: aut exhortabilius: ergo nec vllus maneret obsequij, ac meriti locus apud Deum. Confirmatur ex humanis. Qui enim deberet nummum, & è duobus, quos habet æquales numero diversos, eligeret vnum quo solvat creditori; nihil certè apud homines præstaret obsequij remuneratione digni in eiusmodi electione. Si Rex aliunde obligatus, aut necessitatus, equum militi dare deberet; certè non præmiaret nova militis facinora per electionem dandi hunc equum præ alio profus æquali: ergo nec miles mereretur apud Regem, si è duobus facinoribus, ad quorum alterutrum necessitatus esset, eligeret alterum præ altero profus æquali exhibere: ergo neque homo apud Deum in nostro casu.

Quiros.

57 Propter hæc aliqui, quibus favet Quiros, quamvis admittant sufficere libertatem inter actus æquales diversæ speciei, & virtutis; non verò inter actus eiusdem virtutis numero tantum diversos: nec putant hoc esse contra substantiam opinionis de sufficientia libertatis inter actus æquales: pro quo suas offerunt, & afferunt rationes discriminis. Alijs tamen, & mihi conformius videtur ad fundamenta dictæ opinionis, si admittatur, sufficere quoque libertatem illam inter duos actus æquales eiusdem virtutis numero tantum diversos. Fa-

teor, quod in eo casu non reluceret inter extrema tam nota, ac notabilitas diversitas respectuum in genere moris; intereret tamen quod sufficit ad libertatem, & moralitatem: sic enim eligens liberè exercet actum virtutis, quem posset ommittere: & qui secundum se melior est, quam eius omisio. Quod autem in eo casu nequeat istum ommittere, nisi exercendo alterum æquè bonum eiusdem virtutis, felicitati, ac perfectioni talis libertatis sic à Deo dispositæ tribuendum est; non tamen tollit veram libertatem eligendi actum bonum præ eius ommissione. Quod multum prodesse ad moralitatem, ex eo patet, quod eligere illum actum, quia impedit aliud, seu ut omittatur alius, esset affectus moraliter turpis; & eligere illum, quia bonus est, & ne ipse Deo placens liberè omittatur, est affectus moraliter honestus. Hæc quidem considerationes morales sunt: quibus non obstat, quod actus illi æquales sint eiusdem virtutis, & numero tantum diversi. Nec verum est, quod in eo casu non supersit locus dictamini prudentiæ, aut exhortationi: quamvis enim illi actus sint æquè eligibiles, & exhortabiles, hoc ipsum dicitur prudentia, perpendens vndique pares eorum circumstantias, & iudicans vnum, qui eligitur, non esse æstimatoriam altero, si eligeretur; esseque æquè laudabiliter eligibiles: quæ dictamina prudentissima sunt: & secundum hæc dictamina adaptari posset prudens exhortatio ad eligendum alterutrum; imò & ad istum. Unde consequentia falsa est, nec vnumquam probata.

58 Ad confirmationem ex humanis, quæ in probationem consequentiæ adduci posset, transmitto totum antecedens, & nego consequentiam propter notissimas disparitates solvendi, & merendi apud Deum, & apud homines. Hi enim non respiciunt ad honestatem solutionis, aut meriti, sicut neque ad hos, vel alios fines malos, seu bonos solventis, aut merentis; sed ad utilitatem, quam percipit creditor ex receptione suæ pecuniæ, aut Rex ex facinore militis: ideoque quomodocumque id fiat, dummodo debitor solvat, & miles strenuè pugnet, fit illis satis: cumque nec creditori sit utilior hic nummus præ alio; nec Regi hoc facinus, quam aliud, nihil facerent eiusmodi electiones. Non sic Deus, non

Qqq 2

sic:

fici: quippe nullius indigens, nec propter
villam hominum merita futurus ditior,
aut felicitior, in meritis respicit ad ho-
nestatem operis liberè ab homine exer-
citam, & liberè sibi exhibitam: quod in
prædicto casu reperiri cõtendimus. Quòd
autem constitutus fuerit homo in præ-
dicta necessitate vaga merendi, largitas
Dei est; sicut & quòd homo mereatur
apud Deum per principia ab ipso Deo
prædonata, & per obsequia quæ potius
sunt opera Dei præmiantis, quam ipsius
hominis merentis. Illud itaque, sicut ne-
que istud, neutiquam obstat rationi me-
riti apud Deum, quamvis obstat apud
homines.

SECTIO VI.

Eligitur, & probatur pars affirmans.

59 PRO hac stant Vasquez disp. 74. de
Incarn. cap. 5. Valentia ibi quæst.
19. punct. 2. & ibidem Meratius disp. 43.
sect. 4. Montoya disp. 8. de Prov. sect. 7. Les-
sius lib. 2. de sum. Bono, nu. 185. Galp. Hurt.
& Illustrissimus Araujo tract. de Incarn.
disp. de libert. Christi. Herize disp. 18. num.
39. Monceus disp. 9. cap. 12. Anton. Perez
tom. 2. disp. 2. de Pecc. cap. 2. quamvis alibi
oppositum insinuaverit. Coninc, Salas, &
Præpositus apud Herreram cit. Ortega
Contr. 6. de Incarn. disp. 1. quæst. 3. Certam. 3.
P. Philip. Aranda ibi lib. 3. disp. 4. sect. 1.
Favenque D. Eximius lib. 12. de Grat. cap.
3. num. 7. & disp. 37. de Incarn. sect. 4. Qui-
ros disp. 74. de Volunt. sect. 3. & egregij
Magistri RR.

60 Ratio à priori est. Nam qui præ-
dicto modo eligeret, eligeret cum liber-
tate à necessitate actum honestum, & su-
pernaturalem Deo placentem præ eius
omissione, quam, si vellet, posset eligere:
non est ergo cur defectu libertatis non
mereretur laudem, & præmium apud
Deum. Probatur hæc consequentia: si
enim aliquid obstat, maximè defectus
libertatis moralis, eo quòd illa solum
esset libertas physica: sed hoc est falsum:
ergo. Probatur minor: quia similis liber-
tas inter duos actus physicè dumtaxat
bonos esset purè physica, ideòque non
redderet eligentem bene moraliter ope-
rantem, nec electionem imputabilem ad
laudem moralem: ergo, si est inter actus
non solum physicè, sed moraliter etiam

bonos, & supernaturales, est libertas
plusquam physica, at proinde moralis,
redderetque eligentem bene moraliter,
& supernaturaliter eligentem: atque a-
deò electionem imputabilem ad laudem
moralem, & meritum. Respondere au-
tem, obstat, quòd hæc libertas non est
ad omittendum tunc actum, nisi facien-
do alium æquè bonum, est respondere
per ipsam quæstionem: contendimus
enim id minimè obstat morali liber-
tati, & dedimus rationem nondum im-
pugnatam in responsionibus nostris ad
motiva contraria, præsertim ad primum.
Quamvis enim id obstat, quominus ea
electio sit magis moraliter imputabilis,
magisque meritoria, quam esset altera;
non verò, quominus sit moraliter impu-
tabilis ad laudem, & meritoria pariter,
ac esset altera, si loco istius exerceretur.
Inquirimus autem rationem id negan-
di.

61 Ratio altera & confirmatio vali-
da præcedentis est à pari. Deus in ele-
ctione suorum actuù liberorum est verè
dignus laude morali: sed habet dumtaxat
libertatem inter actus æquales cum
necessitate disiunctam ad alterutrum: ergo
eiusmodi necessitas relinquit in Deo
libertatem moralem sufficientem ad lau-
dem moralem: ergo & in nobis relin-
queret ad meritum. Ratio enim meriti ex
eo solum negatur electionibus liberis
divinis, quia non respiciunt superio-
rem, cui Deus obsequi possit, & apud
quem mereatur, vt est notum ex præli-
batis disp. 23. sect. 1. ergo in nobis respi-
cientibus superiorem, eiusmodi libertas,
quæ sufficit in Deo moralissimè ad lau-
dem moralem, sufficeret ad laudem mo-
ralem, & ad meritum. Vertitur difficultas
in primo syllogismo: cuius vis impulit
Adversarios in varias responsiones, qua-
rum insufficientia doctrinæ nostræ veri-
tatem, & soliditatem maximè commen-
dat.

62 Impulit nonnullos apud Riba-
deneyram, satis annuente Oviedo quod
mirum est, vt veriti consequentiam, ne-
garent maiorem: ausi dicere, actus Dei li-
beros non esse laudabiles moraliter; sed
tantum physicè, sicut laudatur, & magni-
ficatur Deus, quia sapiens, & omni-
potens est. Hoc tamen quam sit dissonum,
& à communi Theologorum, Sancto-
rumque PP. sensu alienum, vidimus disp.

Supra.
disp. 23.

Ribad.
Ovied.

Tom. de
Deo dis.
16.

16. de Attrib. Dei sect. 4. Certè enim sicut
Deo non gratias agimus de eo quòd
Omnipotens, Sapiens, & æternus est,
quia nempe ea sunt prædicata Dei pro-
fus necessaria; bene verò de eo quòd li-
berè pro nobis agere voluit, aut contra
nos agere noluit; sic nec ipsum de per-
fectionibus illis physicis laudamus lau-
de gratificativâ, & morali, honesto vir-
tutum exercitio, bonisque moribus cor-
respondente; sed laude magnificativâ, &
honorativâ: in quo genere Cælum, gem-
mas, & adamantes laudamus, propter
physicas eorum perfectiones. Quod adeò
clarum est, vt per clariora nequeat expli-
cari. Deum autem, præter laudabilitatem
illam de genere physico, per suos actus
liberos rectissimos, & honestissimos
exercere virtutes morales, liberalitatis,
misericordiæ, munificentia, iusticiæ, &c.
innegabile est. De ijs verò specialiter ef-
se laudabilem, & laudari sæpius in Scrip-
turis, ac proinde laude strictâ morali, &
gratificativâ, certissimè est. Ad huiusmo-
di perfectò laudem invitabat David, psal-
tens: *Laudate Dominum de Cælis, laudate
eum in excelsis; Laudate, &c. Quia ipse dixit,
& facta sunt, ipse mandavit, &c. Præceptum
posuit, &c. & rursum: Laus eius in Ecclesia
Sanctorum, &c. Quia beneplacitum est Do-
mino in Populo suo, & exaltavit mansuetos
in salutem.* Negari igitur Deo nullatenus
potest specialitè hoc genus laudabilitatis,
& laudis moralis, respiciētis exercitium
honestum, ac liberum virtutum, bono-
que mores: ac proinde nec libertas re-
quisita, vt fiat dignissimus sic speciali-
ter laudari: longè aliter, ac laudatur, ho-
noratur, & magnificatur propter perfe-
ctiones physicas, & necessarias Omni-
potentia, Sapientia, & Æternitatis, &c.

Psal.
148. &
149.

63 Impulit alios, vt, concessio toto
syllogismo, tentarent negare nostram
subillationem quoad Meritum; insinua-
tes, per id concludi, quòd ea libertas cum
eiusmodi necessitate vaga sufficeret in
nobis ad laudem moralem; non verò ad
Meritum: quod contendimus. Caterum
ista responsio multum nobis dat; mul-
tumque detrahit responsionibus. Primum:
quia vt iam subiunximus num. 61. datâ
nobis in eo casu libertate necessaria ad
laudem moralem hominis sic eligentis
apud Deum infinite superiorem, non su-
perest ratio, cur sic apud Deum non merea-
tur. Secundum: quia præcipuè robur ra-

tionum opinionis contrariæ infringi-
tur, si semel nobis conceditur eam liber-
tatem esse sufficientem ad dignitatem
laudis moralis, quæ dici solet in nobis
præmium virtutis, sicut vituperium pœ-
na vitii: cur ergo non similiter in nobis
apud Deum æquissimum virtutis æsti-
matorem, & remuneratorem ad meri-
tum gratia, & gloria, si cætera meriti, ac
præmij requisita non desint?

64 Respondent alij cum Arriaga, &
Bernal, concedendo maiorem, & negan-
do minorem, scilicet, actus increatos li-
beros Dei esse formaliter æquales in per-
fectione, bonitate morali, & laudabili-
tate. Caterum formalem perfectionum
divinarum inæqualitatem vt minus
digne Deo summo applicatam, reieci ex
professo disp. 3. de Attrib. sect. 7. & 8. &
iterum agens specialitè de perfectione,
& bonitate morali disp. 16. sect. 4. Deus
enim, sicut non physicè ita neque mora-
liter esse posset, aut melior, aut minus
bonus, quam nunc est; esset autem mora-
liter melior, si posset eligere actus suos
liberos meliores; minusque bonus mo-
raliter, si minus bonus. Contra deinde.
Quia, adhuc permisâ eâ divinorum
actuum inæqualitate, sequeretur non esse
morali laude dignos nisi penes excessum,
quo melior superat minus bonum:
præcisim enim ab hoc excessu, de cæ-
tero sunt parès. Cum autem excessus, hic,
sumptus præsertim ratione obiectorum
creatorum, ad quæ actus divini liberi
terminantur, infinitus non sit, non es-
sent infinite laudabiles. Sequeretur in-
super absurdius, Deum eligentem actum
sua voluntatis minus bonum præ me-
liori, quem posset, & ex necessitate de-
beret, hoc omisso, eligere, nè suspensus
maneret, non operari laudabiliter: quip-
pe necessitatus esset disiunctum ad illud,
vel aliud formaliter meliorem, & omisso
meliori, eligeret minus bonum. Nec pro-
dest quod apud Ribadeneyrâ ait Ripal-
da, Deum posse purè omittere omnes
suos actus liberos circa obiectum sibi
propositum. Hoc enim est malè causæ pe-
ius patrocinium: quia puræ omissiones
repudiantur cõmuniter in Deo à Theo-
logis ipsis, qui eas in nobis voluntarias,
& liberas admittunt. Nec, illis quidem
agrè permisis, satisfacit responsio. Illa
namque pura omisio divina, vel ef-
fet, vel non esset moraliter bona. Si non
esset.

Tom. de
Deo usq.
3. & 16.

Ripal-
da

esset, ex hoc ipso convincitur summo Deo indigna, & omnino repugnans: si esset, en iterum, proposito obiecto, Dei necessitatem vagam ad volendum, vel nolendum, vel purè omittendum honestè, & laudabiliter; & inter tria hæc extrema redit eadem tota difficultas, quam vrsimus inter duo.

Lugo.

65 Respondet aliter de Lugo, concedendo totum nostrum syllogismum de Deo; & negando subillationem de nobis, ob disparem rationem: quia nempe actus liberi divini, quamvis formaliter æquales in bonitate morali quoad se, sunt inæquales quoad obiecta creata inæqualissima, ad quæ terminantur. Cæterum, quàm sit insubsistens hæc responsio videri potest apud ipsum de Lugo. Primo quidem: quia circa idem obiectum est Deus indifferenter liber ad velle, vel nolle, & vagè necessitatus ad alterutrum: & inter velle, & nolle v.g. existentiam mundi eligit laudabiliter: stat ergo moralis laudabilitas electionis divina inter actus divinos omninò æquales absque inæqualitate etiam obiectorum creatorum. Secundò: quia etiam actus creati æqualiter boni formaliter pensatis omnibus circumstantijs possent esse diversarum virtutum circa diversa obiecta invicem inæqualia: pro hoc ergo casu ratio datæ disparitatis est nulla. Tertio, & maximè: quia obiectum, cum formaliter in se non induat moralem laudabilitatem, eatenus tantum facit actum magis, aut minus laudabilem, quatenus refundendo in actum suam bonitatem facit, vel arguit actum magis, aut minus bonum: ergo, si inæqualitas obiectorum non facit, nec arguit actus Dei formaliter inæquales quoad bonitatem, vt supponit nobiscum hæc responsio; neque facit inæquales quoad laudem moralem: quidquid igitur sit de inæqualitate obiectorum, quæ etiam in actibus humanis æquè bonis reperiri facile potest, constitutus Deus indifferens ad suos actus æquè bonos, & laudabiles cum necessitate vagà ad eligendum vnum, eligit hunc præ alio laudabiliter. Cur ergo similis libertas non sufficeret in homine ad moralem laudabilitatem liberæ electionis bonæ?

Perez.

66 Respondent aliter alij ex insinuatione Antonij Perez tom. 1. vbi primum suum iudicium huius difficultatis

subindicavit, quod postea reformasse videtur tom. 2. actus liberos Dei necessitati disiunctim ad aliquem esse moraliter laudabiles, quamvis sint omninò æquales in bonitate morali: quia vnusquisque, qui eligitur à Deo, est per se regula ipsa perfectionis, & laudis moralis: quæ perfectio non competit actui creato. Contra tamen: quia sic etiam vnusquisque alter, qui non eligitur, esset non solum laudabilis, sed etiam regula ipsa laudis moralis: si ergo, non obitante omnimoda æqualitate actuum divinatorum in bonitate morali, & etiam in hoc quod est esse regulam ipsam laudis moralis, constitutus Deus liber inter illos cum necessitate ad alterutrum, est in libertate sufficienti ad laudem per electionem sic liberam istius præ alio equè bono, & qui etiam esset regula bonitatis, & laudis; cur non sufficiat ad laudem, & meritum similis libertas in electione actus creati, qui non est regula ipsa bonitatis, & laudis, præ alio actu æquè bono moraliter, qui similiter non esset ipsa regula bonitatis, & laudis?

Herrera.

67 Respondet paulò aliter Herrera meditatus rationem disparitatis inter laudabilitatem divinam, & humanam: ex eo quod Deus per suam ipsam electionem, vtpote perfectionis & melioritatis regulam, constituit obiectum quod eligit in esse melioris hic, & nunc: eo enim ipso quod Deus alterutrum eligat, hoc est absolute & proximè eligibilis, vtpote beneplacito Dei conformius. Contra tamen paulò etiam aliter. Ratio enim opinionis cõtrariæ, cui innititur Doctor iste, cur creatura prædicto modo necessitata ad alterutrum, non mereretur laudem moralem, nec pramium, est quia hunc actum, quem eligit, nequit moraliter omittere, quatenus nequit hunc omittere; nisi eligendo alium æquè bonum, atque adeo moraliter eundem. Iuxta hanc verò responsionem, aut hæc ratio omnino invalidatur, aut similiter Deus non esset moraliter laudabilis cum simili libertate in electione vnus extremi præ alio quomodocumque sit regula laudis, & melioritatis: quia quamvis sit regula laudis, & melioritatis, nequit omitti hoc extremum nisi eligendo aliud æquè bonum, quodque per regulam etiam laudis & melioritatis constitueretur in esse melioris, si eligeretur; ac

proin-

proindè in sensu Adversariorum esset moraliter quoad æstimationem idem. Præterea non laudatur moraliter Deus, quia potuit carere laude constituendi obiectum quod eligit in esse melioris; sed quia tantæ perfectionis est, vt voluntate suâ liberâ constituat obiectum, quod eligit, in esse melioris: ergo, quidquid sit de obiecto, laudaretur etiam moraliter Dei electio ex eo quod exerceat Deum liberè, & perfectissimè, quamvis non potuerit carere moraliter hac electione, vtpote non potens ea carere nisi exercendo aliam æquè perfectam, & bonam. Insuper etiam in ratione obsequij homo eligens hunc actum bonum præ alio æquè bono, ea ipsa sua electione facit hic, & nunc actum, quem eligit, proximè eligibilem præ altero, quem omitteret: alter enim manet in statu possibilitatis, quando iste actu eligitur, & ponitur: æstimabilius autem est obsequium quod actu ponitur, quam ponibile, quamvis si poneretur esset æquè æstimabile. Nulla igitur iuxta hunc modum respondendi datur ratio congruentis disparitatis.

68 Respondet singulariùs Ribadeneira, admittens etiam nobiscum æqualitatem actuum divinatorum, dicèdo hanc æqualitatem in Deo non ob stare, sicut obstat nobis in nostro casu, ad laudem moralem: quia quilibet actus Dei liber est melior se ipso, si haberetur necessariò: sic enim factus, esset chymera. Ego quidem pro re præsentì non nisi chymericè adduci posse reputo rationem istam. Ad hunc enim modum quilibet actus bonus, sive noster, sive Dei est melior se ipso, si non esset quod est: quia si non esset quod est, esset chymera: quin tamen ea melioritatis ratio prodesse possit ad laudem moralem. Prodesset quidem, si verfaremur in electione vnus actus Dei liberi præ se ipso, si haberetur necessariò, aut nostri præ se ipso si non esset quod est, sed chymera: non tamen in hoc veriamur; sed in electione vnus præ alio, qui non est chymera. Ad hunc autem scopum non capio, quo pacto collimet dicta diversitas; non certè magis è re, quam si daretur pro ratione disparitatis, quod Deus est Omnipotens, & homo non. Quid enim, precor, ad laudem moralem electionis liberæ vnus actus divini præ alio æquè bono, necessitas

physica, & metaphysica, quam habet quilibet actus liber divinus, ne habeatur à Deo necessariò?

69 Ex quibus omnibus mirum videri nemini debet, quod confugerint, vel effugerint alij ad latibulum Mysterij divinæ libertatis: quod est, tam difficilem facere rationem disparitatis, & responsionem ad argumentum nostrum, ac est difficile, & inscrutabile Mysterium actuum liberorum Dei. Tantæ molis visum est ijs Authoribus negare quod tot gravissimi Theologi affirmant de sufficientia prædictæ libertatis inter duos actus æquales cum necessitate ad alterutrum, etiam in hominibus, ad laudem moralem, & consequenter ad Meritum.

70 Tertia nobis ratio, & similis præcedenti, sumitur ex impeccabilitate, & libertate Christi: de quibus ex professio differimus disp. 15. & 16. de Incarn. sufficientissimè sine dubio liberâ ad laudem moralem, & ad meritum apud Patrem. Cum enim Christus Dominus ratione suâ impeccabilitatis, & irreprehensibilitatis sit impotens peccare, idèdque necessitatus ad non peccandum, & ad non operandum moraliter imperfectè, ac reprehensibiliter; proposito sibi præcepto moriendi, & vt ab hoc abstrahamus, propositâ sibi quacumque obligatione indispensabili legis naturalis; imò & quolibet obiecto proposito, erat omninò necessitatus in primis ad non peccandum circa illud; deindè ad non se gerendum moraliter imperfectè, & reprehensibiliter: ergo omninò necessitatus ad se exercendum circa tale obiectum per actus æquè bonos, & æquè perfectos in genere moris: nam purè omisivè se habere, & omninò repugnat, & quamvis in nobis imperfectionum moralium capacibus non repugnaret, repugnabat in Christo incapaci non solum peccati, verum etiam imperfectionis moralis vt ibi vidimus disp. 15. sect. 4. & vt in Christo non repugnaret deberet esse omisio illa libera moraliter honesta, imò & æquè bona moraliter, ac essent actus positivi quos tunc liberè omitteret: alioquin iam se gereret minus honestè, minusque perfectè in genere moris; quod est imperfectio moralis, iustèque reprehensibilis. Quæ omnia stabilivimus loc. cit. nec à præcipuis Adversariorum negantur.

Tom. de Christo disp. 15. & 16.

Nunc

71 Nunc sic. Vel ergo Christus sic constitutus non habuit libertatem sufficientem ad laudem moralem, & ad meritum, quod nefas est; vel illam non aliter habuit, nisi cum necessitate merendi vagâ inter varios actus suos creatos bonos, & meritorios, imò & æquè bonos, & æquè meritorios; necessitatus tamen ad alterutrum. Ergo respectu quoque voluntatis creatæ sufficere debet eiusmodi libertas ad laudem moralem, & ad meritum. Nec satis argumento fiet, ponendo actus Christi moraliter bonos inæquales. Præterquam enim quod esset admittere Christum minus bene operantem, quod est tepiditas, & moralis imperfectio, cum posset operari melius; inciditur saltem absurdè in duplex aliud inconveniens: vnum, quod Christus inter eos actus eligens minus bonum nihil per eam electionem mereretur laudis, & præmij, cum supponatur necessitatus ad eligendum magis bonum, si minus non eligeret: aliud, quod eligens magis bonum præ minus bono non mereretur nisi per excessum illum magis boni ad minus bonum, qui excessus finitus est: cum dignitas infinita Personæ Christi vtrumque dignificet infinitè: vt pariter inferebamus circa actus increatos Dei inæqualiter bonos contra Arriagam.

72 Quarta ratio est ab absurdis sententiæ contrariæ. Primum est, ex ea sequi, hominem disiunctim necessitatum ad actum, vt quinque, vel vt sex misericordie, eligendo actum vt sex, non mereri nisi ad summum, vt vnum: quia, præter excessum vnius gradus, de cætero pariter se cum vno, ac cum altero se haberet. Secundum; imò nec mereri, vt vnum: quia circumscriptâ condignitate gratiæ, & supernaturalitate, in qua parificantur, in gradu illo qui est totus excessus, & inæqualitas non superest ratio meriti Theologici. Tertium, eum ipsum hominem, si eligeret actum vt quinque, nihil omnino meriturum. Quartum; hominem similiter necessitatum ad actum misericordie, vt sex, vel charitatis, vt sex, aliàs inæquales, si eligeret actum misericordie vt sex, nihil meritarum; quasi peioris conditionis fieret homo ex beneficio Dei illum necessitantis ad non aliter omittendam actum misericordie, nisi eligendo actum charitatis, præ alio homine eligente parem actum misericordie,

& potente illum omittere, non eligendo actum charitatis. Scio huiusmodi absurda fere omnia deglutiri ab Adversarijs; sed non nisi per consequentiæ vim.

73 Quinta ratio est ab utilitatibus sententiæ nostræ ad multas veritates Theologicas. Prima est, quod sic facile defenditur moralis laudabilitas actuum liberorum Dei, quâ tumvis summè equalium: in quo quàm improbè laborent Adversarij visum est supra. Secunda; quod sic facile conciliatur libertas Christi cum eius impeccabilitate, & cum repugnantiâ operandi moraliter imperfectè: quod alioquin difficilimè est, ne dicam prorsus impossibile, vt in *loc. cit.* de incarn. discussimus. Tertia; quod sic expedite defenditur iuxta principia nostræ Scholæ de auxilijs indifferentibus, nullum esse possibilem hominem impredestinabilem à Deo per merita: cum possit Deus quemcumque necessitare, si vellet. ad duos actus æquales, meritorios disiunctim, relicta libertate ad alterutrum, sufficiente ad merendum per electionem alterutrius. Hæ quidem considerationes magni mihi faciendæ videntur ad amplectendam istam Theologiam, quæ in prædictis difficultatibus expediendis foeliciter usus sum.

74 Subnascitur dubium: an dato quod prædicta necessitas cum tali libertate inter æqualia non omnino tollat rationem laudis moralis, & meriti; eam saltem imminuat. Nonnulli ex Adversarijs supponunt quasi certum, quod sic: vt ex hoc falso supposito novum contra nos efforment argumentum. Respondemus tamen, quod non, vt coniectio ex actibus liberis Dei, & Christi. Itaque cæteris paribus æquè meritorius esset actus liber cum illa necessitate vaga exercitus, ac sine illa: quia per illam non fit deterioris conditionis.

75 Dices: non est tam liber, ac si exerceretur sine eiusmodi necessitate: ergo non est tam meritorius. Præterea sic Deo necessitante voluntatem ad merendum per illum actum, vel per alium, quamvis remaneat homini aliqua libertas; tamen sic mereri multo magis tribueretur Deo sic necessitanti, quàm homini eligenti: ergo minueretur homini ratio meriti. Postremò: non aliâ ratione nec peccat, nec demeretur Deus deter-

SECTIO VII.

An actus liber intrinsecè efficaciter imperans, adimat actum sic efficaciter imperato libertatem requisitam ad rationem proprii Meriti.

76 SUPPONIT Quæstio, quod negat Pater Vasquez, quodque affirmans P. Suarez, fatetur non carere difficultate, voluntatem liberam hic, & nunc ad eliciendam actum meritorium v. g. iustitiæ posse illum hic, & nunc imperare per aliam actum supernaturalem etiam, & meritorium alterius virtutis v. g. charitatis: volendo scilicet actu reflexo ex motivo charitatis omnino efficaciter exercere hic, & nunc prædictum actum iustitiæ: qui propterea dicitur efficaciter imperatus ab actu charitatis, qui dicitur imperans, & quidem intrinsecè imperans, ideòque necessariò connexus cum imperato. Hoc, quod alibi disputatur, supposito, queritur: an in eo casu actus sic efficaciter imperatus exerceatur liberè libertate sufficiente ad proprium, & speciale Meritum actus sic efficaciter imperati, diversum à Merito actus sic tunc imperantis.

77 P. Arriaga *disp. 4. de Act. hum. sect. 3.* cui, permisso casu, consentire videtur P. Elparza ibi *quest. 8. art. 4.* cum multis nostratum Recentiorum, docet, in eo casu actum efficaciter imperantem sic adimere libertatem imperato, vt imperatus non retineat, nec addat propriam ac specialem suam rationem Meriti supra meritum actus imperantis: haud secus ac dici solet de actionibus externis per liberum voluntatis actum imperatis. Moventur autem multipliciter.

78 Primò à paritate actionum externarum imperatarum liberè à voluntate: quæ per se specialiter, propriâ libertate suâ speciali non gaudent, quamvis liberè imperentur à voluntate, & sic denominativè, & extrinsecè dicantur liberæ. Sicut ergo actiones externæ aliarum potentiarum non habent rationem specialem meriti; sic nec actus ipsius voluntatis prædicto modo ab alio actu eiusdem voluntatis imperatus. Respondetur paritatem esse nullam, vt videbimus *sect. ult.* & ideò nullam consequentiam. Quia actiones aliarum potentiarum

determinans hominem, vt dici solet, ad peccatum quoad individuum, nisi quia supponit hominem determinatū quoad speciem: ergo nec mereretur homo ille per electionem istius actus præ alio; cum supponatur à Deo determinatus, & necessitatus ad alterutrum. Respondetur distinguendo primum antecedens: non esset tam liber libertate intensivâ nego; extensivâ, concedo antecedens, & nego consequentiam: hæc autem extensior libertas nihil per se præstat, cæteris paribus, ad maius meritum, nec ad laudem: sicut neque in nobis libertas extendens se ad potestatem peccandi: quæ nec in Deo infinitè laudabili; nec in Christo infinitè merente reperitur. Nec crediderim equidem, dictam in ab Adversarij, plus meritum hominem liberè exercentem hunc actum cum libertate extensiori ad alios numero distinctos eiusdem speciei; quàm hunc liberè exercendo sine prædictâ libertate extensiori. Ad secundum, concessio antecedente, negatur consequentia: id enim non minuit rationem meriti apud Deum: quandoquidem certum omnibus esse debet, siue impositâ, siue non impositâ eiusmodi necessitate vagâ, opera nostra meritoria multo magis esse Dei, quàm hominis merentis, vt sæpius explicuimus: præsertim *disp. 2. sect. 3. & 4.* Ad postremum, quod potius impugnat denuò conclusionem nostram, quàm responsum ad præsens dubium, dico, corrigendam esse eam multorum loquutionem, & rationem, & omnino negandum antecedens, aut eius suppositum, ac proinde consequentiam. Nec enim Deus dicens est determinare ad peccatum quoad individuum, cum libera relinquatur homini facultas ponendi, vel non ponendi hoc individuum peccati: nec homo se prius determinat quoad speciem, quàm vel à se, vel à Deo determinetur quoad individuum; cum omnino repugnet, hominem se determinare quoad speciem nisi per actum individuum, qui est ipsa formalis determinatio. Deus ergo præparans concursum suum ad hoc individuum, & non ad alia eiusdem speciei, dicitur benè determinare, ne alia fiant; non verò determinare vt fiat hoc.

.

Suprà
disp. 2.

Arriaga

Rr

Rr

rum non habent per se specialem libertatem; ut illam immediatissimam, & per se habet actus voluntatis dicto modo imperatus, ut mox videbimus.

79 Secundò: quia actus sic imperans est principium actus imperati; ac proinde est quid antecedens ad actum imperatum: & necessariò connexum cum illo: sed omniò antecedens necessariò connexum cù actu adimit libertatē actus, utpote necessitatis ad actum: ergo adimit libertatē actus; ac proinde, & specialem rationem meriti. Non enim ex alia ratione negatur ratio propria specialis meriti actionibus externis. Respondetur, concessā maiori, minorem, quamvis a multis cum plausu receptam, generalitèr esse falsissimam, ut multis ostendimus *disp. 18. sect. 3.* & comprobabimus inferius. Solum igitur est vera, quando eiusmodi antecedens necessariò connexum non est impedibile pro libertate voluntatis: at actus imperans, cum liber voluntati abs dubio sit, est pro libertate voluntatis impedibilis, & pro libertate ponitur in eo ipso instanti. Unde nulla est consequentia. Nec verum est quod in probatione maioris assumitur de actionibus externis: non enim illis negatur propria & specialis libertas, quia eam ipsis adimat actus voluntatis internus imperans; quomodo enim adimat, quod nec haberi posset; sed quia illam ex se non habent, & actus imperans illam ipsis specialem non dat; sed per suam illas extrinsecè liberas denominat. At actus imperatus voluntatis ex se illam specialiter habet: vnde sufficit, quod illam non adimat, nec impediatur actus imperans: eo enim ipso illam de suo retinet imperatus: imperantem autem nullatenus illam adimere, nec impedire, probabitur infra.

80 Tertio: quia qui, posito iam actu efficaciter imperante, exhibet imperatum, nullum novum exhibet obsequium Deo, quod possit non exhibere: ergo nec novum meritum. Non enim, accepto premio correspondente actui tunc efficaciter imperanti, posset aliud premium rationabiliter exigere pro actu voluntatis sic imperato. Respondetur, antecedens esse falsum: verè enim actus novus voluntatis bonus, supernaturalis tunc exercitus est novum obsequium, quod posset homo tunc liberrimè non

exhibere, libere impediens actum sic imperantem. Nego itaque, non esse rationabiliter exigibile ab eo homine speciale premium pro actu imperato, si solum accepisset premium correspondens imperanti: cum liberrimè exerceat duos actus bonos, & supernaturales, & non accepisset nisi pro vno.

81 Quarto: quia, posito casu, quod duo homines haberent actus æquè efficaciter volentes, & imperantes actum charitatis, existimantes, se habere principia sufficientia ad illum effectivè exercendum; si unus ea principia reipsa haberet, & alter non; ille exerceat actum charitatis, & iste non: sed non magis mereretur ille, quam iste: ergo quia actus charitatis imperatus reipsa exercitus, non habet, nec addit quidquam meriti. Minor probatur: quia uterque vellet æquè efficaciter affectivè exercere charitatem: quod autem iste effectivè illam non exerceat, non stat per ipsum: & apud Deum voluntas efficax reputatur pro facto: ergo non magis mereretur ille exercens, quam iste reipsa non exercens actum charitatis. Respondetur, transmissio casu, & concessā maiori, negando minorem. Ad probationem concedo, quod uterque æquè efficaciter affectivè id vellet: concedo etiam quod non staret per hominem, carentem principijs, non exerceri tunc effectivè actum charitatis. Inde tamen non bene infertur consequentia, quod non magis mereretur alter, illum reipsa exercens; sed quod homini illi sic volenti, & ex defectu principiorum non effectivè exercenti, non imputaretur in eo casu ad vituperium, nec culpam, nec ad poenam, non exerceat talem actum. Quemadmodum nemo mereretur apud Deum, quantumvis vellet, si Deus nemini exhiberet auxilia gratiæ; non tamen ipsi tunc imputaretur ad vituperium, nec ad culpam, nec ad poenam non mereri; siquidem per ipsum non staret. Axioma illud: *Voluntas efficax apud Deum reputatur pro facto*: intelligendum est cum grano salis, ne nos inducat ad dicendum paradoxè, hominem efficaciter affectivè volentem amare Deum, sicut amant omnes sancti, & obsequi Deo, si posset, eā perfectione, qua B. Virgo, & Christus, mereri tantum, quantum isti, ac proinde infinite. Absit tam crassa intelligentia recepti Axiomatis. Sic ergo

id

id aptè intellige, quod voluntas apud Deum reputatur pro facto quoad merendum, si factum est bonum; vel quoad demerendum, si malum; non verò quoad tantundem merendum, vel demerendum, quando factum habet etiam rationem specialem proprii meriti, aut demeriti, ut in nostro casu: propterea diversissimo, prout vidimus, à casu imperij, seu volitionis actionum externarum.

82 Afferendū igitur omnino est, actum voluntatis imperantem non adimere, nec impedire actui imperato libertatem requisitam, ut imperatus internus eiusdem voluntatis alioquin bonus, & supernaturalis, propriam, habeat, addatque rationem specialis meriti. In hoc conveniunt cum Suarez, Ripalda, Oviedus, & Haunoldus contra Arriagam, & Esparzam. Ratio mihi efficax est. Quia, supposita semel imperabilitate predicta actuum internorum per alios eiusdem voluntatis, posset abs dubio peccator, urgente præcepto poenitendi, & ex affectu efficaci obediendi præcepto imperare sibi contritionem, vel attritionem: non enim est præceptum respectu cuius exerceri non possit obedientia formalis, quamvis impleri posset per materialem. Ecce autem in eiusmodi homine actus imperans obedientiæ formalis, & actus efficaciter imperatus contritionis, aut, si mavis, attritionis pro casu Sacramenti.

83 Nunc sic. Aut eo modo se satis meritorie disponit homo ad iustificationem; vel non. Hoc posterius dici nequit: esset enim absurdissimè dicere, eum hominem, si solum haberet contritionem cum Sacramento, satis esse dispositum, & esse iustificandum; tunc verò nec satis esse dispositum, nec iustificandum, nec extra, nec intra Sacramentum, quia habet contritionem imperatam ab actu supernaturali, & honestissimo, formalis obedientiæ: quasi affectus formalis obediendi præcepto obtare possit adimpletionem præcepti, & iustificationem hominis sic obedientissimè, & honestissimè operantis: quod equidem, mihi, ut ingenuè loquar, quamvis concessum quandoque viderim, prorsus iudico paradoxum, & vix probabile. Curandum enim esset poenitentibus, & Confessarijs, nè accedatur ad Sacramentum, urgente præcepto, ex affectu formaliter obediendi præcep-

to, imperante dolore peccatorum: quod audiri nequit. Dicendum igitur est in ad prius, quod nempe in eo casu se satis disponeret ad iustificationem peccator per contritionem, aut attritionem, quantumvis efficaciter imperatus per actum obedientiæ formalis.

84 Subinfero certissimè: ergo actus contritionis, vel attritionis, quamvis sic efficaciter imperatus per actum obedientiæ formalis, retinet additque propriam, & specialem rationem meriti supra meritum actus efficaciter imperantis. Monstratur hæc consequentia, quæ ipsissima est assertio nostra. Nullus enim actus voluntatis proximè disponit ad iustificationem, nisi vel contritio intra, & extra, vel attritio intra Sacramentum: ac proinde, nec actus obedientiæ formalis, sicut nec alterius virtutis moralis habet ex lege vim hanc meritorie ultimò disponendi, ut innegabile est ex dictis *disp. 20. sect. 3.* & 4. Si ergo in predicto casu homo se satis ultimò disponit, & certissimè iustificatur, id esse nequit ex vi præcisè dispositivæ, & meritorie actus obedientiæ imperantis, sed actus contritionis, seu attritionis imperati: ergo quia, non obstante efficacia actus imperati, retinet, & addit actus imperatus suam rationem specialis meriti: quam nequaquam adimit actus imperans.

85 Nec huic argumento, ut minus bene ait Haunoldus, facile responderetur per doctrinam Patris Vasquez, adscribentis contritioni vim formalem iustificandi. Nam, ut alia prætermittam, relinquatur intacta tota vis in actu attritionis intra Sacramentum: qui nec iuxta Vasquez forma iustificans est.

86 Nec item prodest respondere ex Hurtado, negando casum, quod nempe actus divinæ charitatis possit efficaciter imperari per actum alterius virtutis. Manet enim tota vis pro casu sic posito, & admissio ab Adversarijs. Manet etiam intacta tota vis; quoad actum attritionis in Sacramento, qui quidem actus charitatis non est. Nihil præterea nisi argumenti vis adigere quemquam posset ad negandam imperabilitatem actuum charitatis, si semel admittatur aliorum actuum voluntatis supernaturalium imperabilitas. Satiùs foret, illam pro omnibus non supposuisse; sed omnibus ne-

Rit a

gare

Suprà,
disp. 18.Suprà
disp. 20.

Haunold.

Hurtado.

gare cum Sapientissimo Vasquez, satis annuente Eximio Suarez: quia nempe in eo qui potest, velle efficaciter exercere actum charitatis, non est imperare actum distinctum ab eo ipso velle; sed est exercere illud ipsum velle: quid enim aliud agit voluntas quando actum charitatis exercet, nisi efficaciter velle actum charitatis exercere? Sed hæc aliò pertinent.

Ovied.
Lug.

87 Nec decet responderè cum Oviedo ex Card. de Lugo, Deum in eo casu acceptare meritum actus imperantis, tanquam ultimò dispositivum, & de congruo meritorium iustificationis. Sed vndenam, precor, privilegium istud colligitur pro tali casu, si dolor ille non est meritorius? Simili divinatione qui simili argumento premeretur posset dicere, contritionem, nec per se liberam, nec per actum liberum imperatam fore pro eo casu sufficientem dispositionem ad iustificationem ex acceptatione Dei pro illo casu: sicut Martyrium in parvulis sine vlla sua dispositione liberà. Constat quidem de Lege Dei, & nec leviter constat de eiusmodi privilegio pro illis casibus, sicut constat de Martyrio. Quis ergo Theologus huic divinationi fidat pro praxi?

88 Omnino igitur dicendum est, in eo casu contritionem, quantumvis efficaciter imperatam, esse meritoriam speciali ratione meriti ultimò dispositivi, quod non competit actui obedientiæ imperanti: atque adeò, non obstante efficacità intrinsecà actus imperantis, esse in imperato, quomodolibet sit, libertatem sufficientem ad speciale meritum: sive quia, non obstante imperio, gaudet actus imperatus proprià suà libertate immediatà; sive quia ad meritum sufficit mediata in actu sic liberè imperante. In quo puncto disconveniunt Authores, qui nobiscum defendunt contra paucos præcedentem nostram assertionem.

Ripald.

89 Nam P. Ripalda tom. 1. disp. 68. & latius tom. 2. in Appendice ad disp. 75. contra Ioan. de Lugo docet cum multis, præsertim Scotistis, eiusmodi actus imperatos non habere propriam, & specialem suam libertatem immediatam; habere tamen libertatem sufficientem ad Meritum; quia iudicat sufficere mediatam in actu imperante. Pater verò Suarez statim citandus docet, eos actus habere propriam suam, & immediatam

Suarez.

libertatem; ideòque expeditius propriam suam specialem rationem Meriti. Iudicium nostrum dabit sectio sequens.

SECTIO VIII.

Actus voluntatis imperatus, non obstante efficacità intrinsecà imperantis, habet propriam, & immediatam libertatem, ideòque sufficientem ad speciale Meritum.

90 **C**ONCLUSIO est expressa Patris Suarez tom. 3. lib. 12. de Grat. cap. 11. Cardin. Pallavicini 1. 2. disp. 6. quæst. 12. art. 9. Patris Coninc 1. 2. disp. 2. dub. 13. Haunoldi lib. 2. tract. 1. cap. 3. contr. 4. §. 3. Ribadeneyre disp. 9. de Prædest. nu. 15. & insignium nostratum Magistrorum in Manuscriptis: contra Hurtadum, Ripaldam, Oviedum, Arriagam, Esparzam, Martinonum disp. 44. sect. 12. & Requenfennium disp. 12. de Voluntario, multoque Modernos.

91 Ratio à priori. Propria, & immediata libertas ad actum est propria, & immediata potestas exercendi actum coniuncta cum potestate proprià, & immediatà illum omittendi pro libito: sed actus v.g. iustitiæ, quantumvis efficaciter imperatus per actum v. g. obedientiæ, exercetur cum utraque illa proprià, & immediatà potestate: ergo cum proprià, & immediatà libertate: estque immediatissimè liber, atque adeò specialiter meritorius. Consequentia liquidissima est: & maior, innegabilis. Minor, quæ posset in dubium revocari, probatur. Atque in primis, quòd exerceatur cum potestate propria, & immediatà illum exercendi patet ex terminis: eum evidens sit, actum exerceri cum potestate proprià, & immediatà, per quam tunc propriè, & immediatè exercetur: alioquin exerceretur sine potestate, per quam exercetur. Deinde, quòd exerceatur cum potestate proprià, & immediatà illum omittendi probatur: quia quando exercetur actus liberè imperatus, exercetur cum illa potestate eum omittendi, qua exerceretur omisso, si omitteretur actus: sed si omitteretur actus imperatus, omisso etiam imperio, exerceretur ea actus imperati omisso per potestatem propriam, & immediatam illum omittendi: ergo cum hac potestate immediatà omittendi exercetur

Suar.
Pallav.
Coninc.
Haunol.
Ribad.
Hurtad.
Ripald.
Ovied.
Arriag.
Esparz.
Martin.
Reques.

cetur actus imperatus quando exercetur: ac proinde cum proprià, & immediatà libertate. Probatur hæc minor. Potestas omittendi actum imperantem obedientiæ, non est potestas omittendi actum imperatum iustitiæ; cum posset omitti actus obedientiæ, qui imperat, non propterea omisso, imò exercito sine tali imperio actu iustitiæ, qui imperatur, ut est certum; præsertim apud Adversarios negantes influxum physicum effectivum actus imperantis in imperatum: ergo, si omitteretur actus imperatus, exerceretur eius omisso per potestatem propriam, & immediatam illum omittendi; atque adeò cum ista potestate immediata omittendi fit actus imperatus quando fit: ergo cum potestate immediata illum faciendi, vel omittendi prohibito voluntatis: ac proinde cum libertate immediatissimà.

92 Confirmatur. Actus iustitiæ per alia, quæ tunc adsunt ad illum comprincipia, secluso actu imperante, si exerceretur, exerceretur immediatè liberè: ergo etiam si exerceretur per eiusmodi imperium efficaciter. Antecedens supponitur; quia totus obex immediatæ libertatis actus imperati dicitur esse actus imperans: hoc itaque secluso, ceteris manentibus, staret inoffensa eius immediata libertas: nec esset, cur actus iustitiæ si exerceretur, non exerceatur immediatè liberè. Probatur autem consequentia: quia eiusmodi imperium, sicut nihil adimit comprincipiorum constituentium libertatem ad ipsum actum imperantem, ita nihil adimit comprincipiorum constituentium libertatem ad actum imperatum alterius virtutis, quæ quidem libertates, ut vidimus num. præc. non solum diversæ, quin etiam incònexæ sunt; cum exercibilis secundum se sit libertas ad actum iustitiæ, in exercitâ libertate ad actum formalis obedientiæ: ergo si, secluso imperio, exerceretur immediatè liberè actus iustitiæ, etiam, posito imperio?

93 Respondent, actum efficaciter imperantem nihil quidem tollere comprincipiorum ad imperatum; sed addere comprincipium imperij efficaciter, quod impedit, ne immediatè liberè exerceatur principia actus sic imperati: cuius propterea impediti exclusionem dicit essentialiter eius immediata libertas.

Tota vis opinionis adversæ nititur in hac petitione principij. Argumentor ita. Actus liber imperans eiusdem voluntatis, quantumvis intrinsecè efficax, non est impedimentum immediatæ libertatis actus imperati magis quam suæ: sed suæ, quæ utique tunc immediatè liberè exercetur, non est impedimentum, cuius exclusionem dicat immediata ipse libertas: ergo nec libertatis actus imperati est impedimentum, cuius exclusionem dicat immediata eius libertas. Maior probatur: quia, quantumvis impedit omisionem actus imperati ne sit; propter oppositionem scilicet omisionis cum actu; non tamen impedit libertatem, ne sit, sed ne exerceatur per omisionem: libertas enim, nec est actus, nec omisso, sed facultas disiunctim ad utrumque pro libito. At similiter actus imperans impedit eius omisionem, cum qua opponitur; non verò eius libertatem ne ipsa sit, sed ne exerceatur per omisionem sibi oppositam: ergo non magis est impedimentum libertatis immediatæ actus imperati, quam suæ. Maior patet: quia libertas ad actum, tam imperantem, quam imperatum, distinctum quid est tam ab actibus, quam ab eorum omisionibus: vnde, sicut actus ipse imperans impediens libertatem suam ne exerceatur per ipsius omisionem, non impedit illam ne sit, dum per ipsum exercetur; sed ne tunc exerceatur per ipsius omisionem; quia nempe est impedimentum positum pro libito voluntatis potentis tunc pro libito non ponere; sic etiam, quamvis impediatur libertatem actus imperati, ne exerceatur per eius omisionem; non illam impedit ne sit: quia est impedimentum positum pro libito voluntatis potentis pro libito non ponere. Huiusmodi autem impedimentum nihil officit libertati; nec nisi petendo principium dici potest, quòd eius exclusionem dicit immediatissima libertas: sicut neque libertas immediatissima ambulandi dicit exclusionem vinculorum, quæ mihi ego ipse imponerem hic, & nunc pro meo libito, potens hic, & nunc pro libito non ponere.

94 Dices: valde disparem esse rationem: quia actus imperans est impedimentum antecedens, tenens se ex parte actus primi respectu actus imperati; non tamen

tamen sic respectu sui, qui est actus ipse secundus. Contra tamen. Primum, quia iam non disputamus de potestate immediatâ exercendi actum imperatum: hæc enim innegabilis est, ut vidimus nuper; sed de potestate etiam immediatâ ad illum omittendum: ex quibus duabus potestatibus coalescit immediatâ libertas. Quamvis autem ad actum imperatum, quem causat, sit quid antecedens actus imperans; non verò ad eius omissionem, quam utique non causat, imò liberè impedit: ergo respectu istius non est impedimentum antecedens magis quàm ad ipsius actus imperantis omissionem: nec quidem respectu voluntatis, à qua scilicet ipse liberè causatur. Quòd verò sit impedimentum omissionis actus imperati, antecedens ad actum imperatum, quem causat, non tollit quominus pro libito voluntatis ponatur: ergo, quamvis positus antecederet ad actum imperatum impediatur omissionem actus imperati; non impedit potestatem ad omissionem actus imperati; sicut nec potestatem ad omissionem sui: quæ potestas exerceretur, si voluntas pro libito vellet omittere vtrumque; cum neutram enim harum potestatum opponitur actus imperans, sed cum omissionibus tam sui, quàm actus imperati.

95 Contra secundò. Quòd impedimentum illud omittendi tunc actum imperatum, sit antecedens ad actum imperatum, non verò ad actum ipsum imperantem, cum sit actus ipse imperans; nihil confert ad tollendam immediatam potestatem omittendi imperatum, potius quam ad tollendam immediatam omittendi imperantem: ergo ratio disparitatis est nulla: atque adeò, non obstante illo impedimento pro libito voluntatis tunc posito, manet illæsa immediata potestas vtrumque omittendi; ac proinde immediatissima libertas vtrumque exercendi. Probatur antecedens: id enim in re nihil est aliud, quàm non posse omitte actum imperatum, nisi omisso simul imperante antecederet, & connexè se habente ad imperatum: sed id non tollit quominus ea sit potestas immediata omittendi vtrumque: ergo confert ad intentum disparitatis omninò nihil. Minor probatur dupliciter, & efficaciter. Primum: quia quòd vnus actus exerce-

ri non possit, nisi exercito simul alio naturâ antecedenti, non tollit, quominus vterque immediatè exerceatur, ac proinde ne sit immediata potestas ad exercendum vtrumque: ut patet in ipsis actibus imperante, & imperato, quos immediatissimè exercet voluntas, ac proinde per potestatem immediatam vtrumque immediatè exercendi, quamvis vnus antecedit naturâ; & in natura, & subsistentia creatis mutuò connexis, vnâ tamen cù prioritatem ad aliam, æquè immediatè producis, & producibilibus à causa. Secundò: quia, quòd vnus aut destrui, aut impedi non possit, nisi aut destructo, aut impedito etiam alio, quorum vnus esset altero naturâ prius, non tollit quominus vtrumque immediatissimè aut destruat, aut impediatur; ac proinde ne sit immediata potestas ad destruendum, aut impediendum vtrumque: ut patet in actione, & termino, in natura, & subsistentia creatis, in visione, & amore beatificis; in materia prima, & forma, & in actu supernaturali cognoscente, se æquè duraturum, ac habitus à quo fit, & in alijs sexcentis, quorum vnus nequit destrui, aut impedi, nisi alio naturâ priori etiam destructo, vel impedito, & tamen immediatissimè impeditis, seu destructis sapè à Deo, ac proinde per potestatem immediatissimam vtrumque destruendi, vel impediendi. Igitur, quòd non possit voluntas in nostro casu omittere actum imperatum, nisi omisso etiam imperante antecederet, & connexè se habente ad imperatum, non tollit, quominus sit immediatissimè potens omittere vtrumque: atque adeò ne ea potestas omittendi imperatum sit immediata, similiterque immediata libertas eum exercendi, nequaquam obstante impedimento libero imperantis.

96 Horum omnium ratio fundamentalis est. Quia impedimentum sive omittendi, sive exercendi actum alioquin liberum, quod ponitur pro libito eiusdem voluntatis, potentis tunc pro suo etiam libito illud non ponere, illud evitare, seu amovere, nihil profus officit libertati: sicut nec actus ipse quo libertas exercetur, quamvis non sit minùs connexus, ut ita dicam, cum semetipso, nec minùs oppositus eius omissioni, quàm sit actus efficaciter imperans con-

nexus

nexus cum imperato, & oppositus eius omissioni. Tale autem impedimentum est actus liber imperans, ut per se patet: atque adeò nihil omninò derogans immediatissimæ libertati actus imperati, alioquin liberis haud quidem secus, ac si tale impedimentum somittendi non esset. Nec curæ mihi est, quòd tale impedimentum sit naturâ antecedens ad actum imperatum, propter ea, quæ dixi disp. 18. sect. 3. Ad intentum enim tuendam, vel tollendam libertatis momenti non est eiusmodi antecedentia, vel non antecedentia impedimenti: cum totum negotium sit evitabilitas, vel inevitabilitas illius pro libito voluntatis tunc operantis: quemadmodum ad libertatem ambulandi salvandam, vel non salvandam, momenti non est, quòd quis, sive antepediatur muro, sive ponè retrahatur fune, sive à dextris, sive à sinistris teneatur manibus; sed quòd liberum sit, vel non sit ambulabundo, se pro libito ab eiusmodi obstaculis expedire.

SECTIO IX.

Obiectiones.

97 **O**BIECIUNT. Actus imperans est vnus ex principijs actus imperati; & cum sit intrinsecè efficax, est necessariò connexus cum illo. Sed omne principium necessariò connexum cum actu tollit libertatem actus: ergo actus sic imperans tollit libertatem actus imperati: ac proinde cum eiusmodi imperio stare nequit immediata libertas, nec speciale meritum actus imperati. Minorem probant: quia necessitas, quam præfert eiusmodi principium, est necessitas antecedens, sicut principium ipsum est antecedens: sed necessitas antecedens tollit libertatem actus: quippe eo ipso iam non evaderet liber à necessitate: ergo omne comprincipium sic necessariò connexum tollit libertatem. Minor hæc probatur: non enim ex alia ratione dicimus, prædeterminationes físicas tollere libertatem, nisi quia sunt quid antecedens essentialiter connexum cum actu nostro.

98 Respondetur concedendo maiorem, & supererogando, si placet obicientibus, actum imperantem influere etiam effectivè physicè in imperatum.

At minorem generaliter usurpatam esse falsam, multis positivè comprobavimus disp. 18. sect. 3. Ex ibi dictis sic illam nunc distinguimus: si tale comprincipium, aut tale connexum, modò sit antecedens, modò non, est tunc impedibile, seu evitabile pro libito eiusdem voluntatis, negamus minorem; si nec ponitur pro libito, nec est tunc evitabile pro libito eiusdem voluntatis, concedimus minorem: & negamus consequentiam. Nam actus imperans, cum liber sit, tale comprincipium est, quod ponitur tunc pro libito voluntatis, & pro eiusdem libito potest non poni: ut est extra dubium. Ad probationem minoris distinguo maiorem: est necessitas sui, id est, ipsius actus imperantis ad non effendum sine imperato, concedo; necessitas voluntatis ad non effendum sine vtroque, nego maiorem; seu potius eius suppositum: quia talis necessitas efficiens voluntatem ad non omittendum actum sic imperatum, omisso etiam imperante, non datur: hæc autem necessitas nihil obstat libertati vtriusque, dummodò voluntas pro libito possit vtrumque omittere: sicque est tunc libera voluntas à necessitate omittendi actum imperatum, cum possit illum omittere pro libito, omittendo etiam imperantem. Quòd autem non possit illum omittere non omisso imperante nihil officit; sicut nec officit libertati actus non posse illum omittere nisi omisso quoque illius productione in sententia distinguente productionem amoris ab amore. Unde nulla est consequentia. In probatione minoris paritas prædeterminationis físicas non est ad rem: non enim idè prædeterminatio tollit libertatem, quia est quid antecedens ad actum, & connexum cum actu; sed quia præterea non est volentis neque currentis illam habere, vel non habere, cum non ponatur pro libito voluntatis: at actus liber imperans volentis quidem, & currentis est; cum ponatur pro libito voluntatis potentis tunc illum pro libito non ponere; cum sit apud omnes actus liber eiusdem voluntatis.

99 Urgent. Quando voluntas exercet actum sic imperatum iam imperans non est evitabilis pro libito: ergo exercetur imperatus cum impedimento eam omittendi, inevitabili iam pro libito voluntatis; ac proinde non liberè, sed

neces-

Suprà
disp. 18.

Suprà
disp. 18.

necessariò exercetur ex ipsa nostra res-
ponfionis doctrina. Antecedens proba-
tur: quia, quamvis imperans, & impera-
tus exercentur tunc temporis in eodem
instanti reali; natura tamen prius exer-
cetur imperans, & natura posterius exer-
cetur imperatus: ergo cum exercetur im-
peratus, non est iam liberè evitabilis
imperans. Probatur hæc consequentia:
quia cum exercetur imperatus iam sup-
ponitur pro priori exercitibus imperans,
& imperatus exercetur ex suppositione
imperantis: iam ergo non est liberè evi-
tabilis imperans: *quia res ex suppositione
quod est, necessario est.* Confirmant: quia
quod est natura prius evitari non potest
per id quod est natura posterius; cum
omnino repugnet, rem fuisse pro priori
natura, & evitari pro posteriori: effet
enim rem esse simul, & non esse in instā-
ti temporis: effetque evitari imperantem
per omissionem actus imperati ad quam
natura præsupponitur. Si igitur actus
imperatus supponitur tunc esse pro
priori natura, quomodo potest evitari
pro posteriori? Si autem evitari iam
non potest, exercetur pro posteriori actus
imperatus cum impedimento omitten-
di iam inevitabili, ac proinde non libe-
rè, sed necessariò.

100 Scater miseris æquivocationi-
bus, ne quid dicam acrius, vulgaris isthæc
argumentatio. Primò namque, si tunc
temporis exercetur liberè actus impe-
rans pro priori natura, quomodo pro
posteriori necessariò se habet? Nonne
hoc esset esse liberum, & non esse libe-
rum pro instanti reali, quod est chyme-
ricum? Secundò: si res ex suppositione
quod est, necessariò est necessitate oppo-
sitâ libertati, quandonam actus liber
est liberè? Siquidem non est nisi dum
est, & ex suppositione quod producitur,
& est? Tertio: si omisio actus imperati
non est, nec pro priori, nec pro postero-
ri, quando est actus efficaciter imperans;
& actus sic imperans non est quando
evitatur per omissionem actus imperati,
quomodo, precor, aut quandonam est
actus imperans natura prius ad eam evi-
tationem, seu omissionem imperati?
aut hæc evitatio, seu omisio natura po-
sterius ad actum imperantem? Cum certè
nec iste illam, nec illa istum causet; imò
coexistere mutuo sibi repugnent? Ex ijs
sic à multis inconsideratè dictis, quid
non sequatur?

101 Itaque in forma nego absolutif-
simè antecedens. Ad probationem con-
cedo libenter antecedens: quia tam actus
imperans, quam imperatus exercentur
tunc temporis, ille istum causans, & iste
ab illo causatus: in quo stant prioritas, &
posterioritas natura, nativitas, seu cau-
salitatis. Nego verò consequentiam. Ad
eius probationem distinguo antecedens:
exercetur imperatus ex suppositione im-
perantis tunc temporis voluntati libe-
râ, concedo: ex suppositione voluntati
necessariâ, nego antecedens, & conse-
quentia: quia suppositio actus imperan-
tis tunc temporis voluntati libera, cum
in eo ipso instanti sic ponatur, ut possit
pro libito eiusdem voluntatis non poni,
nihil officit libertati actus imperati: quia
non est impedimentum; quod pro libito
voluntatis non possit evitari, evitari
pro libito tali suppositione. Nec est è re
proloquium illud: capitur enim à Philo-
sophis de necessitate logica cõsequentiæ:
res est, ergo est; quo nihil verius: hæc au-
tem necessitas non opponitur libertati;
cum de quolibet actu libero similiter di-
catur per necessarissimam consequen-
tiam: *est, ergo est*; scilicet, eo modo quo
est: sic; si liberè est, necessariò liberè est:
quatenus necessarissima consequentia
est: *liberè est, ergo liberè est.* Non verò ca-
piendum est à peritis de necessitate phy-
sica opposita physica libertati in operan-
do. Sic enim id intelligenti respondebi-
tur per iocum, quod *res ex suppositione
quod est, necessario est eo modo quo est.* Vnde
si liberè est necessariò liberè est. Sic au-
tem esse tunc tam actum imperatum,
quam imperantem contendimus; & quæ
contendat oppositum, redire cogetur à
proloquio, quod inutiliter assumpsit, ad
caput argumenti.

102 Ad confirmationem, transmissa
antecedente, quod alibi disputatur, dico
ad consequentiam, aliud esse evitacionem
actus imperantis, quæ scilicet non con-
stituit libertatem, sed est exercitium
libertatis; aliud & valdè diversum esse
potestatem illum pro libito evitandi,
quæ scilicet cum potestate illum pro li-
bito disiunctim exercendi constituit li-
bertatem ad illum exercendum, sive
omittendum. Non dicimus, actum im-
perantem posse pro libito voluntatis
evitari per actum imperatum natura
posteriorem; qui nempe nec est evitatio
actus

actus imperantis, cum sibi amicissimè
coexistant; nec est potestas ad evitatio-
nem; cum non sit cõprincipium evitatio-
nis actus imperati: nec enim causat
omissionem sui, nec actus imperati, imò
cum illa coexistere repugnat, ut est plus-
quam certum. Quod dicimus est, actum
imperantem evitari per omissionem
imperati, & sui, casu quo neuter exer-
cetur: & in casu nostro, quo exercetur
vterque, quamvis non evitetur, posse ta-
men pro libito voluntatis evitari per
potestatem illum pro libito non exer-
cendi: quæ quidem potestas non se habet
pro posteriori natura ad illum, sicut
actus imperatus: alioquin imperans non
exerceretur liberè. Vnde nulla prorsus
est subillatio.

103 Obijciunt secundò. Omnia cõ-
principia constituentia libertatem in
actu primo ad actum, vel eius omisio-
nem debeat posse componi sive cum
actu, si voluntas eligit actum, sive cum
omissione, si pro libito eligit omisio-
nem: sed casu, quo vnum ex comprinci-
pijs actus imperati est actus imperans
connexus cum imperato, non omnia
comprincipia actus imperati componi
possent cum eius omissionem, ut per se
patet: ergo actus sic imperatus non exer-
cetur liberè libertate saltem immediata.
Maiorem probant: quia omnia comprin-
cipia debent esse indifferentia ad vtram-
libet partem libertatis: libertas enim in
eo stat, quod potentia, *positis omnibus re-
quisitis ex parte actus primi, possit pro libi-
to operari, seu pro libito non operari*: ergo
omnia debent posse componi, sive cum
actu, si voluntas eligit actum; sive cum
omissione actus, si eligit omissionem.
Confirmatur. Omnia comprincipia cõ-
stituentia libertatem in actu primo, ha-
bent se pro priori natura ad vtramlibet
partem exercitij libertatis, quam pro li-
bito potest eligere voluntas: non autem
se habent pro priori ad actum secun-
dum, si non componerentur cum actu
secundo, quem eligeret voluntas.

104 Respondetur negando firmiter
maiorem. Triplex enim est genus com-
principiorum, ex quibus constituitur li-
bertas in actu primo, v.g. ad volendum,
vel nolendum. Sunt quæ ad vtramlibet
partem effectivè concurrunt: ut voluntas,
& Omnipotentia. Sunt quæ concurrunt,
seu alliciunt ad volendum, & retrahunt

à nolendo: ut illustrationes, & inspira-
tiones sanctæ, habitusque virtutum ad-
invantes ad honestè volendum, & re-
trahentes à nolendo turpiter. Sunt quæ
è diverso concurrunt, seu alliciunt ad
nolendum, & retrahunt à volendo: ut
tentationes, & habitus vitiosi instigan-
tes, & inclinantes ad turpiter nolen-
dum, & retrahentes ab honestè volendo.
Ex ijs non omnia se habent vno modo:
sed voluntas sic instructa habet se indiffe-
renter activè ad vtrilibet; alia verò non
sic; sed vna ad vnam partem; alia ad aliam
pro determinatione, & libito voluntatis
eligentis, aut velle cum ijs, aut nolle
cum alijs. Quemadmodum anima ope-
ratur omnes motus vitales hominis; sed
ad vnos adiuvarur à brachio dextro, ad
alios à sinistro. Hinc dico, comprincipia
libertatis activè indifferentia ad vtramli-
bet partem, cum in vtramlibet, si eliga-
tur, influant effectivè, debere posse com-
poni cum vtralibet: ideòque voluntas,
si velit, coniungitur cum volitione, si
nolit, cum nolitione. Alia verò comprin-
cipia non debent posse componi cum
vtralibet parte: quia non sunt activè in-
differentia ad vtrumlibet, cum non in-
fluant in vtrumlibet: sufficit illis indif-
ferentia passiva, aut coniungibilitatis
cum vtrilibet extremo, si neutri repug-
nent; aut evitabilitatis pro libito volun-
tatis, si coniungi repugnent cum extre-
mo, quod eligit, sibi que coniungit vo-
luntas: ut de Gratia habituali influente
in actum præceptum diximus latè *disp.*
18. Vnde, cõcessâ minori, negamus con-
sequentiam: quia actus liber imperans
vnum est ex illis comprincipijs impera-
ti, quæ non sunt activè indifferentia ad
vtramlibet partem: sicque, quamvis sit
connexum cum actu imperato, & incon-
iungibile cum eius omissionem, consti-
tuit, & salvat eius libertatem, quia est
pro libito voluntatis evitabile, eadem
libertate, qua voluntas illum liberè im-
perat potens pro libito non imperare; &
re ipsa liberè evitandus, si voluntas eli-
gat, sibi que coniungat omissionem actus
imperati inconiungibilem cum impe-
rante.

105 Ad probationem maioris dico;
omnia quidem comprincipia debere esse
se indifferentia ad vtrumlibet; sed non
eodem indifferentiæ modo; cum iuxta
naturas suas non sint eodem modo com-

Suprà
disp. 18.

principia. Pro alijs requiritur indifferencia activitatis ad vtrumlibet; pro alijs indifferentia coniungibilitatis, seu coexistibilitatis cum vtrilibet: pro alijs sufficit indifferentia evitabilitatis ad libitum voluntatis electivæ: & horum est actus efficaciter imperans respectu immediatæ libertatis imperati: quam propterea aptissimè constitutam, sartam, textamque relinquit: vt *disp.* 18. diximus etiam de Gratia incópossibili cum omisione peccaminosâ respectu actus præcepti. Nec aliud sibi vult definitio potentia liberæ: quæ, *positis omnibus requisitis, &c.* id enim verissimè salvatur, si principia, aut possint cum vtrilibet extremo libertatis coniungi pro libito voluntatis eligentis; aut, si aliqua sint cum altero inconiungibilia, possint pro libito eiusdem voluntatis amoveri, seu non poni: sic enim potest optimè voluntas, evitando eiusmodi impedimentum inconiungibile cum altero extremorum sui actus secundi, expedire se pro libito ad vtrumlibet actum secundum. Vnde negatur probationis consequentia.

106 Ad confirmationem, in duplici sensu proferri solet illa maior. Vno modo, quod omnia comprincipia libertatis sint pro priori naturæ ad duplex extremum libertatis: alio modo, quod sint pro priori naturæ ad vtrumlibet, quod re ipsa eligatur. In priori sensu esset paradoxæ: quia si vtrumque extremum re ipsa non est, quomodo respectu illius, quod non est, cum re ipsa nullatenus sit, habent se comprincipia pro priori? In posteriori autem sensu est mihi falsa, & absolutè neganda. Quippè sentio cum Ribadeneira latè id, doctèquè propugnante, & explicante, *disp.* 7. de *Act. hum.* ex comprincipijs, quæ constituunt libertatem voluntatis ad vtrumlibet extremum, illa quæ potius retrahunt, quàm efficiunt, aut alliciunt ad illud extremum, quod re ipsa eligitur, cum illud non cauent, non se habere pro priori naturæ, seu causalitatis ad illud: nam, vt denominent liberum actum, sufficit si simul coexistant: certè enim ab actione, quæ pro posteriori se habet ad causam, denominatur causa producens: & ab altera albedine omnino simul se habente ad alteram denominatur altera alteri confimilis. Hinc infirmatur totum confirmationis robur. Multa quæ contra hoc as-

fert Haunoldus *contr.* 4. vt inde prober, cuilibet actui libero inesse intrinsecam, & essentialem libertatem, multum non vrgent: & aliò pertinent.

107 Obijciunt tertio. Voluntas tunc sic exercens actum imperantem, & imperatum, antecederet naturâ ad imperatum est ad ipsum determinata per imperantem, ac proinde prædeterminata: ergo non est iam immediatè libera ad imperatum. Probatur consequentia: quia si est determinata iam non est indifferens: determinatio enim opponitur indifferentiæ: sine indifferentia autem non datur libertas, nec sine immediata indifferentiâ immediata libertas. Sic enim arguere solemus contra phisicas prædeterminationes divinas. Simili obijcendi modo audiens quidam, concedi à nobis, illustrationes, sanctas esse quid phisicum, præcedere ad actus salutares, & esse motiones, argutabatur sic: datur *phisica*, datur *præ*, & datur *motio*: ergo *phisica* præmotio. Egregiè. Hoc etiam acumine persuadere sibi possent obijcetes, qui productionem amoris ab amore distinguunt, amorem nunquam esse liberum, quia voluntas ad illum determinatur, inò, & prædeterminatur per productionem antecedentem.

108 Respondetur, distinguendo antecedens: voluntas est determinata, aut, si mavis, sine vocis invidia, prædeterminata ab alio agente determinante, seu prædeterminante, nego: à se ipsa liberè per actum sibi liberum, ac proinde potente tunc non se determinare, concedo antecedens, & nego consequentiâ: quia eiusmodi determinatio tunc electivè libera voluntati, est tunc temporis evitabilis pro libito eiusdem voluntatis, potentis non ponere actum suum imperantem, cum citra controversiam liberrimè illum ponat. Ad probationem consequentiæ, distinguo: si est determinata, iam non est indifferens, indifferentiâ suspensionis, concedo: indifferentia libertatis, nego. Quamvis autem determinatio ad vnum opponatur indifferentiæ suspensionis; neutiquam verò indifferentiæ libertatis: alioquin nec Deus, qui nequit manere suspensus; nec nos, cum liberè operamur, operemur liberè, quia non operamur nisi determinati ad vnum. Itaque indifferentia suspensionis non requiritur, vt clarè vidimus, ad libertatem; indiffe-

Haunol.

rentia verò libertatis, consistens iuxta omnes in vtraque illa potestate ad immediatè exercendum, seu omittendum pro libito voluntatis tam actum imperantem, quàm imperatum, stat optimè cum ea determinatione actus imperantis, & imperati, vt probavimus *sect. præc.* ac proinde hæc determinatio nihil detrahit immediatæ indifferentiæ requisitæ ad immediatam libertatem vtriusque.

109 Ad illud, quod frustra subiungitur de Prædeterminationibus phisicis divinis fateor, quod sic solemus contra illas arguere. Ceterum pro illis non potest sic responderi; sicut nos pro nobis respondemus: non enim sunt actus liberi voluntatis creatæ sic à Deo determinatæ, & prædeterminatæ, nec ponuntur electivè pro libito voluntatis creatæ, nec possunt pro eiusdem libito non poni, cum non sint *volentis, neque currentis*: idòque non salvant indifferentiam libertatis; cum potius impediât inevitabiliter, ineluctabiliter, & irresistibiliter potestatem omittendi actum, ad quem à Deo imprimi dicuntur. At quid, inquis, si Prædeterminationum aliquis diceret, prædeterminationes suas esse, vel non esse ad libitum voluntatis. Respondeo, illum iam non fore de Prædeterminationistarum Schola; illas verò fore, & non fore Prædeterminationes divinas: fore, vt supponitur; non fore; quia, si pro libito hominis eligentis ponerentur, aut non ponerentur à Deo, potius essent prædeterminationes humana, quàm divina: & in genuino Scholarum sensu prædeterminationes desinerent esse prædeterminationes; vt observavit Suar. *cap.* 30. de *ver. Intel. vers.* *Quarta responsio: & in Opusc. lib.* 1. *cap.* 9. *num.* 4. & *lib.* 3. *cap.* 8. *num.* 5. & in *Brevi resol. de Auxil. num.* 24.

110 Obijciunt quartò. Non datur immediata libertas ad actum, ad cuius omissionem non datur immediata potestas: sed in eo casu non datur in voluntate immediata potestas ad omissionem actus sic imperati: ergo nec immediata libertas ad illum. Probatur minor: quia voluntas ex suppositione determinationis suæ ad actum imperantem iam non potest omittere imperatum. Confirmatur. Immediata, ac specialis libertas ad actum dicit constitutivè exclusionem essentialis impedimenti antecedentis omittendi actum: sed actus imperans est im-

pedimentum antecedens omittendi imperatum; cum illo namque incompossibilis est omisio imperati: ergo immediata, ac specialis libertas actus imperati dicit constitutivè exclusionem actus imperantis; atque adeò cum actu antecedenter, & efficaciter illum imperante stare non potest.

111 Respondetur, datâ maiori, negando minorem, vt vidimus *sec. præc.* Ad probationem oportet ordinare terminos, vt eius veritas, vel falsitas dignoscatur. Aliud est, ex suppositione actus imperantis voluntatem nõ posse omittere imperatum: quod sonat, coniungi cum ea suppositione actus imperantis potestatem omittendi imperatum: aliud est, & diversissimum, voluntatem non posse omittere actum imperatum ex suppositione actus imperantis; quod certè sonat potestatem coniungendi omissionem actus imperati cū suppositione actus imperantis. In priori sensu est falsa minor: verè enim, non obstante illâ suppositione actus imperantis, retinet voluntas potestatem omittendi imperatum omittendo etiam imperantem: cuius nempe libertatem non impedit, sed exercet positio eiusdem actus imperantis; alioquin nec imperans exerceretur liberè ex suppositione, quod liberè exerceretur: quod est patentissima contradictio. In posteriori sensu verissima est: at eiusmodi posse, chimericum est: & ad chimeram nec est, nec vquam fuit, nec esse potest tale posse in voluntate: atque adeò non est de constitutivo veræ libertatis. Itaque negamus, quod ex suppositione, quantumvis naturâ antecedenti, actus imperantis non possit voluntas omittere imperatum: retinet enim cum illa suppositione sibi liberam totam potestatem omittendi actum imperatum, omittendo etiam imperantem, vt potè sibi liberum: cum qua potestate, nec pugnat actus imperatus, nec actus imperans. Hæc autem vera potestas, & non illa alia chimerica, est quæ constituit immediatam libertatem actus imperati: sicut potestas ad omittendum imperantem, in immediatam libertatem imperantis. Nec valet dicere, suppositionem actus imperantis se habere antecedenter ad imperatum; non verò ad ipsum imperantem. Tum quia, quamvis se habeat antecedenter ad actum imperatum; non tamen ad potestatem illum omittendi, per quam, & non per

actū imperatum subsequente cōstituitur libertas ad ipsum. Tū quia ea suppositio, quāvis sit antecedens ad actū imperatū, non definit esse libera volūtatī potentis illam tunc tēporis pro libito non ponere: ac proinde nihil prorsus obstat immedīatā potestati voluntatis ad omittendum actum imperatum, & illam suppositionem imperantis; magis quam immedīatā potestati ad omittendum actum ipsum imperantem.

112 Ad confirmationem distinguimus ex sepe dictis maiorem: immedīata libertas dicit exclusionem impedimenti ineluctabilis, & inevitabilis pro libito eiusdem voluntatis, concedo: evitabilis pro libito eiusdem voluntatis, nego: huiusmodi enim impedimentum, quamvis impediatur exercitium voluntatis ipsi oppositum, non tamen potestatem ad illud: ac proinde quoad effectum salvandā, vel tollendā libertatis immedīatā, est ac si non esset: sicque, si absque eiusmodi impedimento staret immedīata libertas actūs imperati, stat etiam cum illo: quia tale impedimentum non impedit, ne libertas sit; sed pro libito voluntatis positum impedit, ne libertas in alteram partem exerceatur. Ad minorem dico, actum imperantem esse impedimentum omissionis actūs imperati, antecedens actum imperatum; non tamen ineluctabile, & inevitabile pro libito voluntatis; sed positum pro libito voluntatis, potentis pro libito illud non ponere, sicque ad libitum voluntatis evitabile. Unde neganda est tota consequentia.

113 Obijciunt tandem alij paritatem à potestate iuris, qua scilicet dicimur, quod *id possumus, quod iure possumus*. Arguunt autem sic. Eandem potestatem iuris, quam Persona superior tollit ab inferiori per legem, potest sibi tollere inferior ipse, ponens aliquid, cum quo non nisi turpiter coniungi possit alterum ex extremis suae libertatis: eandem enim libertatem iuris, quam tollit subdito superior per praeceptum, tollit sibi subditus per votum. Similiter ergo, & physicam per physicum imperium efficacem, quantumvis suum. Alioquin, nec per visionem beatificam, quam liberè mereatur, auferret sibi homo libertatem ad amorem Dei beatificum. Nihil potuit obijci nobis aptius ad vitium declarandam veritatem nostrae doctrinae.

114 Respondetur, distinguendo antecedens: si sibi ponat illud aliquid tunc pro libito suo, negamus antecedens: ut evenit in voto, quod licetè posset tunc non emittere: si necessariò, & inevitabiliter, concedo antecedens: & nego consequentiam: quia imperium sibi voluntas imponit liberè pro libito suo. Atque hinc est, quod per impositionem praecepti, quod pro libito superioris, & non subditi imponitur indispensabiliter subdito, auferatur subdito potestas iuris ad omissionem rei praeceptae: quam scilicet iure, id est licetè, iam non potest omittre: quia non est in suo libito non ponere, nec amovere impedimentum illud iuris. Per emissionem verò sibi liberam voti, quod pro libito potest hic, & nunc sibi non imponere, non auferit sibi pro tunc potestatem etiam iuris ad omissionem rei tunc voto promissa; quippe potest, & iure, id est licetè, potest, si vult, rem illam omittre, non emittendo, sed omittendo votum, quod tunc liberè ponit, & pro libito potest hic, & nunc potestate quoque iuris non sibi imponere. Quo firmatur potius, quam impugnatur doctrina nostra de actu imperato, & imperante, quem sibi pro libito imponit voluntas. Illud de Visione, & Amore beatificis non venit ad rem. Amor enim ille sequitur connexissimè à visione: que hic, & nunc non est libera Beato, quando habetur, & ex illa sequitur amor: ideòque necessariò. Libertas verò actuum meritoriorum, quibus visionem, & amorem sibi meruit homo in via, praeterijt, & iam tunc tēporis non est: sicut nec libertas ad obligationem voti tempore sequenti ad instans liberè emissionis. Porro controversia nostra est de actibus imperato, & imperante in eodem temporis instanti suo naturae ordine exercitis ab eadem voluntate: ideòque liberrimè cum immedīatissima utriusque libertate, & speciali Merito, si alioquin honesti, & super-naturales sunt, ut supponimus.

SECTIO X.

Consestaria. Et quid de Merito, ac libertate actionum externarum imperatarum? Et quid specialiter de actu interno Fidei.

115 Sequitur primò, nullum actum esse immedīatè, & per se meritò-gium.

Arriaga.

rium, id est, ut rem, & non puras voces, teneamus, augentè speciale meritum ratione sui, qui non sit immedīatè liber. Dat rationem Arriaga: quia actus non est meritorius nisi ut liber: ergo non est formaliter, & immedīatè meritorius, nisi sit formaliter, & immedīatè liber. Fallit tamen insigniter ratio, sicut ista: obiectum non amatur, nisi ut cognitum: ergo non amatur directè, nisi directè cognoscatur: aut sic: ergo non amatur intense nisi cognoscatur intense: quae illationes falsissimae sunt: cum amari directè, & intense possit obiectum non nisi indirectè, & remissè cognitum. Equivocatio est in antecedenti: ideòque distinguendum, & explicandum est: actus non est meritorius nisi, ut liber, in sensu requisitivo libertatis, id est, nisi sit liber, concedo: in sensu comparativo, id est, nisi eo modo, quo est liber, negabitur antecedens: quia de hoc est quaestio: an scilicet ad speciale meritum immedīatum sufficiat mediata libertas; sicut ad amorem directum indirecta cognitio, & ad amorem intensum cognitio remissa, ut cum subtili Scotistarum Schola docent Oviedus, & Ripalda, contra Arriagam.

Scot.
Rip.
Ovied.

116 Moventur autem isti: quia Meritū dicitur, & est in recto actus obsequiosus: hic enim est qui movet ad premium, dummodò denominetur liber, quomodo cūque illi competat ex obliquo libertas, sive mediata, sive immedīata, sive una pro multis actibus meritorijs, sive specialis pro singulis. Sic ergo, nisi aliud obstat, sufficeret ad multa merita una libertas, sicut & una Gratia dignificans; & sicut ad multa cognita una cognitio, unusque candor ad plura candida. Hoc certè non impugnat ratio Patris Arriagae. Accedit, quòd, etiā libertas immedīata unius actūs v. g. imperantis; physicè loquendo, non esset nisi mediata alterius v. g. imperati: loquendo tamen moraliter & ultimativè, respectu etiam istius esset immedīata: quemadmodum libertas, qua homicida sclopetum explodit, perinde se habet moraliter ut dicatur liberè occidere, ac si immedīatius dissolveret unionem corporis ad animam. Ergo, quod attinet ad punctum libertatis, si caetera non desint, sufficeret ad immedīatum, ac speciale meritum mediata libertas. In quo facile convenirem cum ijs Authoribus quoad meritum speciale actūs imperati

cum libertate mediata, si aut deberet, aut posset illi immedīata negari: ut iam praemonui *sect. 7.*

117 Aliam ergo de rationem primi nostri cōsestarij ex doctrinis Patris Suarez. Si enim daretur actus formaliter, & specialiter meritorius, qui non esset formaliter, & immedīatè liber; aut esset actus voluntatis efficaciter imperatus, de quo hactenus egimus, ut cum multis volunt Oviedus, & Ripalda; aut esset actiones externae aliarum potestiarum ab actu interno voluntatis imperatae, ut cum Scotistis vult Ripalda contra Lugam, & Oviedum; aut saltem esset actus internus Fidei, qui est actus imperatus ab actu voluntatis, ut singulari vult Cardin. Pallavicinus. Sed nullus ex ijs tribus: ergo omninò nullus. Minor probatur per partes. Et in primis de actu voluntatis imperato, qui habet rationem immedīatam specialis meriti, vidimus habere quoque libertatem immedīatam. Deinde de actionibus externis imperatis, quae immedīatam, specialemque libertatem non habent, videbimus, nec habere rationem specialem meriti. Et tandem idem videbimus de actu Fidei. Nullus est ergo actus immedīatè, & specialiter meritorius, qui non sit immedīatè, & specialiter liber.

Suarez

Ovied.
Ripalda

Lug.

Pallavi

118 Ratio autem à priori est; quia actus Theologicè meritorius, cum debeat esse formaliter bonus, & supernaturalis, debet esse actus voluntatis liber: bonitas enim, & malitia formalis sunt propriae actuum voluntatis; sicut veritas, & falsitas actuum intellectus. At actus voluntatis liber, aut propriam, & immedīatam habet de suis proprijs libertatem, aut nullam: si enim inter eius principia est aliquod impedimentum omissionis inevitabile pro libito voluntatis tollitur de medio libertas; si pro libito evitabile, nihil admittit immedīatè libertatis magis, quam si tale impedimentum non esset, ut late monstravimus in superioribus: ergo coipso, quòd actus sit formaliter meritorius est immedīatè liber; sicut & immedīatè, ac per se bonus, & supernaturalis.

119 Sequitur secundò: Actiones externas imperatas non esse per se formaliter meritorias, id est, ut voces ad rem reducamus, non addunt speciale meritum supra meritum actūs interni boni, libe-

liberi, & supernaturalis, à quo imperantur. Sic communis sententia cum Suarez *lib. 12. c. 6. de Lugo disp. 24. de Pen. sect. 4. Martin. di sp. 44. sect. 13. Esparza quest. 38. contra Ripaldam tom. 1. disp. 68. sect. 4. & enixius tom. 2. in Appendice ad disp. 75. sequutum doctos Scotistas, & ex parte defensum à Cardin. Pallavicino.*

120 Dixi: per se formaliter. Obiectivè namque, materialiter, & denominativè ab actu interno illas meritorie imperante, extra quæstionem est, ut notat Suarez, plures actiones externas esse, dicique meritorias: sicut eadem ratione sunt, & dicuntur liberae ab actu voluntatis illas liberè imperante. Sunt etiam, & dicuntur per accidens meritoriae, & ex illis augeri meritum occasionaliter, ut notat Esparza: quatenus nempe exercitium actionis externæ virtuosæ est ut plurimum in causa, quod intensius, ac diutius fiant circa illam actus interni per se meritorij.

121 Non intendo probare veritatem secundi nostri confectarij ex defectu libertatis actionum externarum: si enim aliunde haberent alia requisita ad meritum, sufficeret fortè ad hoc mediata libertas, in actu scilicet interno à quo imperantur. Illam ergo mihi persuadeo plerumque ex defectu supernaturalitatis, & semper ex defectu bonitatis formalis. Ex defectu supernaturalitatis: quia actiones externæ v. g. elargitio eleemosinæ, auditio sacri, genuflexio ad imaginem, & aliæ actiones huiusmodi externæ naturalissimæ sunt, & secundum se indifferentes, ut actu, sive naturali, sive supernaturali imperentur. Vidimus autem *disp. præc. sect. 5.* actum Theologicè meritorium debere esse essentialiter, intrinsecè, & entitativè supernaturalem. Ex defectu bonitatis formalis: quia bonitas, & malitia formalis est propria actuum voluntatis; actiones verò externæ solam habent bonitatem materiale obiectivam; & secundum se indifferentes sunt imperari, sive ab actu interno bono, sive à malo. Vidimus autem *disp. præc. sect. 4.* ita requiri intrinsecam bonitatem formalem ad meritum, ut nec actus internus imperatus eam contrahat ab imperio bono, sicut nec malitiam formalem à malo. Ex ijs ergo duobus capitibus deneganda venit actionibus externis propria ratio specialis meriti.

122 Præterea. Si per actiones externas augetur ratio meriti, evenire posset, quod è duobus hominibus æquè moraliter bonis, & æquè honestè agentibus, cum bonitas moralis, & honestas competat actibus internis voluntatis, vnus haberet apud Deum maius præmium: imò & minus bonus maius præmium: quia pluralitas actionum externarum, quas iste exercuit, quia potuit; & alter non exercuit, quia non potuit, posset superare meritum actuum interiorum hominis alioquin æquè, imò, & magis boni. Et consequenter è contra posset homo minus malus gravius in inferno puniri, quam magis malus, qui voluit, & non potuit tot actiones externas prohibitas perpetrare: quia plurimæ actiones externæ re ipsa coniunctæ cum affectibus minus malis superare possent demeritum alterius peioribus affectibus depravati. Hæc autem sunt absurda manifestissima, quamvis ea devorare aggrediatur Ripalda: nec quidem satis consona dictis Sanctorum super factum mulieris pauperulæ *Luc. 21.* quæ obtulit minuta duo: plus laudatæ à Christo, quam alij copiosioris pecuniæ oblatores: quia apud Deum, ut Magnus dixit *Greg. Hom. 5. Affectum debemus potius pensare, quam censum.*

123 Obijcies primò ex Ripalda cit. *Ripal.* Ex actione externa crescit opus in ratione obsequij: ergo & in ratione meriti specialis. Antecedens probatur: quamvis enim actio externa, non faciat operantem absolutè, & quoad se meliorem; bene verò quoad Deum, ut Principè Reip. rationalis: cui nempe bonum est dari externa virtutum exempla ad ædificationem, & imitationem, iuxta illud Christi *Matth. 5. Ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum.* Hoc autem est genus quoddam obsequij apud Deum. Respondetur negando antecedens, loquendo de ratione obsequij apud Deum. Ad probationem redarguit sapienter Esparza, inde consequentiùs dicendum esse à sic arguentibus, ex duobus concionatoribus, pari labore, fervore, & gratiâ laborantibus, mereri multò plus illum, ex cuius concione plures conversi sunt: hoc enim abs dubio cedit in speciale bonum Reip. rationalis, & Dei, prout ab obijcientibus intenditur. Dico igitur distinctim, actionem externam facere meliorem respectivè etiam ad Deum; bona-

nitatem scilicet quasi utilitatis, quæ nimirum, & ab hypochrita haberi posset; & bonitate morali honestatis obiectivæ, terminativæ scilicet actus interni volitionis formaliter honestæ, & obsequiosæ; non verò bonitate morali formali, nec in ratione obsequij, aut meriti formalis apud Deum. Vnde eatenus tantum dicuntur extrinsecè meritoriae apud Deum eiusmodi actiones, quatenus obiectivè terminant actum meritorium apud Deum intuentem cor. Sic, inquit rectè *Ovied.* si aliqua insciens fieret Mater Dei, aliquod debitum contraheret idcirco Deus eiga illam: non per modum præmij correspondentis merito; sed per modum debiti physici titulo naturali maternitatis purè physica contracti. Nec obstat responsioni nostræ dictum illud Christi; non enim excitat nos ad merendum formaliter per actiones ipsas externas; sed obiectivè, quatenus excitat ad affectus internos imperantes ea opera externa ex fine, quod Deus glorificetur, & ab hominibus imitentur: quorum etiam finium intentio formaliter meritoria est, sicut & formaliter honesta.

124 Obijcies secundò. Actiones externæ per se formaliter augent rationem satisfactionis: ergo & meriti. Respondetur cum de Lugo, & Esparza, concessio antecedente, negando consequentiam: quia augent poenalitatem, & laborem, qui per se formaliter est satisfactio, pro qua subrogatur satisfactio cum additamento voluntarietatis: voluntas enim flagellationis non per se importat poenalitatem flagellationis exercitæ. Non verò sic augent formalem honestatem moralem supernaturalem, in qua stat ratio meriti. Hæc autem duo esse separabilia patet in animabus purgatorij, satisfactientibus, & non merentibus.

125 Obijcies tertio. Actiones externas peccaminosas obligamur declarare in confessione; cum non sufficiat homicidæ cõfiteri, se desiderasse homicidium: ergo quia per se formaliter augent rationem demeriti: ergo similiter actiones externæ virtuosæ rationem meriti. Respondetur, concessio antecedente contra nonneminem, quem meritò, nec ut probabiliter loquutum refert *Diana part. 3. tract. 4. resoi. 88. & part. 11. tract. 5. resoi. 48.* negando consequentiam: nam & status personarum tenemur sæpè declarare;

qui tamen demerita non sunt. Tenemur ergo actiones illas externas declarare, quia malæ sunt, quia prohibita sunt, & quia peccata sunt, quamvis non nisi extrinsecè, & denominativè ab actu interno formaliter malo, & peccaminoso: & hoc dumtaxat modo dici possunt meritoriae ab actu meritorio interno, quin per se augeant quidquam meriti.

126 Obijcies quartò. Ecclesia punit actiones externas multis poenis Ecclesiasticis censurarum, quibus non punit affectus purè internos: Reges destinant multa præmia non danda, nisi propter obsequia externa: Deus per Papam sui Vicarium concedit Indulgentias propter opera externa, quas sæpè non lucratur propter solos affectus internos. Deus aureolam Martyrij, & alia multa præmia rependit Martyribus propter externum actum Martyrij, non danda propter solum affectum internum: & præmium Redemptionis nostræ decrevit propter externam Passionem, & mortem Christi, & non aliter. Ergo tam ex divinis, quam ex humanis concluditur ratio aliqua specialis meriti ad Deum competens actionibus externis ultra meritum affectuum interiorum. Respondetur, negando consequentiam: & do sigillatim rationes pro partibus antecedentis.

127 Illud de poenis Ecclesiasticis, & de Regibus verum est: non tamen idem probat de merito apud Deum. Cum enim homines pro foro externo non iudicent de internis, nisi per externa, taxant eas poenas, vel præmia iuxta opera externa, ex quibus præsumunt interna ad humanum regimen: Deo tamen nota sunt omnia, nec signis eget externis ad intuendos, & pensandos affectus internos. Quod si ex hac parte antecedentis valeret illatio, sequeretur, præter alia absurda, quod si duo homines feriant alios duos æqualiter cum æquali animo occidendi, moriente vno, alio fortè divinitus servato, percussorem servati minus demeriturum apud Deum; sicut apud homines, minus illum, quam istum punientibus poenis legalibus, & sæpè censuris etiam Ecclesiasticis.

128 Verum etiam est illud de Indulgentijs. Falsum verò, quod concedantur propter opera externa, ex eo quod hæc per se augeant meritum; sed quia Pontifex ut dispensator meritorum Christi, &

Sanctorum de thesauro Ecclesie, sicut poterit nosse illa applicare, vult iustis de causis sic applicare hic, & nunc, posita talis operis externi conditione. Tota ergo vis in actu primo meritoria nostra de congruo respectu Indulgentie stat in voluntate interna prestandi illa pia opera externa, quamvis reipsa in actu secundo non sic premietur, nisi posita conditione operis externi: quod propterea non est dicendum augere per se meritum: sicut nec mors iusti amentis dici potest augere per se meritum glorie, quamvis non nisi posita conditione mortis obtineat reipsa in actu secundo iustus premium glorie. Addendum, quod Indulgentie, quamvis fundentur in meritis Christi infinite satisfactorijs, & supponant actum internum nostrum meritorium exhibendi pia opera externa ad earum consequentiam, non applicantur per modum premij; sed per modum satisfactionis, cui æquivalent: adduntque satisfactionem; non meritum.

129 Minus ad rem est illud de Martyrio. Quandoquidem, independenter etiam ab omni merito Martyris, correspondent ipsi non ut premium, sed ex opere operato, Gratia, & Aureola, ut patet in Martyribus infantulis. Quoad Aureolas vero, & alios honores Martyrum Adulorum dico, cadere sub meritum congruum in actu primo actuum internum Martyrij, ut ait optimè Suarez: quamvis Deus ob iustos fines non voluerit, illud meritum congruum sic, sed aliter premiare in actu secundo, nisi sequuto in re effectu passionis, & mortis: quin propterea externus effectus mortis augeat quidquam meriti apud Deum; cum sit mera conditio ad reipsa obtinendum in actu secundo tale premium: sicut aliorum etiam non Martyrum mors ad obtinendum reipsa premium glorie essentialis.

130 Ad illud tandem de externa Christi morte dicendum est similiter, nihil prorsus meriti per se addidisse internæ voluntati moriendi, ut explicuimus *disp. 17. de Incarn. sect. 5.* quamvis illam Deas ob fines sibi placitos voluerit expectare ad effectum in actu secundo Redemptionis consummatæ correspondentis ut premium interno affectui moriendi pro nobis infinite meritorio. Unde nulla est obijcientium consequentia,

131 Sequitur tertio: nec actum internum Fidei supernaturalis esse per se formaliter meritorium, nec addere per se quidquam meriti Theologici ad voluntatem, seu piam affectionem credendi. Sic cum Suarez. communis sententia contra Theologos citatos *num. 119.* pro merito speciali actionum externarum, qui illud a fortiori concedunt actui supernaturali interno Fidei: & insuper contra Card. Pallavinum, qui id specialiter tenet de actu interno Fidei, aliter ac de actionibus externis *1. 2. disp. 9. quest. 4. art. 4.* quem sequitur in doctissimis Manuscriptis Primarius è nostris Magister, magni semper à me factus, & faciendus.

131 Ratio mihi est non ex defectu supernaturalitatis, ut ex se patet: nec ex defectu libertatis, ut dixi *num. 121.* de actionibus externis; cum sufficeret libertas in actu imperante ad speciale meritum fidei imperatæ; si aliunde non deficeret à ratione formalis, & proprii meriti. Sed ex defectu formalis bonitatis moralis, quæ propria est actuum voluntatis, sicut veritas, & falsitas actuum intellectus. Quemadmodum ergo nulla ratione potest convenire actibus voluntatis formalis veritas, aut falsitas; ita nec actibus intellectus formalis bonitas, aut malitia moralis; sed tantummodò obiectiva, quatenus sunt obiectum, cuius volitio, quæ est pia affectio credendi, est formaliter bona, & volitio formaliter mala: haud aliter quoad hoc, ac dici communiter solet de actionibus externis. Unde quando fides dicitur meritoria, sic dicitur extrinsecè denominativè à voluntate, seu pia affectione credendi liberâ, supernaturali, formaliter bonâ, & proinde formaliter meritoria. De quo specialius in Disputationibus de Fide.

132 Sequitur quarto, non satis aptè aliquos ex doctrinis Patris Iunii adstruxisse ingens discrimen divinarum Predestinationum tollentium, aut non tollentium libertatem actuum creatorum prefinitorum; dicendo eam non tollere, si sint decreta dumtaxat intentiva; tollere vero, si sint formaliter intentiva simul, & exequutiva: ex ea præcipuè ratione, quod non aliter tollat libertatem actionum aliarum potentiarum sibi subiectarum nostra voluntas per imperium suum intrinsecè efficax, nisi quia est ex parte voluntatis simul intentivum, & exequutivum

Suar.

Pallav.

P. Gual. deriq.

Riv.

Iunius.

vum actionum aliarum potentiarum: ergo, inquit, si præfinitio divina intrinsecè efficax esset decretum simul intentivum, & exequutivum actionum nostrarum voluntatum non minus Deo subiectarum, quàm subiectæ sint nostre voluntati aliæ nostre potentie; ideòque non patiens aliud decretum interiectum immediatius exequutivum, similiter tollerent libertatè voluntati nostre in operando. Fallit insigniter dicursus iste: nam, ut iam insinuavi *sect. 7. num. 88.* falso supponit, actum voluntatis efficaciter imperantem tollere actionibus externis immediatam libertatem: non enim ipsis tollit, quod ipsæ nec habent, nec possunt habere, sive absit, sive desit actus voluntatis imperans: ideòque & non ex eo quod sit, aut non sit per se exequutivus, negatur illis immediata libertas, quæ cum simili imperio conceditur actibus imperatis eiusdem voluntatis. Estque ratio: quia voluntas pro libito suo habet, vel

non habet tale imperium, quantumvis intentivum, & exequutivum; aliæ vero potentie non pro libito, aut velle suo; cum non habeant huiusmodi libitum; nec illarum, sed solius voluntatis sit velle, vel nolle. Quod si suam haberent libitum, pro quo evitare possent prout vellent eiusmodi voluntatis imperium non tolleretur ab illis per imperium, immediata in operando libertas. Unde nec nostris voluntatibus, quæ quidem libitum habent, & velle ac nolle ex natura sua, tollitur immediatissima libertas in operando per divinas præfinitiones simul intentivas, & exequutivas potius quàm per solùm intentivas: sed aut per neutras, aut per utrasque: quod decidemus *tom. sequ. in Disputationibus de Provid. & Prædest.* Nunc, negatâ ratione causali antecedentis horum authorum, nulla est ipsorum illatio.



DISPUTATIO XXVI.

DE REQUISITIS AD MERITUM EX PARTE Personæ merentis.

HÆRETICI, requirentes statum Gratiæ ad quemlibet actum bonum, ideòque dicentes, omnia opera hominis peccatoris esse peccata, consequenter errant, requirentes statum Gratiæ ad omnem actum meritorium etiam de congruo. Hoc in loco erant reiiciendis; sed id præstitimus opportunè *disp. 6. sect. 1.* Vbi etiam *sect. 2.* reiecimus errorem aliorum requirentium saltem fidem habitalem: eo quod existiment, omnia opera peccatoris, saltem infidelis, esse peccata. Præter ibi dicta, damnata est noviter ista doctrina ab Alex. VIII. *contra propositionem 8. & 11. in suo Decreto anni 1690.* Nunc nos ad alia.

Alex. VIII.

SECTIO I.

An ad Meritum condignum Theologicum
requiratur ex parte merentis Gratia
sanctificans.

SUPPOSITO iam, quod hæc non requiritur ad meritum congruum, cum negari non possint in peccatore actus de congruo meritorij; alius fuit

ex adverso Baianus error explicitus, vel implicitus à propositione 11. ad 19. ex damnatis à Pio V. & Greg. XIII. quatenus aiebat, statum Gratiæ nec requiri, nec per se prodessè ad rationem meriti vitæ æternæ, cuius nempe condignitas tota pensatur ex operibus, & ex obedientia Legis.

Pius V. & Greg. XIII.

3 Fundamentum erat. Primum: quia in Scripturis, non factâ mentione Gratiæ

sanctificantis, promittitur aeterna vita servandibus mandata. Secundò: quia ad demeritum condignum non requiritur, quòd homo præcesserit in statu peccati, & inimicitia: ergo neque ad meritum condignum, quòd præcesserit in statu Gratia, adoptionis, & amicitia. Tertio: quia Augustinus c. 2. de Nat. & Grat. sic habet: *Si homo lapsus posset suis viribus servare Legem, posset adipisci vitam aeternam, etiam si eum lauerit fides: ergo etiam si ei defuerit Gratia sanctificans: quæ quidem sine Fide non infunditur: & c. 6. contra Julian. intert vt absurdum ex doctrina Pelagij, infantes non adepturos Gloriam, si in peccato nati non essent: sensit igitur adepturos, etiam si in peccato nati essent: ac proinde sine Gratia sanctificante.*

August.

I. Cor.

Rom. 4.

4 Certa tamen Catholicorum doctrina est, ad meritum condignum Gloriam requiri statum Gratia. Id saltem significasse creditur Apostolus scribens: *Si charitatem non habuero, nihil mihi prodest: scilicet ad gloriam condignè promerendam. In id expendit etiam Suarez cap. 14. alia eiusdem verba Rom. 4. Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quòd sumus Filij Dei: Si autem Filij & heredes: Heredes quidem Dei, &c. Vbi dignitas filiationis adoptiva per gratiam asseritur ratio hereditatis Gloriam: & postmodum loquitur de Gloria vt corona, & premio debito Filijs bene operantibus: Si tamen compatimur, vt & coglorificemur: subditque rationem: existimo enim, quòd non sunt condignæ passionibus huius temporis ad futuram Gloriam: secundum se scilicet, nisi condignificentur à dignitate Filiorum Dei per Gratiam. Vnde Trident. sess. 6. cap. 16. & can. 26. & 32. repetit, vitam aeternam proponendam esse vt mercedem: non quidem omnibus, sed iustificatis, propter opera in statu Gratia facta: sicque qui caret Gratia adoptionis Dei, cum Dei Filius non sit, sed potius diaboli per peccatum, & inimicus Dei, non est vnde faciat opera condigna præmij hereditatis aeternæ.*

Trid.

Suprà disp. 23.

Lug.

Ovied.

5 Fundamentum huius condignitatis per Gratiam explicuimus disp. 23. sect. 2. & 3. Nec satis probo aliam explicationem Cardinalis de Lugo apud Oviedum contr. 5. num. 54. docentis, opera iusti non accipere valorem à Gratia Adoptionis positivè, vt ita dicam; sed eatenus tantum, quatenus præmium, quod

esset magnum non iusto, sit minus respectu iusti, vtpote constituti in Filij, & amici Dei dignitate. Sicque, & non aliter fieri iustum ratione Gratia dignum premio suorum operum, quo dignum non esset sine Gratia Adoptionis.

6 Ad fundamenta contraria posita num. 3. respondetur, in aliquibus Scripturis iam fieri mentionem status Filiationis Dei nomine divinae hereditatis, vt expendimus num. 4. in alijs verò id supponi: nam qui servat mandata adimplet omnem legem: ac proinde non manet in peccato, cum lege obligetur ab illo se per opportuna media liberare. Iuxta præsentem autem providentiam eo ipso quòd homo non sit in statu peccati, est in statu Gratia: & sic fit satis ad primum. Ad secundum, concesso antecedente, negatur consequentia. Quia peccatum ipsum est per se iniustitia, & inimicitia Dei; ideoque non eget alia iniustitia, vt condignissimus sit aeternæ poenæ: non tamè quodlibet opus iusti est iustitia, & amicitia, & Filiatio Dei. Ad tertium: in priori loco supponit ibidem Augustinus, talem hominem lapsum esse iam iustum: subdit enim rationem: *quia non est iniustus Deus, qui iustos fraudet mercede sua.* In posteriori loco bene infertur nam si infantes non nascerentur in peccato, nascerentur in Gratia iuxta presentes Dei leges; sicque absurdè diceretur, non adepturos Gloriam. Vnde subillatio nulla est.

August.

7 Hec pro defacto iuxta præsentem Dei providentiam. Pro de possibili iuxta aliam dubitatur: an dari posset meritum condignum Gloriam in homine non iusto per Gratiam; existente tamen sine peccato, & exercente per auxilia actualia actus supernaturales.

8 Affirmant cum Nominalibus Caietanus, & Suarez apud Oviedum contr. 5. punct. 1. Primò: quia Princeps confert monetæ quem vult valorem pro sua voluntate: ergo posset Deus pro sua voluntate cõferre operibus hominis, etiam non iusti, eum valorem, qui sufficeret ad condignè promerendam Gloriam. Secundò: quia posset Deus vtrò promittere dare Gloriam exercenti, quamvis non in statu Gratia, tales actus supernaturales: tunc ergo homo eos exercens haberet ius ad Gloriam: ergo mereretur de condigno Gloriam per actus non factos

Nomin.

Suar.

12

in statu Gratia. Hæ tamen probationes nimis sunt: quia idem probarent de merito condigno Gloriam per actus naturales, accedente voluntate, vel promissione Dei. Ad primam igitur negatur consequentia. Et est disparitas, quòd monetæ est signum ad placitum Principis, quo placito posito, succedit monetæ reipsa valor quoad vsus humani commercij, ac si valor esset intrinsecus in estimatione eorum, & vendentium: dignitas verò meriti apud Deum fundatur in honestate, & supernaturalitate intrinsecâ obsequij meritorij, & accrescit condignitas ex dignitate personæ, quia crescit exinde ratio obsequij ex natura rei, cum obsequium sit eò maius cõteris paribus, quo dignior est Persona obsequens: quod procedit ex natura rerum, & non pure ad placitum. Ad secundam concedo primum enthimema, & nego subillationem. Nam & nihil etiam facienti, aut habenti calorem posset Deus promittere dare Gloriam: & resultaret quidem ius ad Gloriam: titulo scilicet promissionis acceptatæ; non titulo meriti condigni, si desit æqualitas moralis obsequij cum premio, quam explicuimus disp. 23. sect. 3.

Suprà disp. 23.

Vasq. Ripal. Ovied. Rom. 8.

Suprà disp. 19.

9 Inclino igitur in partem negantem cum communiore sententia, quam tenent Vasquez disput. 216. c. 2. Ripalda disput. 78. sect. 4. & Ovied. cit. Probatur testimonio Pauli Rom. 8. ex quo: *non sunt condignæ passionibus huius temporis ad futuram Gloriam; nisi ex circumstantia dignitatis Filiorum Dei, ideoque iam heredum Gloriam, vt explicuimus nuper num. 4. & superius disp. 23. sect. 2. & 3. Vnde efformatur ratio à priori: quia opera hominis non iusti nec cum premio Gratia, nec Gloriam habent in primis æqualitatem physicam: quilibet enim gradus Gratia, vel Gloriam est illis physicè perfectior, vt vidimus disp. 19. sect. 8. Deinde neque moralem: in qualibet enim estimatione prudenti pluris etiam fiet gradus Gratia, & Gloriam, quam quilibet actus, qui nec sit Gratia, nec Gloriam: ergo non est vnde moraliter cõparari possit ad condignitatem in ratione obsequij meritorij, nisi ex dignitate Personæ per Gratiam Filia, & amica Dei.*

10 Occurres, inde sequi pariter, quòd nec opera bona iusti sunt condigna Gratia, & Gloriam: quia, iuxta rationem à

nobis datam, nec in homine iusto physicè, nec moraliter sunt æqualia premio Gratia, & Gloriam. Negamus tamen sequelam de æqualitate morali, quam explicuimus disp. 23. sect. 3. Quoniam iustus iam per Gratiam habet ius ad Gloriam: sicque ipsi meritorie operanti aliud præmium infra Gloriam iam esset moraliter inferius. Accedit, quòd est in statu veræ amicitia cum Deo: qui status ratione amicitia elevat opera obsequiosa amico aeterno facta ad æqualitatem moralem talis obsequij cum aeterna communicatione bonorum per Gloriam aeternæ vitæ. Præterea Gratia est per se radix, & semen Gloriam, & opera iusti, ex eo semine nata, sunt fructus; ideoque habent æqualitatem virtutis, vt loquitur S. Thom. ibi cit. aut æqualitatem moralem in ratione obsequij, & præmij cum Gloriam, quæ etiam fructus est eiusdem radicis. Recolantur ibi dicta.

Suprà disp. 2.

SECTIO II.

An Gratia sanctificans debeat antecedere actum meritorium, quem condignificat.

II AFFIRMANT cum Albertino, Zumel, & alijs, Ripalda disput. 80. Esparza quest. 32. de Act. hum. art. 25. Martinonius disput. 44. sect. 19. multique è nostris RR. Magistri. Negant alij cum Suar. & Vasquez. Alij cum Hurt. 2. 2. disp. 27. n. 110. distinguunt, nõ debere Gratiam antecedere positivè, bene verò negative, id est naturam non subsequi, ad actum, quem condignificat. Alij melius aliter distinguunt, Gratiam non debere antecedere, ad actum, cuius ipsa non sit præmium; posse verò subsequi ad actum, cuius ipsa sit præmium. Sic Cardinales Lugo, & Pallavicinus.

Albert. Zumel. Ripald. Esparz. Martin. Suar. Vasq. Hurt.

Lug. Pallavi.

12 Non dubito, Gratiam cõdignificantem subsequi naturam non posse, sed imò debere aliquomodo antecedere ad actum condignificatum concretè sumptum. Est enim pars talis concretis huiusmodi autem partes, quamvis nõ productivè, constitutivè tamen causant concretum: & quilibet seorsim est natura prior toto suo concreto, aut saltem neutra naturam posterior, vt est per se certum. Sic ergo tam Gratia, quam actus ipse secundum se sumptus est natura prior con-

creto condigni, constituto ex actu, & ex Gratia. Controverfia præfens est: an Gratia debeat tempore, aut saltem naturam antecedere ad entitatem actus, quem condignificat.

13 Conclusio. Non est necesse, quod Gratia antecedit positivè ad actum, quæ condignificat. Imò nec negativè: sicque condignificare potest ad aliud præmium actum, ad quem ipsa natura subsequitur. Priorem partem tenent Hurtadus, & partim de Lugo, & Pallavicinus. Vtramque pro mille Suar. & Vasq. Dixi: ad aliud præmium: propter id quod dicemus disp. 28. sect. 4. & 5.

Suar.
Vasq.

Infra
disp. 28.

14 Ratio primæ partis. Quamvis dum Iustus operatur per habitus infusos virtutum, isti præcedant operationem; ac proinde & Gratia etiam habitualis, ut potè radix habituum; & iuxta nos maxime, qui Gratia concessimus disp. 18. sect. 1. influxum physicum effectivum in eisdem virtutum actus; attamen, dato casu, quo Iustus eos efficeret per auxilia actualia, cohibito, ut abs dubio potest à Deo influxu, & intuitu habituum, & Gratia habitualis; certè illi actus essent opera Iusti: qui quidem per illa mereretur de condigno: quis enim dicat, non magis per eos actus meritum, quam si Iustus non esset? Atqui ad eiusmodi actus non antecederet naturam. Gratia sanctificans: quandoquidem nec ista, nec habitus in illos influerent physicè, ut supponimus; nec moraliter, quia, ut etiam supponimus, tunc non conferret Deus auxilia actualia ex intuitu, & motivo Gratia, & habitu: ergo dignificaret Gratia eos actus sine vilo legitimo titulo præcedentiæ naturæ ad illos.

Suprà
disp. 18.

15 Ratio posterioris partis. Contritio, quæ ultimò disponitur ad iustificationem, causat meritorie de cõgruo primam Gratiam ex disp. 20. sect. 1. atque adeò Gratia ut præmium contritionis subsequitur naturam ad contritionem: sed condignificat ipsam contritionem ad merendam de condigno primam Gloriam, ut dicemus disp. 28. sect. 5. Ergo gratia subsequens naturam actum, à quo causatur, condignificat actum ipsum. Et ratio à priori est: quia ad conferendum condignè præmium intuitu meriti sufficit abs dubio, quod actus, eiusque condignitas antecedat collationem præmij illum remunerantis. Quamvis au-

Sup. dis-
put. 20.

Infra
disp. 28.

tem Gratia condignificans subsequatur ad actum ut præmium actus; potest actus, & Gratia, ac proinde actus, eiusque condignificatio antecedere ad collationem alterius præmij, & ad illam condignè meritorie movere: ergo non est, cur per Gratiam se naturam subsequentem non condignificetur actus; cum eo præcisè sit iam opus Iusti, Filij, & Amici, nec aliunde detur obstaculum.

16 Aliter probat hanc partem de Lugo contra Hurtadum. Quia Gratia subsequitur, & non antecedit actus præceptos pro instanti determinato: quos tamen condignificat: alioquin peioris conditionis essent, quoad merendum, ratione præcepti. Mihi tamen momenti non est hæc probatio: quippè latè dixi disp. 18. sect. 4. Gratiam in eo casu antecedere, & non subsequi ad actus præceptos. Quam inconsequenter se in hac difficultate implicent qui ab illa nostra doctrina recedunt, vidimus passim disp. 18.

Lug.

Sup. dis-
put. 18.

17 Obijcitur contra priorem partem nostræ conclusionis. Meritum condignum Gloriæ debet procedere à Iusto ut Iusto, hoc est, ab ipsa iustitia, sive à Gratia: ergo supponere debet iustum ut iustum, & ipsam iustitiam, sive Gratiam. Negare possem antecedens absolutè loquendo, cum sufficiat simpliciter procedere à Iusto: illa namque puerilis reduplicatio, aut nihil addit, aut falsum addit. Sed explicationis causam distinguo ex animadversione numeri 12. Meritum condignum, specificativè sumptum pro recto actus, qui condignus est, nego antecedens: sumptum reduplicativè quatenus condignum involutà concretè formam condignificante, concedo: sic enim eiusmodi concretum supponit, vel saltem non subsequitur formam, scilicet Gratiam ut partem constitutivam illius: & in hoc non est quæstio: & sub eadem distinctione conceditur, vel negatur consequentia. Itaque, quamvis Meritum condignum debeat naturam supponere Gratia priorè ad concretum, seu ad denominationem condigni, quod citra dubium supponimus; non verò priorem ad entitatem actus, qui denominatur condignus Gloriæ: quod vertitur in quæstionem.

18 Obijcitur secundò contra posteriorem partem. Statuit Princeps præmia vincenti hostem: ita videlicet, ut si Victor est

est miles gregarius, eo ipso fiat Comes; si est Comes, fiat Marchio; si est Marchio, fiat Dux. Vincat hostem gregarius miles: sequitur ex nostra doctrina, quod eo ipso deberet fieri Comes, Marchio, & Dux: quod ex terminis est absurdum. Probatur autem sequela: quia si forma, quæ ut præmium subsequitur ad actum meritorium, potest condignificare ipsum actum ad aliud præmium, sicut prima Gratia contritionem ad primam Gloriam; cur dignitas Comitatus tunc temporis data militi ut præmium victoriæ non condignificet eandem victoriam ad merendum Marchionatum, & Marchionatus eadem ratione ad Ducatum? Respondetur, negando sequelam. Ad probationem dico, militem in eo casu non mereri Marchionatum, nec Ducatum; nec condignificari victoriam illam ad id per dignitatem Comitatus: non quia hæc dignitas subsequitur ad talem victoriam: sed quia aliunde Miles per eam victoriam nullatenus merebatur Marchionatum iuxta pactum Principis: ex cuius edicto solum statuebatur præmium Marchionatus vincenti: qui alioquin erat Comes.

SECTIO III.

An, & quomodo requiratur ad Meritum, quod merens sit in statu Piatoris. Vbi an ad Meritum requiratur operis laboriositas, & arduitas.

19 **H**ABEMVS pro certo, requiri saltem ex lege Dei statum viatoris ad Meritum condignum Gratia, & Gloriæ. Ioan. 9. Operetur operari opera eius, qui misit me, donec dies est: venit nox, quando nemo potest operari: scilicet, meritorie in nocte mortis post diem vitæ, ut exponunt Interpretes sacri. Id ipsum significavit Apost. ad Galat. 6. scribens: Dum tempus habemus operemur bonum. Idcirco comunitur sumuntur pro eodem status merendi, & status viæ, in quo mortales ambulamus ante auditam sententiam definitivam post vitam.

Ioan. 9.

Gala. 6.

20 Itaque qui sunt in Patria Beatiæ non sibi merentur Gratiam, & Gloriam essentiali; sicut neque damnati poenam in inferno. Sed est dubium: an Beati mereantur aliqua saltem præmia accidentalialia, aut sibi, aut nobis viatoribus. Certum est, Beatos acquirere nobis

multa: idè enim crebras ad eos preces fundimus. At ea acquirere nobis non per merita, quæ tunc agant, sed impetratoriè intuitu precum, quas ad Deum fundunt, explicat ex multis Oviedus contr. 4. num. 21. Non recusat Ripalda disp. 77. sect. 1. sequutus Bonaventuram, Alensem, & Durandum, sibi quoque mereri Beatos aliqua præmia gloriæ accidentalialia. Custodes enim Angeli speciali gaudio lætantur propter obsequia Deo facta ab ipsis, & à nobis ipsorum ministerio. Verosimile autem videtur, eam gloriæ accidentalialiam accrescere ipsis in præmium ministerij sui. Sicque videntur intelligendi S. Thom. in 2. dist. 5. quest. 2. art. 2. & P. Vasquez disp. 216. Cum autem alibi negant, Beatos mereri sibi gloriæ accidentalialia, intelligi posset de ijs, quæ sunt fructus ex natura rei suborti à Gloria essentiali. Communior tamen sententia cum Suar. universaliter negat, Beatos quidquam iam sibi mereri: quia SS. Patres generaliter negant meritum Statui Beatorum: post hanc vitam mortalem. Id ipsum cum eodem fundamento docui de Christo post mortem disp. 17. de Incarn. sect. 5.

Ovied.
Ripald.

Bonav.
Alen.
Dur.

S. Tho.
Vasq.

Suar.

Tom. de
Christo
disp. 17.

21 Quid de Animabus Purgatorij? Duo sunt certa: unum, quod in Purgatorio satisfaciunt: aliud, quod non merentur augmentum Gratia, & Gloriæ: quia iam sunt extra statum vitæ, & viæ, & sententiam definitivam audierunt. Undè inferri solet, animam Lazari in quadri-duo mortis meruisse: cum enim fervaretur à Deo ut viteris progredere in via, non audierat sententiam suam definitivam. Incertum autem mihi est; an sibi mereantur aliqua præmia accidentalialia, quamvis affirmare videatur Ripalda sect. 4. Quod verò nobis, si minus per modum meriti, at saltem per modum impetrationis, ut dictum est de Beatis num. præc. obtineant à Deo multa bona, negari non potest: quia per earum preces patrat Deus multa miracula, ut de Paschasio narrat S. Gregorius lib. 4. Dialog. & de Animabus Ieremiæ, & Oniæ, quæ detinebantur in sinu Abraham dicitur 2. Machab. vlt. orasse pro Populo. Hæc de lege Dei pro de facto: nam iuxta aliam Dei providentiam possent Animæ in Purgatorij mereri augmentum Gratia, & Gloriæ, sicut de Beatis dicemus.

Greg.

2. Machab.
vlt.

22 Quid de Helia, & Henoch in Paradiso.

radiso? Hos, de quibus, cum extraordinarie ibi ferventur à Deo, non est loquendum ex regula generali, affirmant multi cum Vega, mereri etiamnum sibi Gratiā, & Gloriam: quia sunt in corpore mortali, & ambulant in Fide: nec est cur tamdiu careant Visione beatificā sine lucro meritorum. Communior tamen sententia cum Suar. & Vasq. negat, illos in Paradiso mereri. Merebuntur abs dubio quando ad hanc communem vitam revocentur: & tunc illos Deus cumulabit meritis, quibus tamdiu caruerunt.

23 Controversia est: an quod Beati non mereantur, quia iam sunt in Patria extra statum viæ, procedat non solum, ut diximus, ex lege, & ordinatione Dei, verumetiam ex natura rerum: taliter nimirum, ut statui beatifico ex natura sua repugnet meritum vterioris Gratiæ, & Gloriæ. Affirmant cum Vasquez, Aldrete disp. 79. de Incarn. Esparza quest. 31. de Act. hum. art. 6. & noviter Haunoldus lib. 2. tract. 3. cap. 3. contr. 7. quorum sententiam immeritò vocat improbabilem Martinonius sect. 7.

24 Sequor tamen sententiam communiorē, id negantem cum Suar. cap. 5. Quia nullum est prædicatum intrinsecum statui beatifico, cui per se repugnet ratio meriti: cum præsertim multos actus honestos exerceant liberè Beati in obsequium Dei. Quinimò & ipsum amorem beatificum posse liberè exerceri, quantum sufficit ad meritum, diximus loquentes de Christo disp. 17. de Incarn. sect. 5. cum Meratio, Aldrete, Eminentissimo de Laurea, & alijs. Quia, quamvis Visio beatifica necessitet ad amandum Deum propter se; non verò ad sic determinatè amandum propter se: cum possint dari multi amores Dei propter se æquè intensi, & aliunde specie diversissimi, ut ibi explicuimus. Hanc autem libertatem sufficere ad meritum, si alia requisita non desint, constat a fortiori ex disp. præc. sect. 5. & 6.

25 Obijciunt aliqui primò. Actus meritorius ex natura rei debet esse ex Fide: sed in Patria, ubi est Visio non est Fides: ergo status beatificus Patriæ est ex natura sua repugnans statui merendi. Alij secundò sic: Beati ex natura rei nequeunt peccare: ergo nec mereri. Ad primos negatur antecedens. Quo autem pa-

cto ex lege Dei debeat esse actus meritorius ex Fide, explicabimus operosè sect. seq. Ad secundos, concessio antecedente, negatur consequentia: quia ad libertatem Meriti sufficit, quod actus bonus meritorius, qui exercetur, possit omitti: multi autem fiunt actus boni, qui sine peccato possent omitti. Pater in Christo, cum cuius essentiali impeccabilitate stetit exactissima ratio Meriti, ut latè vidimus disp. 15. 16. & 17. de Incarn. Vrget, &

26 Obijcit tertio Aldrete sect. 3. Status beatificus est incapax non solum peccati, quin etiam imperfectionis moralis: sed esset capax imperfectionis moralis, si beatus posset ex natura rei mereri: ergo ex natura rei repugnat in eo meritum, & non solum ex lege Dei. Probat minorem: cum enim actus meritorius debeat esse liber, Beatus ut mereretur deberet posse illum omittere: sed, illum omittendo, incurreret imperfectionem moralem: ergo esset capax imperfectionis moralis. Probat hanc minorem: quia se liberè privaret maiori illa possessione Dei, quam mereretur si exerceret actum: privare autem se maiori possessione Dei vltimi finis, ad cuius accessum quoad possumus ordinamur, non potest non esse imperfectio moralis.

27 Respondetur tamen, concessa maiori negando minorem iuxta explanationes imperfectionis moralis, quas dedimus disp. 15. de Incarn. sect. 4. Ad probationem minoris, nego aliam minorem. Ad cuius probationem dico in primis, minimè sequi, quod Beatus se liberè privaret ea maiori possessione Dei: quia posset habere dumtaxat eam libertatem inter duos actus æquè bonos, & meritorios cum necessitate ad alterutrum, ac proinde ad merendum per vnum, vel alterum eundem Gloriæ gradum. Dico deinde, quod posset Deus non statuere maius Gloriæ præmium pro actu magis, quam pro minùs bono; sicut nunc de lege sua nullis actibus Beatorum constituit præmium Gloriæ. Quid enim in hoc absurdi? Sic ergo sine dispendio maioris possessionis vltimi finis, ac proinde sine imperfectione moralis, prout illam explicat Aldrete, omitteret magis bonum. Denique dici potest, quod tunc posset Deus manifestare Beato, se æquè velle fieri actum minùs bonum: sic autem, quamvis per magis bonum

Tomo de Christo disp. 15. 16. & 17.

Aldrete.

Tomo de Christo disp. 15.

Aldrete.

bonum plus gloriæ mereretur, non esset moralis imperfectio minus bonum eligere; cum regula perfectionis moralis sit potius Dei beneplacitum.

28 Obijciunt alij quartò. Status beatificus est ex natura sua incapax doloris, & molestiæ: ergo & meriti. Probat consequentiam Esparza, & ex illo Haunoldus contr. 4. Quia actus meritorius essentialiter debet esse laboriosus, & contemptivus arduè alicuius commodi temporalis pro præmio: ergo, si status beatificus est ex natura sua incapax laboris, doloris, molestiæ, & nullius iacturæ, & incommodi arduè contemptivus, eo ipso est incapax meriti. Antecedens probatur: quia præmiatio est quædam compensatio operis exhibiti in gratiam præmiantis: at ubi nulla subitur iactura, difficultas, molestia, sive arduitas in operis exhibitione, non habet locum compensatio, ac proinde nec præmiatio, & consequenter nec meritum. Confirmant ex Sacris Litteris. Rom. 8. Si tamen compatimur, ut & conglorificemur. Matth. 11. Regnum Cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. 2. Timot. 2. Nemo coronatur nisi qui legitime certaverit: & 1. Cor. 3. Pnusquisque suam mercedem accipiet secundum suum laborem. In quibus requiritur ad meritum victoria, vis, & labor: & per hæc mensurari videtur quantitas præmij.

29 Respondetur, concessio antecedente, negando consequentiam. Ad probationem negamus antecedens cum communiori Theologorum sententia, quam cum multis à se citatis tenet Aldrete sect. 1. Primò quia Tridentinum sess. 6. c. 16. recensens requisita ad Meritum, quod nempe sit opus Iusti, viatoris, & à Deo, id est ex gratia, factum, addit: nihil iustificatis amplius deesse credendum est, ut nimirum gloriam mereantur: diminutè igitur processisset Concilium, & minùs verè id addidisset, si præterea requireretur prædicta laboriositas, & arduitas, quæ de suo addere videntur ij Authores. Secundo: quia ex ipsorum discursu sequi videtur, quod condignè præmiaretur opus Iusti, si tantumdem boni perciperet in præmium, quantum commodi contempisset in merendo. Tertio: quia peioris quoad hoc conditionis forent Iusti proventi, qui per diuturnum exercitium virtutum, earum opera faciliùs, & cum minori molestia exercent: ut saltem consi-

derare est in Christo, & B. Virgine. Quarto: quia sequeretur, quod Persona Divina assumens hypostaticè naturam Angelicam, vel Animam separatam, non potuisset mereri, nec subire munus Redemptoris per merita: quam sequelam quamvis admittat Esparza, reculat ut absurdam Haunoldus num. 881. Falsò igitur asseritur in antecedente, requiri essentialiter ad meritum prædictam arduitatem, molestiam, & laboriositatem. Ad probationem negatur minor: quia ratio compensationis rectè stat, per ea quæ docet Trid. si pro opere obsequioso supernaturali Iusti rependat Deus coronam Gloriæ.

30 Ad confirmationem dico, verum esse quod prædicant illa Scripturæ loca, ut ad laborandum, & vincendas tentationes, & passionés amoris proprii nos in via moveant: quippe labore, & molestiâ retrahimur ut plurimum à bene operando. Non tamen excludunt rationem meriti ex natura rei ab actibus bonis supernaturalibus Iustorum in obsequium Dei, qui sine labore, & molestiâ, & sine contemptu prædicto, aut iacturâ alicuius commodi fierent. Nec potest sine absurdis notatis num. præc. trahi sensus illorum Textuum, ut significant, prædictam laboriositatem esse mensuram quæritatis præmij: utpotè ex multis alijs circumstantijs commensurandi. Quo autem pacto ex difficultate, & labore operis meritorij augeatur meritum, & præmium; non quidem per se, sed per accidens, dicemus disp. seq. sect. 4.

31 Obijcit tandem Haunoldus num. 869. Si Iustus posset in via mereri augmentum Gloriæ per actus non prædicto modo laboriosos, & victoriosos, sequeretur, quod Deus non ex natura rei, sed ex mera libertate sua negaret simile præmium augmenti Gloriæ Beatis, actus multò meliores liberè exercentibus, & plus amatis à Deo. Cur enim illis denegaret? ergo quia statui beatifico ex natura sua repugnans est meritum Gloriæ. Confirmant alij: quia qui iam est in centro progredi nequit ad centrum. Si autem Beatus mereretur vltiorem Gloriam, esset in centro, quia esset in Gloria, & progredere ad centrum vltiùs emerèdo: repugnat ergo Beatis meritum ex natura rei.

32 Respondetur concedendo, non

Infrà disp. 27. Haunold.

Vega.

Suar. Vasq.

Vasq. Aldrete. Haunold. Esparza. Martin.

Suar.

Tomo de Christo. disp. 17. Merat. Aldrete. Laurea.

Supra. disp. 22.

Esparza. Haunold.

Rom. 8. Matth. 11.

2. Tim. 2. 1. Cor. 3.

Aldrete. Triden.

ex natura rei id negari Beatiss. à Deo; negando tamen, quod solum ex merà libertate sua sine congruenti ratione. Hanc enim legē statuit ob rationes altissimas sibi bene vītas, quas nos debemus existimare congruentissimas: sicut ad alia de facto, quorum rationes nondum nobis revelavit. *Quis consiliarius eius fuit? Aut cur creavit hunc mundum, & non alium? Negatur itaque consequentia: nulla siquidem illatā rebus violentiā, potuisset, si vellet, prēmium vltioris Gloriz operibus Beatorum constituere. Sicut etiā potuit Eliā, & Henoch, & Animabus Purgatorij: quod tamen non fecit. Ad confirmationem dico, verum id esse de centro materiali non per accessum intensibilem acquisiti; non sic de centro adquisito per visionem beatificam amplius, & amplius intensibilem. Itaque fruens Beatus suo centro summi boni per visionem, posset per nova merita vltius progredi ad intensiorem visionem, & fruitionē eiusdem centri. Quod si paritas valeret quidquam, sicut ē punctis immediate tangentibus centrum nullum potest esse alio immediatius, sic nec ē Beatiss. immediatē intuentibus Deum, & existentibus in centro, nullus posset esse alio beatior, & scilicior: quæ fuit hæresis Ioviniani contra dictum Apostoli 1. Cor. 15. *Sicut stella differt à stella in claritate, ita etiam resurrectio mortuorum: ideoque damnata à Concilio Florent. in lit. unionis apud Suar. lib. 2. de Attribut. cap. 20.**

SECTIO IV.

An, & quomodo ad actum meritorium requiratur in homine merente Fides.

33 GRAVIS, operosa, & valde Theologica difficultas, non ab omnibus pro dignitate discussa: quæ longiorem à nobis exigeret discussionem, nisi varia, quæ concernit, puncta iam essent in superioribus pertractata, & resoluta.

34 Non iam quærimus, requiraturne ad quodlibet opus honestum salutare Fides habitualis; ad hoc enim respondendum esse negativè, constat ex disp. 6. sect. 1. & 2. cum certum sit, in peccatoribus etiam infidelibus fieri aliquos actus bonos virtutum moralium. Quò denuò

facit damnatio per Alexandrum VIII. *Alexand. VIII.* duarum Jansenismi propositionum in Decreto suo quintæ, & octavæ: *Pagani, Iudæi, Hæretici, alijque huius generis, nullum omnino accipiunt à Iesu Christo influxum: adedquè hinc rectè inferes, in illis esse voluntatem nudam, & inermem sine omni gratia sufficienti. Necessè est Infidelem in omni opere peccare.* Cum ergo in illis non sit habitus Fidei, sequitur liquidò, non esse necessarium habitum Fidei ad quodlibet opus bonum. Cumquè negari iam nequeat, in illis esse auxilia, actualia sufficientia gratiæ per Christum, sequitur, quòd non omnia eorum opera bona definant esse ex gratia per Christum, ac proindè salutaria.

35 Nec quærimus, an ad iustificationem peccatoris adulti requiratur Fides actualis, vt exerceantur actus illi de congruo meritorij, quibus vltimò disponitur peccator ad iustificationem: ad hoc enim respondendum est affirmativè ex disp. 20. sect. 2. & addendum ex ibidem dictis num. 15. eam dispositionem ex parte intellectus debere esse actum Fidei strictæ, quin sufficiat Fides latè sumpta pro quacumque notitiā supernaturali.

36 Difficultas præsens est: an ad quemcumque actum meritorium, atque adedò salutarem, seu conducentem ad vitam æternam, ita requiratur actualis fides stricta, vt nisi ista præluceat ad quemlibet actum voluntatis bonum, nequeat fieri actus vilis meritorius, & salutaris, sive ab homine iam habitualiter fidei, & iusto; sive ab homine nondum iusto, nec fidei. Et loquimur iuxta præsentem Dei legem: nam iuxta aliam non est cur illustratio supernaturalis, quæ non esset ex motivo Fidei strictæ, non possit esse notitia sufficiens ad actus meritorios exercendos, etiam ad vltimò dispositivos ad iustificationem.

37 Ex doctrinis Patris Vasquez, & Patris Ripaldæ varijs in locis videtur negandum: cum vterque iuxta illas concedere debeat multos actus salutaris, qui non sunt ex Fide stricta. Cum eo tamen discrimine, quòd Vasquez ait, esse entitativè naturales, quamvis factos ex gratia per Christum, quam etiam admittit entitativè naturalem in sanctis cogitationibus congruis occurrentibus tantum fidelibus, & iustis, quam peccatoribus etiam, & infidelibus, vt explicuimus dis-

Suprà disp. 20.

Suprà disp. 3.

Suprà disp. 3.

put. 3. Pater verò Ripalda ait, esse entitativè supernaturales semper factos in consortio naturalium quoties virtutes exercentur, sive à iusto, sive à peccatore; ex auxilio tamen illustrationis entitativè supernaturalis, comitantis etiam ex lege Dei per Christum cogitationem naturalem congruam, vt etiam retulimus disp. 7. sect. 3. Cum autem plures occurrant cogitationes congruæ, multiquè fiant actus virtutum entitativè naturales, aut à Paganijs, ad quos Fides non pervenit; aut à Fidelibus & Iustis, quibus, seorsim etiam à propositione, & motivo Fidei, multæ occurrunt congruæ cogitationes bonæ; dici necesse videtur ab ijs Authoribus, multos fieri actus meritorios, à Iustis quidem de condigno, à peccatoribus, & infidelibus de congruo, ad quos exercendos non præcedit stricta Fides actualis, à qua oriantur: atque adedò hanc non esse necessariam ad quemlibet actum meritorium. Quapropter meritò Cardinalis de Aguirre disp. 118. tribuit hanc sententiam Patri Vasquez; & Pater Oxæa disp. 12. de Fide num. 66. & 67. Patribus Vasquez, & Ripaldæ.

Suprà disp. 7.

Aguir.

Oxæa.

Lug. Aguir.

Trid.

Aug.

38 Eminentissimi de Lugo, & de Aguirre; ille disp. 12. de Fide sect. 2. iste 10. 3. disp. 118. præsertim sect. 4. & 8. rejiciunt multis eiusmodi sententiam, contententes, ad omne opus meritorium, & conducentes ad salutem ex præsentem Dei lege prærequiri Fidei strictam actualem. Moventur præsertim: quia ante Fidem non datur in homine meritum vllum ipsius Fidei; ergo neque Gloriz. Antecedens probant primò ex Tridantino sess. 6. cap. 8. vbi Fides asseritur: *humanæ salutis initium, fundamentum, & radix omnis iustificationis.* Si autem ante Fidem fierent opera adhuc de congruo, meritoria, aut per modum positivæ dispositionis moralis conducentia ad Fidem, & salutem, iam tunc eiusmodi opera salutaria, & non Fides subsequuta, essent, *initium, fundamentum, & radix*, vt fasè perpendit de Aguirre à nu. 38. Confirmant ex multis testimonijs Augustini, primam Dei gratiam auxiliantem semper reducentis in illud auxilium, quod datur ad credendum. Sic cap. 7. de Grat. & lib. arb. vbi ait, idedò Apostolum ad Galat. 3. docere, iustificari hominem ex Fide, & non ex operibus, non quidem vt opera excludat; sed quia opera vt conducant debent esse

ex Fide, non Fides ex operibus: atque adedò ab illo sunt opera quæcumque salutaria, à quo est Fides: à Deo scilicet auxiliante prius ad Fidem, & ex Fide deinceps ad opera salutaria. Et in Præfat. ad Psal. 31. sic conciliat Paulum cum Iacobo, dicente, hominem, iustificari ex operibus, & non ex Fide: quia Paulus loquitur de operibus ante Fidem; & Iacobus de operibus cum Fide; & ex Fide factis. Vnde concludit Augustinus: *Debemus ergo nulla opera præponere Fidei: id est nullum opus salutare agnoscere antecedens Fidem.*

Jacob. 2.

Oxæa.

39 P. Petrus de Oxæa maturissimi iudicij Theologus, huius nostri Collegij Cæsaraugustani Primarius, mensque in Theologicis Magister, exagitat vtrinque difficultatem istam profundè disp. 12. de Fide per totam, & asserit sex. Primum, num. 67. In infideli, tamen si nihil audierit de Fide, antequam postea audiat, habeatque piam affectionem explicitam credendi, & credat, dari aliquos actus salutaris. Secundum num. 68. Quoties eiusmodi infideles cogitant de animæ immortalitate, & ex desiderio felicitatis alterius vite scire desiderant quidquid ad id requiritur, vt illud opere cõpleant: imò, quamvis nihil novèrint de futurâ vita, si saltem dubitè, an præter id quod sciunt, sit aliquid quod scire debeant, illudque serio discere desiderè: quinimò, & quamvis nec istud dubium venerit in mentem, si tamen cogitent de opere honesto, & ad illud serid afficiantur ex desiderio bene agendi iuxta rationem; comunitè eiusmodi cogitationes & affectiones esse intrinsecè supernaturales: & remotè, ac implicite dici iam posse piæ affectiones credendi. Tertium num. 71. nihilo tamen minus non esse absolutè dicendum, in eiusmodi infidelibus dari ante Fidem opus vllum salutare. Quartum num. 72. Infideles positivos, qui nempe notitiam Fidei sufficienter propositam discredunt, aut repellunt, nullam habere affectionem salutarem ante piæ affectionem credendi expressam, & explicitam. Quintum num. 57. Vt peccator iustificetur, necessarium illi esse necessitate mediæ actum fidei strictæ. Sextum num. 77. Vt Iustus exerceat actus supernaturales, & salutaris meritorios de condigno augmenti Gratiz, & Gloriz, nõ requiri reipsâ actum Fidei, sed sufficere illustratio-

Vv nem

Tom. 11.

Jov. 19. 1. Cor. 15

Florent. Suar.

Suprà disp. 6.

nem aliquam supernaturalem diversam rationis.

40 Primum assertum, in quo Author hic convenit cum Ripalda contra duos citatos Cardinales, multis prætermisissis, quæ confert plena manu Rip. *disp.* 20. & 63. de *Ente Supern.* & 17. de *Fide*; probat ex celebri Pauli sententia 1. *Timoth.* 2. quod Deus omnes homines vult salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire: per Fidem videlicet, sine qua salvi fieri non possunt. Ab hac autem supernaturali providentiâ non excluduntur barbari, nullam rerum Fidei notitiam habentes: qui quidem, *quomodo credent ei, quem non audierunt? quomodo autem audient sine prædicante?* Imò de illis fit in eo loco specialis mentio: illi enim, quos Deus vult ad agnitionem Fidei venire, supponuntur nondum Fidem agnovisse. Cum ergo Deus ut supernaturalis Provisor, velit, eiusmodi homines ad agnitionem Fidei venire, providere debet illis supernaturalia media, per quæ congruè disponi possint, ut Deus illos adducat in agnitionem Fidei. Hæc autem media sunt illustrationes supernaturales intellectus, affectionesque piæ voluntatis. Has ergo oportune Deus in eorum mentes immitit circa objecta honesta, quæ cognoscunt, ut circa illa exerceant actus virtutum; & quidem supernaturales, cum non nisi per istos disponi, adhuc remotè, meritorie de congruo possint ad impetrandam notitiam Fidei, ut reipsa impetrabunt, si eiusmodi auxilijs correspondant.

41 Secundum, in quo partim convenit, partim disconvenit cum Ripalda, probat: quia in eiusmodi negativè infidelibus omnes illi actus ordinantur implicite ad constituendum hominem bonum in moribus, & eo modo felicem, quo potest esse: nimirum supernaturaliter iuxta presentem Dei providentiâ: quod haberi reipsa nequit sine Fide: ideo quæ eiusmodi cogitationes supernaturales, quæ affectus illos præcedunt, & excitant, possunt dici Fides initiativè, & remotè: iuxta modum loquendi, quo dicimus, cogitationes sanctas, quæ proximè antecedunt puram affectionem explicitam credendi imperantem immediatè assensum Fidei, esse iam Fidem initiativè, & de negotio Fidei.

42 Tertium, in quo penes modum

loquendi videtur potius loqui cum de Lugo contra Ripaldam, probat: quia omnes actus supernaturales, virtutum moralium, quos bene operantur infideles, sunt saltem implicite piæ affectiones credendi: volunt enim per illos esse boni bonitate sibi honestè fructuosas: sicque pro tunc actu afficiuntur, ut datâ notitiâ Fidei, & obligationis credendi, aut desisterent ab eo serio affectu bene, & fructuose operandi, quem tunc actu habent, aut reipsa vellent credere. Hic autem præsens illorum affectus virtuosus, est iam pia quædam affectio implicita credendi, reducibilis ad negotium Fidei: atque adeo non est ante Fidem sumptam omnino completè pro toto negotio Fidei: in ea nimirum phrasi Theologica, qua omnes dicimus, piam affectionem proximam credendi esse supernaturalem abs dubio, & meritoriam, quamvis sit ante assensum intellectualem Fidei, quem imperat, quin tamè sit ante Fidem completivè sumptam pro toto negotio Fidei: quia ipsamet est iam de negotio Fidei: & ipsa non est ante ipsam.

43 Quartum probat: quia in positivè infidelibus non militat eadem ratio, quæ in negativè infidelibus, qui omnino carent notitiâ Fidei & non discrepant positivè voluntariè. Hi enim miseri, nisi eis concedantur auxilia ad operandos actus voluntatis supernaturales circa objecta virtutum prout ipsi cognoscunt, non apparet, quomodo sit illis possibile, & liberum salvari, perveniendo ad agnitionem Fidei ad salutem necessariam: quandoquidem actus naturales, quantumvis boni, quos exercerent, nequeunt dici voluntaria, & moralls dispositio ad Fidem supernaturalem. Alij verò positivè, voluntariè, & culpabiliter infideles, iam possunt, si volunt, explicitè Fidem amplecti: quam si respuunt, ideoque non salvantur, culpa ipsorum est: nec dici potest, in actibus aliarum virtutum, quos fortè exercent, involvi piam affectionem implicitam credendi; cum possint, & voluntariè nolint habere explicitam ipsi necessariam, ut boni sint. In ijs ergo initium salutis, & iustificationis est Fides complectens piam affectionem explicitam cum auxilijs supernaturalibus ad ipsam.

44 Quintum, in quo convenit cum de Lugo contra sententiam adstructam à Ripal-

Ripalda cit. probat, per ea, quæ ex communi Theologorum sensu diximus *disp.* 20. *sect.* 2.

Supra
disp. 20.

45 Sextum, in quo convenit cum Valquez, & Ripalda contra de Lugo, & Aguirre, probat à fortiori ex ratione primi asserti. Si enim infideles per illustrationes supernaturales diversæ rationis à Fide, faciunt multa opera supernaturalia salutaria, quibus moraliter remotè disponuntur ad iustificationem, & de congruo merentur præmium supernaturale agnitionis Fidei, consequens est, quod fideles iusti ex similibus divinis illustrationibus, quæ circa multa objecta virtuosâ passim obvia habent, seorsim etiam ab actu formali Fidei, faciant multos actus supernaturales virtutem, quibus non solum congruè, verum etiam condignè, utpotè iam amici, filij, & hæredes Dei, mereantur augmentum Gratiæ, & Gloriæ. Confirmat ex Trident. *sess.* 6. *cap.* 16. ubi agens doctrinaliter Concilium de operibus, per quæ iusti suam iustitiam augment, inter conditiones, quas ad id requirit, non meminit actus Fidei ad singula specialiter requisiti. Requirit quidem, quod opera sint bona; quod fiant ex adiutorio gratiæ per Christum, in quo requisito involvitur libertas, & supernaturalitas; quod fiant in Deo, id est, in statu Gratiæ: & addit, si hæc adsint, *nihil ipsis iustificatis amplius deesse credendum est, quominus plenè illis quidem operibus divina Legi pro huius vite statu (ecce requisitum status viæ) satisfecisse, & vitam æternam, suo etiam tempore, si tamen in Gratiâ decesserint, consequèdam, verè promeruisse censetur.* Diminutè autem proccisisset Concilium, si ulterius requiretur actualis Fides ad singula opera meritoria.

SECTIO V.

Nostrum iudicium.

46 **I**VDICO primò, primum sapientissimi Magistri assertum esse verum: utpotè valde conforme doctrinis Sanctorum Patrum, & sacræ Paginæ testimonijs, quibus adstruximus *disp.* 12. omnibus adultis, etiam Barbaris, & negativè infidelibus à Fide remotis, præstò adesse auxilia gratiæ actualis ad multos actus supernaturales virtutum. Alioquin frustra Daniel *cap.* 4. exhortaretur Nabu-

Supra
disp. 12.

Dan. 4.

chodonosorem Idolatram, ut eleemosynas erogaret, quibus utique remotè disponeretur ad veniam peccatorum: frustraque ab Angelo *Act. 10.* dictum esset Cornelio Centurioni Gentili, quod eius orationes, & eleemosynæ ascenderunt in memoriam in conspectu Dei: si enim nullatenus fuissent actus supernaturales, & meritorij, aut impetratorij apud Deum, nihil forent in conspectu Dei in ordine ad salutem, quam obtinuit.

Act. 10.

47 Addendum, mihi valdè videri verisimile, non solum aliquos à prædictis Infidelibus actus virtutum moralium fieri supernaturales, & salutares; quin etiam nunquam operari moraliter vndeque bene, quin operentur supernaturaliter ex gratia per Christum. In quo convenio cum P. Ripalda: quamvis non in eo, quod efficiatur simul cum actu bono naturali alius supernaturalis eiusdem objecti: hoc enim iam mihi displicuit *disp.* 7. *sect.* 3. & alibi sæpè: ubi occurrere conatus sum difficultatibus in contrarium, rem doctioribus maturiùs decernendam relinquens.

Supra
disp. 7.

48 Restat respondere ad argumentum, quod contra hæc opposuimus *num.* 38. ex de Lugo, & de Aguirre. Atque in primis contra illos redarguo: quia iuxta omnes, ante Fidem, quæ credimus, datur pia affectio, seu bona voluntas credendi: quæ quidem supernaturalis, & meritoria est: quomodo ergo salvant, quod ante Fidem non datur in homine meritum ullam ipsius Fidei? Respondet rectissimè de Lugo *sect.* 3. piam affectionem credendi iam pro ipsa Fide apud Sanctos Patres computari; atque adeo, quamvis actus liber meritorius piæ affectionis sit ante assensum intellectualem Fidei præsiùs sumptæ, non verò ante Fidem sumptam completè, & extensivè pro morali negotio Fidei, complectente non solum assensum intellectualem, sed piam etiam affectionem voluntariam credendi: imò & iudicium credibilitatis Mysteriorum, & auxilia gratiæ per se antecedentiâ, & excitantiâ piam affectionem liberam supernaturalem, & meritoriam credendi. Sicque etiam salvatur, initium salutis, fundamentum, & radix iustificationis esse Fidem: quia, quamvis ad assensum Fidei præcedat pia affectio voluntatis, & ad hanc alia illustrationes, & inspirationes cum iudicio credibilitatis, à

Lugo.

quibus potius videtur initium desumi; ad hæc tamen omnia extenditur negotium morale Fidei, & nomen Fidei quando dicitur initium salutis esse Fidem: ante Fidem autem cum morali hæc extensione sumptam nihil est in nobis meritorium, & salutare.

49 Amplictimur libenter doctrinam responsionis solidè fundatam in phrasi Sanctorum PP. vñtatissimã. At ex hæc ipsa suæ responsionis doctrinã respondemus nos ad argumentum sapientissimi Cardinalis, extendendo illam simili iure ad actus virtutum moralium Infidelium, & ad sanctas cogitationes, quibus à Deo provisorè supernaturali barbariores etiam præveniuntur ex voluntate illa divina, quod omnes salvi fiant, & ad agnitionem veritatis, id est Fidei, veniant: in quem finem *illuminat omnia hominem venientem in hunc mundum.*

Ad totum enim hoc, quamvis remotius, extenditur morale negotium salutis, & Fidei: non, inquam, Fidei latæ, vt alij minus aptè intellexerunt; sed Fidei strictæ ex auditu, vt intelligitur à Sanctis PP. quia sanctæ illæ cogitationes supernaturales immittuntur etiam Barbaris à Deo per Christum ad opera virtutum, quibus, si annuant, disponantur ad agnitionem Fidei; & illa ipsa opera virtutum moralium, quæ, si vndequaquæ bona sunt, in ipsis ex auxilio gratiæ sunt, & supernaturalia sunt, & salutaria sunt; sunt, si minus explicitæ, implicitæ saltem affectiones piæ credendi, vt statim magis explico.

50 Ex ijs ad argumentum in forma, distinguimus antecedens, vt distingui necesse est à Cardinalibus de Lugo, & de Aguirre: ante Fidem, sumptam contractè pro assensu intellectuali credendi, non datur meritum vllum ipsius Fidei sic contractè sumptæ; negamus antecedens, vt iidem Cardinales dicere tenentur; cum omnes admittamus ante prædictum assensum piam affectionem credendi voluntariam, supernaturalem, & meritoriam: ante Fidem extensivè sumptam pro toto negotio Fidei strictæ non datur meritum vllum, concedimus antecedens: & sub eadem distinctione concedimus, vel negamus consequentiam. Itaque in Infidelibus, illis per illustrationes supernaturales, ex quibus fiunt actus supernaturales virtutum, datur moralis dispo-

sitio, & meritum congruum remotum Fidei strictæ, Gratia, & Gloriæ: quod tamen meritum non est ante Fidem strictam extensivè sumptam pro toto negotio morali, & supernaturali Fidei: quia illæ ipsæ illustrationes supernaturales, illique ipsi actus virtutum moralium etiam supernaturales, sunt iam, quamvis remotius, de negotio Fidei strictæ.

51 Atque hinc patet responsio ad Tridentinum adductum in probatione antecedentis. Rectè enim dicitur Fides *salutis initium, fundamentum, & radix omnis iustificationis*: Fides, inquam stricta; non contractè sumpta pro actu intellectuali credendi, cum de hoc esset falsum apud omnes; eo quod ad ipsum præsupponatur pia affectio libera, & salutaris credendi, & gratia auxilians ad illam; sed sumpta extensivè ad totum negotium Fidei devolutum in illustrationes auxiliares ad primum actum virtutis moralis vndequaquæ bonum, & supernaturalem. Quam responsionem minimè feriunt instantiæ Cardinalis de Aguirre citati super doctrinam Tridentini.

52 Minus facebant negotij Augustini testimonia in confirmationem adducta. Ad primum enim fateor, Fidem non esse ex operibus; sed opera ex Fide; ac proinde nullum in homine dari meritum, sub quo cadat Fides: Fides nimirum sumpta extensivè ad totum negotium Fidei iuxta phrasim Sanctorum Patrum: quia hoc Fidei strictæ negotium devolvitur ad primam vsque supernaturalem illustrationem antecedentem primum opus meritorium: quæ sub meritum non cadit; imò est initium omnis operis meritorij, & salutaris. Ad secundum dico, Augustinum in ea Præfatione non vtcumque loqui de Fide requisita ad quemcumque actum salutarem; sed iuxta verba, quæ conciliat Pauli, & Iacobi, de requisita ad iustificationem, quod valdè diversum est. Dicit enim Paulus, hominem iustificari non ex operibus, sed ex Fide; Iacobus verò, iustificari ex operibus, & non ex Fide. Conciliat autem sic quia Paulus loquitur de operibus ante Fidem; ante Fidem scilicet contractè sumptam pro actu intellectuali credendi: quæ quidem opera quamvis salutaria sint, & ad iustificationem conducant, & remotius disponant; non tamen sunt dispositio sufficiens ad iustificationem:

ad

ad hanc enim requiritur assensus strictæ Fidei, & post illum detestatio supernaturalis peccati. Iacobus verò loquitur de operibus post Fidem, & per Fidem factis, cum sola Fides non sit sufficiens dispositio ad iustificationem, quamvis salutaris sit, & conducatur; idèdque subsequi debent alia opera proximius dispositiva. Rectèque concludit Augustinus, quod *debemus nulla opera præponere Fidei*: quod, si intelligit Augustinus de nullis operibus sufficientibus ad iustificationem, dicit id verissimè, respectivè ad Fidem contractè sumptam pro assensu credendi requisito, & non sufficienti ad iustificationem. Si verò id intelligit de nullis omnino operibus salutaribus, est etiam verum, respectivè ad Fidem extensivè sumptam modo nuper explicato: quia ad primam illustrationem salutarem, quæ inchoativè est de negotio Fidei strictæ, nullum opus nostrum salutare præcedit.

53 Secundum Assertum est mihi quoque verum: ob rationem pro eo datam num. 41. Videtur tamen addi posse generalius, omnem omnino actum vndequaquæ bonum iuxta rationem, cum iuxta præsentem Dei legem non sic fiat, nisi supernaturalis fiat, atque adèd non fiat nisi ex præveniente gratia per Christum, etiam in Barbaris, & negativè Infidelibus, iuxta doctrinam sapius à nobis memoratam; esse piam affectionem implicitam Fidei, & non fieri nisi ex illustratione à Deo ordinata ad agnitionem veritatis per Fidem strictam: atque adèd esse iam de negotio Fidei strictæ. Quod equidem nisi dicamus, non video, quomodo verum sit, Barbaros etiam illos, ad quos Fidei prædicatio non pervenit, posse salutem suam operari. Iustificari enim, & salvari non possunt sine auxilio supernaturali: si autem ex lege, & decreto Dei nullum eis datur ante illud, quo, positâ eis Fide, moventur vt expressè, & explicitè velint eam amplecti; certè dum eis Fides non prædicatur, nec proponitur, nec in eorū manu est quod ipsis prædicetur, nec erit in ipsorum manu velle explicitè, & expressè credere, nec opus sibi liberum aliquod facere, quod ad id obtinendum conducatur. Oportet igitur ita sentire de divina Providentia erga redemptos per Christum, vt illis etiam Barbaris ante auxilia proxi-

ma ad volendum credere Fidem sibi propositam, dispensentur auxilia anteriora, & remotiora ad opera, quæ ad id conducere possint; atque adèd ad opera supernaturalia virtutum moralium: quibus auxilijs si respondeant, certè pervenient ad agnitionem veritatis; si resistant, iam culpabiliter Fide carebunt: & hoc quidem de lege ordinaria Dei provisoris supernaturalis per Christum. Nam recurrere semper ad miracula, quæ tamen in raris casibus negare non possumus, extraordinarium est, & non sine urgente fundamento sustinendum à Theologo.

54 Tertium Assertum prudentissimum iudico, satisque probatum num. 42. Pertinet enim ad orthologiam Theologo dignissimam, non solum sensus, quin etiam, & loquutiones Sanctorum PP. observare, ac retinere. Sic autem retinetur, dignèque explicatur de Fide etiam stricta, vt vidimus, Conciliorum, Patrumque loquutio, quod Fides est initium salutis, principium, radixque omnis nostræ iustitiæ; & quod nullum opus salutare fiat à nobis ante Fidem: quamvis multa fieri necesse sit dicere ante prædicationem, & propositionem expressam, & explicitam Fidei. Quæ fortè doctrina non discedit in re ab ea, quam sub alijs vocibus tradunt Suar. disp. 12. de Fide sect. 4. Ant. Perez tom. 2. disp. 3. de Virtut. cap. 12. & M. Lumbier tom. 2. quest. 15. de Fide art. 4. dicentes, Fidem de Christo esse necessariam ad iustificationem necessitate medijs; non in re; sed vel in re, vel in voto.

55 Quartum Assertum aliquâ mihi ex parte duriusculum est. Quamvis enim positivè infideles sint in culpa suæ incredulitatis, & dum actu volunt discredere, nulla illorum voluntas possit illis interpretari pro piâ affectione credendi; adhuc implicitâ; ceterum non semper sunt in voluntate actuali discredendi, nec in virtuali; sed ad summum in habituali quandiu non retractant suam incredulitatem. In illo autem temporis intervallo, quando nec de rebus fidei cogitant, non est cur actus virtutum moralium circa obiecta occurrentia non exerceant, subveniendò pauperibus, honorando Parentes, & Magistros, solvendo debita ex iustitia, & sic de alijs: in quarum virtutum exercitijs non video,

cur

Lug.

Ioan 1.

Aguir.

Lug.
Aguir.Suar.
Perez.
Lumb.

cur tunc tēporis non æquiparari debeāt negativē Infidelibus: quamvis in culpa præteritā nojēdi amplecti Fidē sufficienter propositā dispares sint. Nec enim cū peccato habituali suæ incredulitatis expressē pugnat in sic Infideli voluntas interdum implicita adimplendī suas obligationes, dum rerum Fidei est immemor: sicut cum voluntate explicita habituali, utpotē nondum positivē retractata, nolendī solvere hoc debitum iustitiæ, non pugnat in immemore talis debiti voluntas aliqua solvendi omnia debita, quæ esset implicita istius. Quod si postea, revocato isto debito in memoriam, iterum nolit solvere, non inferitur illam voluntatem bonam solvendi non comprehendisse implicitē istud debitum; sed aut istud non comprehendisse, aut non durare tempore memoriæ talis debiti: aut si durabat, succumbere hominem novæ tentationi non solvendi. Idcirco minus placet univērsaliter asserere, quod in positivē Infidelibus initium salutis sumi debeat à Fide cum pia affectione explicitā credendi, & auxiliis proximis ad ipsam: cum multò ante talem piā affectionem, & ante auxilia proxima ad ipsam, valeant exercere actus salutares aliarum virtutum ex anterioribus auxilijs gratiæ.

56 Quintam Assertum verissimum mihi est ex dictis *disp. 20. sect. 2.* quia, ut iam notavi *num. 52.* aliud est, valdeque diversum loqui de Fide requisita ad actus salutares utcumque; aliud est ad actus salutares, qui sint dispositio sufficiens ad iustificationē, de quibus loquitur hoc Assertum. Sed contra hoc objicit Ripalda: quid si negativē Infidelis ex illis illustrationibus divinis, nondū sibi propositā Fide, ac proinde nec creditā ex auditu, sicut dicimus moveri posse ad actus salutares virtutum moralium, moveretur ad contritionē perfectam, illamque re ipsa exerceret? Hic abs dubio iustificaretur; cum in omni legē cōtritiō perfecta fuerit dispositio sufficiens, & proxima ad iustificationem. Atqui non haberet actum Fidei strictæ: ergo neque ad actus salutares, qui sunt sufficiens, & proxima dispositio ad iustificationem, est necessaria necessitate medijs stricta Fides. Respondetur redarguendo: quid si Paulus, & multi alij Prædestinati moregentur dum erant in peccatō mortali?

Respondere necesse est, pertinere ad Dei providentiā, quod positā suā prædestinationē, nō moriantur in peccato. Sic dicimus, statuta Dei lege, quod nemo iustificetur sine actu Fidei, nō esse minus facile Deo, sic res disponere, ut nemo exerceat contritionem perfectam, quin præcedat actus Fidei strictæ, quam sit, res ita disponere, ut nemo prædestinatorum moriatur, quin sit in statu Gratiæ. Casum itaque obiectionis negamus.

57 Sextum Assertum amplector ob rationes positas *num. 45.* Quibus addo authoritatem S. Tho. in *2. dist. 40. qu. 1. art. 5.* vbi docet, non dari medium in homine Iusto deliberatē operante, inter actum meritorium, & demeritorium. Ex quo duo inferuntur liquidissimē. Primum, omnem actum bonum hominis iusti, cum non sit demeritorium, esse meritorium, ac proinde supernaturalem, iuxta id quod cum Coninc, & Vvadingo diximus alibi, omnia opera vndequaue moraliter bona Iustorum esse supernaturalia, & salutaria. Secundum pro re præsentī, multos fieri actus meritorios à Iustis, quia singulariter ad illos præcedat actus Fidei strictæ: quia multa obiecta passim occurrūt, etiā circumscriptā notitiā Fidei, circa quæ benè honesteque operantur; cum non sint peioris conditionis, quam barbari à Fide remoti. Ea autem opera, cum certē demeritoria non sint, meritoria sunt iuxta S. Tho. ex cuius sententia inter hæc duo in homine Iusto non est dare medium. Respondet Eminentissimus de Aguirre *num. 70.* loqui S. Tho. in sensu Theologorum exigentium imperium charitatis formaliter, virtualiter, aut habitualiter dirigens, atque elevans actiones virtutum adquisitionum in homine Iusto, ut supernaturale præmium promereantur. Contra tamen. Vel enim omnes actus boni hominis iusti sunt ex eiusmodi imperio; vel non omnes. Si omnes: ergo nullus omnino fit actus bonus à Iusto, qui non sit salutaris, & condignē meritorius: quod est dare huic asserto plusquam intendit. Si non omnes: ergo aliqui actus boni virtutum sunt à Iusto, qui nec sunt meritorij ex defectu imperij charitatis; nec sunt demeritorij, cum boni sint: sed sunt medijs inter meritorium, & demeritorium, quod est apertissimē in terminis contra S. Thomam. Satius esset non meminisse Sancti Thomam.

S. Tho.

Coninc:
Vvadin.

Aguir.

ma, quam obtrudere ipsi impugnationem pro interpretatione.

Lug.
Trid.

58 Objicit de Lugo Tridentinum *sess. 6. cap. 10.* vbi docet, quod Iusti per observationem mandatorum Dei, & Ecclesia in ipsa iustitia per Christi gratiam acceptā, cooperante Fide bonis operibus, crescunt, atque magis iustificantur. Agit ex professo de augmento Gratiæ per opera bona iam Iustificatorum condignē meritoria Gratiæ: & addit: *cooperante Fide;* ergo quia ad id non sufficit, quod ea Iustorum opera fiant ex alia illustratione supernaturali; sed debent fieri ex actu Fidei ad singula prælucente. Confirmat ex multis Sanctorum PP. testimonijs, enixē commendantium, ut opera nostra bona fiant ex Fide, quasi in solis illis operibus, quæ procedunt ex Fide, agnoscant meritum. Confirmat ulterius ex Arausico. *2. cap. ult. ibi: Hoc salubriter confitemur, quod in omni opere bono nos non incipimus; sed ipse Deus, nullis nostris præcedentibus meritis, prius Fidem inspirat:* ergo in omni opere bono, atque ad eodē meritorio Iustorum debet præcedere Fides. Postremò, quia, ut contendit Ripalda *disp. 17. de Fide, sect. 10.* quod docet Tridentinum *cap. 8.* Fidem esse salutis initium, fundamentum, & radicem; non magis probat eius necessitatem ad iustificationem, quam ad quæcumque actum salutarem, & meritorium: Vel ergo falso diximus *nu. 56.* contra Ripaldam, actum Fidei strictæ esse necessarium ad iustificationem; vel dicere debemus, ad quemcumque actum salutarem hominis etiam iusti, esse necessarium, ut cum de Lugo viget operosè de Aguirre *disp. 118. sect. 4.*

Araus.

Ripal.
Trid.

Ripal.

Lug.
Aguir.

Oxea.

59 His tamen omnibus satisfacit plenè P. Oxea à *n. 81.* respondens ad Tridentinum, in eo tradi doctrinā certam: quod Iusti per opera cooperante Fide actuali facta, merentur; non verò negat, per alia etiam mereri, quamvis id ibi non affirmet, quia certum non est: & abstrahens ab hoc puncto opinabili, voluit pro tunc illud relinquere disputationi Theologorum. Quantum autem faverit postea opinioni nostræ Concilium ipsum *cap. 16.* vidimus *nu. 45.* Vnde consequentia nulla est. Ad confirmationem responderetur similiter, Sanctos PP. maxime commendare, & exhortari, ut opera nostra sint ex Fide ut sint meritoria etiam in Iustis: nō quia negent esse quoque posse meritoria

facta ex alia illustratione supernaturali diversā ab actu Fidei, sed quia, cum illud sit certum, & istud non ita; commendant, & exhortantur, ut par est, ad meritum certum, nihil de incerto decernentes. Accedit, quod in Iustis Fide iam informatis, & credere assuetis vix eiusmodi illustrationes eveniunt, quin, si benè operantur, operentur ex Fide: quamvis non ita reflexè advertant ad motivum revelationis, ut explico in disputationibus de Fide. Sancti autem PP. ad id respiciunt, quod ferè semper evenit in meritis Fidelium, utpote Fide subnixis.

60 Ad aliam confirmationem ex Arausicano responderetur, minus pertinere ad rem præsentem. Definit enim ibi litem motam cum Semipelagianis; sitnè prius, nos facere opera bona meritoria Fidei, & aliorum requisitorum ad salutem, an verò prius sit Deum gratis, & non ex merito nostro dare Fidem & prima auxilia ad illam, ut postea subsequantur nostra merita: & definit hoc posterius. Quid hoc ad præsentem nostram quæstionem? & quamvis dicat Concilium, quod in omni opere bono nos non incipimus, sed Deus, qui prius Fidem inspirat; non id dicit, quia ante singula opera bona immediatè præcedere debeat actus Fidei, ut patet ex illis verbis *nullis nostris præcedentibus meritis;* cum certum sit, in Iusto præcedere sæpe multa merita congrua ad actum Fidei subsequentem; sed id dicit in sensu controversiæ tunc agitatæ cum Semipelagianis, de primo Fidei actu sumpto extensivè cum pia affectione credendi, & auxilijs ad ipsam, qui nisi præcedat, nequit peccator iustificari, nec vllum opus condignē meritorium efficere. Confitemur ergo catholicè quod definit Concilium, nos *nullis nostris præcedentibus meritis,* id est de nostro, & absque gratia per Christum factis, mereri prima auxilia, nec Fidem, ut dicebant Semipelagiani. Sed dicimus, hominem iam iustum facere aliqua merita etiam condigna augmenti Gratiæ, & Gloriæ, quin fortè ad singula præcedat immediatè & expressè actus Fidei; sed illustratio alia supernaturalis diversæ rationis à Fide. Quod nullum omnino commercium habet cum Semipelagianismo ibi damnato.

61 Ad postremum, quidquid contendat Ripalda, & aliò intentus Cardinalis

Ripal.
nalis

Aguir. nalis de Aguirre, negamus, ex doctrina Tridentini non magis probari necessitatem Fidei actualis ad Iustificationem peccatoris adulti, quam ad quicumque actum salutarem. Nam in eo *cap. 8.* aperitissime loquitur de prærequisitis ad iustificationem, occasione explicandi doctrinam Pauli, quod homo *iustificatur per Fidem*: atque adeo non loquitur de meritis hominis iam iusti, quæ non sunt dispositiones ad iustificationem; sed sunt me-

rita augmenti Gratia: quibus non aptanda venit doctrina, quam tradit Concilium pro requisitis, & dispositionibus ad iustificationem per primam Gratiam. In *cap. 16.* ubi egit Concilium de requisitis ad meritum augmenti Gratia: iam iustificatis, non meminit actus Fidei immediatè ad singula merita præcedentis. Vnde infringitur facillè quod vrget Cardinalis de Aguirre *num. 41.*



DISPUTATIO XXVII.

DE PERTINENTIBVS AD INCREMENTVM Meriti.

I VB hoc Titulo veniebat agendum: an ex actionibus externis au-geatur per se meritum ultra meritum actuum internorum ipsas imperantium. Hoc tamen oportune tractavimus, & negativè resolvimus *disp. 25. sect. 10.* Quapropter, hoc illuc remisso, veniemus ad ulteriora.

SECTIO I.

An Meritum, cæteris paribus, augeatur ad maius Præmium ex intensiori Gratia Sanctificante, & condignificante.

2 GRAVE dissidium inter duos Theologiæ Proceres, Patres Suarez, & Vasquez. Cùm Gratia sanctificans dignificet opera Iusti ad merendam de condigno vteriore Gratiam, & Gloriam; sitque forma condignificans Personam, & opera; extra dubium est intensiorem Gratiam esse maiorem condignitatem Personæ, & reddere opera magis condigna. Difficultas est: an eo ipso cæteris partibus, reddat opera condigna ad maius præmium.

Suarez. *Lug.* *Rip.* *Gran.* *Ovied.* *Arria.* *Anic.* *Martin.* **3** Afirmat Suarez *lib. 12. cap. 22.* Sequuntur Card. de Lugo, Granad. Ripalda, Oviedus, Arriaga, Amicus, Martino-nus, & Recentiores communiter: docentes utique, maius præmium Gratia: & Gloriæ promereri hominem iustum, vt quæ-

tuor, si vterque actum virtutis exercent alioquin omninò parem. Et citatur pro hac parte S. Tho.

4 Negat hoc totum P. Vasquez *3. part. disp. 6. cap. 4.* dicens, quòd in eo casu, homo iustior non mereretur condignè maius præmium Gratia:, & Gloriæ, quàm alter; sed mereretur magis condignè, quàm alter, idem præmium, quod alter. Sicque intelligit S. Thomam in *2. dist. 29. quæst. 1. ar. 4.* dicentem: *Quantò maiori charitate, & Gratia actus informatur, tantò magis est meritorius: scilicet, non maioris, sed eiusdem præmij.* Sequuntur Lorca, Aversa *quæst. 14. de Mer. sect. 23.* & Godoy *disput. 3. de Incarn. §. 5.* citans Zumelem, Medinam, Cabreram, & Canum: & videtur fuisse sententia Subtilis Scoti in *2. dist. 20. quæst. 1. & in 4. dist. 15. quæst. 1.* quam veram, & rationabiliorem reputo.

5 Prima ratio. Dignificari actus supernaturales ad præmium, quod per se soli, aut non condignè, aut non ita condignè merentur; & illos condignificare ad novum præmium, quod per se nullo modo merentur; sunt conceptus secundum

Vasq.

S. Tho.

Lorca,

Avers.

Godoy.

Zumel.

Medin.

Cabrer.

Canus.

Scotus.

dum se diversi, & separabiles: sed per conceptum illum priorem satis intelligitur Gratia: dignitas respectu meriti; & aliunde non est fundamentum ad tribuendum illi conceptum posteriorem: ergo Gratia, quamvis dignificet, magisque condignificet actus nostros ad præmium, quod alioquin condignè non merentur; non tamen eos condignificat ad maius, novumque præmium. Maior patet: quia nulla est repugnantia, quòd in aliqua forma reperiat prior illorum conceptum sine posteriori. Et id videmus in ipsa Gratia, cuius primus gradus in homine faciente actum de congruo meritorium duorum graduum præmij, solum condignificat, vt mereatur de condigno eosdem duos gradus; non verò vt mereatur tres. Minor constabit inter respondendum ad fundamenta contraria. Itaque, sicut prima Gratia non est vis ad maius præmium, sed dignitas ad idem præmium Gloriæ, quod actus secundum se non condignè, sed congruè mereretur; sic similiter, & consequentissimè augmentum Gratia: non auget vim ad maius præmium, sed auget condignitatem ad idem præmium: alioquin non esset ita facillè dabilis ratio, cur non dignificaret actus naturales bonos iustorum ad præmium supernaturale, quòd secundum se nullo modo merentur.

6 Vim huius rationis infringi putant aliqui; ex eo quòd in ea supponatur, Gratiam solum condignificare actus ad condignè merendum præmium, quod secundum se congruè mererentur. Id ipsi negant, & impugnant: quia quilibet actus supernaturalis infimæ virtutis moralis factus à iusto meretur condignè gradum Gratia:, quem factus à peccatore, nec congruè mereretur; cùm soli contritioni id concedatur, tanquam ultimæ dispositioni morali ad iustificationem. Prætermisissis tamen alijs nullius ferè momenti impugnationibus contra dictam suppositionem, potius sibi fictam ab Adversarijs, quàm à nobis hæcenus factam, occurro ad propositam eius impugnationem dicendo, in ea potius falsò supponi, actum illum virtutis supernaturalem, factum etiam à peccatore, non mereri de congruo eundem gradum Gratia:, quem factus à iusto meretur de condigno. Quocirca discernere opus est, quòd iustus per nullum actum mere-

tur condignè gradum Gratia:, quo peccator iustificetur; sed de facto sibi iam iusto, aut de possibili iuxta aliam Dei legem alteri iusto augmentum, vt magis iustificetur; sibi autem secundum præsentem legem, aut fortè de possibili iuxta aliam, iam illam congruè mereretur in actu primo peccator per eiusmodi actum supernaturalem virtutis; quamvis non tam congruè, ac per actum nobilioris virtutis: congruitas enim, sicut, & condignitas suscipit magis, & minus. Quòd autem id non mereatur peccator in actu secundo, & ipso facto per illum actum infimæ virtutis, sicut per contritionem, non est ex defectu congruitatis utcumque; sed ex defectu cõgruitatis, cui Deus ex præsentem lege sua promissit ipso facto præmium iustificationis, sicut promissit contritioni. Quemadmodum actibus iustorum, qui condignè merentur in actu primo Gratiam, & Gloriam, correspondet ex lege Dei Gratia ipso facto statim danda; Gloria verò non statim. De eiusmodi Dei lege, & pacto requisito ad meritum in actu secundo agemus *disp. 29. sect. 1.*

Infra, disp. 29.

7 Secunda ratio. Maior indignitas hominis, per multa, & turpissima peccata commissa vilissimi, non auget in novo peccato rationem demeriti ad maiorem pœnam: ergo neque maior dignitas hominis per maiorem Gratiam sanctissimi, auget meritum novi boni operis ad maius præmium. Antecedens conceditur ab Adversarijs, nondum ausis dicere, quòd attentavit, quamvis indecisè Ripalda paritate pressus, hominem iam peccatorem committentem novum peccatum mereri per istud maiorem pœnam, quàm mereretur iustus æqualiter peccans. Consequentia vrgetur à paritate rationis. Quia maior Gratia, iuxta Adversarios, eatenus auget meritum ad maius præmium, quatenus reddit Personam merentem digniorem, gratiorem, Deoque placentiorem. At status multiplicis peccati reddit etiam Personam denuò demerentem, indigniorem, vilioerem, Deoque displicentiorem. Cur ergo similiter non augeat demeritum ad maiorem pœnam?

8 Dat Granadus rationem disparitatis: quia Deus potuit se obligare ad præmium pro qualitate operis, & operantis; hoc enim contra nullus est ius, &

Granad.

prodest, ut iusti magis excitentur ad bona opera: non tamen potest decernere poenam pro qualitate operis, & operantis: quia esset contra ius patientis poenam: bis puniri propter peccatum praecedens. Verum haec videtur potius petitio principij, quam ratio disparitatis. Contendimus, quod, sicut magis iustus bene operans meretur eo ipso de novo maius praemium; sic magis peccator male operans eo ipso deberet mereri condigne de novo maiorem poenam, quam minus peccator, alioquin equè male operans. Si autem de novo peccans mereretur de novo eo ipso maiorem poenam, eo ipso non esset contra ipsius ius, si maiori propterea poena puniretur. Nec prodest dicere, illud auctuarium maioris praemij prodesse posse, ut iusti magis excitentur ad bene agendum: nam similiter simile auctuarium maioris poenae prodesse posset, ut peccatores magis detererentur à male agendo.

Lugo.

9 Aliam dat rationem paulò diversam Cardinalis de Lugo *disp. 6. de Incar. sect. 1.* ex eo quod dignitas Iusti merentis petit non contemni; idèdque debet attendi in praemio operum: vilitas verò peccatoris demerentis non petit non contemni, nec attendi in supplicio: quia non fiet contra suae indignitatis exigentiam, aut ius, si desinat propter id magis puniri. Non tamen satisfacit: ut enim delinquens iuste puniatur. frustra requiritur ipsius exigentia, seu ius ad punitionem, ob notissimum discrimen inter dignitatem meriti, & demeriti, quod illa fundat ius in merente ad exigendum praemium; ista verò non fundat ius in demerente ad exigendum supplicium; sed in iudice ad infligendum. Quamvis ergo indignitas, seu vilitas peccatoris demerentis non adquirat ius ad exigendum maius supplicium, poterit iuste, ac rectè maius supplicium infligi pro novo peccato intuitu anterioris vilitatis, si ea vilitas, ut evincit nostra paritas, auget secundum se condignitatem demeriti ad maiorem poenam. Non autem dat sufficientem rationem doctus Cardinalis, cur eam sic non augeat, si maior dignitas per maiorem Gratiam Iusti merentis auget eo ipso condignitatem operis ad maius praemium.

10 Tertia ratio. Aut enim augmentum illud meriti ex maiori Gratia ad

maius praemium, est ad maius praemium omninò æqualiter cum maiori Gratia; aut non omninò æqualiter: sed neutrum esse, aut dici potest: ergo non est ad maius praemium. Probatur minor. Quia, si dicatur primum, sequitur incredibiliter, & absurdissimè, Iustum habentem Gratiam ut centum, per actum remississimum patientiæ, alioquin meritorium ut vnum, meritum praemium Gratia, & Gloria ut centum, inò & ut centum, & vnum supra Gratiam praecedentem: & consequenter, si duo Iusti post diurnam vitam æquè plenam ieiunij, laboribus, & actibus heroicis charitatis, & martyrij pervenissent pariter ad altissimum sanctitatis statum, ad millionem scilicet graduum Gratia; & alter eorum præ altero in instanti ante mortem faceret actum patientiæ meritorium ex se levissimum; per actum istum ita auget merita sua, ut duplo plus Gratia, & gloria reportaret, quam alter: & tantumdem sibi compararet per actum illum remississimum, quantum in tota vita per plures actus ferventissimos, & per Sacramenta. Hoc autem apertissimè paradoxum est. Et, quamvis nonnulli, audacter potius quam sapienter, id animosius deglutire attentaverint, id dumtaxat consequuti sunt, ut manifestum omnibus facerent, sententiam suam defendi non posse sine immani hoc absurdo: à quo magis quam à sententia nostra abhorrent Authores sanioris iudicij, qui contrariam aliquo cum moderamine defendunt.

11 Si verò dicatur secundum, ut dici necesse est ad evitandam praedictam sequelam, tota ratio sententiae nobis contrariae corrumpitur, & ratio nostrae invalescit. Dicunt id posterius Ripalda, de Lugo, Oviedus, & alij communiter cum Suarez. Quia, inquiunt, sola sanctitas Personae, cum seorsim ab actu non sit meritum, nihil per se meretur. Undè, si ad meritum vnicui gradus Gloriae requiritur saltem vnus gradus actus, & vnus gradus sanctitatis, satis correspondet vnus gradus sanctitatis vni gradui Gloriae: sicque homo non compararet totidem gradus Gloriae, & augmenti Gratia, quot in illo essent gradus sanctitatis; sed aliquantò pauciores.

12 Ex hac doctrina labefactatur totum fundamentum contrarium, & ratio nostra

nostra instauratur sic. Si Iustus, habens duos gradus sanctitatis, faciat actum remississimum, vel meretur maius praemium, quam si vnicui tantum gradum sanctitatis haberet; vel non. Si primum; ergo, si haberet tres gradus, mereretur maius praemium, & maius, si haberet quatuor, & sic deinceps: cur enim secundum sanctitatis gradus supra primum augeat meritum ad maius praemium; & non similiter tertius supra secundum? Si dicatur secundum, hoc volumus, maiorem scilicet sanctitatem non augere meritum ad maius praemium: ruitque totum sententiae contrariae fundamentum. Praeterea. Meritum condignum, quamvis requirat actum, & sanctitatem Personae, ex minimo augmento intensiois actus crescit, quamvis non crescat sanctitas dignificans: ergo similiter ex minimo augmento intensiois sanctitatis, quamvis actus in intensioe sua non crescat. Quod si nobis negatur; ergo quia non eodem modo augetur meritum ex augmento Gratia, ac ex augmento actus. Hoc autem contendimus, nimirum ex augmento actus augeri meritum ad maius praemium; ex augmento verò Gratia non nisi ad maiorem condignitatem eiusdem praemij.

P. Boxas
sa.

13 Primarius Antecessor noster Barcinonensis, ingenio, doctrinâ, & religione praclarus, post impugnatas solidè responsiones aliorum, ait ferè idem sub alijs terminis: nempe praedictum augmentum meriti ad maius praemium ex maiori Gratia non esse computandum arithmetice, taliter, ut singulis gradibus maioris Gratiae correspondeant totidem gradus maioris praemij; sed geometricè, taliter, ut pro maiori Gratia correspondeat maius praemium cum morali quadam proportione. Sic autem consideratâ moraliter dignitate Personae merentis, nū est homo maioris dignitatis propter vnum, aut duos gradus Gratia supra alterum; cum in moralibus parum pro nihilo reputetur. Iustus ergo, qui vno dumtaxat gradu Gratia excederet alium, non propterea reportaret maius praemium per actum aliàs æqualem; bene verò, si octo, vel decem gradibus excederet. Undè homo ille sanctissimus, quem diximus *num. 10.* non sibi compararet per levem actum in fine vitae totidem gradus Gratia, & Gloriae, quot habebat

antea sanctitatis; sed singulos pro quolibet octonario, vel decenario.

14 Hæc tamen responsio, in re coincidens cum praecedenti, in easdem etiam incidit impugnationes. Adversus utraque instari potest secunda nostra ratio: cur similiter cum aliqua proportione morali non augeatur demeritum ad maiorem poenam ex indignitate notabiliter maiori magni peccatoris? Aut cur vnus gradus intensiois actus non pro nihilo reputetur, sed augeat meritum ad maius praemium, & non sic vnus gradus dignitatis Personae, si eiusmodi Personae dignitas ex Gratia confert ad maius praemium?

15 Profectò vnus gradus Gratia supra alios facit physicè, & absolutè magis sanctum, sicut quilibet gradus intensiois supra alios qualitatem magis intensam, & subiectum magis qualificatum, magis calidum, candidum, seu frigidum. Vel ergo argumentum contrariae sententiae nullum est; vel vnus Gratia gradus facit actum magis meritorium, & maioris praemij condignum: quia tota illa sanctitas informat Personam, & condignificat opera Personae sic dignae, nec vnus gradus impedit alium ab informatione, ac proinde, nec à condignificatione. Nec digna responsio est dicere, quod vnus gradus facit Personam parum digniorem; & quod parum pro nihilo reputetur. Quia, quamvis istud axioma valeat apud homines non discernentes minutiora; non sic apud Deum exactissimum rerum æstimatorem, qui nec minimum excessum meriti relinquit impraemiatum, quamvis apud homines moraliter reputaretur pro nihilo. Et quidem ad summum inferretur, opus illud Iusti modico illo vnus gradus excessu sanctioris, quod modicum pro nihilo reputatur, non condignificari ad praemium multò maius, sed ad maius modico etiam excessu, pro nihilo pariter reputando. Aut ergo nulla est ratio subsistens pro sententia nobis contraria; aut par est ratio, ut pro quolibet minimo excessu Gratia condignificantis cor-
respondeat operi maius praemium.

quod recusant, & meritò ij

Authores.

* *

XXXII

SECTIO

SECTIO II.

Momenta Authorum affirmativa sententia.

16 **O**BIJCIUNT nobis primò, nos etiam ratione ipsa nostrà vrgeri. Quoniam Iustissimus ille, faciens in fine vitæ actum meritorium secundum se levissimum, mereretur aliquid Gratia, quo Gratia præcedens augetur; & intendatur: ergo vnum saltem gradum Gratia: qui utique, si inæqualis est, magis est seorsim acceptus, quam alij remissiores simul sumpti: sicut octavus gradus caloris magis est quam reliqui septem, si pro qualitatis intensione ponuntur inæquales. Aut ergo Iustissimus ille nullum Gratia augmentum mereretur, quod nefas est; aut mereretur per actum illum levissimum Gratiam duplò maiorem, quam per omnes actus ferventissimos diurnæ vitæ.

17 Respondetur, vim huius instantiæ cessare, positâ intensione qualitatum per gradus æquales. Quoniam verò per inæquales illam constituo cum Suarez, respondeo negando, nos similiter vrgeri. Ad probationem, concessio antecedente, & primâ consequentia, nego subillationem. Fateor, hominem pro præmio illius actus fieri sanctiorem; sed non duplò sanctiorem, ac erat antea: quia, quamvis vltimus ille gradus Gratia sit intensivè perfectior omnibus reliquis anterioribus; non tamen duplò perfectior; sed paulò perfectior, quantum sufficit ad parum intendendam Gratiam anteriorem, & præmiandum parvum meritum, quod tunc in fine vitæ fieret.

18 Vrgent duplicem saltem sequentiâ. Primam, quòd homo ille plus mereretur per illum actum levissimum, quam meruisset per diurnam vitam laboribus plenam: mereretur enim gradum Gratia plus valentem, quam omnes reliqui anteriores. Secundam, quòd Iustus vt septem, faciens minimum actum meritorium, mereretur duplò plus, quam alius Iustus, aut tria, faciens simillimum actum: nam iste mereretur quartum Gratia gradum; ille verò octavum duplò meliorem. Nego tamen primam sequentiâ, & distinguo probationem: mereretur gradum Gratia plus valentem, penes totum id quod valet, nego: penes id quod magis

valet supra alios, quos iam per actus anteriores emeruerat, concedo. Hic autem excessus minor est, minùque valet, quam omnes reliqui gradus anteriores. Nego quoque secundam. Quia Iustus vt septem per novum actum levissimum, nõ mereretur octavum Gratia gradum, penes totum id quod valet; sed penes id quod magis valet supra septimum. Hic autem excessus octavi supra septimum non est magis, quam excessus quarti, quem mereretur Iustus vt tria, supra tertium: sicq; æquale præmium mererentur inæqualiter Iusti æqualiter operantes. Morali patet exemplo. Habes sex partes argenti, & aurum indivisibile illis æquivalens: merui à te quinque partes tui argenti, & de novo mereo sextam. Solvis quidem iustè, dans illud aurum: non quia de novo merui totum aurum; sed quia de novo merui valorem vnius sextæ partis argenti, penes quem aurum excedit quinque partes argenti iam antea promeritas.

19 Insistunt. Si ante eiusmodi meum novum meritum pro argento iam essent mihi solutæ quinque partes argenti; & postea pro novo merito solveretur totum illud aurum, abs dubio per vltimum meritum haberem plus, quam per omnia anteriora. Atqui sic res peragitur inter Deum, & nos in præmio Gratia. Deus enim iam præmiaverat anteriora merita augmentò Gratia minus intensâ, & postea propter novum meritum dat gradum Gratia intensiorem, retentis prioribus gradibus: sequitur ergo, hominem illum per actum levissimū mereri plus, quam per totam antea vitam. Respondetur distinguendo, & explicando maiorem: si aurum simul cum quinque partibus argenti pretiosius sit quam aurum, vel argentum seorsim, concedo; si non esset pretiosius, nego. Sic autem contingit in Gratia: cuius videlicet novus gradus pretiosior, & melior merenti, quam alij anteriores, simul cum illis non est merenti melius, ac pretiosius, quam esset ipse solus. Negatur itaque consequentia: præmiatus enim ille merens per vltiorem Gratia gradum, penes id solùm præmiatur, in quo gradus ille excedit alios, qui excessus æquivalet minimo gradui: sicut excessus prædicti auri supra quinque partes illius argenti æquivalet vni parti argenti. Rem aptius explico. Habes solùm decem, & das mihi chi-

chirographum valens novem: mereo postea vnum; & das chirographum pro decem. Hoc chirographum valet mihi seorsim decem, & tantundem valet simul cum alio: respectivè tamen ad novum meum meritum solùm correspondet penes excessum vnius. Et, vt veritas clariùs perspiciatur, ponamus te nec dare, nec habere posse nisi duplex chirographum; primum pro novem, secundum pro decem; & iam dedisse primum. Ad hunc enim modum habet se res in gradibus præmij Gratia.

20 Obijciunt secundò. Gratia sanctificans contribuit ad Meritum Iusti, tanquam pars formalis meriti condigni, vt condigni: opus enim, quod sine Gratia non fuisset condignè meritorium, constituitur condignè meritorium, formaliter per dignitatè Gratia: ergo, crescente Gratia, crescit Meritum, fitque opus magis meritorium, per axioma: *Sicut se habet simpliciter ad simpliciter, ita magis ad magis.* Confirmatur: quia, crescente Gratia, est maior Dei complacentia in persona sanctiori, & in eius operibus, vt potè magis condignificatis: ergo crescit in operibus ratio meriti. Respondetur, concessio antecedente, distinguo consequens: crescit meritum ad maius præmium, nego: ad maiorem condignitatem eiusdem præmij, concedo: sicque fit opus magis, id est, condignius meritorium eiusdem præmij. Idque dumtaxat probat axioma, potius pro nobis, quam contra nos allegandum. Quemadmodum enim, vt arguebamus num. 5. actus congruè meritorius vt vnum, non condignificatur per vnum gradum Gratia ad novum præmium vt duo; sed ad merendum condignè illud ipsum præmium vt vnum; ita per intensiores gradus Gratia condignificatur magis ad idem merendum; non ad aliud. Dati autem condignitatem, & maiorem condignitatem ad idem præmium, vel ex eo patet, quòd, præterquam quòd Christus alia plura meruit, hoc ipsum præmium, quod condignè meretur Iustus, meruit magis condignè, quam Iustus. Ad confirmationem, concessio antecedente, distinguo similiter consequens: crescit in operibus ratio meriti ad maiorem condignitatem eiusdem præmij, concedo; ad condignitatem maioris præmij, nego.

21 At quid, inquis, prodesse poterit

Iustiori merenti, ea maior condignitas, qua non est nisi ad idem præmium Gratia, & Gloria? Respondeo: multum. Quia, præterquam quòd illum facit formaliter magis sanctum cum iure ad maiorem Gloriam; eo quòd propterea plus sibi complaceat Deus in persona, & operibus magis sancti, prodesse maximè potest ad impetranda, & de congruo promerenda vltiora auxilia congrua, quibus resistat tentationibus vsque ad perseverantiam finalem: & vt novos actus meritorios faciat, per quos condignè mereatur maius præmium Gratia, & Gloria: quamvis per illum ipsum actum hoc maius præmium condignè non mereatur. Quod certè magnum quid est.

22 Obijciunt tertio. Orationes Iustiorum magis valent: ergo & Merita. Respondetur, distinguendo antecedens: magis valent quoad intentionem congruitatis, seu condignitatis rei pro qua orant, concedo: quoad extensionem ad alias res, nego. Si enim S. Petrus, & B. Virgo orèt pro vna re, & neutrius oratio extendatur ad alias res; quamvis ad eandem rem à Deo impetrandam congruentior, seu condignior, idèque efficacior sit oratio B. Virginis; idèque certiore habeat effectum pro quo orat; non tamen in ratione orationis extenditur ad alios effectus. Quòd si Deus statuisset talem effectum ad orationem vtriuslibet, æquè certò vtriuslibet obtineret in actu secundò; quamvis in actu primo oratio B. Virginis esset dignior, & potentior. Hinc ad consequentiam idem dicam de Merito, aliàs æquali, duorum inæqualiter Iustiorum: nam vtriusque ex lege iustissimè Dei datur æquale præmium Gratia, & Gloria, quamvis iustior illud condignius mereatur. Quod explicatur potius, quam impugnatur per exemplum orationis.

23 Obijciunt quartò. Quod additum inæquali inferiori facit æquale, additum æquali facit inæquale superius: si enim palmus additus bipalmo facit quantitatem æqualem tripalmo, additus tripalmo facit inæqualem, & maiorem tripalmo. Sed Gratia addita operi congruè meritorio, de inæquali ad præmium facit æquale, quia facit condignum præmium: ergo addita æquali, scilicet operi Iusti iam aliàs condigno, facit illud inæquale, & superius ad tale præmium; ergo.

ergo facit illud æquale, & condignum maiori præmio. Vndè sequuntur tria. Primum; quòd præmiaretur à Deo tale opus citra condignum infra æqualitatem. Secundum, quòd nullus fructus accresceret homini operanti cum maiori Gratia; cum tamen hæc sit semen Gloriar, contra sensum Apostoli: *Qui parçè seminat parçè, & metet: & qui seminat in benedictionibus, in benedictionibus & metet.* Tertium, quòd homo negotians cum maiori talento Gratiæ non faceret maius lucrum, contra Christi doctrinam in Parabola Talentorum.

2. Cor. 9.

Mat. 25.

24 Respondetur, distinguendo maiorem: si additamentum est eiusdem generis, concedo: ut in quantitativis evincit exemplum palmorum: si diversi generis, nego, ut evincitur in vnione eorundem palmorum: quæ quidem addita inæqualibus facit æquale, si nempe vniamur palmus bilpalmis: tunc enim fit æquale tripalmo: at propterea, si superadderetur palmo, & bipalmo iam vnitis in totum æquale tripalmo, non faceret inæquale tripalmo; quamvis iterum, atque iterum vniret. Hinc ad minorem fateor, Gratiam facere æquale præmio opus alioquin inæquale: in diverso tamen genere ab opere: nam Gratia non est opus meritorium; sed dignitas operis; idèdque aucta auget dignitatè operis, non verò opus meritorium; ac proinde, nec auget meritum ad maius præmium, sed dignitatem ad idem: aut dicatur nobis, cur, quantumvis aucta, non faciat actum naturale condignum, aut æqualem præmio Gloriar? Nego itaque duas consequentias. Nego deindè primam sequelam: non enim præmiatur meritum citra condignum, quando nullum aliud præmium condignè meretur vltra quòd reportat: contendimus autem non mereri maius præmium; cum, quamvis sanctior sit homo ille, non magis operetur, quàm minùs sanctus: clamantibus idem tamen Scripturis, præmia reddi à Deo vniciquæ secundum opera sua. Nec secunda sequela liquida est, ut vidimus *num. 21.* nam Gratia iam ex se fructificat Gloriam per modum seminis, & iuris ad hæreditatem: per opera verò eatenus tantum maior Gratia fructificat magis Gloriam ut coronam meritorie, quatenùs sanctiores ut plurimum operantur magis, quòd est seminare magis: & hic est

sensus verborum Apostoli. Quinimò iuxta sententiam contrariam sequeretur contra sensum Apostoli, quòd iustiores meterentur plus, seminando minùs. Ad tertiam dico, nihil esse contra nos in Parabola Talentorum. Quinimò ex ea iuxta Gratiam vniciquæ commendatur labor, & negotiatio per opera; quibus correspondet lucrum per modum præmij: Gratiæ verò non nisi ad mensuram operum. Legatur ibi Maldonatus in id allegans verba Pauli: *Gratia Dei in me vacua nõ fuit. Abundantiùs omnibus laboravi.*

Maldon.
I. Cor. 15

25 Obijciunt quintò. In humanis quòd Persona dignior est, & gratior, eò pluris æstimatur, & valet eius obsequium ad maius etiã præmium: similiter ergo quòd maiori homo apud Deum est gratia, eo gratiora Deo, & maiori digna præmio Gratiæ, & Gloriar sunt eius obsequia. Respondetur, dignitatem Personæ posse dupliciter applicari Merito: aut formaliter tantum, & exercitè; ut fit eò ipso quòd Persona habens talem dignitatem, à se fortè etiã ignoratam, obsequatur alteri: aut non solum formaliter, sed affectivè etiã, signatè, & obiectivè; ut fit quando persona merens vult totam illam suam dignitatem subijcere, & impendere in obsequium: ut si Vir nobilis vellet dignitatem, & vitam valdè æstimabilem exponere pro Principe, vel pro Republica. De hoc secundo modo non dubitamus, quin maior dignitas personæ conferat ad maius præmium: quatenùs obiectivè, seu terminativè nobilitat, & auget actum obsequiosum. Difficultas procedit de primo modo, quo nempe Gratia, etiã ignorata à Persona, dignificat opera personæ. Hoc supposito.

26 Distinguunt aliqui antecedens: si maior ea dignitas apud homines ita extollit personam in alium statum, ut moraliter æstimetur quasi alia Persona, concedunt: ut si de Plebeo fiat Nobilis; de Vassallo Princeps: quamvis interdum etiã in humanis certaminibus par præmium statuatur dignitate valdè imparibus. Negant verò antecedens, si dignitas non est modo dicto notabilissimè maior, ut statum mutet. Negant deindè consequentiam: quia Gratia nostra habitualis, quantumvis augeatur, non extollit hominem ab statu Filij adoptivi Dei; ut extollit Gratia substantialis Vnionis hypostaticæ: de qua propterea aliter statim

discur-

discurremus. Satius est per se loquendo de valore merè meritorio, negare antecedens. Quòd autem plerumque apud homines dentur maiora præmia dignioribus Personis, & minora minoribus æqualiter operantibus; aliquando inordinatio est, & acceptio Personarum, quæ Deo repugnat; aliquando, quamvis inordinatio non sit, non sic fit, quia opera illa æqualia condignè mereantur ea maiora præmia; sed quia congruum videtur, quòd Principes per ampliorem illam remunerationem testentur æstimationè suam, ac benevolentiam erga Personas in eiusmodi dignitatibus constitutas. Quoquo modo hoc fit in humanis, ex quibus ad divina non est firmum argumentum, negatur consequentia. Deus enim, ut constat ex nostris rationibus, non est cur ita se gerat: cum præsertim aliter testari possit benevolentiam suam, & æstimationem sanctiorum personarum sibi obsequentium, quin id fecerit statuendo maius præmium Gratiæ, & Gloriar de condigno pro operibus ob maiorem tantum sanctitatem personæ. Sat est, si de congruo velit aliter magis præmiare Sanctiores, sibi que gratiores, ut tetigimus *num. 21.*

27 Viget maximè ex divinis etiã. Quia non ob aliam rationè opera Christi Theandrica sunt infiniti valoris meritorij, & de condigno ad quæcumque præmia, nisi quia sunt opera Personæ simpliciter infinitè Sanctæ: sed hoc, ut ait Hurtadus *disp. 11. de Incarn.* defendi non potest, nisi dicatur còtra sententiam nostram, ex maiori sanctitate personæ merentis augeri meritum etiã in nobis apud Deum ad maius præmium: ergo. Ex ijs, quæ iuxta varia placita Theologorum huic argumento respondentium, proposui *disp. 17. de Incarn. à num. 24.* dico nunc brevius, in Maiori subdubitari posse, an Personalitas Verbi condignificaret infinitè ad omnia præmia actiones Theandricas Christi, etiã si nõ esset formaliter sanctitas, aut si non per se formaliter sanctificaret humanitatem. Si enim hoc verum est, ut ibi censui còtra Vasquez *sect. 3. nu. 34.* non est ita verum antecedens: cum illa operum Christi condignificatio, præcisim etiã à conceptu, & à ratione sanctitatis, sit à dignitate infinita Personalitatis divinæ per se digna omni præmio in natura capaci

Hurtad.

Tom. de
Christo,
disp. 17.
sect. 3.

Ibidem.

merendi. Quidquid tamen de hoc sit, concessa absolute maiori, negatur minor, & consequentia ob ingentem, & infinitam disparitatem inter sanctitatem nostram ordinariam, & sanctitatem substantialem, & Personalem Christi respectivè etiã ad condignificationem meritorum.

28 Sunt enim Sanctitates diversissimi ordinis; atque adeò non valet argumentum ab illa substantiali, & simpliciter infinita ad istam accidentalem, & simpliciter limitatam. Idèdque ex eo quòd illa opponatur cum peccato etiã veniali, imò & cum potestate peccandi, non idem rectè argueretur de ista: quia, quamvis conveniant in ratione generica sanctitatis, differunt specificè, & infinite per rationes talis sanctitatis. Illa infinita est, & increata; ista creata, & finita: illa substantialis; ista accidentalis: illa puritas à scelere etiã veniali; ista, dumtaxat à mortali: illa constituit hominem Filium Dei naturalem; ista adoptivum. Vndè similiter est, quòd illi in ordine etiã ad condignificanda opera meritoria nulla perfectio neganda est; isti tamen non omnes perfectiones concedendæ.

29 Porro in ordine ad condignificanda merita duo sunt effectus formales sanctitatis: vnus, condignificare merita ad certum præmium, & magis, ac intensius condignificare ad idem: alius condignificare extensivè etiã ad alia præmia. Ex ijs duobus effectibus prior communis est omni sanctitati; & in eo conveniunt sanctitas substantialis Christi, & sanctitas nostra accidentalis. Posterior verò còvenit ex propria differentia specificè sanctitati substantiali Christi ratione suæ infinitatis absorbentis omne perfectionem condignificandi: eò etiã quòd constituat substantialiter Personam dignissimam omni bono, ac proinde omni præmio in natura capaci merendi, & obsequendi. Non autem est ratio cur convenire debeat cuiuscumque sanctitati; ordinariæ autem nostræ, qua de facio iusti, eorumque opera dignificantur; minimè id convenire, probatum satis est *sect. præc.*

30 Quidquid, dato, & non concessa, quòd Gratiæ nostræ dignitas haberet hunc etiã posteriorem effectum condignificandi opera nostra ad maius

Gra-

novi actus indivisibiliter perfectioris. Quod maximè verum est, supposita aliâ meâ Philosophiâ, cuius memini num. 31. quod omnis actus noster vitalis sit instantaneus. Sed de ijs suis in locis.

44. Nunc superest dubiolum: an actus meritorius intensius v. g. ut quatuor sit æquè meritorius, cæteris paribus, ac duo actus eiusdem virtutis intensi ut duo: & affirmativè respondeo, per se loquendo. Quod si occasione, aut duplicis conatus in duobus; aut maioris conatus in vno, augetur operandi difficultas, constabit ex iec. seq. quid dicendum. De hoc Ovièdus contr. 2. de Bonit. & Mal. num. 52.

Ovièd.

SECTIO V.

An, & quomodo à maiori operis meritorij difficultate, & labore.

45. **I**UXTA Doctrinam, quam ex Esparza, & Haunoldo retulimus, & reiecimus disp. 26. à nu. 23. afferentem, de ratione actus meritorij esse laboriositatem, & difficultatem, videtur dicendum, à maiori operis difficultate, & labore auferi debere meritum, & præmium.

Sup disp. 26. p. 26. sect. 3. Espar. Haunol.

46. Et probari potest. Quia contra maiorem difficultatem, & cum maiori labore gloriosior solet esse victoria. Sic Principes vberius præmiant victorem, quando per plures labores, & difficultates vicit, ac triumphavit. Undè est, quòd apud Deum etiam regulariter plus meretur qui ex charitate fudit sanguinem, quam qui ex charitate largitur eleemosynam: & plus qui ex duobus denarijs, quibus eget, dat vnum pauperi, aut Templo, ut Vidua, quam laudavit Christus Luc. 21. quam qui daret decem, quibus non eget.

Luc. 21.

47. Sic ex SS. Patribus Hieronymus lib. 1. contra Iovin. ait disertissimè: *Quantò maior est difficultas, tantò maius est præmium.* Chrysostomus Homil. 39. in Matt. *Nec cogitas, tantò maiorem mercedem tibi esse repositam, quantò magis laboras.* Et sæpè S. Tho. hic, & in 3. dist. 24. quæst. 1. art. 3. *Cum quis tentatur vehementius de luxuria, si resistit, æquali voluntate plus meretur.* Quibus præluxit Apostolus 1. Cor. 3. *Vnusquisque autem propriam mercedem accipiet secundum suum laborem.* Hæc & alia accumulunt pro se Esparza, & Haunoldus, quibus respondet Aldrete disp. 79. de

Hieron. Chrysost. S. Thom. 1. Cor. 3. Aldret.

Incar. sect. 1. & nos partim respondimus vbi supra.

48. Crediderim equidem cum Coninc. *disp. 8. de Act. supern.* maiorem difficultatem, & laborem operis augere meritum: non tam per se, quam per accidens, & occasionaliter, ut de actionibus externis supposuimus *disp. 25. n. 120.* quatenus nimirum difficultas, & labor est ut plurimum occasio, quòd actus fiat intensior, ac ferventior, ut vincatur difficultas, sicque fiat appetitatio maior obiecti amati præ difficultatibus obstantibus.

Coninc. Sup. disp. 22. sect. 10.

49. In hunc sensum explicari possunt quæ adducta sunt *num. 46. & 47.* ex dictis præsertim adversus Esparzam, & Haunoldum loco ibi citato. Alioquin, si ex maiori difficultate per se pensandum esset Meritum, & Præmium, sæpe minus mereretur ex hoc capite viri sanctissimi, & in virtutibus exercitissimi: quippe facilè, & absque vilo ferè labore exercent opera virtutum, quæ tyrones, & imperfecti, vitijs assueti, non nisi difficillimè exequuntur.

50. Quocirca scitè S. Tho. apud Aver. *sect. 20.* aliter alibi docet, ex maiori potius facilitate quandoque Meritum auferi: quatenus scilicet facilitas, & consuetudo virtuosè operandi potest etiam esse occasio intensius, & ferventius interne operandi: ex quâ internâ bonitate, & honestate pensatur potius apud Deum ratio per se Meriti, & maioris Meriti, ac præmij: à difficultate verò, sicut nec à facilitate, non nisi occasionaliter modo explicato. Atque hinc S. ipse Thomas 2. 2. *qu. 27. art. 7.* quærens: *Primum sit magis meritorium diligere inimicum, quam amicum,* respondet in Corpore, quòd sic, secundum se, & cæteris paribus: si nempe uterque æquè diligatur ex motivo divinæ charitatis: & eatenus tantùm præfert dilectionem inimicorum, quatenus ratione difficultatis fortiolem arguit Dei dilectionem ad superandam difficultatem.

S. Tho. Aver. S. Tho.

SECTIO VI.

An, & quomodo ab vnione mystica cum Christo: & ab alijs Personæ Dignitatibus.

51. **P**ATER Suarez *cap. 19.* docet, opera Iustorum titulo condignificationis à Gratia habitâ per Christum, Iustorum

storum Caput, plus mereri, quam si eandem Gratiam haberemus absque intuitu talis Capitis: cuius per Gratiam constituimur spiritualiter Fratres, & membra vnita mysticè Capiti suo, à quo Gratia nostra derivatur. Exinde enim sumus Deo gratiores, & opera nostra sunt Deo placentiora. Sic Filius, aut Frater amici, quamvis alioquin, quia per se etiam amicus, gratus nobis sit; gratior est, quia insuper sanguine coniunctus est amico; & proinde gratiora nobis, & digniora eius opera. Undè Ascetici sedulò commendant, ut nostra merita Deo præsentemus in vnione meritorum Christi.

Vasq. Rip.

52. Pia sunt hæc. Verum, si ita intelligantur, ut titulus eiusmodi dignioritatis augeat per se nostrum meritum ad maius præmiu Gratia, & Gloria, negantur à Vasquez *disp. 214. c. 10.* & à Ripald. *disp. 16. sect. 9.* Quia, quòd Gratia nostra sit per Christum, non facit illam esse altioris ordinis: & Gratia Capitis in Christo non facit nos formaliter sanctos, sed Christum. Quod si solum intendatur, nos esse aliquomodò Deo gratiores, & placentiores, quia confratres, & membra sumus Christi; non recusabimus: nec aliud evincit consideratio Patris Suarez: præsertim apud nos, qui nec per intensiorem Gratiam iustificamur nos, admittimus auferi meritum condignum ad maius præmiu Gratia, & Gloria, quamvis nos faciat Deo gratiores, & placentiores.

Ioan. 16. Rip.

53. Consilium illud Asceticorum laudabile quidem est: non quia nostris operibus accrescat vis merendi plus præmij de condigno ex eiusmodi vnione cum meritis Christi; sed quia oblatio illa, & affectiva coniunctio nostrorum meritorum cum meritis Christi habet vim orationis, & impetrationis ad multa dona à Deo intuitu meritorum Christi obtinenda: iuxta illud: *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.*

54. Dabit Ripalda *disp. 81. num. 52.* an actus meritorius eo quòd ab habitu infuso fiat, mereatur magis, quam si fieret à Iusto sine habitu infuso per auxilia actualia. Sibi que respondet affirmativè. Sed quidem absque fundamento, quod momenti sit. Quod enim affert ex *disp. 128. num. 67.* habitus infusus Fidei, ac Spei ideò manere in peccatore, ut eius actus sint magis meritorij de congruo, quam si fieret sine illis per auxilia actualia,

lia, neutro in loco probat; sed circum-eundo supponit.

54. Quid de Dignitate Matris Dei? Si verum esset quod *disp. 15. sect. 6.* retulimus ex ipso Ripal. Maternitatem Dei esse formam sanctificantem, augetur quidem ex ea Dignitate Meritum, saltem ad condignioritatem eiusdem præmij operibus correspondentis, ut diximus de maiori Gratia. Et fortè melius: esset enim Sanctitas alterius ordinis: cui fortè adscribi posset effectus formalis condignificandi opera ad maius etiam præmiu: ad modum quòd id specialiter diximus supra de Sanctitate Personali Christi. At, Maternitatem non esse formam sanctificantem, vidimus *loc. cit.*

Sup. disp. 15. Rip.

56. Quo supposito, dicendum est primo, ex eiusmodi Dignitate, cum formaliter Sanctitas non sit, non auferi Meritum condignum ad maius præmiu Gratia, & Gloria: quia is est effectus proprius Gratia sanctificantis. Dicendum secundo, ex eiusmodi Magnæ Matris Dignitate auferi Meritum eo saltem modo, quo nuper cõcessimus Patri Suarez, auferi ex vnione mystica membrorum cum Christo, ut Capite: ea enim consideratio valet à fortiori pro Matre Christi. Dicendum tertio, ex eiusmodi Dignitate auferi Merita ad multa præmia de congruo.

57. Ratio huius est. Quia Dignitas Matris Dei est quodammodò infinita ut loquitur S. Thom. ex Damasceno, apud quem *Dei Matris, & Servorum Dei infinitum est discrimen:* quod ad infinitatem simpliciter dictam extendere conatus est P. Cardenas in speciali Opus. de Gemino syndere. Undè adorabilior est quam alij sancti Magna Mater, scilicet Hiperduliacè, præcisim etiam à Gratia habituali, qua super alios extollitur, ut ex P. Suar. diximus *disp. 19. de Incarn. sect. 8.* Dandum igitur est tantæ Dignitati, ut de congruo saltem augeat. B. Virginis opera Deo acceptabilissima ad præmia maiora, & plura, sibi, & nobis eo titulo conferenda. Sic Ripalda *disp. 81. sect. 9.*

S. Tho. Damasc. Cardenas Suar. Tom. de Christo. disp. 19. Ripal.

SECTIO VII.

An, & quomodo à relatione operum in Deum.

58. **C**ONSTAT ex *disp. 24. à num. 10.* non requiri ad actum meritotium

Sup. disp. 24. sect. 10.

Aguir.

rium hominis Iusti, quod sit imperatus à charitate; cum sufficiat esse actum alicuius virtutis, liberum, & supernaturalem. Et similiter discurrit latè, doctèquè Card. de Aguirre de relatione operis virtuosè in gloriam Dei, sive ut placeat Deo: scilicet id non requiri, nisi quatenus hic respectus in Deum involvitur implicite in actu quolibet conformi rationi. Undè independentè ab alià relatione in Deum quilibet actus liber supernaturalis hominis Iusti est condignè meritorius Gratiæ, & Gloriæ.

59 Iam ergo non quærimus in præfenti: an vltior illa relatio in Deum necessaria sit, ut opus sit condignè meritorium. Quoniam verò consultissimum est Iustis, ut opera cuncta bona referant in Deum, & quidquid agunt studiosè agant ad Dei gloriam, & ex voluntate placendi Deo, quæritur, an ex eiusmodi relatione operum in Deum accrescat operibus virtutum, alioquin iam condignè meritorijs, meritum, & præmium. Et non est dubium, accrescere saltem illud, quod eiusmodi intentioni, & affectui sic honestissimè referenti, per se correspondet; sed an vltra id aliquid accrescat operibus sic relatis, aliunde iam per se supernaturalibus, & meritorijs, ut supponimus: nam actionibus externis, actibusque internis naturalibus iuxta superiores nostras doctrinas, consequens est, quod nihil accrescit meriti; cum per se sint incapaces meriti Theologici.

60 Videtur quod sic, ex communi Ascetarum consilio adhortantium, ut in exordio diei cuncta diei opera nostra referamus ad Deum, ad gloriam Dei, ut Deo in omnibus, & per omnia placeamus. Si autem ex eiusmodi relatione matutina nihil meriti singularis diei operibus accresceret, non apparet in eo utilitas tantopere commendanda.

Espar.
Hann.

61 Tangunt hoc punctum Scolasticè P. Esparza *quest. 37. de Act. hum.* & P. Haunold. *lib. 2. tract. 3. cap. 3. contr. 9.* Ex quibus videtur dicendum, eiusmodi relationem extrinsecam operum in Deum esse quidem in se meritoriam, & addere suum meritum aliorum operum meritis, ut extra dubium posuimus *num. 59.* non tamen augere per se meritum aliorum operum, sed per accidens.

62 Quod non augeat per se, proba-

tur: quia ex eo quod accedat actus per se meritorius, expressè, & specialiter imperans, alteri actui imperato per se etiam meritorio, hic non proinde fit melior, sed talis qualis est ab alio imperatur; ideoque, quamvis uterque simul mereatur plusquam imperatus solus, hic tamen imperatus non fit per se magis meritorius seipso, si seorsim ab imperio exerceretur in eadem intentione, & virtute. Hoc autem à fortiori procedit de actu extrinsecè relato in Deum per intentionem illam generalem Deo placendi. Dixi, *extrinsecè*: quia, si aliquis actus intrinsecè fieret ex illo motivo, iam fieret intrinsecè melior, & magis meritorius, quam si fieret ex solo motivo suæ particularis virtutis: sed de hoc non est questio.

63 Quod verò augere possit per accidens, probatur. Quia intentio illa generalis præconcepta, per species sui, quas relinquit, dat occasionem in memoriam sæpius revocata, ut summam repetatur, & renovetur generaliter, & exercentur deinceps multi actus virtutum ex illo sine intrinsecò: & sic fiunt plures ferventiores, & meritorij.

64 Per hæc fit satis ad consilium illud laudabilissimum Asceticorum. Quæ tamè, si aliud quandoquè dicunt, non loquuntur iuxta rei veritatem. Paradoxum enim est, quod ex intentione illa generali matutinà accreicat deinceps meritum per totum diem in singularibus operibus bonis hominis Iusti omnino immemoris intentionis, oblationis, seu relationis matutinæ. Satis illi sit meritum, & præmium illius actus matutini semel in Deum omnia referentis. Sic enim posset sufficere habuisse semel initio vitæ similem intentionem generalem nunquam retractatam, ut per diurnam vitam accresceret in singularibus actibus meriti, & præmij: quod est alienum à cuiuscunque cordati iudicio.

65 Hinc P. Esparza cit. ait primò: ad augendum meritum singularum actionum subsequenrium minimè sufficere perseverantiam dumtaxat habitualement prædictæ intentionis: hoc est, semel præceisisse, & non fuisse expressè retractatam. Ait secundò: requiri saltem perseverantiam virtualement: hoc est, taliter inducentem opera subsequenria, ut operans censetur actus virtutum occurrentes

ope-

operari ex illa intentione saltem implicitè & generalius: quasi nimirum vellet tale opus virtutis exercere, ut promoveat quod caput, ut veniat ad finem præintantum, ut expleat intentionem, quam semel habuit. Idcirco studiosiores sui profectus spiritualis non solum singulis diebus, sed singulis etiam horis, imò & singulis quadrantibus, & sæpe sæpius renovant prædictam intentionem Deo placendi in omnibus, & per omnia. In quo prædixit contineri meritum thesaurum est abs dubio.

66 Addiderim, assuefactos ad eiusmodi intentionem, & relationem actionum suarum in Deum sæpe formaliter etiam illas operari ex eo quoque sensim motivo intrinsecò, quamvis non animadvertant reflexè, se eas ex tali motivo operari: ut de assensibus Fidelium ad Mytheria Fidei passim occurrentibus dico, & explico alibi, haberi formaliter exercitè ex motivo Fidei, quamvis signanter non animadvertatur advertentia ad illud.



DISPUTATIO XXVII:

DE PERTINENTIBVS AD MERITVM EX PARTE Præmij.

1 **M**ERITVM, & Præmium correlata sunt. Cùm autem correlata dicantur esse simul cognitione, multa sciri digna de Merito pendere necesse est ab ijs, quæ de Præmio sciri, ac dici oportet. Quod præstabit præfens Disputatio: præter multa, quæ vice versâ, inter agendum de Merito, misceri necesse quoque fuit de Præmio in Disputationibus præcedentibus.

SECTIO I.

An obstet rationi Præmij, esse aliunde connexionem cum opere meritorio.

Rip.
Aldret.
Ovied.
Espar.

2 **O**BSTARE iudicant Ripalda *disp. 85.* & satis communiter alij. Non obstare malunt melius Aldrete *disp. 69. de Incarn. sect. 7.* Ovied. *contr. 4. de Iustif.* Et Esparza *ibidem quest. 12. quest. 36. de Act. hum.* addens nimis, prædictam connexionem ex natura rei requiri inter Meritum, & Præmium.

3 Ratio secundæ sententiæ à priori est. Præmium enim nihil aliud dicit, quam esse quid bonum merenti, datum à virtute collativa præmiantis intuitu obsequij sibi facti. Totum autem hoc stare potest, quamvis tale bonum connectatur aliunde cum obsequio: titulus enim connexionis non prohibet, quominus præmians det tale donum titulo etiam, & intuitu talis obsequij, sic ab obsequio

permotus, ut ipsum donum ex eo affectu daret, quamvis aliunde non connecteretur cum obsequio. Non ergo prohibet rationem præmij ea connectio, & frustra requiritur vltius inconnexio. Sic dotes corporis gloriosi, debita iam homini propter primam Gratiam, & Gloriam essentialem, conferuntur à Deo in præmium etiam subsequenrium meritorum. Et quidem corpori Christi debitissimæ erant, taliter, ut non nisi miraculosè illis caruerit ad tempus; & tamè ipsi datae sunt in præmium meritorum: ut ex Scripturis, & ex earum Interpretibus vidimus *disp. 17. de Incarn. num. 76.* Sic etiam, si revelaret Deus dandum præmium credenti revelationem, posset homo id credere: hic autem actus Fidei voluntarius meritorius esset, & tamen aliunde connectissimus cum premio. Hoc, quamvis pro alijs solvatur à Ripalda, ipsum tamen præ alijs præmit: quippe, iuxta doctrinam suam de merito actionum externarum,

Tom. de
Christo.
*disp. 17.
sect. 5.*

tene-

tenetur à fortiori concedere, assensum formalem Fidei habere quoque suam formalem rationem specialis meriti.

4 Confirmatur à paritate pœnæ. Remorsus enim conscientie pœna est peccati; & tamen ex natura rei connexa cum demerito peccati: pœna damni, & & obstinatio damnatorum pœna est iam debita, & ex decreto Dei connexa cum primo peccato; & tamen infligitur à iusto Iudice pro vltterioribus etiam peccatis. Atque hinc diximus *disp. 14. n. 43.* privationem Gratie esse pœnam peccati, non obitante connexione peccati cum ipsa.

5 Dices primò ex Ripalda. Donum, quocum actus meritorius ex natura sua connectitur, iam deberetur merenti seorsum etiam à merito: ergo non posset illi constitui in præmiu: hoc enim, cum cedere debeat in maius commodum merentis, debet esse alioquin indebitum. Respondetur, concessio antecedente, negando consequentiam, eiusque rationem: nam etiam alioquin debitum conferri valet ex affectu Remuneratoris intuitu novi obsequij, taliter vt ex hoc affectu conferretur, etiam si conferendum alioquin non esset. Sic evenit in causis finalibus: opus enim præstandum ex vno fine potest ex alio quoque præstari, taliter vt ex hoc præstaretur seorsum etiam ab illo. Sufficit igitur, quòd Præmiu sit bonum commodum merenti vltra bonitatem sui obsequij.

6 Dices secundò. Præmiu esse debet donum, propositum merenti intuitu sui obsequij, deducibile in pactum illud dandi, si fiat obsequium: ergo supra connexionem obsequij. Quis enim deducat in pactum pro opere id, quod, secluso pacto, debetur iam operi ratione connexionis? Respondetur, antecedens esse verum, prout in plurimum; negamus tamen id esse de essentia præmij, præsertim apud Deum. Res enim alioquin innegabilis concedi potest eo titulo, & titulo etiam operis obsequiosi. Sic Pater, alioquin non potens exheredare Filium obsequentissimum, potest illum heredem instituere titulo etiam, & affectu remunerandi eius obsequia sibi gratissima. Deusque, vt vidimus *num. 3.* multis præmijs alioquin debitissimis remuneravit obsequia Christi.

7 Dices terriò. Deus, sicut novas pœ-

nas novis culpis, ita nova præmia novis meritis Lege sua constituit: quippe non præmiat, aut punit actum hodiernum præmio, vel pœnâ debitis operi hesternò: ergo, quia præmiu debet esse donum inconnexum, & alioquin indebitum operi meritorio. Aliàs habitus etiam adquisitus naturaliter generatus ex actibus obsequiosis posset in eorundem præmiu constitui. Respondetur, fatendo, Deum regulariter ita facere, vt dicitur in antecedente. Sunt tamen casus, in quibus statuit Deus pro novis culpis pœnam anterioribus culpis statutam, quamvis aliam superaddat, vt vidimus *num. 4.* Vnde negatur consequentia. Nec absurdam reputo sequelam de habitu, si Deus voluisset illos in præmiu actuum destinare. Quid enim hoc vetet ex naturis rerum?

SECTIO II.

An Præmiu conferri exercitè possit antecedenter ad Meritum.

8 **T**RIA supponimus. Primum: sapere nobis conferri præmiu in ipso instanti reali Meriti: nam in instanti temporis, quo peccator perfectè conteritur, percipit præmiu iustificationis de congruo; & in instanti reali, quo Iustus meretur, percipit de condigno præmiu augmenti Gratie. Secundum: multa præmia meritorum Christi exercita antecessisse tempore ad merita Christi exercita, vt suo loco vidimus *disp. 17. de Incarn.* Tertium: nostris meritis iuxta præsentem Dei Legem, & providentiam non conferri de facto præmiu tempore antecedens. Restat dubium: an de possibili aliâ providentiâ Dei posset etiam propter nostra merita finita conferri præmiu tempore antecedens ad nostrum meritum.

9 Negant de Lugo, & Esparza *quæst. 35.* id concedentes solis meritis Christi ratione suâ infinitatis. Affirmant melius Ripalda *disp. 73.* & Oviedus *contr. 5. pun. 8.* Quia rationes, quæ ob stare possent anticipationi præmij ad merita finita tempore posteriora, pariter faciunt ad merita infinita Christi: ergo, servato ritè discrimine infinitatis ex parte præmij, prout illud agnoscimus ex parte meriti Christi, & nostri, eadem ratione, qua præmiu

Tom. de Christo. disp. 17.

Lug. Espar.

Rip. Ovied.

mium aliquod antecessit tempore ad merita Christi, posset à Deo disponi, quòd aliqua præmia antecederent tempore ad merita nostra. Id vrgent à paritate Oviedus, & Ripalda.

10 Quibus in hoc quamvis assentiar, non tamen in eo quòd indiscriminatim loquantur tam in Christo, quam in nobis de modo merendi præmiu antecedens, & subsequens tempore meritum. Quocirca, iuxta doctrinam, qua cum debito discrimine inter modum merendi distinximus præmia anticipata, & præmia subsequuta in meritis Christi *disp. 5. de Incarn. sect. 3. 4. 5. & 6.* dicam in præsentem quòd sentio circa merita nostra. Præ oculis etiam haberi necesse est quæ de differentijs Meriti Remunerandi & Solutorii diximus *disp. 23. sect. 4. 5. & 6.*

Tom. de Christo, disp. 5.

Suprà, disp. 23.

11 Conclusio bipartita. Iuxta aliam Dei providentiam posset nobis etiam conferri præmiu antecedenter tempore ad meritum nostrum in genere meriti Solutorii; nullatenus verò in genere meriti Remunerandi. Terminos explicuimus ibi *sect. 4.* & per illos decidimus cum simili distinctione similem quæstionem circa merita Christi *disput. 1. de Incarn. sect. 4. & 5.* Vbi pro vtralibet parte conclusionis dedimus Authores diversimodè opinantes.

12 Ratio prioris partis est. Nam Meritum Solutorium, quamvis postea solvat dum est, & quia est; ad conferendum tamen quòd intuitu illius anticipatur, non movet quia est; sed in spe quòd erit: ad modum videlicet causæ finalis, quæ, vt finis sit, movet intentionaliter ad applicanda media, antequam re ipsa sit finis: vt abundè explicuimus, & firmavimus locis citatis. Is autem modus causandi, & movendi rectè stat cum eo quòd præmiu sic causatum conferatur intuitu meriti antecedenter tempore ad meritum exercitè positum. In hoc ergo genere, & modo merendi Solutorio nihil obstat ex natura rei, quominus posset Deus conferre præmiu tempore antecedens ad meritum etiam nostrum. Id quòd celebrè firmatur exemplo Militis solutoriè merentis apud Regem per pugnas, & victorias, equum, & arma anticipatè ipsi collata, vt expendimus *disp. 23. à num. 41.* Obiectiones adversus hanc do-

Suprà, disp. 23. sect. 5.

ctrinam solvimus ibidem *sect. 6.*

13 Ratio posterioris partis est. Nam meritum Remunerandum non movet vt sit, ad instar causæ finalis; sed quia est, ad instar efficientis, vt ex Aug. & Thom. perspicuum fecimus *ibidem sect. 4.* Implicat autem ex terminis ipsis, quòd Deus moveatur ad conferendum præmiu propter meritum; quia est, dum meritum non est, seu antequam sit; aut quia homo dignus est, dum homo dignus non est, seu antequam dignus sit, imò & antequam homo existat in rerum natura: ergo in hoc genere meriti Remunerandi moventis quia est, in nulla Dei lege posset antecedere tempore collatio præmij ad positionem exercitam meritis: ideòque idem dixi latè de merito Christi, quantumvis infinito, *disp. 5. de Incarn. sect. 4.* quia infinitudo non solvit prædictam terminorum implicationem.

Tom. de Christo, disp. 5.

14 Responsio communis est, Meritum causare præmiu, non physicè, sed intentionaliter, in quo convenit cum causa finali: ideòque ad causandum, non esse necesse quòd physicè existat; sed sufficienter, quòd intentionaliter, scilicet in prævisione præmiantis. Vnde Deus prævidens antecedenter meritum absolutè futurum, motus ex illo sic præviso, poterit exercitè conferre præmiu, etiam si meritum nondum sit exercitè positum. Quapropter toti incumbunt Adversarij in excogitando sibi modo, quo prævideat Deus merita absolutè futura antecedenter ad decretum de præmio; rati, huiusmodi antecedentiam, quoquo modo apud se compaginatarum, fore satis ad conferendum præmiu propter meritum postea exercitè ponendum. Quantum in hoc ad laboraverint multi, & quam frustra, vidimus sæpè in disputationibus de Incarn. præsertim *disp. 5. sect. 10.* Nunc, quia vniversa illa decretorum molimina ad præcaptandas antecedentias prævisionum collimant in substantiam præsentis responsionis, huius insufficientiæ, & insubsistentiæ patefacienda iterum, atque iterum est.

Ibidem sect. 10.

15 Sic insequor. Quamvis meritum non causet physicè, sed intentionaliter; & in hoc conveniat cum fine; at iuxta Adversarios non causat finaliter: motus enim causandi finaliter respouit in omni vero merito; & nos dumtaxat admittimus in Solutorio. Meritum igitur

Re:

S. Thom.
Suprà,
disp. 23.
sect. 5.

Remunerandum, quo de nunc arguimus, non causat meritum in genere causæ finalis, sed per modum efficientis moralis; ut est communis loquutio cum S. Thom. cuius præclara verba retulimus disp. 23. num. 37. Atqui modus iste causandi ad modum efficientis, quamvis intentionalis, & moralis, requirit saltem existimativè existentiam, sive præexistentiam exercitam, & in re causæ ad causatam: ergo non sufficit ad id existentia, seu præexistentia intentionalis in prævisione. Probat minor: quia modus causandi causæ efficientis, & finalis notissime differat in eo, quod efficiens causat, quia est; finis vero causat ut sit. Quod si de efficiente sufficeret id intelligere, quod causat, quia est intentionaliter, scilicet, in prævisione; similiter dici posset, quod finis causat etiam, quia est intentionaliter, scilicet in præintentione operantis propter finem. Atque hinc certè est, quod Sacramenta, dato etiam, quod non physicè, sed moraliter causent Gratiam, & verba consecratoria præsentiam Christi; cum tamen causent ad modum efficientis, causant quia sunt, & debent exercitè, ac in re existere, vel præexistere ad effectum sic causatum: alioquin non causarent, quia sunt, vel quia fuerunt. Similiter ergo, cum meritum Remunerandum moraliter causet quia est ad modum efficientis, à differentia Solutoris causantis etiam moraliter ad modum finis, ut sit; debet in re, & exercitè existere, seu præexistere ante præmium sic exercitè causatum. Undè fit liquidò, quod Meritum Remunerandum, quamvis antequam re ipsa, & exercitè sit, movere possit Deum Remuneratorem ad volendum conferre præmium; ne utique verò ad conferendum, nec ad volendum conferre præmium antequam tale meritum in re, & exercitè sit: hoc enim repugnat prædicto modo conferendi, & volendi conferre præmium, quia meritum est: utpote essentialiter ex terminis involventi meritum in re, & exercitè esse quando præmium conferitur, quamvis non quando decernitur, aut prævidetur eius collatio.

16 Præterea. Vel præmians quando conferret hodie præmium pro merito craftino, conferret hodie præmium, quia in re est meritum; vel quia in re erit meritum; vel quia hodie antecedenter

est prævisio, & decretum meriti craftini. Non primum: si enim hodie non est meritum in re, quomodo, nisi fingendo, concipi potest in Deo actus, quo velit conferre hodie præmium, quia meritum in re est? Non secundum: quia meritum, quod erit cras, non facit hominem hodie dignum præmio: quomodo ergo Deus remuneratoriè præmians posset habere actum, quo vellet conferre hodie homini ut digno, præmium, quia meritum faciens dignum erit cras? Non tertium: quia, quod detur hodie in Deo decretum, & prævisio meriti craftini nõ facit hominem hodie merentem, nec Deum decernentem, aut prævidentem, hominem esse hodie dignum, nec hodie mereri; sed meriturum, & fore dignum cras: quomodo ergo id sufficiat, ut Deus remuneratoriè velit conferre hodie præmium homini, quia dignus est; cum reverà hodie dignus non sit; sed cras futurus sit dignus, quando merebitur?

17 Dices, meritum craftinum causare posse præmium hodiernum, quia est: iam enim est hodie in decreto, & prævisione Dei. Contra tamen: quia meritum esse hodie in Decreto, & in prævisione, supra id quod est meritum in re fore cras, solum addit Deum hodie, & antecedentiùs decrevisse, & prævidere, meritum fore cras: hoc autem facit quidem Deum hodie, & antecedentiùs decernentem, & prævidentem, ideoque laudabilem; non tamen hominem hodie re ipsa laudabilem, & merentem magis quam si Deus id nesciret: ergo præexistentia meriti craftini in decreto, & prævisione Dei insufficientis, & inepta prorsus est ad modum remuneratorium conferendi hodie præmium, quia meritum est, & quia homo dignus est. Sic, quamvis sit in Deo præscientia conditionata perseverantiæ meritoria Iudæ, nequit exinde decerni præmium quia Iudas dignus est: ex eo nempe quod meritum illud conditionatum non est aptum movere, quia est, ad absolute conferendum præmium, ut tenemus omnes contra Semipelagianos: ergo, si futuritio absoluta meriti craftini non est per se apta facere hominem hodie dignum, & merentem, nec fit apta per absolutam Dei prævisionem, ut moveri possit Deus ad conferendum hodie præmium homini, quia dignus est, & quia meritum est.

Con-

18 Confirmatur a pari clarissimè, & urgentissimè. Quamquam hodie vnde cumque detur in Deo, aut in alio Iudice prævisio absolutissima culpæ craftinæ, nequit proinde aptè moveri Deus, aut Iudex ad infligendam hodie pœnam homini, quia reus est; cum hodie innocens sit: sic nimirum, ut quamvis Deus ex illa prævisione, antequam in re sit culpa, habere possit hodie decretam infligendi pœnam; non tamen infligendi hodie pœnam antequam in re sit culpa: cum enim infligatur pœna quia culpa est, non sufficit culpam esse in prævisione; sed requiritur in re, & exercitè, quando in re infligitur pœna: id quod apud omnes procedit abs dubio. Igitur, quamquam vnde cumque in Deo, aut in Iudice detur hodie prævisio absoluta meriti craftini, nequit proinde Deus aptè moveri ad conferendum hodie præmium, quia homo dignus est; cum hodie dignus non sit, nec prævideatur à Deo hodie dignus, & merens: sic nimirum, ut quamvis Deus ex illa prævisione meriti, antequam meritum in re sit, possit habere decretum conferendi præmium; non tamen conferendi præmium, quia meritum est, & quia homo dignus est, antequam in re meritum sit: nam antequam meritum in re sit, homo dignus non est. Nec valet dicere, esse iam hodie dignum in prævisione Dei: pariter enim diceretur esse hodie reum in prævisione hodierna Dei de culpa craftina.

18 Sensit aculeum urgentissimæ paritatis Oviedus punct. 8. & attentavit incassum rationem aliquam disparitatis, dicens, quod præmium conferitur à Deo tanquam debitore homini merenti; pœnam verò exigit Deus tanquam creditor à delinquente. Debitori autem liberum est solvere anticipatè; non verò creditori exigere anticipatè. Unde potest Deus conferre remuneratoriè præmium ante meritum, cum in hoc nullius fiat contra ius: non verò infligere pœnam ante culpam: hoc enim esset contra ius innocentis. Iam video, pœnam esse pœnam, & præmium esse præmium, in quo non potest non esse disparitas; sed non video disparitatem, quæ sit ad rem argumenti. Quamvis enim nullius iuri repugnet, ideoque possit Deus conferre donum ante meritum, nõ verò conferre donum in præmium remuneratoriè ante meri-

tum, quia meritum est: hoc enim repugnat, non tam ex iure alicuius, quam ex implicantiã terminorum: ad quod utique non sufficit nullius lædi ius; sed requiritur in merente ius dignitatis ad præmium, quod ius non est ante meritum, cum ante meritum in re dignus in re non sit. Similiter autem ante culpam posset Deus supremus Dominus, nullius lædens ius, infligere malum homini; sed non in pœnam, & quia homo reus est: esset enim infligere malum homini, quia reus est; cum tamen nondum reus sit: quod repugnat Iudici rectè, ac verè iudicanti. Sicque premit simillimè paritas, donec nobiscum dicatur, Meritum Remunerandum à differentia Solutoris nullatenus apud Deum habere posse præmium tempore antecedens ad meritum; sicut neque demeritum, pœnam ut talem ante culpam. Quare autem pœna ante culpam, nec Solutoriè infligi possit, sicut diximus de præmio in genere meriti Solutoris, vidimus disp. 23. num. 63.

Sup. disp.
put. 23.
sect. 6.

SECTIO III.

An Præmium possit esse principium sui Meriti: aut quomodo principium Meriti cadere possit sub Meritum.

19 **P**RINCIPIUM Meriti non possit cadere sub Meritum, fert Axioma Theologicam: in cuius tamen debitam intelligentiam, & defensionem aliter, & aliter loquuntur, ac opinantur Theologi: & utiliter quidem, prout oportet ad multas rectæ doctrinæ veritates retinendas, & ad discernendum scitè certa ab incertis.

20 Communis sententia id intelligit quoad potentiam absolutam: taliter, ut omninò repugnet, Præmium esse principium sui meriti; & quod idem est, principium Meriti cadere sub meritum, cuius sit principium. Authores habes apud Ripaldam tom. 2. disp. 86. cos sequitur Illustrissimus Tapia lib. 5. quest. 3. art. 9. Quibus addas, si placet, aliquos ex fautoribus etiam Meriti Solutoris: quippe putant, quod, quamvis Meritum Solutorium habere possit pro præmio aliquid tempore antecedens; ne utique verò naturam antecedens, seu quod sit principium eiusdem meriti.

Ripald.
Tapia.

21 Eximius tamen Doctor, & post Summum

zzz

sum

Coninc.
Gran.
Vradin.
Ripald.

eum Coninc, Granad. Vraditgus, Ripalda, & alij à me citati *disp. 5. de Incarn. num. 35.* non ita fuisse intelligunt dictum Axioma. Aiunt enim, verum esse de nostro merito apud Deum iuxta presentem providentiam: sicque non negatur quòd iuxta aliam Dei legem possibilem ex natura rerum posset principium meriti cadere sub merito: & quòd ipsa Christi, seu Incarnationis substantia, quæ est principium meritorum Christi, potuisset à Deo decerni, & conferri in præmium meritorum Christi. Variè tamen id sibi componunt ij Authores. Alij cum Suarez, per distinctionem decretorum ordinis intentionis, & executionis. Alij cum Ripalda per decreta disiunctiva, & vaga, prout retulimus *disp. 20. sect. 8.* Has tamen doctrinas, quas machinulas vocat Esparza, partim, quia non veras; partim, quia minus idoneas ad intentum, deseruimus ibidem, & *disp. nuper cit. de Incarn. sect. 10. & disp. 6. sect. 13.* Alià ergo vià expeditiori, & securiori incedendum nobis est iuxta divisionem solidissimam Meriti Remunerandi, & Solutorii, quam in superioribus adstruximus.

22 Conclusio bipartita. In genere meriti Remunerandi nullatenus posset principium meriti cadere sub merito; bene verò iuxta aliam Dei legem in genere meriti Solutorii etiam nostri. Conclusionem sic distributam negant omnes osiores prædictæ divisionis Meriti: contra quos eam defendimus *disp. 23. sect. 4. 5. & 6.*

23 Prior pars probatur ex *sect. præc. à num. 13.* Argumentum enim, quod ibi posuimus ad probandum, meritum remunerandum nullatenus habere posse præmium tempore antecedens, à fortiori probat, nec præmium naturà antecedens, quale esse principium ipsius meriti. Repugnat enim ex implicantiâ terminorum, & mutæ prioritatis, quòd principium meriti detur, *quia meritum est*, in genere efficientis causans præmium, & quòd præmium sit principium causans meritum.

24 Posterior pars probatur per ea, quæ diximus *num. 12.* ad probandum, quòd in genere meriti Solutorii nõ moventis ad modum efficientis, *quia est*, sed ad modum finis, *ut sit*, posset conferri præmium antecedenter ad meritum

in re positum. Ratio namque procedit, etiam si præmium sit principium meriti: nam finaliter effectus movere potest ad positionem causæ. Idque probat etiam humanum illud exemplum Regis conferentis anticipatè in præmium militi, ut pugnet, & vincat, equum, & arma, quæ quidem sunt principia pugnarum, & victoriarum, & verè ipsarum præmia, ut expendimus *disp. 23. à num. 42.* Sic diximus *disp. 5. de Incarn. sect. 5.* substantiam Incarnationis, quæ est principium meritorum Christi, esse potuisse iuxta aliam Dei legem præmium cadens sub merito Christi. Quinimò *sect. 10.* Maternitatem, & existentiam B. Virginis, quæ fuit principium meritorium Christi, de facto fuisse præmia cadentia sub meritis Christi in genere Solutorio. Vide ibi, & *disp. 6. sect. 13.*

25 Adversus priorem partem conclusionis objicit operosè Ripalda. Meritum potest à Deo decerni, & absolute prævideri antecedenter ad suum principium: ergo ex eiusmodi prævisione posset Deus decernere in eius præmium eius quoque principium in genere etiam remuneratorio. Cum enim meritum non nisi moraliter, & intentionaliter causet præmiu, quatenus movet voluntatem Remuneratoris; non requirit physicam sui existentiam, ut inferat præmium. Probat autem primum antecedens: quia dabilis est actus meritorius potens vagè ab hoc, vel alio principio effici. Deus autem posset decernere existentiam talis actus, quin pro tunc decernat hoc determinatum principium illius: mox verò prævidens, ex hoc decreto actum absolute futurum, posset intuitu talis actus meritorij decernere principium determinatum ad illum. Quo in casu prius est decretum, futurum, & absolute prævisus actus meritorius, quàm hoc determinatum principium illius: & postea in præmiu actus sic prævisi decerneretur in præmium hoc principium: cadens hoc præcio remuneratorio sub merito, cuius est principium.

26 Hunc discursum suppositionibus imaginarijs subnixum, multis Recentioribus pergratum, mihi vel ex multiplicatione, & disiunctione divinorum decretorum iam pridem exosum, labelactare contendunt, & merito, Hurtadus, & Cardin. de Lugo apud ipsum Ripaldam:

Sup. disp. put. 23. sect. 1.
Tom. de Christo, disp. 5. & disp. 6. sect. 13.

Sup. disp. put. 20.

dam: nosque cursim reiecit *disp. 20. sect. 8.* Ex ibi dictis.

27 Respondeo nunc distinguendo, & explicando primum antecedens: meritum potest à Deo decerni, & absolute prævideri antecedenter ad suum principium, antecedentiâ prævisionis, & decreti, permitto antecedens, & multa, quæ supponit mihi falsa, eius probatio: antecedentiâ rerum prævisarum, & decretarum, nego antecedens. Explico. Aliud est, vnum decerni, & videri prius alio: & hæc voco prioritatem, seu antecedentiam prævisionis, & decreti: aliud est, valdequè diversum, vnum decerni, & prævideri esse, aut fore prius alio: & hanc voco prioritatem, seu antecedentiam rerum prævisarum, & decretarum: quæ quidem neque infertur ex antecedentiâ prævisionis, & decreti, nec, me iudice, ex toto discursu P. Ripaldæ. Dato enim, quòd possit Deus decernere, & videre prius effectum, quam determinatū eius principium; nequit certè decernere, nec videre effectum esse, vel fore prius determinato suo principio: esset enim frustra decernere, falsòque videre: cum principium debeat essentialiter esse prius suo effectui, idque sit esse principium, & esse prius. Quod ita claret ex terminis, ut per clarius nequeat declarari. Sic nos, quamvis notiam verissimam cognoscamus prius fumum, quàm ignem; non nisi falsissimè cognosceremus fumum esse prius igne: illa est antecedentiâ cognitionis verissimæ; hæc esset significatio falsissima rerum cognitarum.

28 Sic igitur distincto, & explicato antecedente, nego absolutissimè consequentiam. Cum enim in genere remuneratorio conferatur præmium, *quia meritum est & quia homo dignus est*, debet meritum antecedere in re ad collationem præmij: quomodo enim verum esse potest, quomodolibet decreta, & prævisiones coordinentur, quòd præmium conferatur, *quia meritum est*, si meritum non præcedit præmium, aut in re non est, nec fuit quando conferatur præmium? Ad hoc quidem non sufficit antecedentiâ decretorum, & prævisionum; sed requiritur antecedentiâ rerum; meriti scilicet in re ad præmium in re, ut est mihi perspicuum ex terminis explicatis. Cum autem omnino implicet, meritum in re antecedere ad eius principium in re, sit liquidò, quòd nequeat remuneratoriè con-

ferri principium meriti in præmium eiusdem meriti, cuius sit principium, quomodolibet discurratur de decretis, & prævisionibus eorum. Quamvis enim meritum, qui est effectus, prædecernatur & prævideatur prius, quàm præmium, quod est principium; nequit à Deo prædecerni, nec prævideri esse, aut fore prius quàm sit eius principium: esset enim decernere quod repugnat, & videre contra quòd est.

29 Nec valet quod adducitur in probationem consequentiæ, meritum scilicet generis etiam remuneratorii; non causare præmium physicè, sed moraliter intentionaliter. Verum id est: cum accomodo tamen discrimine, quòd meritum Solutorium causat præmium moraliter intentionaliter instar finis, ut sit: meritum verò remunerandum causat moraliter etiam, & intentionaliter; sed non instar finis, *ut sit*; sed instar efficientis, *quia est*: qui modus causandi, quamvis alioquin sit moralis, & intèntionalis, supponit essentialiter meritum in re esse, vel fuisse, quando conferatur præmium: alioquin quomodo conferatur, *quia meritum est*, & *quia homo dignus est*? Id quòd per exempla Sacramentorum, ac Verborum consecrationis moraliter causantium, manifestum fecimus *sect. præc. num. 15.* Dicuntur itaque huiusmodi causa causare moraliter intentionaliter, & non physicè: non quia non debeant physicè existere, vel extitisse, quando ponitur effectus; sed quia non præstant physicam influxum in effectum sic causatum; cum sæpe tempore præcesserint, solumque moraliter perseverent dum intuitu illarum ponitur effectus: quem scilicet inducunt medijs actibus intellectus, & voluntatis, quos movent in agente physico rationali, ut ponat talem effectum: non tamen ut eos re ipsa ponat antequam tales causa morales in re sint, vel fuerint; sed ut ponat, *quia sunt*, vel *quia fuerunt*: in quo differunt à causa finali movente ad ponenda in re media, ut ipsa in re sit.

30 Adversus secundam conclusionis partem objiciunt alij. Meritum, cum sit actio merentis in obsequium præmiantis, debet non esse aliquid moraliter datum à præmiante in ipso præmio: sed sic eveniret, si principium meriti caderet sub merito, etiam Solutorium: nam in

præmio, quod esset principium meriti, contineretur eminenter ipsum meritum: ergo nec in genere solutorio posset ex natura rerum cadere sub meritum principium meriti. Maior probatur: sic enim merens per eandem rem, nempe per præmium ipsum fieret debitor, & solutor: debitor, quia ex acceptione præmij contraheret debitum solutionis exhibendæ; solutor, quia ipsum præmium esset principium solutionis meritoria, seu meriti solutorij.

31 Nimis probat obiectio, si quid probat. Nam, si principium meriti sit præmium, siue non, probaretur similiter, nos apud Deum non mereri: quia, præter influxum physicum, quo Deus nobiscum cooperatur, ipsa nostra merita dat nobis moraliter in auxilijs gratiæ suæ prævenientis. Ut dici quoque possis per eandem rem, nempe per meritum tuum, factus Deo debitor, & solutor: debitor, quia illud accipis à Deo; solutor quia illud rependis Deo. Quin tamen exinde negandum sit meritum in nobis apud Deum.

32 Respondemus iam ad obiectio- nem, negando minorem: vel claritatis gratiâ distinguendo: si non relinquere- tur in libertate, & industriâ merentis positio operis meritorij, concedo; si relinquatur id in libertate merentis, de suo etiam conferentis ad opus meritorium, nego. Patet ex humanis exemplo notissimo solutionis ac pretij. Potest enim solutor, ex pecunia, aut ex vinea creditoris sibi commendatâ, adhibito proprio labore, & industriâ, lucrari, & ex lucro solvere creditori pro pecunia, & vinea, quæ fuit principium lucri, in quo ipsum lucrum eminenter continebatur; atque adeo dabatur ipsi moraliter in causa à creditore ipsum lucrum. Ad probationem maioris, similiter distinguo: nequit per eandem rem fieri debitor formaliter, & formaliter solutor, concedo; debitor formaliter, & eminenter solutor, nego. Itaque merens ille, factus formaliter debitor per præmium illud anticipatum, non fieret formaliter solutor per præmium, quod esset principium sui meriti; sed per ipsam suam meritum ortum à præmio, adhibita ipsius industriâ per exercitium libertatis. In quo nihil implicatorium involvi convincit exemplum nuper datum ex humanis.

S E C T I O . I V .

An & quomodo mereatur, & acquirere sibi in præmium possit homo primam Gratiam.

33 **E**X hæcenus disputatis, ac resolutis constat, Axioma illud: *Principium meriti non potest cadere sub meritum*, intelligi debere de Merito Remunerando, Scholis magis familiari, tam quoad Legem, ac Providentiam ordinariam, quam quoad potentiam Dei absolutam. De Merito autem Solutorio, quod vtilissimè, quamvis singulariùs, propugnandum, intelligi debet, quoad præsentem Dei Legem in nobis; in Christo tamen non omnino: quippe multa præmia præcedentia ipsius existentiam, & quæ fuerunt sui, suorumque meritorum principia de facto meruit in hoc genere Meriti Solutorij: cum in genere Meriti Remunerandi nullatenus potuerit, ut vidimus locis idemdem citatis.

34 Atque hinc haud difficulter expeditur à nobis proposita Quæstio, alioquin altissimæ, ac operosissimæ indaginis. Loquemur tam de facto, quam de possibili; tam de condigno, quam de congruo; tam de primâ Gratia habituali sanctificante, quæ est principium condignificativum; quam de prima Gratia actuali auxiliante, quæ est principium coeffectivum nostrorum meritorum.

35 Prima conclusio. Iuxta aliam Providentiam Deo possibilem posset homo, qui nunquam peccasset, mereri sibi condignè primam Gratiam, tam actualem, quam habitualem in genere Meriti Solutorij; non verò in genere Meriti Remunerandi. Dixi: *qui nunquam peccasset*: quia pro peccatore nullum meritum potest esse condigna solutio Gratiæ habitualis, ut repetemus *sect. 7*. Vtraque pars conclusionis sequitur ex dictis generaliter *sect. præc.* de principio Meriti. Itaque quòd prima gratia sit principium nostri Meriti, obstat quo minus conferri possit in præmium nostri meriti in genere remuneratorio, in quo de facto vel sumur; non tamen obstat, quominus in alia, qua versaremur, Lege, possemus ipsam anticipatè nobis collatam solutorie mereri per opera supernaturalia subsequencia, ab eadem Gratia procedentia, & condignificata.

ficata. Nec obest, quòd sic dici posset prima gratia conferri nobis à Deo in præmium propter bonum usum ipsius: contra quod scribunt SS. Patres, & Theologi adversus Semipelagianos. Respondetur enim cum Granada, Coninc, & alijs præstantissimis Theologis, id concedendo pro alia Dei Lege, ac providentiâ Deo possibili: Sæctos autem PP. loquutos prout de facto contra propositos, & oppositos sibi errores, ut vidimus, & expendimus *disp. 23. sect. 6*.

Gran.
Coninc.

Sup. disp.
put. 23.

Sup. disp.
put. 24.

Ephes.

Sup. disp.
put. 23.

Suar.

36 Secunda conclusio communis, & certa. Iuxta præsentem Dei Legem de facto nemo mereri sibi potest, nec de condigno, nec de congruo, primam gratiam auxiliantem. Primum enim auxiliu, cum non supponat aliud, non supponit actum meritorium: utpote impotens fieri sine auxilio gratiæ: & quamvis supponeret actum aliquem bonum naturalem, hic nequit esse Theologicè meritorium auxiliij supernaturalis, ut constat ex *disp. 24. sect. 5*. ergo, quamvis secundam gratiam auxiliantem, & alias deinceps, mereri sibi possit homo per actus supernaturales salutare anteriores, non verò primam gratiæ actualis auxiliium, quod est salutis exordium, ideoque non supponens aliud auxiliu.

37 Dices, hoc ritè procedere in genere meriti Remunerandi, quod solum admittit communis sententia: at in genere Meriti Solutorij, quod nos admittimus, non est cur de facto non mereamur primum etiam auxiliu per opera supernaturalia subsequencia, quæ sint bonus usus ipsius: id quod indicare videntur verba Pauli *elegit nos, ut essemus sancti*: hoc est, in terminis meriti solutorij moventis finaliter, ut sit, ut sanctè proflea operando meritorie solveremus pro electione antecedente. Respondetur, procedere etiam prout de facto in genere meriti solutorij, ut fufius diximus *disp. 23. sect. 6*. stat enim præsens Dei Lex dandi salutis exordium omnino gratis, sicque nullatenus in præmium nostrum, ordinans nostra merita ad præmia vteriora subsequencia. De quo dat rationem congruentissimam Doctor Eximius *disp. 10. de Incarn. sect. 4*. Quia dignissimum est liberalissimæ providentiæ Dei, & consonum rerum naturis, donare omnino gratis primam principia operandi; ipsa verò opera ordinare ad vteriora

præmia, allicientia magis homines ad benè operandum. Nec officit illud: *ut essemus Sancti*: non enim significat motionem meritoriam; sed purè finalem: quæ, quamvis ad meritum solutorium requiratur; non tamen sufficit, ut diximus ibidem *num. 53*.

38 At, inquis, unde nobis constat pro de facto ea Dei Lex non dandi primas gratias auxiliantes intuitu meriti nostri adhuc solutorijs? Respondetur, ex eo quòd Deus operibus nostris promittit identidem præmium dandum, ac proinde de genere remuneratorio, nusquam factâ mentione præmij anticipati cum autem merita nostra sint limitati valoris, necesse esset tantumdem illis minui de præmio subsequuto, quantum suscepissent de anticipato: quod non stat cum divinis promissionibus. Accedit quod legitur Roman. ii. *si autem gratia, iam non ex operibus*. Unde inferunt Theologi cum Augustino, primam gratiam auxiliantem, quæ est initium salutis, donari nobis à Deo omnino gratis, & nullatenus intuitu operu, adhuc subsequentiu illam merentiu; ac proinde nullatenus in præmium: quia verò in illa primâ radicanur gratiæ subsequentes, dicuntur hæc quoque donâ gratuita; sicque nos dicimus *iustificari gratis*: gratis scilicet in radice primæ gratiæ auxiliantis, à qua sumunt initium gratiæ subsequentes, & opera salutaria, quibus disponimur ad iustificationem.

39 Insistes, quòd eadem quoque contradictio sequeretur in ea alia Dei lege quòd nempe prima Gratia intuitu meriti Solutorij à Deo nobis collata, esset gratia; & tamen non esset gratis; sed ex operibus, intuitu scilicet operum solutorie meritoriorum. Respondetur, fore gratiam entitativè, id est donum supernaturale indebitum naturæ; quamvis non foret gratia ethymologicè, & denominativè dicta, sicut est, & dicitur nunc in phrasi Apostoli, loquentis pro de facto iuxta præsentem Dei legem; hoc est, non esset donum omnino gratuitum, & merè liberaliter datum; sed intuitu solutionis: hoc tamen essentiale non est entitati gratiæ. Sic rectè Coninc 2. 2. *disp. 8. dub. 7. & Granad. controv. 8. de Gratia, tract. 12. disp. 4.*

40 Tertia conclusio communis etiam, & certa. Primam Gratiam habitualemente-

Rom. ii.

Coninc.
Gran.

Sup. dis-
20.

meretur sibi Adultus in pramium de congruo; non verò de condigno. Prima pars conitat ex disp. 20. sect. 1. Quamvis enim Parvulis infundatur prima Gratia iustificans absque proprijs dispositionibus liberis; Adultis verò non nisi præcedentibus dispositionibus supernaturalibus moraliter moventibus Deum ad infundendam primam Gratiam iustificantem: quæ morales dispositiones, ut ibidem diximus num. 7. sunt causæ morales, id est, meritoria iustificationis. Ergo per illas meretur peccator adultus in pramium saltem de congruo primam Gratiam habitualem. Quod si dicimur iustificari gratis, intellige gratis in radice primi auxilij ad eas dispositiones. Quod si negat S. Thom. peccatori meritum primæ Gratiæ iustificantis; intellige, de condigno iuxta secundam nostræ conclusionis partem.

S. Tho.

41. Secunda pars conclusionis probatur. Primò, quia ut videbimus sect. 7. purus homo nec sibi, nec alteri peccatori potest mereri de condigno primam Gratiam iustificantem: ergo multò minus sibi peccator. Id quod procedit etiã in genere Solutorio: propter insufficientiam condignæ solutionis puræ creaturæ pro remissione peccati. Secundò, quia ut diximus disp. 26. sect. 1. Gratia habitualis est principium condignificativum nostrorum operum ad pramium Gratiæ, & Gloriæ: ergo, ut homo mereretur sibi de condigno primam Gratiam habitualem, deberet eiusmodi meritum esse condignificatum per Gratiam: sed nequit condignificari per Gratiam ad merendam primam Gratiam: hanc igitur nequit condignè sibi mereri. Probatur minor: non enim condignificaretur per aliam Gratiam habitualem priorem; cum supponamus, hanc esse primam: nec condignificaretur per hanc ipsam primam: sic enim principium meriti de facto caderet in nobis sub meritum: quandoquidem ea Gratia esset pramium actus condigni, cuius condignificationis ipsa est principium. Porro in genere remuneratorio, de quo nunc loquimur in nobis pro de facto, sicut entitas actus debet præcedere Gratiam habitualement, ut ipsam mereatur, & causet, quia est; sic eius etiam condignificatio, ut ipsam condignè mereatur, & causet, quia condignus est. Implicat autem, quòd con-

Sup. dis-
put. 26.

dignificatio per Gratiam præcedat primam Gratiam, quæ est ipsamet forma condignificans.

42. Nec contra hoc est quòd diximus disp. 26. sect. 2. actum meritorium posse condignificari ad pramium per Gratiam pro posteriori naturæ subsequutam. Id enim venit intelligi ad aliud pramium; non verò ad pramium, quòd sit ipsa numero Gratia condignificans: quia in hoc occurrit specialis repugnantia nuper exposita. Ut ergo verè dicatur homo condignè mereri primam Gratiam habitualement, non sufficeret, quòd in eo instanti dentur actus meritorij, & prima Gratia; sed requireretur, tam actum meritorium, quam primam Gratiam dari pro priori naturæ ad primam Gratiam; quòd implicat apertissimè.

Sup. dis-
put. 26.

SECTIO V.

An, & quomodo primam Gloriam.

43. ILLVM videlicet gradum Gloriæ, qui correspondet primæ Gratiæ habituali. Nam augmentum deinceps Gloriæ, sicut & augmentum Gratiæ certum est iustos mereri de condigno per vteriores actus virtutum, quos exercent. Certum est etiam, mereri nos de cògruo primam etiam Gloriam, quando meremur de congruo primam Gratiam habitualement per actus supernaturales, quibus disponimur ad iustificationem.

44. Superest difficultas resultans ex doctrina sect. præc. Diximus enim, hominem non mereri sibi de condigno primam Gratiam habitualement. Queritur an, ea doctrinâ non obstante, mereatur sibi de condigno primam gloriam. Negant multi graves Theologi, pariter loquentes de prima Gloria, & de prima Gratia: sicque docentes, hominem per illos actus, quibus disponitur ad iustificationem, mereri sibi de congruo primam Gratiam, & primam Gloriam; neutram verò de condigno. Ita Palud. Lorca, Cardin. de Lugo: quos, & alios citant, & sequuntur Ripalda disp. 89. & magna ex parte Ovied. contr. 7. punct. 2. Itemque Haunoldus lib. 2. tract. 3. cap. 3. contrav. 8. & apud ipsum Esparza.

Palud.
Lorca.
Lug.
Rip.
Ovied.
Haunol.
Esparza.

45. Melius tamen opinantur alij, adultum per vltimam dispositionem ad iustificationem, quamvis non nisi de

con-

Suar.
Vasq.
Cominc.
Gran.
Amic.
Arriag.
S. Tho.

congruo mereatur primam Gratiam, mereri de condigno primam Gloriam. Ita Suarez, Vasquez, Coninc, Granad. Amicus, Arriaga, & S. Thom. qui qu. 112. art. 2. ait, præparationem hominis ad Gratiam non esse meritoriam Gratiæ, sed Gloriæ. Loquitur autem de condignos nam de congruo etiam est meritoria primæ Gratiæ.

Triden.

46. Favet Tridentinum sess. 6. can. 22. Si quis dixerit, hominis iusti bona opera non verè mereri augmentum Gratiæ, vitam æternam, & ipsius vitæ æternæ, si tamen in Gratia decesserit, consequuntionem, atque etiam Gloriæ augmentum, anathema sit. Profectò Còcilium, aliter, & aliter loquens hic de Merito Gratiæ, & Gloriæ, de illo solù ait, Iustum mereri augmentum Gratiæ: de Merito autem Gloriæ ait, Iustum mereri vitz æternæ consequuntionem: & insuper, Gloriæ augmentum. Quæ quidem diversitas consistere nequit penes augmentum: hoc enim tam Gratiæ, quam Gloriæ meretur Iustus de condigno: consistere igitur debet penes primam Gratiam, & primam Gloriam. Atqui nulla consisteret, si primam Gloriam mereretur adultus solum de congruo, quia de congruo primam etiam Gratiam meretur: ergo, ut plenè stent verba Concilij, dicendum est, quòd, quamvis per vltimam dispositionem ad iustificationem mereatur Adultus solum de congruo primam Gratiam; primam tamen Gloriam meretur de condigno.

Sup. dis-
put. 26.

47. Ratio autem à priori potest esse. Nam actus contritionis vltimò dispositivus, quamvis sit pro priori naturæ ad infusionem Gratiæ, coniungitur tamen cum Gratia in eodem instanti temporis: & tunc realiter est actus hominis iusti: non est ergo cur realiter non condignificetur à Gratia, tunc temporis iam præfente, ad pramium Gloriæ: quòd quidem cum non sit principium, nec efficiens, nec condignificans talem actum, est pro posteriori ad ipsum, & ad eius condignificationem per Gratiam, quamvis subsequutam pro posteriori ad contritionem. Idcirco diximus disp. 26. sect. 2. non esse necesse, quòd Gratia condignificans præcedat ad actum, quem condignificat; quamvis, ut nunc dicimus, tam actum, quam Gratiam condignificantem debeat præcedere ad pramium Gloriæ, quo remuneratur, quia condignus est.

48. Sunt qui vterius probent hanc sententiam ab absurdo contrariæ. Ex illa nãque sequeretur, quòd aliquando Adultus, qui iustificatur, consequeretur Gloriam, quin eam meruerit de condigno: casu scilicet dabili, quo post contritionem, qua se vltimò disposuit ad iustificationem, mereretur, nullo alio facto actu meritorio. Verùm similem sequelam omnes admittere cogimur in aliquo dabili etiam casu: quo nempe per attritionem se disponeret homo ad iustificationem cum Sacramento, & mereretur, nullo alio facto actu meritorio. Negandum ergo est, sequelam esse absurdam: sicut nec est absurdum, quòd ille nunquam meruisset de condigno Gratiam.

49. Obijciunt primò: quòd similiter dici, posset illum actum contritionis vltimò dispositivum, cum in eo instanti reali coniungatur iam cum Gratia condignificativa, mereri de condigno primam Gratiam. Hoc tamen negamus: quia prima Gratia, cum sit ipsa forma condignificans, non subsequitur, sicut prima Gloria, ad actum, & ad eius condignificationem. Vndè est, quòd Gloria potest remuneratoriè conferri in pramium actus, quia condignus est; non sic prima Gratia.

50. Vrgent: saltem actus ille, ut condignificatus, & quia condignificatus per primam Gratiam, mereretur condignè secundam Gratiam, quæ non est eius principium: & quia condignificatus per secundam, posset tertiam; & sic deinceps in infinitum per vnum actum meritorium. Torquet hæc absurditas Authores docentes, ex quolibet augmento Gratiæ augeri meritum eiusdem actus ad maius pramium. Ipsi viderint. Nos, qui id negavimus disp. 27. sect. 1. negamus nunc facile consequentiam. Nam, ut ibi diximus, actus non condignificatur per Gratiam, nisi ad pramium, quòd de congruo mereretur sine Gratia. Actus autem ille contritionis, secundum se merens de congruo primam Gratiam; nec de congruo meretur secundam Gratiam; bene verò primam Gloriam atque adeò per primam Gratiam condignificatur ad primam Gloriam; neutriquam verò ad secundam Gratiam. Atque hinc solvitur similiter similis obiectio de homine faciente simul duos actus meritorios: in qua anxius hærent, qui ex augmento

Sup. dis-
put. 27.

maio-

maioris Gratia augent meritum ad maius premium.

51 Obijciunt secundò. Actus ille contritionis ultimò dispositivæ est naturâ prior, quam Gratia, ad quam disponit: ergo non est à Gratia: ergo non est ab homine iusto ut iusto: ergo non est condignus Gloriz. Concesso antecedente, distinguo consequens: non est à Gratia productus, concedo, condignificatus, nego: similiterque dico ad subillationem, actum esse à iusto ut iusto condignificatum, quamvis non productum. Quid inde? Vicinia consequentia falsa est. Itaque, quamvis actus ille contritionis sit prior naturâ ad Gratiam iustificantem; non tamen condignificatur nisi pro posteriori Gratia, quæ est forma condignificans: utrumque autem hoc, nempe existentia contritionis, eiusque condignificatio per Gratiam se habet antecederet ad Gloriam: sicque premium primæ Gloriz iam correspondet operi meritorio hominis iusti, & confertur, quia tale meritum est, & quia per Gratiam condignificatum est.

52 Obijciunt tertio. Prima Gloria correspondet primæ Gratia: ergo pro illo priori, quo ea contritio antecedit, & meretur de congruo primam Gratiam; meretur quoque de congruo primam Gloriam: ergo nequit pro posteriori in eodem instanti reali mereri primam Gloriam de condigno. Congruitas enim exciudit condignitatem, sicut inæqualitas æqualitatem: at in vno instanti reali nequeant esse res & eius exclusio, adhuc pro diversis signis naturæ, sicut nec linea palmaris æqualis & inæqualis bipalmaris. Confirmatur. Quamvis Gratia habitua lis esset in Christo pro priori naturâ ad Unionem Personalem Verbi, non faceret Filium Adoptivum: quia Filius adoptivus dicit exclusionem Filiationis naturalis pro toto instanti reali, nè in idè instanti reale coincidat res, & eius exclusio. Similiter ergo, si in eo instanti reali contritionis ultimò dispositivæ esset illa contritio pro quovis signo meritoria primæ gloriæ de condigno; in nullo signo eiusdem instantis posset esse meritoria de congruo eiusdem Gloriz. Atqui non potest non esse meritoria de congruo primæ Gloriz pro priori quo de congruo meretur primam Gratiam: nullus ergo manet locus, ut esse possit meri-

toria de condigno primæ Gloriz.

33 Simile argumentum posui in simili, & pro subiecta materia solvi *disp. 5. de Incarn. à num. 27.* Quoad presentem materiam attinet, respondeo nunc, distinguendo antecedens: prima Gloria correspondet primæ Gratia in substantia, & quantitate eas merendi, concedo; quia propter connexionem, & ius Gratia ad Gloriam premium Gloriz commensuratur premio Gratia: in modo eas merendi, nego antecedens: nam per contritionem meremur Gratiam statim conferendam; Gloriam verò post mortem. Congruitas verò, aut condignitas spectat ad modum merendi: ideoque non obstat correspondentia substantiali præmij Gratia, cum premio Gloriz, quòd contritio mereatur de congruo primam Gratiam, & de condigno primam Gloriam ob rationes speciales, quas pro prima Gloriz dedimus. Vnde negantur prima, & secunda consequentia. Nam, ut bene dicitur in obiectione, & declaratur per exemplum quantitatis palmaris, & bipalmaris, congruitas dicit exclusionem æqualitatis, ac proinde condignitatis: atque adeo pro nullo signo illius instantis realis, in quo est condignitas, potest esse exclusio condignitatis, & consequenter nec congruitas; sed ad summum præscindi ab utraque: hoc est pro illo priori non dari condignitatem ad primam Gloriam, quia pro illo priori non datur Gratia; nec dari congruitatem specificè dictam; quia non datur exclusio Gratia; sed præcisio à Gratia. Confirmatio firmat potius quam impugnat doctrinam responsionis. Concedimus enim totum enthymema ex dictis *disp. 9. de Incarn. num. 70.* Minorem autem subiunctam negamus ex nuper dictis.

SECTIO VI.

Quæ Præmia valeat mereri sibi peccator.

54 **C**ONSTAT ex dictis, peccatorem adultum mereri sibi de congruo Gratiam iustificantem per actus supernaturales, quibus disponitur ad Iustificationem. Quod intellige nõ solum per actus contritionis, vel charitatis, in quorum instanti reali iam homo sit iustus; verumetiam per attritionem, qua ultimò disponitur ad iustificationem in

Sacra-

Tom. de
Christo,
disput. 5
sect. 2.

Tom. de
Christo,
disput. 9
sect. 5.

Sacramento. Dices tunc conferri Gratiam ex opere operato ratione Sacramenti. Fateor. At inde solum sic, attritionem sine Sacramento non esse ex Dei Legè sufficientem dispositionem ad Iustificationem; cum quo stat, esse de congruo meritoriam iustificationis, quamvis non pariter ac est contritio: congruitas enim suscipit magis, & minus proportionis.

56 Adde discrimen: quòd attritio intra Sacramentum, & contritio intra, & extra, merentur Gratiam de congruo infallibiliter tunc conferendam ex Dei promissione nobis notâ. Alij verò actus de congruo meritorij non sic infallibiliter. Vnde observat Mulderus hic *art. 6. dub. 2.* Meritum congruum non semper obtinere premium, quòd aliud simile meritum obtinet: quia non habet annexam pro semper Dei promissionem: & impeditur non raro à demeritis Personæ.

57 Hinc est communis sententia ex Suarez *tom. 3. de Grat. lib. 12. cap. 37.* quòd per alios etiam actus, ultra contritionem, & attritionem v. g. per actus Fidei, Spei, timoris, elemosynæ, & reliquarum virtutum, meretur peccator de congruo iustificationem; quamvis non ita congruè, nec immediate; sed mediate: quatenus nempe sic homo se remotè disponit, merens auxilia ulteriora ad alios actus proximiores, usque ad dispositiones ultimas ad iustificationem.

58 Dico deinde, peccatorem nihil sibi mereri de condigno. Quia caret Gratia condignificativa tuorum meritorum: & aliunde per peccatum est positivè indignus omni Dono Dei: ut rectè Mulderus *art. 10.*

58 Dico insuper, peccatorem per auxilia Gratia actualis posse sibi mereri de congruo præmia, quæ iustus, sibi congruè & magis congruè meretur. Vnde potest anterioribus auxilijs adiutus mereri sibi de congruo auxilium efficax ad ulteriora. Nihil enim est, quòd sic sentire prohibeat.

59 Dico tandem, mereri quoque de congruo dona temporalia ordinis naturæ. Cum huiusmodi enim præmiolis opera etiam bona naturalia proportionem haberent: ergo à fortiori opera supernaturalia ex auxilijs Gratia facta, quamvis à peccatore. Hæc etiam mere-

tur iustus, cuius utique opera sunt Deo placentiora, sicut & orationes magis acceptabiles. Quod si læpè videremus impios, imò & præcitos, oneratos à Deo pluribus, ac maioribus præmijs naturalibus temporarijs; ideo est, quia, si quid egerunt boni, sic recipiunt mercedem suam, deputandi post mortem supplicij æternis propter malefacta.

SECTIO VII.

An Iustus per opera facta in Gratia possit in premium sibi mereri reparationem post lapsum.

60 **O**MNINO negant Vasq. Montef. Tapia *quest. 3. art. 11.* Quia, inquiunt, quamvis illa opera iusti facta sint in statu Gratia, postea tamen per lapsum amissa Gratia, mortificantur, iuxta illud *Ezech. 18. Si averterit se Iustus à iustitia sua, & fecerit iniquitatem, omnes iustitiae eius, quas fecit, non recordabuntur.* Ergo merita facta à iusto nihil prodesse iam possunt post lapsum ad reparationem.

61 Affirmandum est tamen cum Bellarmino, & Suarez apud Ripald. *disp. 95.* posse saltem de congruo. Quia oratio, qua Iustus sibi peteret à Deo, ut, si ceciderit in peccatum, resurgat iterum ad Gratiam, nõ est inutilis, aut imprudens; imò laudatur, & consulitur: cum etiam peccator possit id pro se orare, imò & de congruo mereri, ut dictum est *sect. præc.* Non est ergo cur Iustus per opera iustitiae id non possit sibi de congruo mereri. Oppositum videtur habere S. Thom. hic. Sed pro nobis scribit *ad cap. 6. Hebr. lect. 3.*

62 Ad fundamentum contrarium dico, opera iusti mortificari per lapsum: non quoad omnes effectus; sed quoad condignitatem Gratia, & Gloriz. Sic exponit Cornelius ex PP. Cum quis stat, quòd profuit de congruo illa merita, quamvis interim mortificata, ad reparationem post lapsum. Sic à contrariò sensu colligitur ex eodem Propheta, paulò ante dicente nomine Dei de peccatore contrito: *omnium iniquitatum eius non recordabor:* qui tamen inde inferatur, nihil residui ex peccato quoad culpam, & poenam æternam remisso, manere luctandum temporaliter in Purgatorio, ut hæc

Malder.

Suar.

Malder.

Vasq.
Montef.
Tapia.

Ezech.
18.

Bellarmino
Suar.
Ripald.

S. Thom.

Alap.

reticè inferebat Petrus Martyr, inde negans cum Luthero Purgatorium. Vnde negatur argumenti consequentia.

63 Dicendum deinde nobis est, non posse de condigno. Ratio. Quia reparatio lapsi præfert remissionem peccati mortalis, ad quam meritorie condignè obtinendam non sufficit pura creatura, sicut neque ad satisfaciendum condignè pro peccato, vt late scripsimus disp. 8. de incarn. à sect. 3. & signanter sect. 13. & meminimus supra disp. 14. num. 78. eadem ergo ratione, qua repugnat, puram creaturam satisfacere condignè pro peccato, repugnat mereri condignè Gratiam peccatori, ac proinde reparationem post lapsum. Oppositum sentit Ripalda disp. 96. Sed stant pro nobis Suarez, Vasquez, de Lugo, Aldrete, & Prudentius locis vbi supra à me citati.

Tom. de Christo disp. 8. Incarn. à sect. 3. & signanter sect. 13. & meminimus supra disp. 14. num. 78. eadem ergo ratione, qua repugnat, puram creaturam satisfacere condignè pro peccato, repugnat mereri condignè Gratiam peccatori, ac proinde reparationem post lapsum. Oppositum sentit Ripalda disp. 96. Sed stant pro nobis Suarez, Vasquez, de Lugo, Aldrete, & Prudentius locis vbi supra à me citati.

64 Obijcies. Posset Iustus mereri sibi condignè perseverantiam in Gratia, & præsertim à lapsu iuxta possibilem aliam Dei legem, vt colligitur ex dicendis sect. seq. ergo & reparationem post lapsum, quæ quidem minus donum est; cum æstimabilius sit præservatio, vt patet in B. Virgine. Concesso antecedente negatur consequentia. Quamvis enim verum sit, præsertim esse donum maius, & æstimabilius, non habet obstatum indignitatis peccati tollendum condignè ad Gratiam condignè promerendam, sicut habet reparatio: quæ propterea venire condignè nequit in præmium meriti, non tollentis compensativè indignitatem, & iniuriam peccati: ad quod nulla pura creatura sufficiens est.

65 Quod si Deus, vt potest, remitteret gratis peccatum, posset iustus de reliquo mereri sibi condignè infusionem Gratia post lapsum, vt observat Ripalda: supponens propterea, quasi extra quæstionem, posse iustum condignè sibi mereri reparationem post lapsum saltem inadæquatè, scilicet, quoad infusionem Gratia, amoto gratis à Deo obstaculo peccati per extrinsecam condonationem. Ad id tamen est quoque supponenda alia Dei lex non præniandi statim condignè actum meritorium Iusti, sicut nunc, augmento Gratia; sed differendo in posterum ad reparationem post lapsum.

Ripal.

SECTIO VIII.

An, & quomodo possit Iustus in præmium sibi mereri deinceps auxilia usque ad perseverantiam finalem.

66 OMNINO, & indistinctè negat Illustrissimus Tapia art. 12. Cuius ratio est ex S. Tho. quia donum perseverantia includit continuationem primæ Gratia: sed nemo potest mereri sibi primam Gratiam: ergo neque Donum perseverantia, quod est continuatio primæ Gratia. Sed hic syllogismus nec bonus, nec verus est. Non bonus: quia, ne peccaret in forma, deberet assumi in minimi pro prima Gratia continuatio Gratia: ideoque, concessis præmissis, negare licebit consequentiam. Non verus: quia primam Gratiam habitualement, de qua hic est sermo, meremur de congruo iuxta præsentem legem: & iuxta aliam Deo possibilem homo, qui nunquam peccasset, posset illam sibi mereri de condigno in genere Solutorio, vt distinctè diximus sect. 4.

Tapia.

67 Deficit deinde discursus doctissimi Antistitis in eo, quod immiscet hic immerito quæstionem de merito primæ Gratia. Profectò quæstio de merito perseverantia in Gratia supponit iam hominem in Gratia, & controvertitur circa continuationem deinceps in eodem statu: quæ continuatio, seu conservatio Gratia, quamvis supponat primam infusionem Gratia, non illam dicit nisi præsuppositivè: sicut augmentum Gratia dicit etiam præsuppositivè primam Gratiam. Vnde, sicut, hoc minimè obstante, dicimur mereri condignè augmentum Gratia, quamvis non primam Gratiam; sic possemus continuationem, quin mereremur primam infusionem. In hoc ergo sensu genuino quæstionis maior syllogismus falsa est: quia continuatio non includit, sed præsupponit primam Gratia infusionem: sicque, datâ minori, nulla, & falsa est consequentia.

68 Dicendum ergo distinctim est: iuxta præsentem Dei legem non posse iustum mereri sibi perseverantiam finalem de condigno; posse tamen de congruo. Et hæc est abs dubio communis Theologorum sententia: iuxta quam interpretatur S. Thomam, Suar. lib. 12. c. 38.

S. Tho. Suar.

Vasq. Caiet.

mi. 10. cum Vasquez, & alijs contra Caietanum, & alios.

69 Ratio primæ partis est. Quia in hac Dei lege condignitas meritorum præmiatur adæquatè in Gratia, & Gloria: ergo nihil superest condignitatis ad præmium perseverantia finalis præferentis multa auxilia vteriora efficaciaz ad vincendas tentationes, & vitandas occasiones peccandi. Atque hinc est, quod multi iustissimi post multa, & magna merita ceciderunt: monentibus Scripturis Iustos: Qui se existimat stare, videat ne cadat. Tene quod habes, vt nemo accipiat coronam tuam. Dices, melius esse iusto, si per sua opera minus Gratia mereretur de condigno, & etiam de condigno, ac certò perseverantiam in hac minori Gratia. Respondeo, negando, melius id fore iusto, qui de facto perseverat, & salvatur: quia recipit maiorem gloriam. Fateor tamen, iusto, qui postea labitur, & damnatur, melius illud fore siquidem quoquomodo salvaretur. At sibi imputet, quod hoc, quod statuit de facto Dei lex, sibi non sit melius; sicut imputatur ipsi, quod cadat, & non salvetur.

1. Cor. 10. Apoc. 3.

70 Ratio secundæ partis est. Quia, supposito primo auxilio præveniente, orationes, & vis impetrativa operum supernaturalium, præsertim Iusti intendentis perseverantiam, vltra condignitatem quæ infumitur in præmio Gratia, & Gloria; habent congruitatem cum isto dono perseverantia, & cum auxilijs congruentibus ad vincendas tentationes, & ad finaliter perseverandum: non est ergo cur negetur meritum congruum istorum.

Medin. Suar. Vasq.

71 Disputant aliqui an Iustus aliquis taliter mereri valeat de facto perseverantiam suam, vt certò, ac infallibiliter illam assequatur. Negasse videtur Medina: quia multi post plura merita, & orationes ceciderunt. Affirmant verò Suarez, & Vasquez, si orationes, & merita Iusti debite adhibeantur: quod quia defuit in aliquibus alioquin iustissimis, defecerunt in fine. Stat enim promissio facta orationi à Christo: Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Omnis, qui petit, accipit. Petite, & accipietis, vt gaudium vestrum sit plenum. Si ergo Iustus debite orat, & agit pro perseverantia iuxta promissiones Christi, infallibiliter illam obtinebit: partim orando, ne inducatur in

Joan. 16. Mat. 7. Joan. 16.

tentationem; partim satagendo, vt per bona opera certam suam perseverantiam faciat.

72 Dicendum secundo. Iuxta aliam Dei legem posset etiam de condigno. Ratio: quia posset Iustus multos & extremos actus exercere, & per vnum mereri de condigno auxilium efficaciaz ad alium ad finem usque: si nempe statisset Deus, non illos præmiare, sicut nunc, præmio augmenti Gratia, & Gloria, in quo infumitur condignitas meritorum: ergo posset sic mereri etiam de condigno vitoriam tentationum, & evitacionem lapsuum usque ad mortem: atque adeò perseverantiam finalem. Sic Ripal. disp. 54. & Arriaga disp. 56. ex Suar. c. 38.

Ripal. Arriaga Suar.

SECTIO IX.

An, quomodo, & quæ præmia possit vnus alteri mereri.

73 PRIMA conclusio. Alteri peccatori nullatenus potest purus homo Iustus mereri de condigno Gratiam iustificantem. Constat ex num. 63. Quia esset mereri de condigno remissionem peccati, & satisfacere condignè pro peccato: quod repugnat puræ creaturæ: ideoque ad id fuit necessaria satisfactio Christi simpliciter infinita.

74 Secunda conclusio. Iuxta præsentem Dei legem alteri non peccatori nequit homo mereri de condigno Gratiam: posset tamen iuxta legem aliam Deo possibilem. Prima pars est communis. Secunda negatur à Vasquez, Esparza, & alijs. Defenditur tamen à Suarez, Ripalda, & Oviedo cont. 7. pun. 5. & cursim ab Illustrissimo Tapia art. 10. pro ea citante S. Thomam.

Vasq. Esparza Suar. Ripal. Oviedo Tapia.

75 Prior pars probatur: qui de facto Deus ordinavit merita Iustorum ad eam portionem Gratia, & Gloria ipsi conferendæ, quæ suorum operum condignitatem expleat: vnde non illis superest condignitas, vt Gratiam pro altero condignè mereantur apud Deum, qui reddet unicuique secundum opera eius, vt est Matth. 16. & Roman. 2.

Mat. 16. Rom. 2.

76 Probatur autem secunda pars. Ratio namque, cur de facto non mereatur vnus Gratiam alteri de condigno, est quia ex præsentem Dei lege merita Iustorum præmiat Deus condignè augmento

Agaa 2 pro.

propria Gratia, & Gloria. Hac igitur lege non stante, ordinare potuisset Deus Iusti merita ad Gratiā alterius, & non suam: sicque posset vnus alteri non peccatori mereri Gratiā, seu augmentū Gratia de condigno. At fortē non tantā, quantā sibi, vt advertunt Authores, quandoquidem illam mererentur nō digno.

Adri.

76 Opponunt primò Adrianum Papam ad Episcopos Hispania scribentem, quòd Christus non potuisset mereri nobis Gratiā Adoptionis, si ipse illā indignuisset: ergo quia Gratiā habitualis nostra, quæ est Gratiā Adoptionis, non posset esse principium condignificans merita nostra ad præmium Gratiæ alienæ. Negatur tamen illatio. Quod enim ex verissimo dicto Adriani legitime inferitur, solum est, Christum non potuisse mereri nobis Gratiā adoptionis, si illā sibi indignuisset: quia nempe, si indignuisset Adoptione, non esset Persona Divina Deo intranea, sicque non potuisset mereri nobis peccatoribus Gratiā cum remissione peccati per satisfactionem condignam: ad quam non sufficit nisi Persona Divina.

77 Opponunt secundò. Gratiā semen est Gloria: ergo nequit fructificare nisi pro subiecto in quo seminatur: ergo nequit condignificare opera sui subiecti ad præmium augmenti Gratiæ, & Gloriæ pro altero. Concedit antecedente, distinguimus consequens: nequit per se fructificare Gloriā, vt hereditatem, nisi suo subiecto, quod facit Filium, concedo: Gratiā, & Gloriā, vt præmium, nego: & nego absolute subillationem, loquendo iuxta aliam legem, & potestatem Dei absolutam. Est enim Gratiā semen Gloriæ, quia suo subiecto quamvis nihil mereatur fructificat Gloriā, vt patet in Parvulis. Contra hoc tamen non est, quòd opera sui subiecti Deo grati condignificet ad promerendam alteri Gloriā, vt præmium sui subiecti, nō sibi, sed alteri applicatū mediante ordinatione divinā.

78 Opponunt tertio. Opus Iusti meritorium vt quatuor, sicut nequit non facere Iustum laudabilem vt quatuor, sic non potest non facere Iustum condignum præmio vt quatuor sibi conferendo: ergo non posset facere Iustum dignū præmio alteri conferendo: sic enim faceret Iustum condignum præmio plusquam vt quatuor. Negatur tamen ante-

cedens de condignitate in actu secundo. Nec tenet paritas laudabilitatis: hæc enim solum afficit operantem; cum tamen omnes fateri debeamus, præmia applicari sæpè alijs, vt patet in Christo, qui de facto multa nobis meruit; imò & in nobis de congruo, iuxta sequentem conclusionem. Et res est ex humanis factis nota: apud homines enim frequens est, propter aliquorum eximia merita, alios remunerari. Vnde negatur consequentia. Nec enim sic fieret Iustus ille condignus præmio plusquam vt quatuor: quia quantum sui præmij alteri impenderetur, detraheretur sibi.

79 Tertia conclusio. Potest iuxta præsentem quoque Dei legem vnus alteri mereri de congruo; seu, vt alij loquuntur, impetratoriè. Est communis sententia: & colligitur ex Scripturis, idem tamen contestantibus, multa multis collata fuisse gratia beneficia per merita, vel preces aliorum. Estque communis sensus Sanctorum PP. Protomartyrem Stephanum meruisse quòd Saulus converteretur in vas electionis: quod de merito congruo, aut impetratoriè intelligendum est. Favet ratio: quia lex amicitia videtur postulare, quòd Deus annuat honestæ Iustorum amicorū suorum voluntati, pijsque Filiorum desiderijs, quando merita sua pro proximis applicant, vt aliquid pro eis impetrent. Profectò, præterquamquòd hoc ipsum est illis meritorium de condigno Gratiæ, & Gloriæ, cum actus virtutis sit; congruentissimum est, vt sic de congruo multa mereantur, & impetrent.

80 Quinimò non solum Iusti; sed peccatores etiam id possunt. Nam ad impetrandum, & merendum de congruo non requiritur status Gratiæ illius qui, nec illius, cui meretur: vt colligitur satis ex dictis sect. 6. Quamvis fatendum abs dubio sit, preces, & merita Iustorum esse Deo acceptabiliora, & pro Iustis prodesse multò congruentius.

81 Observant demùm aliqui, vt quis mereatur alteri de congruo, requiri specialem applicationem operis pro illo; non verò sic vt mereatur sibi: nam opus, si pro alio non applicatur, prodest operanti, & quasi res sua Domino fructificat. Addit Malderus dub. 3. eiusmodi applicationem debere fieri ante, ve saltem simul cum opere.

Malderus.

DIS-



DISPUTATIO XXIX.

DE PERTINENTIBVS AD MERITVM EX PARTE DEI PRÆMIANTIS.

IX parte Dei posset excutiri ad modos divinos prævidendi, & discernendi nobis præmia intuitu Meritorum nostrorum. Sed hoc esset digredi in immensum contra Scholarum morem. Plura de ijs Tomo præcedenti de Incarnatione: plura Tomo, si Superioris placet, venturo de Prædestinatione. Eiusmodi digressiones non exambio, contentus agere quòd ago.

SECTIO I.

An ad condignitatem Meriti nostri requiratur pactum, promissio, vel ordinatio extrinseca Dei.

Scot.

AFFIRMANT vniversim Scoti, ita, docentes, operibus Iusti non inesse ab intrinseco condignitatem ad præmium Gratiæ, & Gloriæ; sed illis competere ab extrinseco pacto, vel acceptatione Dei.

Vasq.

Moc.

Mer.

Espar.

3 Negant Vasquez, Monceus, Meratius, & Eiparza quest. 32. è diverso docentes, Meritum hominis Iusti ex intrinsecis suis habere prædictam condignitatem: neque ad id indigere extrinseco favore novo Dei.

Suar.

4 P. Suarez mediam tenet viam cum distinctione duplicis condignitatis. Aliam vocat in actu primo: aliam in actu secundo. Illam ait esse æqualitatem secundum se cum præmio; ista, præter eam æqualitatem secundum se, addit vim obligativam ad collationem præmij. Rem explicat exemplo appositisimo duorum æque laborantium in vinea quoad pondus diei, & æstus: quorum tamen vnus laboret ex conventionem; alter verò sine conventionem cum Domino de denario diurno. In actu quidem primo, cum pars sit vtriusque labor, paritatem habet vterque condignitatem cum mercede. In actu tamen secundo non labor illius, qui sponte suā, sed illius, qui ex conventionem laboravit: solus enim iste obligat Dominum ad reddendam mercedem.

Placet hæc distinctio Patris Suarez. Iuxta quam

5 Sit conclusio. Ad condignitatem Meriti in actu primo non requiritur pactum, vel ordinatio extrinseca Dei; bene verò ad condignitatem in actu secundo. Probatur prior pars. Meritum condignum discriminatur à congruo per æqualitatem moralem cum præmio: non autem per promissionem præmij; cum etiam promittatur alicui Merito congruo, vt reverā promissum est ultimæ dispositioni ad Gratiā; ea ergo æqualitas, sive condignitas in actu primo non stat in novo favore promissionis, sed inest ab intrinsecis operi, eiusque condignificationi per Gratiā. Præterea: si promitteres dare adamanteam pro levissimo obsequio levandi paleam, talis datio non haberet rationem præmij de condigno, sed potius doni gratuiti: quia nempe ad id non habet ex se moralem æqualitatem levatio paleæ: ergo quia promissio non dat, sed supponit condignitatem in actu primo actionis obsequiosæ, & meritoria.

6 Obijcit Scotus. Primò, quòd non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram Gloriā: ergo quia, quamvis ex se non condignæ sint, fiunt ex pacto condignæ. Secundò, paritatem monetæ habentis valorem ab extrinseca Principis lege. Tertio, quòd condignitas obsequij est quid potius morale, quam physicum; stans utique in æstimatione prudenti, pendensque à varijs circumstantijs: ergo à promissione, vel pacto Dei. Respondetur

Cur.

Subr^a disp. 23. sect. 2.
 Supr^a disp. 26. sect. 1.

tur tamen ad primum, illum Apostoli Textum iam expositum à nobis esse disp. 23. sect. 2. num. 19. Addo, intelligi posse de condignitate in actu secundo: sicque falsam esse consequentiam de in actu primo. Ad secundum, iam dedimus disparitatem meriti à moneta disp. 26. n. 8. Ad tertium fatemur, condignitatem esse quid morale pendens à multis circumstantijs. Hinc tamen non inferitur, pendere in actu primo à novo favore extrinseco promissionis, aut pacti, ut constat ex nostris rationibus.

7 Posterior pars conclusionis inferri videtur ex Trid. sess. 6. cap. 16. & ex Moguntino cap. 8. fundantibus condignitatem nostrorum meritorum in promissione Dei. Quocirca Senonense Decr. 16. statuit: *Iustorum opera esse digna remuneratione: & Deum dare Gloriam unicuique iuxta meritum: non absolutam condignitate; sed gratiam promissione: qua, conventionem factam denario diurno, conduxit operarios.* Adludit ad Parabolam de Operarijs vineæ Matth. 20. Vbi considerant Sancti PP. modum, quo nos meremur, & Deus remunerat: scilicet ex promissione, vel pacto, saltem pro in actu secundo condignè merendi.

8 Probatum secundò: quia per merita nostra sit nobis Deus debitor, ut loquuntur Scripturæ, Sanctique PP. & vidimus disp. 23. sect. 2. Deus autem, cui multis titulis cuncta debentur, ex nulla re nostra posset fieri debitor, nisi accedente promissione sua. Hinc scitè Aug. in Psalm. 109. *Fidelis Deus, qui se nostrum debitorem fatit: non aliquid à nobis accipiendo; sed multa nobis promittendo.* Et 1. Confess. 4. *Supererogatur Tibi, ut debeas: & qui habet quidquam non tuum? Reddis debita nulli debens: donas debita nihil perdens.* Non ergo, nisi ex promissione sua, potest Deus fieri debitor noster; nec nos mereri de condigno in actu secundo, condignitate scilicet obligante Deum ad retributionem.

9 Probatum tertio: quia bona opera libera, & supernaturalia Beatorum in Cælo, Animarum in Purgatorio, Antiquorum Patriarcharum in Limbo, & Eliæ in paradyso, quavis habeant æqualitatem, atque adeò condignitatem in actu primo cum premio Gratia, & Gloria, cum non sint minus bona, quam nostra in via; non tamen merentur in

actu secundo. At certè non alia ratione, nisi ex defectu promissionis, aut ordinationis divinæ: ergo hæc requiritur pro nostris meritis, saltem ut sint condigna in actu secundo. Aliqui requirunt ad id strictam promissionem, seu pactum; alij sufficere dicunt Dei ordinationem, seu decretum. Sed hæc diversitas parum facit ad rem, dummodo requiratur novus favor extrinsecus Dei.

10 Objicit Vasquez. Primò: quòd Meritum ut sic non requirit promissionem; cum sine ista mereantur Filij apud Patrem, & vnus homo apud alterum, exhibens obsequia digna: non est ergo cur meritum apud Deum id requirat. Secundò: quia mala opera non egent pacto, ut condignè in actu secundo mereantur pœnam: ergo nec bona, ut similiter mereantur premium. Tertio: quia Christus citra pactum meruit multa præmia collata Patriarchis antiquioribus, quando iste non existerat, nec pacisci poterat: ergo nec ad meritum nostrum requiritur pactum Dei nobiscum. Quarto: quia promissio non inducit obligationem, nisi cognita, & acceptata: sed multi merentes, aut ignorant, aut non advertunt Dei promissionem, aut volunt bene agere non intuitu divinæ promissionis, & quasi ad illam non respicientes: ergo istorum saltem meritum est condignum in actu etiam secundo independentè à divina promissione.

11 Respondetur ad primum, transmissio antecedente, negando consequentiam. Qualibet enim obsequia nostra debentur Deo multis titulis, seorsim etiã à titulo præmiorum, possentque à Deo, ut Domino, exigi ex nobis absque præmio: ideòque nullatenus possent Deum obligare ad retributionem, nisi ex ipsius promissione, vel ex alio favore extrinseco illa non exigendi, nisi constituto præmio.

12 Ad secundum, negatur consequentia ob manifestissimam disparitatem. Peccatum enim est iniuria dans eo ipso parti læsæ ius ad punitionem; Meritum verò, cum sit obsequium, non eo ipso dat ius merenti ad remunerationem apud Deum, cui omnia obsequia seorsim etiam à remuneratione, debitissima sunt, & iure optimo exigibilia.

13 Ad tertium dico, inde potius firmari posse nostram doctrinã. Nec enim me:

Tom. de Christo disp. 17.

merita Christi infinitissima fuerunt condigna in actu secundo præmij independentè ab extrinseca ordinatione Dei: ut suo loco vidimus disp. 17. de Incarn. sect. 4. Quod sufficit ad intentum divini decreti, ordinationis, seu favoris extrinseci requisiti: quidquid sit de promissione, vel pacto strictè dictis.

14 Ad quartum, transmissio toto syllogismo, nihil concluditur contra nos: non enim requirimus strictam promissionem; sed Dei ordinationem, quæ sit extrinsecas favor. Quoniam verò de facto datur Dei promissio, dicimus, satis esse ad obligationem, quòd promissio acceptetur virtualiter à merente, per se, vel per alium nomine ipsius: scilicet à Christo, ut Capite, aut ab Ecclesia, ut Matre. Nec ea promissio potest omni nõ latere Iustos, clamante Apostolo: *Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se Remuneratur sit.*

SECTIO II.

Ex qua virtute præmiat Deus: præsertim: an ex virtute strictæ Iustitiæ.

15 LONGA super hoc occurrebat certatio, nisi illã numeris omnibus absolvissemus disp. 10. de Attrib. per totam, & iterum disp. 17. de Incarn. sect. 8.

16 P. Vasquez, & multi ibi citati, qui cum ipso negant strictam iustitiam commutativam Deum inter, & homines, negant, Deum ex virtute strictæ iustitiæ præmiare. Variant tamen circa virtutem, ex qua præmiat. Alij dicunt ex virtute gratitudinis. Sed obstat, quòd ex S. Tho. esse pro beneficijs: Deus autem à nobis inferioribus non accipit beneficia; sed obsequia. Alij dicunt, ex virtute fidelitatis: Deus enim promissit præmia. Sed obstat, quòd multa confert præmia, quorum non extat promissio. Alij id reducunt ad virtutem quamdam providentialem: nam, seorsim etiam à promissione, spectaret ad bonum regimen Vniversi præmiare merita, sicut punire delicta.

17 Nos verò, qui cum Suarez, & multis vbi supra à me citatis, admittimus strictam Iustitiam Deum inter, & homines, quamvis non proinde nequeamus, multas alias virtutes exercere Deum in remuneratione meritorum, ea tamen

insuper dicimus præmiare ex virtute strictæ iustitiæ commutativæ. Pro qua sententia adscribo R. P. N. G. Tyrsum tom. 3. disp. 18. 19. & 20. & Comptonum disp. 34. & 35. contra Haunoldum lib. 4. tract. 1. cap. 1. contr. 4. §. 3.

18 Fundamenta authoritatis, & rationis posuimus latè loc. cit. vbi fuse quoque Adversantibus satisfacimus. Sufficiant nunc nobis Apostolus 2. Timoth. 4. scribens: *Reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus Iudex.* Et super hoc Tridentinum sess. 6. cap. 16. loquens de præmio vitæ æternæ: *Hæc est enim illa corona Iustitiæ, quam post summ certamen, & cursum, repositam sibi aiebat Apostolus à iusto Iudice sibi reddendam.*

19 P. Ripalda, à nobis ibidem quoad aliam etiam limitationem impugnatus, quamvis quadantenus admittat, Deum præmiare ex virtute iustitiæ merita nostra penes circumstantias non præceptas; negat id, penes ea quæ præcepta sunt. Quia quòd præceptum à Deo est omittere non potest homo absque iniuria Dei. Nequit autem homo mereri ex iustitia per id, quòd omittere sine iniustitia non potest. Sic disp. 18. sect. 4.

20 Hæc tamen limitatio multum derogat veræ sententiæ de stricta iustitia remunerationis nostrorum meritorum: quorum quidem multa sub præcepto cadunt: minusque satisfacit Scripturis, & PP. sine huiusmodi discrimine loquentibus pro stricta iustitia divinæ remunerationis. Ideòque illam meritò repellit Arriaga tom. 1. in 1. par. disp. 3. sect. 4. negans, ut opus mereatur, & præmiatur ex iustitia, requiri tale dominium operantis, ut illud non possit omittere absque iniuria. Posset enim præcipere Dominus servo opus, ad quod habet ius, obligans se sponte ad reddendam mercedem ac si alioquin non haberet ius in tale opus. Hæc autem obligatio daret servo ius ad mercedem intuitu suæ obedientiæ, quamvis non posset absque iniuria Domini non obedire. Sic ergo discutrit in Deo.

SECTIO III.

An, & quomodo dicatur Deus præmiare vitra, & punire citra condignum.

21 AXIOMA vulgatissimum est: Deus præmiat vitra condignum,

Ovied. & punit citra condignum. Id tamen non vno modo; sed variè à varijs intelligitur, & explicatur, vt legere est apud Oviedum *controv. 5. pun. 6.*

Suar. 22 P. Suarez *lib. 12. cap. 31.* sic id explicat, vt moralis æqualitas præmij cum merito condigno non stet in indivisibili; sed, vt dici solet de prætio rerum in humanis, admittat summum, medium, & infimum. Deus autem meritis nostris taxat lege suâ præmium æquale summum; & culpis pœnam infimam; intra cancellos tamen moralis æqualitatis.

Vasq. 23 P. Vasquez sic id explicat, vt in Patria Deus Iustus propter opera det actuarium aliquod Gratiæ, & Gloriæ, vltra Gratiam collatam in via: & peccatoribus minuat aliquid infra condignum pœnæ correspondentis eorum culpis.

Ovied. 24 P. Oviedus cit. sic id explicat, vt intelligi putet, sive de præmijs alijs, quæ superaddit Deus in hac vita vltra augmentum Gratiæ; sive de dotibus, quæ in Patria comitantur Gloriam essentialem æqualem meritis condignis.

Bernal. Tomo de Christo *disp. 8. sect. 8.* 25 Id probare nullo modo possum, quod ait P. Bernal *disp. 4. de Incarn. sect. 5.* à me reiectus ibidem *disp. 8. à num. 87.* sic id intelligēs, vt merita nostra, quam-

vis condigna Gloriæ, non mereantur de condigno æternitatem Gloriæ; Deus vero de vltracondigno addat, quod Gloria condignè correspondens nostris meritis sit æterna.

26 Resistit enim huic intelligentiæ sinceritas Scripturarum. Ex quibus Tridentinum *sess. 6. cap. 16.* disertè docet, Iustos per opera bona mereri vitam æternam; & Augustinus *epist. 105.* vitam æternam correspondere meritis nostris, *tantumquam stipendium.* Opera nãque Iusti sunt obsequia Filij apud Patrem infinite locupletem: quem maximè decet meritis Filiorum taxare de condigno præmium Hæreditatis Paternæ, quæ est vita æterna ex Apostolo: *Qui vocati sunt æterna hæreditatis.* Quo faciunt alia, quæ retulimus *disp. 23. sect. 2. & 3.*

27 Nec verisimile est, illud vltracondignum Axiomatis Theologici sonare posse æternitatem Gloriæ: ea namque vltracondignitas sonat cuiuscunque prudentis iudicio aliquantum additamenti ad præmium condignum: quo additamenti vocabulo venire nequit rationabiliter immensum æternitatis pondus.



DISPUTATIO XXX.

DE REVIVISCENTIA MERITORUM.

MERITA dicuntur mortificari dum Iustus recidit in mortale, quo moritur anima ad vitam Gratiæ: & dicuntur reviviscere, dum postea resurgit per pœnitentiam. De hac igitur reviviscencia agendum nobis est: de qua extat speciale Scriptum inter præclara Doctoris Eximij Opuscula.

SECTIO I.

Statuitur Veritas certa de Reviviscencia Meritorum.

2 **O**PERA bona facta in statu peccati, cum nunquam fuerint viva per Gratiam condignantem ad Gloriam, non reviviscunt per subsequutam iustificacionem peccatoris. Quæ verò

facta fuerunt à Iusto, viva fuerunt per Gratiam, & condigna præmio essentiali Gratiæ tunc acceptæ, & Gloriæ, postea, si decesserit in Gratiâ, conferendæ. Quoniam verò sapissimè Iustus, qui multa merita egerat, peccat, ea merita per peccatum, quod mors est animæ, mortificantur: hoc est, non fructificabant præmium Gloriæ, quæ est vita æterna, nisi homo resurgat à peccato: vt planissimè

faltem

Suprà
disp. 28.
sect. 7.

faltem inferitur ex verbis Ezechielis, que retulimus *disp. 28. num. 60.* & in hanc faltem sensum exposuimus ibidem *num. 62.* Quod venit in presenti statuendum, est, casu quo postmodum peccator per pœnitentiam resurgat ad vitam Gratiæ; ea pristina merita tempore peccati mortificata reviviscere: hoc est, iterum fructificare, & prodesse ad præmium Gratiæ, & Gloriæ, quod primò meruerant.

Ldesm.
Sot.

Suar.

Ripal.
Trid.

3 Hæc doctrina de reviviscencia meritorum, sic explicata, & generaliter tradita, est inter Theologos ita certa, vt Ledesma censeat esse de fide. Sotus censet, non posse nisi per errorem negari. P. Suar. *sect. 1. num. 10.* censet, oppositum fore saltem temerarium, & impium, propter testimonia Conciliorum, & SS. Patrum, cum magno fundamento in Scripturis, quas ibi eruditè expendit, vt videre etiam est apud Ripaldam *disp. 91.*

Hebr. 6.

4 Sufficiat nobis Tridentinum *sess. 6. cap. 16.* sic ediserens: *Iustificatis hominibus, sive acceptam Gratiam perpetuò conservaverint, sive amissam recuperaverint, proponenda sunt Apostoli verba: abundate in omni opere bono, scientes, quod labor vester non est inanis in Domino: non enim iniustus est Deus, vt obliviscatur operis vestri.* Quæ verba scripsit Paulus ad Hebr. 6. non solum pro ijs, qui ministrabant Sanctis; sed pro ijs etiam, qui ministraverant, & postea peccaverunt, vt exponunt Interpretes sacri. Vbi non obscure significatur reviviscencia meritorum, quamvis per peccatum mortificatorum, vt expendunt Cornelius ad 6. Hebr. & Suarez cit. à *num. 8.* Nec obest quod idem Trident. dicat ibidem, & *can. 26.* vitam æternam illis tantum proponi, qui in finem perseveraverint. Respondetur enim, loqui de illis, qui ab vltima iustificatione perseveraverint; quod est verissimum: est enim quod aliter explicuit idem Concilium per conditionē, *si in Gratiâ decesserint: & erit verum, quamvis post anteriores iustificationes peccaverint, dummodò resurgant.*

Alap.
Suar.

5 Accedit ratio. Per peccatū enim vis operum meritoria nō omninō moritur, quasi pro semper nunquam fuisset; sed mortificatur, durante obice peccati spoliantis hominem Gratiâ: ergo, amoto obice peccati per recuperacionem Gratiæ, reviviscunt. Præterea in humanis incredibile proptus est de bono Princi-

pe, quod; si duo subditi, quorum alter numquam, alter semper ipsi servijisset, ipsum æquè offenderent, & mox æquè resipiscerent, & satisfacerent, æquè secum utroque in posterum habiturum, nullo habito respectu ad pristina servitia alterius præ altero. Insuper: si vnus alteri meruisset Gratiam pro die crastina, & vterque annihilaretur à Deo ante crastinum, & cras reproducerentur, revivisceret profectò vis illa meritoria ad causandam illam Gratiam antea promeritam; & interdū impeditam: sic ergo ad causandam Gratiam, amoto impedimento peccati. Denique: Quia Deus sic existimandus est remittere peccatum resipiscenti, vt nihil in illo relinquat reatus pœnæ æternæ, qualis esset æterna privatio Gratiæ, quam ante peccatum habuit: talis ergo existimandus est, vt resipiscenti totam illam Gratiam restituat, quam olim iustus promeruerat, & postea peccans amisit.

Ezechias
18.

6 Obijcitur Textus Ezechielis 18. supra citatus, vbi dicitur, non recordandas esse iustitias hominis avertētis se à Deo: ergo non reviviscunt pristina merita peccatoris, quamvis postea iustificetur. Probatur consequentia à paritate: nam ex eodem Ezechiele ibidem dicente; *si impius egerit pœnitentiam, omnium iniquitatum eius non recordabor; inferimus, demerita pristina non reviviscere, quamvis impius postea iustificatus iterum peccet: ergo nec merita, quamvis iustus postea peccans, iterum iustificetur.* Respondetur, Textum intelligi de homine avertente se à Deo, & nunquam se converte, sed in peccato suo moriente: quod satis ibidem indicatur à Propheta subiungente: *in peccato suo morietur.* Vnde negatur consequentia. Ad probationem, negatur etiam consequentia, propter disparitatem subiectæ materiæ. Nam demerita dicunt ex se incapacitatem reviviscendi, quam non dicunt merita: de quo *sect. seq.* occasione difficilius obiectionis vrgentis attackam paritatem.

SECTIO II.

Quæ potius ratione merita reviviscant, quam demerita.

7 **O**BIJCIATUR præterea molesta paritas. Demerita, seu Peccata semel condonata non reviviscunt per

Bbb

falsi

subsequens peccatum: ergo merita, seu bona opera iusti semel per peccatum deperdita non reviviscunt per subsequentem iustificationem. Aut, si merita reviviscunt per Gratiā, qua peccator refurgit, cur non similiter demerita per peccatum, quo iustus cadit?

Vasq. Haun. 8 Antiquiores nonnulli apud Vasquez *quest. 88. art. 1.* referente Haunoldo *lib. 4. tract. 4. cap. 4. contr. 3.* negabant antecedens, arbitrati, demeritum peccatorum pristinatorum iam semel condonatorum reviviscere, & redire per novum peccatum: afferentes pro se parabolam Christi *Matt. 18.* vbi Servus in conservum crudelis cogitur reddere Domino debitum iam sibi dimissum, & condonatum: quo videtur concludi, hominem, cui iam condonata fuerunt debita priorum peccatorum, si denuo peccet, omnia solaturū, redeuntibus, & reviviscētibus per novum peccatum debitis pristinis, quamvis iam semel à Deo remissis.

Mat. 18. 9 Ceterum antecedens obiectionis pro de facto est ita certum, vt ab aliquibus censeatur de Fide apud Haunoldum *num. 948.* estque Canon Gelasij Papæ *in cap. Divina: de Penit. dist. 4.* ibi: *Divina clementia dimissa peccata in ultionem redire non patitur: & est conclusio S. Prosperi ad Capit. Gallor. in resp. ad 2.* dicentis: *Qui recedit à Christo, & alienus à Gratia finit hanc vitam, quidni in perditionem cadit? sed non in quod remissum est recidit.* Ratio autem est: quia Deus in Scripturis absolute dicitur remittere peccata pœnitentibus, sicut qui alteri debitum absolute condonat: at debitum non conditionaliter, sed absolute condonatum, non redit per contractionem novi debiti. Nec obest Parabola *Matt. 18.* super quam videri possunt Cornelius, & Maldonatus. Ant enim intelligitur, vt approbat Vasquez, in eum dumtaxat sensum, quod ratione novorum peccatorum permittat Deus hominem labi deinceps in vltiora, quorum pœnæ exæquent, vel etiam superent debitum culparum prius remissarum: aut, quod approbat Dicastillus, Christum in Parabolis aliqua apposuisse, quæ tamen non approbaret, vt astutiam Villici *Luc. 16.* sed, vt intentum suum concluderet. In presenti autem erat intentum declarare, Deum severe acturum contra immisericos: nullatenus verò quod peccata semel condonata redirent.

Haun. Gelas. 9

Prosp.

Alap. Mald.

Dicast.

Luc. 16.

10 Quinimò, & de possibili negant antecedens Vasquez, de Lugo, Dicastillus, Pallavicinus, & Esparza apud Haunoldum eos sequentem *num. 950.* contra Scot. Valentiam, Thom. Hurt. Attriagā, & Coninc. Quia nec iuxta aliam Dei legem iudicant possibilem reviviscēntiam peccatorum. Et dant rationem: quia peccatum habituale dicit essentialiter actuale præteritum irremissum: iam verò quod remissum est non est irremissum; nec possibile est, peccatum esse remissum, & irremissum. Quidquid tamen sit de ijs, & de alijs, quæ ibi discutit Haunoldus.

11 Respondemus ad obiectionem, concedendo antecedens pro de facto certum; & negando consequentiam. In reddenda ratione disparitatis variant Authores. P. Vasquez, quem sequuntur Monceus, Esparza, Pallavicinus, & Haunoldus *contr. 4.* id reducant ad naturas rerum, existimantes de natura peccati semel condonati per Gratiā esse, non redire per subsequens peccatum; è contra verò de natura meriti interrupti, seu mortificati semel per peccatum esse, redire, ac reviviscere per Gratiā subsequentem. Ideòque dicunt, homini restituto in Gratiā reviviscere pristina merita ex iustitia, sive strictā, sive providentiali, prout alioquin eam admittunt inter Deum, & homines.

12 Pro irreviviscēntia peccatorum ex natura rei adducunt rationem positam *num. 10.* pro eo, quod nec possibile sit, peccata sic reviviscere. Pro reviviscēntia verò meritorum ex natura rei, præter congruentias, quas pro de facto dedimus *num. 5.* dant rationem. Quia Deus restituens peccatorem in amicitiam sui per Gratiā, non possit eum velle punire pœna æternā: hoc enim videtur esse contra rationem amicitiae; at, si merita pristina non reviviscerent, iustus, qui multum Gratiæ, & Gloriæ meruerat, & peccans totum id amisit in pœnam peccati, restitutus postea in Gratiā, quamvis iam illa finaliter perseverans, nunquam recuperaret illam Gratiā correspondentem pristinis meritis: sicque maneret in æternum punitus spoliatione illius pristinae Gratiæ nunquam reditura. Quod ex ipsis rerum naturis videtur stare non posse cum absoluta condonatione peccati, nec cum amore veræ amicitiae divinæ.

Vasq. Lug. Dicast. Pallav. Espar. Haun. Scot. Valent. Hurt. Arr. Con. Haunol.

Espar. Monc. Pallav. Espar. Haun.

Pates

Suar. Ripal.

13 Pater Suarez, quem multi sequuntur, & ex patre Ripalda cit. non acquiescunt ijs rationibus, vt irreviviscēntiam peccati, & reviviscēntiam meriti reducant omnino ad naturas rerum: ideòque dicunt, merita potius reviviscere ex beneplacito, clementia, largitate, & misericordia Dei, quamvis, hac misericordie lege Dei suppositā, possit dici redire merita cum sua vi inferendi præmium ex iustitia: vt sapienter explicat Suarez *sect. 3. à num. 17.*

Suar.

14 Hic modus dicēdi Patris Suarez videtur verosimilior. Nec aliud persuadent loquutiones Scripturarum, Conciliorum, & Patrum, nisi, merita reviviscere pro de facto, quomodocumque id eveniat. Rationes autem pro reviviscēntia positæ *num. 5.* sunt quidem optimæ congruentiæ pro eo quod de facto Deus clementissimus, ac magnificentissimus sic voluerit statuere: non tamen convincunt, sic statuere debuisse ex naturis rerum.

15 Ratio enim adducta pro irreviviscēntia peccati ex natura rei *num. 10.* quamvis benè probet iuxta modum, quod de facto Deus remittit clementissimè peccata verè pœnitenti; non tamen iuxta modum alium remittendi Deo possibilem, quo possit remittere non omnino absolute sicut nunc; sed quasi ad reincidentiam, vt ita dicam, reservato sibi iure puniēdi pristina peccata, si peccator, cui dum verè pœnituit, & iustificatus est, remissa fuere, recidat in nova.

16 Ratio etiam adducta pro reviviscēntia meriti ex natura rei *num. 12.* quamvis benè probet, cum amore amicitiae divinæ, prout de facto inicitur à Deo, stare non posse voluntatem divinam non restituēdi hominem in gradum pristinum Gratiæ, & amicitiae correspondentis meritis pristinis deperditum per culpam; non tamen convincit, quod non possit Deus aliter minus clementer amicitiam inire cum homine respiciente, qui pristinam amisit. Nec enim est de ratione amicitiae, restituere amicum in omnes honores, quos ante contemptam, & amissam priorem amicitiam habuit; vt patet in Adamo, qui restitutus post peccatum in statum Gratiæ, & amicitiae divinæ, non propterea restitutus fuit in statum iustitiæ originalis, quem per peccatum amisit: nec est contra rationem

amicitiæ denuo inire, manere hominem privatam in æternum aliquo bono, quod amisit per peccatum, nèpè illo gradu Gratiæ pristinae. Quamvis enim demus, quod id iam non possit fieri à Deo in pœnam æternam culpæ semel remissæ; quod curiosè disputat Haunoldus *contr. 3. à num. 951.* at possit fieri non iam in pœnam; sed quia propter oppositionem essentialissimā physicam, & metaphysicam Gratiæ cum peccato; hoc etiam titulo amisit Gratiā pristinam homo peccans, & postea non est titulus Deum obligans ex natura rei ad eam restituendam; cum meritum actuum, quibus se postea disponit ad novam Gratiā; iam condignè præmientur infusione novæ Gratiæ. Sic expulsā semel à subiecto nigredine per albedinem, ablata postea albedine, non eo ipso redit nigredo, si non adsit agens introductivum nigredinis, sed alterius coloris.

Haun.

17 Ex ijs omnibus ad obiectionem numeri 7. arguentem pro de facto iuxta præsentem Dei legem, concessio antecedente, negamus consequentiam. Et damus rationem disparitatis, alioquin difficilem: non præcisè ex naturis rerum; sed potius ex lege Dei, largiter, & misericorditer volentis sic se gerere cum verè pœnitentibus, vt in eis merita reviviscant, eos restituendo in pristinum gradum Gratiæ cum iure ad Gloriā, à quo ceciderunt; addito gradu, quem postea denuo promerentur. Quod autē ea sit de facto Dei voluntas significatur satis in Scripturis, Concilijs, Sanctisque PP. superius allegatis: satisque persuadent à congruenti rationes positæ *num. 9.*

SECTIO III.

An merita pristina mortificata per peccatum, integrè, & adequatè reviviscant per Iustificationem peccatoris.

18 NEGABANT antiquiores Thomistæ, quibus favisse videtur S. Thom. 3. part. *quest. 89. art. 5.* & in 3. *dist. 32. quest. 1. art. 4.* Sed diversimodè negabant. Nam Bañez, & Sylvius dicebant, merita reviviscere ad illum solum præmium Gratiæ, & Gloriæ correspondentis contritioni, quæ peccator denuo refurgit: quod tamen confertur tunc titulo novæ contritionis, & titulo pristinatorum meriti.

S. Thom. Bañez. Sylv.

Bbb 3

meritorum, multiplicatis scilicet titulis eiusdem rei, non verò rebus. Hanc viam novius inijt Thom. Hurt. in Præcurfore Theologico, ita præfidenter, vt quasi triumphum in hac pugna canens contra Ieiuitas, erumpat gloriabundus in hæc: *Valeat ergo Schola Iesuitarum, & oret Deum, vt mentem D. Thomæ illis aperiat.* Egregius Thomista in id incumbit, vt tribuat S. Thomæ doctrinam, quam *falsissimam, & adversissimam* menti S. Thomæ dixit Sotus; & erroneam appellare non dubitavit Ledesma: à qua propterea fatius foret S. Doctorem excusare, si posset. Gratulari possumus, quòd nesciens fortè prophetando, Scholam Iesuitarum valere iubeat. Valebit, auspice Iesu. Ego quidem in sensu, quo de se dicebat olim Nazianzenus: *Omnis terra, & nulla terra mihi Patria est; dicam, me nullius, & omnis esse Scholæ; & oro Deum, vt veritatem, cui adlaboro, mihi aperiat, cuiuscumque mentis, aut Scholæ sit.*

19 Prædictam sententiam rejciunt communiter iam Thomistæ, & Iesuitæ cū Suarez, de Lugo, Ripalda, Dicastillo, & Haunoldo *controv. 4.* quibus denuò accessit Anton. ab Spir. Sancto, Carmelita Discipulus, in doctissimo suo Director. Confessar. *tract. 4. disp. 2. sect. 8.* & quidem meritissimè. Hoc enim est admittere reviviscenciam meritorum in solo nomine, & non in re, parum conformiter ad verba, & sensum Scripturarum, Conciliorum, & Patrum. Quapropter Suarez *disp. 2. sect. 1. num. 13.* abstinens benigniùs ab aliorum censuris, id vt falsum, absurdum, & Regulis Fidei parum consentaneum refutat.

20 Aliam alij iniere negandi viam apud Suarez *disp. 2. sect. 1. n. 1.* dicentes, merita reviviscencia valere non ad præmiũ essentiale Gratia, & Gloria; sed ad præmia aliqua accidentalia gaudiorum de illis meritis. Sed certè neque hæc est reviviscencia meritorum, quam ex Scripturis, & SS. Patribus contendunt Scholæ. Ideo hanc sententiam, cuiuscumque sit, vt improbabilem, & temerariam relinquit Suarez, vt pote multum derogantem verbis Pauli ad Hebr. 6. *Non est iniustus Deus, &c.* & Conc. Tridentini *sess. 6. can. 16.* superiùs allegatis.

21 Ledesma, & Sotus temperatiùs dixerunt, merita non integrè reviviscere,

nisi quandò dispositio, quã se convertit peccator, est æquè intenta, ac auxilium, quo ad illam prævenitur. Aliter temperant Granad. & Enriquez, dicentes, merita non integrè reviviscere; sed cum certa proportione ad contritionem, quã se disponit peccator ad novam Gratiam: Tunc enim confertur illi in præmium novæ dispositionis nova Gratia; & intuitu meriti pristini aliquid Gratia deperditæ per peccatum plus, vel minus proportionaliter ad minorem, vel maiorem dispositionem præsentem. Verum huiusmodi temperaturæ fundamento solido carent; & divinantium potiùs videntur, quàm Theologizantium. Profectò inæqualitas præsentium dispositionum iam infert suam inæqualitatem in nova Gratia, quam merentur. Non ergo necesse est eam quoque inferri in Gratia pristina, ad quam antiqua merita reviviscunt. Gratia enim illa pristina non redit vt præmium, seu ad mensuram novæ dispositionis; sed vt præmium, & ad mensuram antiquorum meritorum, sublato nunc obice peccati.

22 Conclusio ergo sit omninò affirmans cum Suarez, Vasq. Coninc, & communiter alijs citatis vbertim à Ripalda, merita adæquatè, & integrè reviviscere: ad totam scilicet Gratiam cum iure ad gradum Gloria, quam iustus, postea verè poenitens, amiserat per peccatum. Certè enim Authoritates, & rationes, quibus nititur doctrina certa de reviviscencia meritorum, aut totum hoc probant, aut non satis probant.

23 Hinc rectè inferunt Suarez, & alij, quòd quando Iustus, qui postea peccavit, resurgit, semper resurgit ad altiorum Gratia gradum, quàm fuerat ille, à quo cecidit. Quia suscipit totam illam Gratiam pristinam correspondentè antiquis meritis, quæ reviviscunt; & insuper novum Gratia gradum, correspondentem merito præsentis dispositionis, quã reviviscunt.

24 Infertur tandem, locum non habere aliquorum sententiam, cuius meminit Haunold. *num. 952.* asserentiam, reviviscere quidem merita ad causandam integrè totam Gratiam pristinam; non tamen conferendam in via, quando peccator resurgit ad novam; sed postea in Patria, dum homo in Gratia decesserit. Hoc enim sine fundamento dicitur.

SECTIO

SECTIO III.

An Gratia pristina causata ex opere operato per Sacramenta, amissa per peccatum, reviviscat etiam per novam iustificationem Peccatoris.

Vasq. Torr. Hurt. Merat.

25 **N**EGANT Vasquez, Torres, Gaspar Hurt. & Meratius *disp. 16. de Poenit.* Primò: quia ex Frid. *sess. 6. c. 7.* in iustificatione Adulti infunditur Gratia ad mensuram dispositionis; illi ergo saltem gradus Gratia, qui infusi fuerant Parvulo per Baptismum absque vlla propria dispositione, non reviviscunt in iustificatione peccatoris Adulti: quia nulli correspondent dispositioni. Secundò: quia Hieron. relatus *in cap. Quicumque 5.* ait: *Quicumque dignitatem divini gradus non custodiunt, contenti fiant, animam salvare: reverti enim in pristinum gradum difficile est:* ergo, vt restituatur peccator in eundem omninò gradum Gratia, etiam Sacramentalis, à quo cecidit, non sufficit utcumque iustificari, prout sufficit, ut salvetur. Tertio: quia experimur, resurgentes à peccato, in quo diu iacuerant, difficiliùs, ac remissiùs Dei dilectionem, & opera virtutum exercere, quàm ante peccatum: ergo, quia non recuperant totam Gratiam etiam Sacramentalem, quam habuerant.

Hieron.

Suar.

26 Affirmandum nihilominùs est cum Suarez, eos etiam Gratia gradus, qui correspondebant virtuti Sacramentorum ex opere operato, reviviscere, ac restitui peccatori respicienti postea iustificato. Ratio sumitur ex dictis pro reviviscencia meritorum integrè per totã Disputationem. Æquè enim id probant Authoritates, & congruentia: maximè iuxta nostram sententiam reducentem præsertim meritorum reviviscenciam ad beneplacitum Dei clementissimi pro de facto secundum Scripturas.

27 Accedit specialiùs, quòd, quantumvis illa prima Gratia Sacramentalis non fuerit homini collata propter sua merita condigna, fuit collata propter merita Christi. Cur igitur, ablato per novã iustificatione obice peccati, non iterum causabunt merita Christi illã Gratiam; sicut merita nostra condigna causant

Gratiam illis etiam correspondentem? 28 Quocirca scriptum est Ioele 2. *Reddam vobis annos, quos comedit locustæ, bruchus, & rubigo, & eruca.* Quod ad præsens intentum exponunt Incerlin. Hieronym. & Cæcilius: ex quibus sic Cornelius: *Significatur vis poenitentia, quæ lapsa, sed poenitenti, omnes priores virtutes, omnia priora merita restituit: ideoque facit, vt homo lapsus semper ad maiorem Gratiam resurgat.* Quæ universalitas vera non esset, si Gratias etiam sacramentales non comprehenderet. Et *Luc. 15.* dixit pro poenitente Prodigio Pater: *afferte stolam primam:* scilicet habituales Gratiam, quam perdidit peccator, vt exponunt Glossa, Hieronymus, & Chrisol. Stola autem prima sæpè est Gratia Baptismalis, quæ Parvulis sine propria dispositioni confertur.

Ioel. 2.

Interl. Hieron. Carth. Alapi.

Gloss. Hier. Chrisol.

29 Ad primum argumentum oppositum *num. 25.* respondetur, Concilium clarè loqui de Gratia, quæ de novo infunditur Adultis, quando iustificantur. Sic ergo, concessio antecedente, consequentia est nulla. Et sic fit etiam satis ventibus hoc Concilij testimonio pro sententia relata *num. 20.* dicentium, Gratiam pristinam non integrè reviviscere; sed cum certa proportione ad dispositionem, quæ peccator iustificatur.

30 Ad secundum dico, non esse ad rem. Nam Hieronymus loquitur ibi de custodia dignitatis, vel gradus Ecclesiastici, quem in scopum refertur à Gratiano; non verò ad rem præsentem de gradu intensioris Gratia, & Gloria. Unde deviat consequentia.

31 Ad tertiam fatemur illam experientiam. Nihil tamen exinde concluditur: idèdque negatur consequentia. Illa namque maior difficultas, quæ sub experientiam venit, non est propter dispendium Gratia habitualis, ac virtutum infusarum; quæ quidem non sunt ad facile, sed ad simpliciter posse; sed est propter dispendium virtutum acquisitarum de servientium ad facile, quas dimittunt, ac remiserunt habitus vitiosos contracti, ac introducti, ac intensi per diuturnum exercitium actuum vitiosorum

in diuturno tempore statùs peccati, vt explicuimus *disp. 17. sect. 4. & 5.*

Suprà disp. 17.

PRECATIO GRATVLATORIA ad Authorem Gratiaë

ABSOLVIMVS, secundum Gratiam, quæ ad velle, & perficere data est nobis ultra meritum, nostras de Gratia, & Merito Disputationes: eo contenti, quod, quantum ex nobis est, à defectibus, qui conatibus in scopum veritatis intentis de nostro irreperint, gratis absolvamur, & veniam benignè pro laude reportemus. Si quid gratum, si quid bonum, si quid verum, prout oportet, Scholis offerant, non de nostro fuerit, sed ex Alto. Patri luminum, Authori Gratiaë Summo, gratias pro Gratia, licet impares, atque nos, & nostra referimus: & Ecclesie Sanctæ suæ Catholicæ Romanæ iudicio humillimè cuncta submittimus. Cuius in Spiritu, vt vniversum Operis nostri de Gratijs, ac Meritis argumentum, eiusdem potiùs, quàm nostrâ ad Deum Oratione laconicè comprehendamus, precari religiosius liceat: *Tua nos, Domine, Gratia semper, & præveniat, & sequatur; ac bonis operibus iugiter præstet esse intentos.* Faxis, ò Iesu bone, nobis vt de Te non nihil, ac de re Theologicâ benemereri studiosè cupientibus, in vacuum, ac sine operæpretio Gratia tua nè fuerit: neu absque merito nostro, & honore Nominis tui, oleo, & operâ perditis, evanuerit improbus labor, quem in Tui Gratiam, & Gloriam animo libenti susceptum, diuturno, iugique studio, nobilissimæ huic, ac perutili Theologiaë pro viribus impendisse parum fuit.

(†)

LAPSUS TYPOGRAPHICI NOTATV digniores.

Disputatio.	Numerus.	Linea Num.	Lapsus.	Correctio.
5.	49.	12.	<i>incretus.</i>	<i>creatus.</i>
9.	39.	3.	<i>vitandi.</i>	<i>vincendi.</i>
12.	16.	2.	<i>sufficiem.</i>	<i>sufficiendum.</i>
12.	114.	13.	<i>nomine.</i>	<i>nemine.</i>
12.	146.	2.	<i>observata.</i>	<i>observati.</i>
12.	154.	19.	<i>elogium.</i>	<i>eloquium.</i>
21.	24.	24.	<i>infinitorum.</i>	<i>infinutum.</i>

A

ACTIO vitalis est actus ipse vitalis. Pagina 372. num. 38.
Actio productiva Gratiae habitualis non est creatio, sed eductio. 426. 9.
Actiones externae non augent per se meritum; sed per accidens. 509. 115.
 Omnis actio physica est instantanea, utpotè duratio sui, & termini. 534. 31
Actio gratiarum ad Deum pro aliquo dono non satis per se arguit doni supernaturalitatem. 51. 21.
Actus naturalis nō semper comitatur supernaturalem eiusdem potētiae de eodem obiecto. 152. 36.
Actus naturalis posset ex natura rerum movere, seu imperare supernaturalem. 134. 72. & seq.
Actus intrinsicè efficaciter imperans non adimit imperato eiusdem voluntatis immediatissimam libertatem. 497. 76. & seq.
Actus meritorius condignificatur per gratiam à se de posteriori causatam. 515. 11.
Actus intellectus concurrunt efficienter ad actus voluntatis. 84. 26.
Actus Charitatis perfectè nequit esse naturalis, sed eo ipso entitativè supernaturalis. 165. 15. & seq.
Actus amans bonum sub ratione boni secundum se, præcisim à motivo singularis Virtutis, ad quem habitum infusum pertineat. 363. 5.
Actus supernaturalis nequit ab imperio extrinseco vitari. 463. 45.
 Nec ab vlla prohibitione. 464. 52.
Actus liber. Vide *Libertas*.
Actus quicumque Voluntatis est sui ipsius volitio. 276. 56.
Actus contritionis, seu charitatis nō est forma sanctificans. 321. 22.
Actus meritorius. Vide *Meritum*.
Adjutorium, Quo, & Sine quo non, finistrè explicatum, & applicatum à Jansenistis. 38. 91. & 216. 31. & 220. 2.
Adoptio per Gratiam explicatur. 393. 46.
 Stare nequit absque Gratia intrinsecà. 394. 53.
Adultus non iustificatur sine dispositionibus liberis. 401. 5.
Adultorū more Sanctificata fuit B. Virgo in primo suæ animationis instanti; & iu-

stificatus in utero Baptista per proprias dispositiones ex auxilijs Gratiae. 402. 11.
Æqualitas meriti condigni cum præmio. 439. 25.
Æqualitas duorum actuum cum necessitate ad alterutrum non officit rationi meriti. 492. 59.
Æqualitas Divinarum Perfectionum etiam Moralium. 493. 64.
Æternitas Gloriæ nequit venire nomine actuarij Præmij vitra cōdignū. 560. 25
Affectus Dei specialiter condonativus, & amicabiliter disiectivus incipit quo ad denominationē in tempore. 279. 66.
Alexander Septimus contra Jansenianos. 222. 7. & 485. 38.
Alexandri Octavi recens Decretū. 12. 58.
Alexandri Magni nobile Dictū. 439. 26.
Amor. Vide *Dilectio*.
Amor concupiscentiæ non eo ipso malus. 451. 4.
 Estque sæpè meritorius. 455. 14.
Amor beatificus an sit forma sanctificans. 327. 42.
Amicitia Deum inter, & homines quæ ratione per Gratiam. 389. 28.
 Stare nequit absque Gratia intrinsecà. 391. 40.
Angelus Custos nemini Viatori subtrahitur. 241. 81.
Angeli Viatores Auxiliorum Gratiae capaces, & indigi. 16. 72.
 Sanctificati fuerunt per liberarum dispositiones ex auxilijs Gratiae. 402. 11.
 Sunt Causæ Ministeriales Auxiliorum pro hominibus. 77. 16.
Anima purgantes non sunt in statu merendi. 517. 21.
 Sunt tamen in statu satisfaciendi, & impetrandi. Ibidem.
 Quando, & quomodo illis remittatur peccatum veniale, cum quo decesserunt. 291. 113.
Arditas, necessaria non est ad opus meritorium. 519. 28. & 538. 45.
 Quomodo augeat Meritum non perfecte, sed per accidens. 538. 48.
 Vide: *Difficultas*, *Laboriositas*.
Augustinus arrogatus sibi perperam à varijs Hereticis. 484. 33.
 Vindicatus à Baiojansenianis, præsertim. 38. 90. & seq. & 218. 39. & 484. 33. & seq.
Auxilium Gratiae Theologicae, quid definitivè. 17. 1. Cccc Au.

Auxilia sunt illustrationes, & Inspi-
rationes, Actusque nostri Vitales. 17. 2.
Non sunt Qualitates emortuæ. 20. 15.
Quomodo sint in Nobis sine Nobis. 18. 6.
Auxilium purè sufficiens est verè Gra-
tia per Christum. 220. 2.
Et verè Beneficium Dei. 236. 62.
Auxilia Theologica non nisi entita-
tivè supernaturalia. 64. 75.
Efficienter physicè concurrunt ad
Actus salutares. 79. 2.
Præsto adsunt cuicumque honestè ope-
ranti. 256. 143.
Nec denegantur Obstinatis sufficien-
tia. 240. 75.
Nec Infidelibus. 244. 94.
Auxiliorum Orthologia. 257. 146.
Vide: *Gratia Actualis*.
Axioma: *Facienti quod est in se Deus non de-
negat Gratiam*: quomodo ritè, & aptè
intelligendum. 253. 135.
Ex suppositione quod res est, necessario est,
verè & vtiliter exponitur. 504. 101.
*Deus præmiat vltra, & punit citra con-
dignum*, exponitur. 559. 21.
Malum ex quocumque defectu, quæ ratio-
ne capiendum. 463. 49.

B

Bajani, & Baiojanenianè expugnati. 38.
90. & 216. 31. & 477. 11.
Baptismus, qua proprietate sit Fidei Ia-
nuæ. 355. 10.
Baptismus non antecedit Habitus Fi-
dei, si non antecedit Gratia Habitua-
lis. 555. 9.
Baptista more Adultorum iustificatus in
Vtero. 402. 11.
Beatitudo involvit essentialiter formam
Sanctificantem. 327. 41.
Extrahit Hominem in Patria ab statu
merendi. 517. 20.
Non ex natura rerum, sed ex Dei or-
dinatione. 518. 24.
Beneficiū de Ordine Creationis. Vide *Donū*.
Beneficij Divini ratio statetiam in Au-
xilio purè sufficienti. 236. 62.
Blasphemia Iansenistarum contra Gra-
tiam sufficientem. 226. 22.
Bonitas Moralis essentialiter ad Meritum
requisita. 451. 2.
Non requiritur Bonitas Virtutis, Cha-
ritatis. 451. 3.
Sufficit cuiuslibet Virtutis Moralis. Ib.
Non sufficit existimata in actu mate-
rialiter turpi. 457. 25.
Bonitatis moralis incapax Omisio
pura. 469. 72.

C

Calvini Errores circa Gratiam Actualem.
10. 47.
Circā Habitualem. 260. 24.
Circā Meritum. 438. 17.
Carentia, quæ sint aliquid distinctum ab
omni positivo, explosæ. 344. 38.
Cathaphrygarum Hæresis de Irremissibi-
litate Peccatorum. 291. 115.
Cathecumenis non infunditur Fides Habitu-
alis ante Gratiam Habitualem. 355. 9.
Causa Primæ Primatus exponitur. 27. 40.
& seq.
Causa Secundæ, quo sensu vocentur ia-
strumenta Cautæ Primæ. 24. 27.
Charitas interdum pro Gratia Habitua-
li. 302. 29.
Charitatis Habitus specialis, non est
Forma iustificans. 304. 36.
Neque Actus Charitatis, aut Contri-
tionis. 321. 22.
Charitatis Actus, seu Contritionis est
ultima Dispositio ad Gratiam: non ex
natura rerum, sed ex Lege Dei. 411. 42.
Certitudo omnimoda de statu Gratiæ non
habetur regulariter in viâ. 432. 18.
Cogitationes congruæ entitativè naturales
non sunt auxilia Gratiæ Theologicæ.
64. 75. & seq.
Concurfus Cautæ primæ, & secundæ, ea-
dem actio. 24. 28.
Concurfus simultaneus Dei an habeat ra-
tionem auxiliij Gratiæ. 37. 83.
Concupiscentia quo sensu dicatur pecca-
tum. 235. 56.
Condonatio purè extrinseca Deo possibi-
lis. 281. 69.
De facto datur circa venialia. 288. 96.
Condonationis Divinæ Obiectum discu-
titur. 276. 54.
Conducencia ad salutem quo cum disci-
mine neganda in naturalibus. 141. 93.
Confirmatio in Gratia variè constituitur.
430. 6.
Cooperatio Dei cum Creatura exponitur
dignè per Concursum simultaneum.
Cooperans Gratia explicatur. 212. 9.
Condignitas Meriti quomodo commenfu-
randa. 439. 25.
Congruitas Meriti quomodo dicat pro-
portionem cum præmio citra æquali-
tatem. 439. 23.
Cotensonus non satis discedit à Pseudoau-
gustinianis. 217. 37.
Custodes Angeli nec obstinatissimos de-
serunt in viâ. 241. 81.

Crea.

Creationis ordo discernitur vtiliter ab or-
dine Gratiæ Theologicæ. 48. 10.

D

Decretorum Divinorum nulla multipli-
catio, vel coordinatio facere potest;
quod præmium antecedit meritum
Remunerandū in re positum. 543. 13.
Neque, quod vitima Dispositio ad
Gratiam efficiatur ab Habitu, ad quæ
disponit. 419. 76.
Dominium Libertatis, in quo stet. 26. 35.
Damnati, Auxiliorū Gratiæ exortes. 14. 63.
Peccant in multis: at non sine liber-
tate. 483. 32.
Damnatio recens triginta trium Proposi-
tionum per Alexandrum VIII. 12. 58.
Damnatio aliarum duarum propositio-
num per Innocentium XI. 13. 59.
Damnatio cuiusdam Propositionis de
Peccato Philosophico. 248. 112.
Demerita nō reviviscunt, & quare. 562. 8.
Determinationem creaturæ efficit Deus,
qui determinet. 29. 45.
Determinari ab alio agente, & determina-
ri liberè, repugnans. 27. 41.
Discretio Consentientis à Dissentiente
Triplex. 101. 100. & 226. 24.
Dominium Libertatis non dicit indiffe-
rentiam Suspensionis. 26. 38.
Dominium Supremum Dei nō minui-
tur, eo quod nequeat vnā rem destrue-
re, aut producere sine aliâ. 349. 53.
Dona Ordinis Creationis, & Gratiæ dis-
cernuntur. 48. 10.
Duratio rerum Creatarum, est ipsarum
Productio, & Conservatio. 534. 131.
Duratio actus auget meritum. Ibid.
Deus vult omnes salvos fieri, pro singulis
Generum. 246. 105.
Omni Viatori largitur Auxilia suffi-
cientia. 241. 81.
Non jubet impossibilia. 221. 5.
Non dicendus est, subijcere Nobis
suam Gratiam. 258. 151.
Vt Author Naturæ, & Gratiæ, quomo-
do ritè discernendus, & intelligen-
dus. 169. 32. & 295. 134.
Præmiat ex strictâ Iustitiâ. 559. 15.
Posset in aliâ Providentiâ remittere
peccata per extrinsecam Condonationem.
281. 69.
Et absque retractione Peccatoris.
421. 88.
Nullatenus, vt Author Naturæ. 293. 126.
Numquam amittit sus, quod semel ha-
buit, quævis possit illo nō vti. 277. 61.

Non potest nō diligere Iustū. 390. 38.
Nec potest nō odisse Peccatorē. 339. 22.
Præmiat vltra, & punit citra condig-
num. 559. 21.
Dat per Gratiam, etiam secundum se
indifferentem, posse, & velle. 218. 38. &
43. 107. & 208. 118.
Dilectio Dei propter se super omnia, quid
dicat. 161.
Eo ipso quod sic afficiat hominem
erga Deum, est entitativè supernatu-
ralis. 165. 15.
Nequit haberi in statu puræ Naturæ,
sic manente. 171. 36.
Dispositiones ex Gratia requiruntur ad Iu-
stificationem Adulti. 400. 2.
Quænam ex parte Intellectus. 402. 12.
Quænam ex parte Volūtatis. 404. 20.
Disponunt ex Lega Dei, non ex solâ
Natura rerum. 411. 42.
Iuxta aliam Dei Legem posset Adultus
iustificari sine illis. 421. 88.
Dispositio ad Primam Infusionem Ha-
bitus Fidei, tanta, quanta requiritur
ad Infusionem Gratiæ. 354. 6.
Dispositio vitima nequit effici ab Ha-
bitu, ad quem disponit. 415. 62.
Dispositiones ad remissionem Venia-
lium. 290. 106.
Dispositio Moralitatis ad Præmium Super-
naturale neganda operibus Naturali-
bus. 254. 137. &

E

Electio inter actus æquales cum neces-
sitate ad alterutrum digna in Deo Lau-
de morali. 492. 61.
Et in Nobis digna Laude, & Præ-
mio. 488. 86.
Elias, & Henoah, an sint in statu meren-
di. 517. 22.
Eligibilitas nullius Auxilij præ Auxilio
purè sufficienti non tollit ab isto ra-
tionem Beneficij Divini. 238. 67.
Eligibilitas Præservationis præ repa-
ratione à peccato non arguit, illam
præ ista non posse cadere sub meri-
tum condignum. 554. 64.
Ethnici, quantumvis Barbari, non carent
Auxilijs sufficientibus ad salutariter
operandu m. 244. 94.
Imò & de facto operantur salutariter
quoties honestè operantur. 256. 143.
& 152. 36.

F

*Facienti quod est in se Deus non denegat Gra-
tiam*

Cccc 2

tiam

viam, quo sensu accipiendum. 253. 135.
Fides lata non sufficit ad iustificationem. 403. 15.
Fides stricta non æque necessaria est ad omne meritum, ac ad iustificationem. 527. 61.
Fides, quo sensu dicatur Principium, & Radix Iustificationis. 524. 51.
Fides Habitualis non requiritur ad omnem actum meritorium. 520. 34.
 Qua ratione requiritur ad id *Fides* Actualis. 523. 46.
Omne quod non est ex fide peccatum est, quomodo sanè intelligendum. 122. 21.
Fidei Habitus numquam infunditur ante Infusionem Gratia. 355. 9.
Forma Sanctificans est Gratia Habitualis. 386. 8.
 Beatitudo. 327. 41.
 Unio Hypostatica. 329. 50.
 Non Actus Contritionis, seu Charitatis. 321. 22.
 Nec Maternitas Dei. 331. 59.

G

Gloria etiam Prima cadit sub meritum condignum, sub quod non cadit Prima Gratia. 550. 43.
Gloria pondus æternum, qua ratione adæquetur merito nostro. 439. 25.
Gloriari Hominem de Bono, qua ratione non oporteat. 183. 28. & 208. 117.
Gratia actualis auxilians, quid definitivè. 17. 1.
 Stat in Actibus Intellectus, & Voluntatis, qui sunt Illustrationes, & Inspirationes. 17. 2.
 Non in emortuis Qualitatibus. 24. 29.
Gratia Excitans, & Adjuvans. 211. 2.
 Operans, & Cooperans. 212. 9.
 Præveniens Comitans, & Subsequens. 214. 18.
 Sufficiens, & Efficax. 216. 31.
 Non semper Victrix in sensu Ianseniano. Ibid.
Gratia Actualis Theologica est entitativè supernaturalis. 64. 75.
 Concurrat effectivè physicè ad actus salutare. 79. 2.
 Non ut tota Ratio agendi. 86. 36.
 Concurrat partialiter cum potentia naturali. 99. 92.
 Principaliter tamen. 102. 104.
Gratia Actualis Auxilians quomodo dicatur in Nobis sine Nobis. 18. 6.
 Eius Necessitas ad actus Salutare super-

pleri valet per extrinsecam assistentiam Omnipotentia specialius applicata. 104. 114.
 Vide. *Auxilia. Necessitas.*
Gratiam Primam Auxiliantem nullatenus meremur. 549. 46.
 Possimus illam mereri iuxta alias Dei leges: non remuneratoriè, sed solutoriè. 548. 35.
Gratia habitualis quid definitivè. 400. 79.
 Est Forma Intrinsicæ nobis inhærens. 265. 16.
 Sanctificat ex natura sua. 306. 49.
 Est in Iustificatione formalis Remissio peccati. 313. 76. & 345. 37. & seq.
 Essentialiter opposita cum mortali. 337. 15.
 Concurrat effectivè ad Habitus Virtutum infusarum. 362. 49.
 Imò, & ad actus Virtutum. 363. 2.
 Quinimò, & ad actus Præceptos pro Instanti determinato sine præiudicio libertatis. 364. 8.
 Qua ratione sit Rectitudo, & Iustitia Universalis. 385. 2.
 Qua ratione sit Participatio, & Consortium Divinae Naturæ. 387. 16.
 Qua ratione sit Sanctitas. 386. 8.
 Qua ratione sit Animæ Pulchritudo. 385. 7.
 Qua ratione sit Amicitia Divina. 389. 28.
 Qua ratione sit Filiatio Adoptiva Dei. 393. 46.
 Qua ratione sit Ius ad Gloriã. 395. 55.
 Qua ratione sit Supernaturalis. 397. 64.
 Quam sit perfecta. 398. 69.
 Nequit esse Connaturalis Naturæ creatæ, nec creabili. 397. 67.
 Distinguitur ab Habitu Virtutis Charitatis. 104. 36.
 Est necessaria ad meritum Condignum Glorix. 513. 2.
 Non verò ad quodcumque meritum. Ibidem.
 Non auget condignè meritum ad maius præmium. 528. 2.
 Prima Gratia iustificans cadit sub meritum congruum, non condignum. 548. 33. Vide. *Reviviscencia, Meritum.*
Gratia datis data enumerantur, & exponuntur. 7. 38.
Gratia Philosophica explicatur. 7. 32.
Gratitudo, cur propriè non sit in Deo. 559. 16.
Gratiarum actio non satis arguit entitativam Doni supernaturalitatem. 51. 21.
 Gra-

Gratuitas primorum auxiliorum excludit omne debitum. 540. 36.
H
Habitus Virtutum præsentis influunt respectivè in auxilia, etiam indeliberata. 75. 9.
Habitus Virtutis Charitatis non est Gratia Sanctificans. 320.
 Nec Complexum ex Habitibus Virtutum Theologalium. 299. 13.
Habituum Infusorum, & Acquisitorum discrimen. 553. 1.
Habitus acquisiti non sunt Supernaturales. 360. 36.
Hæreditas Dei per Gratiam. 395. 55.
Henricus de Noris in Vindicijs Augustini, sinistre vindicat verum Augustinum. 217. 33.

I

Iansenius, & Ianseniani expugnati. 40. 98. & 216. 31. & 220. 2. & 477. 11. & sæpè alibi.
 Eorum Dogmata. 11. 50.
 Ab Innocentio X. profligata. Ibid.
 Ab Alexandro deinde Septimo. 222. 7. & 486. 38.
 Ab Alexandro tandem Octavo magnè ex parte. 12. 58.
Impetratio quid, & qualiter differat à Merito. 436. 10.
Innocentia Status quid. 3. 8.
Instrumentum, qua ratione dicantur Causæ secundæ, respectu Primæ. 24. 27.
Impossibile sæpè pro valde difficili. 14. 64. & 230. 39. & 243. 92.
Intensio Qualitatum per Gradus heterogeneos. 428. 24.
 Infinita an repugnet. Ibid.
 An summa. 420. 27.
Integra Naturæ Status quid? 2. 6.
 Ius ad Gloriam quam strictè competat Gratia. 395. 55.
 Ius, quod semel habuit Deus, semper habet. 277. 61.
Iuris cæssio in Deo condonante, quomodo intelligenda. 277. 61.
Iustificatio, & Sanctificatio in quo differant. 261. 1.
Iustificari Gratis, quo sensu dicamur à Tridentino. 401. 8.
Iustitia stricta commutativa inter Homines merentes, & Deum præmiantem. 559. 17.
Iustitia Originalis, quid? 3. 7.

Indifferentia libertatis, & suspensionis diversissima. 26. 38.
 Indifferentia Principiorum Libertatis diversimoda. 368. 23.
 Illustrationes Auxiliatrices, in quo stent? 17. 3.
Inspirationes Sanctæ, in quo? Ibid.
 Earum Causæ. 74. 2.
 Earum Necessitas. 129. 52.
 Sæpè sunt actus deliberati. 36. 81.

L

Laboriositas operis non est de Essentia Meriti. 519. 28.
Laudabilitas, quomodo differat à Merito. 436. 8.
Laude morali dignissimus Deus. 492. 62.
Lex Dei neque in casu Conscientiæ errantis obligat ad malum materiale. 461. 39.
Liberum Arbitrium non fuit extinctum in statu Naturæ Lapsum. 3. 13.
 Nec quoad intrinsicum fuit extenuatum. 5. 23.
Libertas à necessitate omninò requisita ad meritum. 477. 11.
Libertatis, seu Potentiæ Liberæ definitio exponitur. 505. 103.
 Eius Comprincipia non debent esse eodem modo indifferentia. 368. 23. & 505. 104.
 Nec debent omnia naturæ præcedere ad exercitium actus liberi. Ibid.
 Nec debent omnia posse componi cum utrolibet Extremo, quod eligat Liberum arbitrium. 366. 18. & 505. 104.
Libertas Contradictionis, & Contrarieratis. 472. 84.
Libertas nostra in Adamo ad Originale non sufficit ad meritum, aut demeritum præsens personale. 476. 10.
 Vide: *Necessitas Meriti.*
Littera Provincialis Montalti prohibita. 227. 28.
Lutheranismus circa Gratiam Aequalem. 10. 47.
 Circa Habitualem. 266. 24.
 Circa Meritum. 438. 17.

M

Maria Virgo sanctificata in Primo Instanti more Adulorum. 402. 11.
 Meruit Nobis de congruo omnia Auxilia. 78. 29.
 Mariæ Dignitas sublimis. 331. 62.
 Eius Speciale Privilegium nec venialiter peccandi. 186. 38.

caritas Dei non est Forma Sanctificans. 131. 59.
Nec per se condignificat merita. 539. 54.
Majusculum Errores. Uide. Semipelagianismi.
Meritum quid definitivè 436. 4.
Merita mala, quid apud Augustinum. 435. 2.
Meritum condignum, & congruum. 439. 21.
Remunerandum, & Solutorium. 440. 29.
Non est necesse, quod sit ex motivo charitatis. 453. 10.
Nec quod sit Opus supererogationis. 456. 17.
Nec quod sit actus intensior habitu. Ibidem.
Nec opus arduum, & laboriosum. 519. 28.
Debet esse actus moraliter honestus alicuius virtutis. 451. 2.
Positivus, & non Omissio pura. 467. 65.
Debet esse supernaturalis entitativè. 465. 57.
Non sufficit ad Meritum libertas existimata. 475. 2.
An sufficeret semiplena. 475. 4.
Non sufficit libertas à coactione. 477. 11.
Sufficit ad meritum inter Actus æquales. 488. 46.
Non officit ad meritum Connexio cum Præmio. 541. 2.
Meriti propriam rationem habent Actus voluntatis efficaciter imperati. 497. 76.
Non tamen sine immediatissima ipsorum libertate. 500. 90.
Meriti prorsus est incapax actus materialiter malus, quacumque facta per errorem, vel probabilitatem reflexione. 457. 25.
Mereri alteri posset Iustus iuxta alias Dei Leges. 553. 60.
Ministeriales causæ Auxiliorum. 77. 20.
Montali Dictum de sufficientia Auxiliorum, cui acquiescunt multi. 227. 28.
Motivum extrinsecum alicuius actus quid requirat, ut ex illo fieri dicatur talis actus. 470. 76.

N

Natura puræ Status physicè, & moraliter dabilis. 2. 5.
In eo, sic manente, non posset fieri actus perfectæ dilectionis Dei super omnia. 169. 30.
Naturaliter ea, quæ Leges sunt, faciunt, quid in Paulo ad Romanos. 172. 41.

Natura per Lapsum, quomodo vulnerata in Naturalibus. 6. 29.
Natura Lapsa status. 3. 9.
Non extinguitur in eo fuit Liberum Arbitrium. 3. 13.
Nec per se intrinsicè extenuatum. 5. 23.
Natura Lapsa habet auxilia eiusdem speciei, quæ fuerunt in Natura Integra. 38. 90.
Necessitas Logica, & Physica vtiliter discernuntur. 504. 101.
Necessitas, quod veniant scandala, non tollit quominus liberè veniant singularim. 190. 52.
Necessitas physicè necessitans ad actum non stat cum libertate actus. 480. 23.
Necessitas vaga venialium, quomodo stat cum libertate peccandi venialiter. 191. 56.
Necessitas opposita libertati, quantum sit. 503. 98.
Necessitas Gratiæ Auxiliantis ad opera salutaria, quanta sit. 134. 70.
Ad dilectionem Dei propter se. 162. 24.
Ad rectè cogitandum. 145. 2.
Ad rectè agendum. 150. 27.
Ad difficilia. 158. 57.
Ad Vincendas Tentationes. 177. 24.
Ad Vitanda Venialia. 184. 50.
Ad Perseverantiam Finale. 203. 97.
Necessitas sæpè pro magna Difficultate. 188. 45.
Necessitas Gratiæ habitualis ad meritum condignum. 513. 2.
Necessitas Fidei ad Iustificationem. 402. 12.
Qualis ad actum ut cumque meritum. 520. 33.

O

Obedientialis potentia declaratur. 96. 81.
Est in aliquibus ad aliqua; non in omnibus ad omnia. 426. 6.
Obstinatio in quo consistat. 15. 66.
Obstinati non omnino destituuntur auxilijs. 241. 81.
Omissio pura voluntaria impossibilis. 467. 67.
Incapax Motivi. 469. 72.
Incapax Meriti. 467. 65.
Omissio Actus præcepti, in quem influat Gratia sanctificans, liberè possibilis. 373. 43.
Operatio vndique bona, non nisi supernaturalis ex Dei lege per Christum. 152. 36. & 256. 143.
Omnipotentia quo pacto specialiter applicetur, ut suppleat defectum principij

intrinsicè ad actus supernaturales. 112. 144.
Nequit dici Nobis à Deo subijci. 13. 59.
Nequit in actu primo applicari ad vnum actum liberum, quin eo ipso applicetur ad duos. 471. 81.
Oppositio Logica propositionum, & Physica formarum non confundenda. 351. 60.
Oppositio Physica rerum quadruplex. 345. 41.
Oppositio Gratiæ cum peccato mortali essentialissima. 337. 15.
Sive contraria; sive contradictoria. 352. 70.
Oratio pro aliquo dono non satis per se arguit Doni supernaturalitatem. 51. 21.
Oratio ad posse, quid aptè à Deo petat. 229. 36.

P

Parvuli sine Baptismo decedentes, quamvis non in se, habent in alijs auxilia Gratiæ per Christum. 249. 117.
Per Baptismum absque propria dispositione iustificantur ex merito Redemptoris Omnium. 401. 4.
Peccata nihil de condigno meretur. 553. 58.
Multa de Congruo. 552. 54.
Non in omnibus peccat. 118. 2.
Peccatum habituale in quo consistat. 270. 39.
Quas hominis dispositiones requirat eius Remissio. Vide: Dispositio.
Peccata omnia Viatorum sunt remissibilia. 291. 115.
Nullam est dabile intrinsicè irremissibile. 292. 120.
Nequit per Gratiæ vnum mortale remitti sine alio. 292. 121.
Nequit remitti à Deo, ut Authore Naturæ. 293. 126.
Nequit remitti in, & pro instanti, quo committitur. 285. 82.
Peccatum grave Philosophicum non Theologicum, repugnat. 248. 112.
Peccata non reviviscunt: & quare non, sicut merita? 561. 7.
Venialia remittuntur per extrinsecam Dei Condonationem. 287. 93.
Nunquam tamen in via sine Infusione Gratiæ. 288. 95.
Non opponitur cum Gratiæ habituali. 287. 94.
Venialia cuncta diu evitare moraliter Nobis impossibile. 185. 35.
Et tamen cum libertate mortali committuntur. 191. 56.
Nemo habet de suo, nisi mendacium, & peccatum, quomodo intelligendum. 59. 56.
Peccatum contra Spiritum Sanctum specialiter, quid. 292. 118.

Pelagij error circa Gratiæ Auxiliantem. 8. 43.

Perseverantia Donum, in quo consistat. 203. 97.
Quomodo Nobis liberum? 209. 122.
Perseverantiam Finale posset Iustus in alia Dei Lege sibi condignè mereri. 555. 72.
In præsentia non nisi de Congruo. 554. 68.
Primatus Divinæ Libertatis supra Creatam, in quo stet. 27. 40.
Prima Causa supremitas stabilita. 27. 40.
Principium Meriti quomodo posset, vel nõ posset cadere sub meritum. 545. 19.
Prioritas mutua duorum repugnantisima. 416. 66.
Pena nequit executioni mandari ante culpam in re positam, sicut posset præmium ante meritum. 450. 63.
Pseudoaugustiniani. Vide: Ianseniani.

Q

Quod nolo malum hoc ago, quali ter in Apostolo capiendum. 481. 27.
Quo, & sine quo non Adiutorium, aut inepte à Iansenianis applicatur, & explicatur, aut pariter intelligendum pro statu Naturæ Integre, & Lapsæ. Vide: Adiutorium.

R

Ratio tota agendi Actus supernaturales non est auxilium Gratiæ elevans Naturam ad illos. 86. 36.
Reatus ad æternas Gehennæ pœnas non stat cum remissione culpæ. 272. 45.
Rectitudo Universalis quomodo conveniat Gratiæ Sanctificanti. 385. 6.
Relatio Operum in Deum qualiter requiratur ad Meritum. 539. 58.
Qualiter prodesse possit ad Incrementum Meriti. 540. 59.
Reparatio post Lapsum cadere nequit sub meritum condignum puri hominis Iusti. 553. 60.

S

Sacramenta, ut causent Gratiæ Iustificationis, non requirunt dispositionem dilectionis ex motivo Charitatis. 406. 26.
Sacramentalis Gratiæ reviviscit etiam per novam iustificationem. 565. 25.
Sacramentalia non remittunt Venialia ex Operato. 291. 112.
Salutis initiū quid in Sanctis Patribus, & Scholis. 141. 96. & 523. 48.
Sanctitas quid. 386. 9.

